UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij. Theologiæ Mysticæ Libri Tres

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

Visual Library

Th. 2646.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. D.

HENR. HARPHII

THEOLOGI ERVDITISS.

ORDINIS MINORVM, AC RERVM DIVINARVM CONTEMPLATORIS eximij.

THEOLOGIÆ MYSTICAE LIBRI TRES.

Nunc denuò studio multo attentiori, quàm hactenus vnquam, plurium Theologorum opera castigati, & correcti.

Addita Introductione ad doctrinam secundi libri admodum necessaria,
Per R. P. F. Petrum Paulum Philippium Ord. Prædic.
S. Theologiæ Doctorem.

PERMISSV SVPERIORVM.



COLONIÆ,
Apud Arnoldum Quentelium,
Anno Domini M. DC. XI.

Collegii Soctis Jesu Paderborn 1697.
dono L. Kloppenburg

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ELENCHVS BREVIS EORVM, quæ hoc volumine comprehenduntur.

LIBER PRIMVS.

PRæfatio operis.
Amoris diuini inflammatiua, scilicet Filij Dei Incarnationis, Conuersationis, Passionisque mysteria ac fructum cõplectẽs, Pars I. continẽs capita XXXIII. pag. 1.
De animarum vulneribus, quæ eis ex peccato originali inflicta sunt: de earundem creatione, nobilitate, venustate, ac reformatione per Christiformes virtutes, Pars II. continens capita CVI. pag. 109.

LIBER II.

INtroductio in librum secundum R. P. Fratris Petri Pauli Philippij Ord. Præd. pag. 461.
Epistola ad Lectorem R. D. Petri Blomouennæ Carthusiani in secundum librum, pag. 472.
Directorium aureum Contemplatiuorum, cuius pars prima in se complectitur XII. mortificationes viuificans. in XII. cap. pag. 489.
De vitæ actiuæ præparatione ac ornatu, deque amorosa animæ ad Deum conuersione, Pars II. in XXVI. cap. pag. 515.
De vitæ contemplatiuæ spiritualis præparatione & ornatu, qui ad eandem apti sint; deque impedimentis in ea, Pars III. in XXXIII. cap. pag. 540.
De vitæ spiritualis supereminentis præparatione & ornatu, de ipsius dignitate, deque operatione sanctissimæ

Trinitatis in animæ ſupremis viribus, Pars IIII. in VI. cap. pag. 611.
Collationes tres præcedentis libri, ſenſum quaſi per Epitomen paucis abſoluens, Pars V. pag. 630.

LIBER III.

EDen, ſeu Paradiſus contemplatiuorum, & vti diuerſi homines modis diuerſis ad Deum trahãtur. Pars I. præfationes ac VIII. cap. continens, pag. 653.
De præparatione vitæ ſpeculatiuæ & ſpiritualis: deque affectu quintuplici, Pars II. in XVI. cap. pag. 702.
De ſupremo exercitio vitæ ſpeculatiuæ & ſpiritualis, Pars III. in XXV. cap. pag. 753.
De cõgrua præparatione vitæ contemplatiuæ & ſupereminentis Pars IIII. in V. cap. pag. 807.
De IX. Amoris gradibus, Pars V. in IX. cap. pag. 842.

IN D. HEN-

IN D. HENRICI HARPHII THEOLOGIAE MYSTICAE, PRIMVM LIBRVM,

ad pium candidumque Lectorem,

PRAEFATIO.

INter alia multa, quæ ad posteros magna cum laude & vtilitate transmisit ingenij sui monimenta vir eximius D. Henricus Harphius, Christiane Lector, tres libros scripsit de Mystica Theologia: è quibus primus in duas secatur partes, quarum in priori succinctè, grauiter ac eruditè, ita vt decet Theologum, prosequitur Christi nostræ salutis instaurandæ causa incarnati, eiusque sacrosanctæ & vitæ & acerbæ passionis mysteria, simul etiam nonnulla aliæ excellentissima erga nos ingratos deploratosq; charitatis illius indicia ac documēta: quorum sedula & religiosa lectio ac commemoratio id efficit in homine, nisi planè in caudicem & truncum versus sit, vt feruenter redamare cupiat ac nitatur eum, à quo se sentit tantopere, etiam cùm adhuc inimicus esset, amatū, eique laudes gratesque agat perennes, ceu fidissimo animarum nostrarum sponso & amico. Hæc verò Christi vitæ & perpessionis beneficia Harphius noster in primo libro triginta & tribus capitibus absoluit, videlicet ad annos vitæ Christi sese accommodans, vt quot ille annis nostra causa vixit in terris, tot capitibus immensum erga nos amorem illius prosequatur. Nec

debet vlli esse ambiguum; quin omino nullum sit in vlla virtute progressum habiturus, quisquis in his Christi beneficijs commemorandis sedulò versatus non erit. Nihil enim æquè nostrum erga Deum amorem accendit, vt horum attenta meditatio. Quanqnam non debet fideli Christiano satis esse Domini sui beneficia ob oculos studiosè versare, nisi etiam vitæ eius sanctissimæ & omnigenis virtutibus conspicuæ exempla pro virili sectetur. Qua re permotus, nisi fallor, Harphius noster, postquam diligenter Christi mysteria prosecutus est, mox ad virtutes graphicè depingendas se confert, multisque capitibus non solùm piè, sed etiam doctè in virtutum explicatione versatur, creberrimis nedum Catholicorum Patrum, sed etiam Ethnicorum Philosophorum sententijs vtens. Habent enim & Ethnici multa præclarè dicta, quæ nos possumus ad morum informationem & alios pios vsus transferre, & ab iniustis possessoribus ablata, ad pietatis & virtutum ædificationem applicare, quemadmodum olim filij Israel ex Aegypto proficiscentes Domini iussu AEgyptios ipsorum opibus spoliârunt. Si quis autem diligentius Harphij nostri institutum perscrutetur, inueniet eum non nisi exactissimo iudicio & optima ratione in hoc opere, sicut & in alijs vsum esse. Cùm enim præcipua illius mens atque propositum sit, homines ad summam perfectionem euehere, ea verò nullo pacto obtineri possit, nisi quis virtutibus bene instructus sit, virtutes autem assequi non possit, nisi qui eas cognitas habeat (multa enim sæpe vitia se virtutes esse mentiuntur) vtilissimus certè labor ille censendus est, quem Harphius virtutibus describendis adhibuit. Atque ipse etiam quodam loco hortatur, vt virtutum exactam

etiam habere cognitionem enitamur, vt agnitas perfectius adipisci queamus. Vbi autem animus virtutum ornamentis egregiè insignitus est, ad diuinorum contemplationem aptissimus est. Propterea etiam Philosophi gentiles, vt possent in veri inquisitione & contemplatione syncerioribus ac liberioribus vacare animis, maximam perturbationibus sedandis, & virtutibus assequendis nauabant operam: quanquam eorum virtutes omnes Deo gratæ non fuerint, quòd informes essent, nec suos possent habere numeros ob fidei charitatisque defectum. Sine fide enim placere Deo impossibile est, & absque charitate nulla est perfecta virtus, quamlibet excellens sit. Quòd autem Harphius in hoc opere frequenter aliorum sententijs sua dicta confirmat & illustrat, prudentiam ac multam lectionem suam eo ipso declarat. Non enim sat habuit virtutes descripsisse, nisi etiam aliorum testimonijs sua scripta roborasset. Vbi certè multa vsus est arte & industria, dum plurium auctorum sententias tam concinno & apto ordine connectit, vt vix agnoscas, suisne, an alienis verbis vtatur. Multa tamen etiam ex suo ingenio deprompsit, quod felicissimum habuit, vt nihil interim dicam de admirabili mentis illustratione, qua fretus etiam profunda Dei penetrare potuit. Verùm quando tantopere in hoc incumbit optimus & pijssimus Pater, vt ad virtutum studium nos prouocet, debemus obtemperare recta monenti. Nihil enim in hac vita iucundius est, quàm virtutibus esse locupletem, quæ solæ veræ diuitiæ sunt, solæque efficiunt, vt in honore & pretio simus apud Deum. Humana omnia, vt verbis Diui Basilij vtar, Epistola quadragesimasecunda, vmbra sunt obscuriora, & somnijs fallaci-

laciora. Inuenta vernis floribus citius defluit. Corporis venustas aut morbo, aut tempore flacceſsit. Diuitiæ ſunt incertæ. Honoris ſplendor facilè immutatur. Artium ſtudia & labores, vnà cum hoc tempore finiuntur. Quin & ipſa eloquentia, cuius ſtudio paſsim omnes tenentur, gratiam habet, ſed ſolùm auritum iudicio & illici iucunditate. Virtutis autem ſtudium pretioſa quidem ſe habenti poſſeſsio eſt: iucundiſsimum verò ſpectaculum illis exhibet, quibuſcum congreditur familiariter. Atque, vt idem Baſilius alibi ait: Alia omnia non magis poſsidentium, quàm quorumlibet ſunt, velut in talorum ludo huc illuc tranſpoſita. Virtus autem ſola poſſeſsio immortalis atque immobilis, & viuenti & morienti permanens. Felices ergo illos, qui virtutibus cognoſcendis ſtudiosè incumbunt, cognitasq; exprimere conantur. Habet virtus immenſa præmia, digna alioqui quæ gratis excolatur. Age iam Chriſtiane Lector, accede feruenti ſpiritu ad lectitanda Harphij aurea ſcripta, diſce viuere, dum adhuc licet viuere. Nunquam melius, nunquam verius viues, quàm vbi omnis vita tua ex virtutis præſcripto tranſigetur. Laborem qualemcunque principio feres fortaſsis, quòd difficilis ſit virtus inexpertis, ſed vbi perſeueraueris præfracto animo, dulciſsimos breui laboris tui fructus carpes, & inter mediam licèt Scyllam nauigans atque Charybdim, tranquilliſsima ac ſecuriſsima animi ſerenitate gaudebis, conſolans teipſum, quod paulò poſt viſurus ſis bona Domini in terra viuentium.

INDEX

INDEX RERVM AC MATERIARVM, THEOLOGIAE MYSTICAE R. P. HENRICI HARPHII.

A

Abnegantes sese purè vt à Deo visitentur. 617
Abnegatio propriæ voluntatis quantum sit bonum. 526. 679. 717. 732
Abnegationis perfectæ duplex causa. 619
Abrenuntiatio necessaria quæ. 248
Abstinentia vt discretè seruanda sit. 301
Abstractio necessaria orantibus quæ. 237
Abyssus abyssum inuocat. 754
Adam in Paradiso in quatuor prolapsus est. 531. & seq. 846
Adhæsio ad Deum amorosa. 702. 762. & seq.
Adoptio filiorum. 14
Adoptionis filiorum Dei gratia quomodo consequenda. 33
Adorare Deum in spiritu & veritate quid sit. 770
Adorare quid sit, adoratio triplex. 380
Aduersa & prospera quinam æqualiter suscipiant. 616. 812
Aduersitas donum Dei præcipuum. 510
Aduersitates nobis à Deo mitti triplici ratione. 328
Affectus amicorum inordinatus quàm sit noxius. 870
Affectus amoris. 851
Affectus animarum tres. 7
Affectus dilectionis sextuplex proximis exhibendus. 457. & seq.
Affectus inordinatus triplex mortificandus. 33
Affectus quid & quotuplex. 543. 707. & seq.
Affectus rationalis. 344
Agilitas corporis glorioſi quanta. 285
Agnus quomodo sit occisus ab origine mundi. 24
Agonia Christi quid fuerit. 45
Alienatio mentis vnde habeat processum. 898
Alloquutio diuina vt differat à meditatione humana. 233
Alteratio corporis ex amore. 867
Amabilitas in Deo quanta. 271
Amandi Deum causa efficiens & finalis. 413
Amandi Deum modus. ibid.
Amans vti sit in amato. 887
Amator fidelis, vti se dilecto suo magis ac magis conformare possit 578 & seq.
Amatoris fidelis officium. 571
Amaritudo cordis vnde proueniat. 501. & seqq. 591
Amentiam quinam inducant. 484. 669
Amici Dei secreti quid sentiant. 662
Amici delicati quinam, eorumque imperfectiones. 585
Amici fastidiosi. ibid.
Amici fideles vt ab infidelibus secernantur. 647. 730
Amici indiscreti quinam. 588
Amici infideles vti sese gerant in derelictione interna. 584 & seq. 729
Amici instabiles qui. 729
Amicitia vera probatio. 339. 747
Amor acquisitus & rationalis quis. 497
Amor beatorum ad Christum quantus. 290
Amor castus & vehemens. 436
Amor Christi excessiuus ad nos. 78
Amor creatus quid. 690
Amor Dei ad homines quantus. 39
Amor Dei purus quis. 412
Amor Dei quomodo maximè excitetur in homine. 121
Amor Dei vt clamet in nobis. 599
Amor Dei vt sit omnium actionum affectionumque finis. 856
Amor, dilectio & charitas vt differant. 893
Amor diuinus quanta sit nobilitatis. 866
Amor duplex necessarius. 36
Amor experimentalis vt nos ad veram Dei perducat vnionem. 580
Amor fruitiuus vti acquiratur. 860. & seqq.

Amor incomparabilis vt discernatur à naturali, mercenario & acquisito amore. 843
Amor in homine quadruplex. 746 & seq.
Amor modi nescius. 743.749
Amor multiplex. 603. & seqq.
Amor mundanus quis. 496
Amor naturalis. ibid.
Amor practicus, fruitiuus, & superferuidus quis. 600.603.749. & seq.
Amor seruilis & imperfectus. 492
Amor seruilis ideo peruersus quia dilectionem propriam habet pro fine. 492
Amor quid sit. 535. & seq. 745
Amor rectus & prauus. 399
Amor sponsa qualis. 10
Amor sponsi cælestis ad sponsam quantus. 431
Amor verus vbi quærendus. 538
Amor vnitiuus quibus abtineatur studijs. 895
Amor vt mutet amantem. 819
Amoris acuti officium & signa. 869.870
Amoris affectio quid. 723
Amoris causa triplex. 410
Amoris diuini & naturalis differentia. 686
Amoris diuini gradus nouem, ignis proprietatibus assimilati. 842
Amoris diuini vis quanta. 398
Amoris feruidi signa tria. 877
Amoris gradus qui. 536
Amoris iactura vnde proueniat. 746
Amoris mirabilis officium signaque tria qua. 857. & seq.
Amoris incomparabilis signa tria. 846
Amoris increati effectus. 550
Amoris intellectualis gradus quatuor. 395
Amoris liquidi operatio. 610. signa tria. 888
Amoris nostri vim consistere in tribus: 429
Amoris operatio. 671.740.751
Amoris semper mobilis signa tria. 853
Amoris superferuidi signa. 883
Amoris veri quanta virtus. 256.398
Amoris vnitiui vtilitas. 552
Amori proprium quid. 744
Amorem suum quàm excellenter in passione sua commendauerit nobis Christus. 61. & seqq.
Andreæ Apostoli ad Crucem desiderium quantum. 345
angeli boni per astra matutina designati. 21
angeli mali per mare designati. ibid.
angeli qua ratione diligendi. 450
angelorum bonorum dilectio ad Deum. 25
anhelatio animæ tria complectitur. 792
anima petit tria. 4
animarum affectus tres. 7
anima apis spiritualis. 758
anima à solo Deo impleri potest. 873
anima cur vt sponsa iungatur Christo. 28
anima inter duas mensas vt constituta. 609
anima qua sibi appropriare possit. 806
anima qua tria sub vmbra dilecti inueniat. 260
anima quando sit pulchra, pulchrior, pulcherrima. 112
anima qualis esse debeat vt sit sponsa Dei. 425. 436.764
anima qua ratione deificetur. 798
anima quid, & quomodo creata sit ad imaginem & similitudinem Dei. 158. 420. & seq.
anima quomodo attrahatur à sancta Trinitate. 218
anima quomodo Deo consecranda sit per quinque. 156.
anima quomodo sit Deo chara, charior, & charissima. 170
anima vnde dilatetur ad Deum capiendum. 879
anima vti ad suam fontalem originem aspiret. 845.
anima vti per continuam sui elevationem fiat cælum & habitaculum Dei. 872
anima vt sit templum Dei. 442
anima vt spiritualiter crescat. 405
animæ ad solis radios collatio. 421
animæ conditio quanta sit dignitatis. 151
animæ essentia qua. 607
animæ & spiritus diuisio. 582.639
animæ gloriosæ dotes tres. 798
animæ locus proprius quis. 154.513
animæ mors qua. 692
animæ nobilitas quanta. 421. 640
animæ pulchritudo ex triplici imagine Dei quanta. 150
animæ triplex partitio. 593
animæ vitam causantia qua. 657
animam mutari in Christum quid. 60

animus humanus vt seipsum exuens diuinum quendam induat affectum. 888
apis spiritualis vt fiat anima. 605
appetitus duplex. 403
appetitus in homine triplex. 394. & seq.
aqua vt humana cogitatio. 897
aquilo, mysticè quid. 22
arbitrium liberum vt tripliciter iuuetur à gratia. 170
arbitrij liberi motus in Deum necessarius iustificationi. 120
arbitrij libertatem in duobus consistere. 160
arbor perfectionis. 633
arcus contra Christum tensus à diabolo quis. 106
ars quanta sit, scire humiliari & abundare, satiari & esurire. 299
ascensus in Deum per affectiuas potentias. 825
aspiratio ad vnitiuum amorem. 632
astra matutina mysticè qua. 21

B

Baptizatis cur nulla imponatur pœnitentia. 101
Baptismus cur à Christo susceptus. 40
Baptismi effectus qui. 40. 51
Beatitudo animæ beatæ quanta. 405
Beatitudo creati spiritus vbi permittatur. 740
Beatitudo essentialis animæ qua. 797
Beatitudo hominis duplex. 382
Beatitudo hominis qua. 601
Beatitudinis consequendæ certitudinem nasci ex quinque. 389
Beatitudini perfectæ duo necessaria. 277
Beatitudines, dona Spiritus sancti, & fructus spiritus quomodo differant. 266. & seq.
Beatum dici trifariam. 430
Beatorum amor qualis sit. 738
Beatorum differentiæ tres. 287
Benedictio Dei in anima. 138
Benefaciendum vt sit inimitis. 352. & seq.
Beneficia creationis & recreationis vt excitent nos ad redamandum. 418
Beneficiorum Dei diligens recordatio quam sit necessaria ac vtilis. 428
Benevolentia quid sit. 143
Benignitas fructus spiritus. 274
Bonitas Dei quanta. 9. 19. 191
Bonitas Dei quanto gaudio beatos repleat. 291
Bonitas diuina humano generi maxima exhibita qua 97
Bonitas fructus spiritus. 274
Bonitatis diuinæ dulcedo in Eucharistia. 56
Bonum hominis in quo consistat. 36
Boni natura qua. 746
Bona gratiæ & gloriæ inimicis optanda. 353
Bonorum genera tria qua. 147
Bonorum ordinationem in tribus consistere. 177
Butyri & mellis cibos videre mysticè quid. 387

C

Cæcitas mentis ex tribus. 110
Cæcitas mentis quid. ibid.
cæli ianua per Christum aperta. 103
caligo diuina. 609
caligo fruitiua qualis. 761
calor Spiritus sancti vt attingat inferiorem virtutem amatiuam. 767
candor & rubedo dilecti secundùm diuinitatem quid 34 *& secundùm humanitatem quid.* 37. & seq.
canis fidelitas mysticè quid. 194
caput spiritus nostri quod. 703
carboni cur assimiletur anima. 408
castitas & continentia vt sint fructus spiritus, & quomodo differant. 265. 275
castitas mentis maximè necessaria, quæ & duo requirit. 298
castitas triplex qua. 296. 529. 682
castitas vt sit res Angelica. 298
castitatis nomen accipi bifariam. 296
castitatem quanto studio etiam ethnici seruarint. 298
caussa meritoria quid. 15
cellæ aquariæ & vinariæ quid mysticè. 449. 738
certamen militis Christiani legitimum quod. 173
charitas beatorum quanta. 287
charitas Christi non tam ex passione, quàm ex animo patiendi pensanda. 14. 69. 72
charitas cunctis opibus pretiosior quomodo sit emenda. 392. 401
charitas Dei duplex qua. 397
charitas Dei trahit hominem. 104
charitatis fructus tria operatur in homine. 272

Charitas quid sit. 395. & seq. & quomodo acquiratur. 392.
Charitas quomodo in se contineat omnes virtutes. 446
charitas vbi nascatur, nutriatur, roboretur, & perficiatur. 402
charitas vnde ordinetur. 606 759.
charitas vt in quolibet augeatur. 849.
charitas vtrum obliget ad subeundum mortem & ad perfectionis opera. 449.
charitas vt sit radix & mater, fundamentum & summa, vita & forma excellentissima, & regina omnium virtutum. 399. & seq.
charitas Dei erga hominem, argumentum geminum firmissimumque. 398.
Charitatis dona quinque. 406.
Charitatis excellentia, effectusque mirabiles. 435.
Charitatis obiectum quod. 411. 453.
Charitatis gradus maximus quis. 708
Charitatis operatio in voluntate triplex. 404
Charitatis opus precipuum quale. 718.
Charitatis ordo. 411. 450. 452.
Charitatis pretium quod? 846.
Charitatis subiectum & obiectum quod. 402.
Charitatem non posse minui, sed augeri. 404. & seq.
Christus cur dicatur Redemptor & reconciliator. 22
Christus quare venerit vt Deus, sponsus, agnus. 27. & seq.
Christus quatenus sit caput Angelorum & hominum. 24.
Christi vestigia quanto affectu sequenda. 195
Christum contemplantur beati tripliciter. 289
Cibus animæ. 46.
Ciconia cur pia vocetur. 375
Circulus diuini amoris. 409
Circumcisio mystica 43
Circumcisionem cur susceperit Christus. 42
Ciuitates tres in regno Dei quæ. 438
Claritas Christi transfigurati vnde. 43
Claritas Dei in intellectu. 735
Claritas diuinæ gratiæ vt luceat in animam. 625
Claritas fructus gloriæ. 279. & seq.
Clementiæ & mansuetudinis differentia. 347
Clementia quid sit. 348
Cogitatio praua vtrum sit peccatum. 230
Cogitatio quid sit. 229
Cogitatio sancta semper habenda. 214
Cogitatio vt transeat in meditationem. 231.
Cogitationum triplex modus. 498. & seq.
Cognitio cæteris excellentior quæ. 787
Cognitio de diuinis verissima quæ. 788
Colloquium mysticum inter Deum & animam cuiusmodi. 794
Colloquutio spiritualis sponsi & sponsæ qualis. 417
Columbæ proprietates septem vt designent dona Spiritus sancti. 42
Compassio Christi erga suos quanta. 88.
Compassionis beatæ Mariæ dolor quantus. 89. & seq.
Compassionis Christi dolor maior passionis. 82.
Compassio vnde generetur. 680.
Compunctio amoris vnde. 567. 851.
Concupiscentia triplex. 638.
Concupiscentiarum diminutionem signum esse charitatis. 860
Confessio & satisfactio vt sint pœnitentibus necessaria. 129. 125
Confessionis dilatio periculosa. 129
Confidentia quantum necessaria tendenti ad vitam perfectam. 509 519
Conflictus diuini nostriqúe amoris. 744
Connaturalitas & conformitas charitatis quæ. 407
Conscientia pura quæ. 197
Conscientia vt feruenter sit examinanda. 858
Conscientia cauteriata indicia quæ. 666
Conscientiæ mundatio vnde. 671.
Consensus voluntarius quis. 161
Consilium donum Spiritus sancti. 207
Consilij donum, eiusque effectus. 561. 715. & seq.
Consilij spiritus duplex quis. 207
Consolationis interna gula. 616
Consurgendi in Deum modus nobilissimus. 786
Consurrectio in contemplationem supereminentem quomodo fiat. 822
Consurrectionis spiritualis gradus quatuor. 722
Consurrectionem fieri trifariam & de quibusdam aliis gradibus. 364
Contemplandi duplex modus, iuxta duplicem rationalis creaturæ naturam. 545

Contem-

Contemplandi modus duplex. 258
Contemplantibus quæ quatuor sint necessaria. 251
Contemplatio mystica. 699
Contemplatio quid sit. 251. 541. 628 837
Contemplatio scholastica. 699
Contemplatio supereminens quibus præstetur. 813
Contemplatio vt differat à speculatione. 252
Contemplatio vt dupliciter delectabilis. 874
Contemplatio vt sit actus intellectus non impediti, & vnde oriatur. 820
Contemplationis finis & terminus. 869
Contemplationis gratia amissa vt recuperetur. 878
Contemplationis gradus sex. 228 & seq.
Contemplationi quis sit aptus. 484. 564
Contemplationem quæ tria præcedere debeant. 248
Contemplationem sanctam quæ quatuor impediant. 859.
Contemplatione dulcorari aduersitatem. 344
contemplationum diuinarum gradus & differentia sex. 824 & seqq.
contemplatiua vita formula. 477
contemplatiuorum quorundam curiositas. 367
contemplator vt debeat esse ambidexter. 839
contemptus sui & seculi quàm sit necessarius. 192
contemptum sui desiderantium quanta sit paucitas 505
continentia vt tripliciter accipiatur. 295
contritio & attritio quid sint, & quomodo differant. 123
contritio vera quanam. 643
contritio quid conferat, & quomodo ordinanda. 518
contritionis dolor duplex. 124
conuersatio hominis gratiosissima quæ. 175
conuitiantibus vtrum sit respondendum. 349
cor Christi cur vulneratum. 52
cor Deo offerendum. 424
cor durum quid sit. 128
cor mundum quàm sit gratum Deo. 196. & seq.
cor vti ad Deum eleuandum. 354
cordis apertio. 572. 724
cordis clausura. 570
cordis diuisio quantopere obsit. 660. 669
cordis simplicitas quid conferat. 499
corde mundus, & corde rectus quis. 195. & seq.
cornua agni septem mystice quæ. 38
cornua sanctæ Crucis quatuor mystice. 105
corona stellarum duodecim quæ. 276. 279
corporis gloriosi dotes quatuor. 283
creatura quare facta sint. 516
creatura rationalis causa efficiens & finalis quæ. 153 419
credere Deum, Deo, & in Deum quid. 384
crux Christi quomodo veneranda. 380
crux spiritualis multiplex. 108
crux cordis, & crux mentis. ibid.
crux propria carnis. ibid.
crux, qua diabolum crucifigere debeamus. ibid.
crux, qua mundum crucifigere debeamus. ibid.
crucis latitudo, longitudo, altitudo, & profundum mystice. 105
crucis passionem quàm rationabiliter Christus elegerit. 97
crucem Christum ascendisse sponte propria ex charitate & obedientia. 73. & seq.
crucem quàm libenter ascenderit Christus. 94. & seq.
crucem tollere & Christum sequi quid. 340
cupiditas & voluptas vt sint carnalium vitiorum capita. 116
cupiditas quid. 299
currus Dei rotæque eius. 198
currus Pharaonis. ibid.

D

DEbitor Dei est homo tripliciter. 64
Delectatio duplex. 330
Delectatio in diuinis vnde. 478. 760
Delectatio spiritus qua sit & quanta. 270
Deliria & spiritualis ebrietas quid. 568. & seq.
Delitijs affluere quid. 899
Deplangere peccata necessarium. 422
Depositio lachrymosa Iesu de cruce. 93
Derelictio animæ amantis. 584
Desiderium animæ amantis. 793
Desiderium patrum antiquorum pro Christi aduentu. 427
Desidia quanta sit in hominibus. 654
Despectis sui vti debeat esse discreta. 505
Detractiones & contumelia, quomodo sustinendæ. 342
Deuotio interna vnde. 214
Deuotio quid sit. 234

Deuotio sensibilis ad quid conferatur homini. 506
Deuotio sensibilis malorum qua. 46
Deuotionis sensibilis subtractio multis de causis fit. 582
Deuotionem sensibilem dari gratis. ibid.
Deus cur amet. 867
Deus cur mari comparetur. 738
Deus cur se dominum patrem & sponsum vocet. 418
Deus ignis ardens. 629
Deus in spiritu nostro habitans, quatuor efficit proprietates. 751
Deus quid, & quomodo operetur in homine. 162
Deus quid sit. 35
Deus quomodo etiam naturaliter diligatur super omnia. 412
Deus quomodo nos dilexerit, & quomodo sit redamandus tripliciter. 429 & seq.
Deus quomodo sub lumine quodam possit videri. 617
Deus tria requirit ab homine. 365
Deus vt diligendus. 862. 865
Deus vt maneat in spiritu nostro. 752
Deus vt obiectum beatitudinis diligitur duplicitèr. 87
Deus vt vniat se spiritui nostro. 752
Dei præsentia in anima. 409
Deo quid nos præcipuè coniungat. 679
Deificatio quid. 837
Deiformis vt quis fiat per tria. ibid.
Dignatio Dei ad hominem. 13
Dilectio ad Deum vera qua. 205
Dilectio affectuosa fallax qua. 861
Dilectio Christi quanta. 56
Dilectio Dei pura & casta qua. 29
Dilectio proximi vt debeat esse vera, iusta & sancta. 436
Dilectio pulchra ex tribus. 444
Dilectio Sanctorum ad sanctam Trinitatem quanta. 291 & seq.
Dilectionis affectus sextuplex erga proximum exhibendus. 457
Dilectionis Dei erga nos argumentum geminum atque sanctissimum quod. 398
Dilectionem Dei quod maximè in nobis excitet nutriatque. 428
Diligere Deum ex toto corde, tota mente & anima, quid sit. 413 & seqq.
Diligenda quanam sint ex charitate. 439
Diligentis Deum plus quàm ipsos qui sint. 261
Discretio amica virtutum. 202
Discretio in tribus necessaria. ibid. & seq.
Dissolui, & cum Christo esse vt anima amans desideret. 848
Docilitas vt sit prudentiæ pars. 200
Dolor Christi in parte intellectiua. 83
Dolor Christi in sensu exteriori. 81
Dolor Christi in sensu interiori. 82
Dolor Mariæ ex morte Filij. 90. 98
Dolor maximus in anima Christi. 84
Dolor triplex in Christo maximus. 81. & seq.
Dolorum Christi causa quinque. 85
Donis Dei vt vtendum. 724
Dulcedo diuini amoris quid in Martyribus effecerit. 801
Dulia & Hyperdulia quid. 380

E

Ebrietas spiritus quid. 725. 786
Ecclesia quomodo sit corpus Christi. 24
Effluxus & influxus diuinus. 607
Effusio cordis præstantior qua. 483
Electionis diuinæ signa septem. 803. & deinceps.
Eleemosyna spiritualis corporali potior. 373
Elongatio mentis necessaria qua. 249
Epithalamium nuptiarum spiritualium quod. 417
Errores multiplices circa Eucharistiam. 54. & seq.
Essentia diuina vt possit videri. 830
Essentiam diuinam vnus alio perfectius videbit in gloria tripliciratione. 280
Esuries amoris. 756. 886
Esuries sitisque iustitiæ. 366
Eucharistia cur viaticum nominetur. 54
Eucharistia cur vocetur Communio. 53
Eucharistia cur vocetur Sacrificium. ibid.
Eucharistia præcipuum amoris signum. 865
Eucharistia quatria contineat. 54
Eucharistia quare sic nominetur. ibid.

Eucha-

Eucharistia vt habeat effectum Sacramenti & sacrifi. 18
Eucharistia vti nos vniat corpori Christi mystico, & summo Deo. 59. & seq.
Eucharistia vt sumenda. 683
Eucharistiæ effectus quintuplex. 57
Eucharistia Sacramenti materia conueniens quæ. 55
Eucharistia Sacramentum triplicem habere significationem. 53 & seq.
Excæcatio spiritualis vnde. 133
Exercitatio bonarum operationum necessaria. 213
Exercitium procedendi de actiua ad contemplatiuam vitam. 521
Exercitium, quo quis in Deum tendat. 623
Exercitia corporalia frequentantes qui. 810
Exercitia fortia vti moderanda. 570
Exercitia nostra quonam referenda. 508
Existentia & non existentia vt sint relinquenda. 785
Expectatio amantis animæ tædiosa. 884
Ecstasim bifariam causari. 881

F

Facere quod in se est, tria complectitur. 160
Familiaritas quando inimicis exhibenda. 353
Fasciculus myrrhæ quid. 61
Fauum cum melle comedere mystice quid. 50. 224
Ferculum Christi quod. 94
Ferculæ æternæ vitæ duodecim. 276
Feruere quinam dicantur. 875
Feruor orationi adsit. 239
Feruor sponsæ quantus. 10
Fidelitatem sponsæ in tribus consistere. 432
Fides mortua & viua quæ. 385. & seq.
Fides per dilectionem quatuor operatur. 384
Fides quid sit, eiusque actus interiores tres qui. 383. & seq. 684
Fides seu fidelitas quomodo conseruetur in Deum & animam. 432
Fides vt sit fructus spiritus. 275
Fidei articuli quot. 387. 694
Fidei radius quinque operatur. 386. & seq.
Fidem explicitam de articulis incarnationis Christi, & de sancta Trinitate esse habendam. 388.
Filius es Patris. 3
Filius Dei vti operetur in intellectu. 626
Filius Dei vt sit verbum, imago, ars, & sapientia Patris, & quomodo omnia per ipsum facta sint. 773. & seq.
Filij Dei charissimi quinam. 618
Filij Dei occulti qui efficiamur. 662. 693
Filiorum Dei adoptio quomodo fiat. 14 & seq.
Filiorum occultorum Dei probatio. 732
Fimus mysticus quis. 638
Finis virtutum quis. 267
Finis vt habeatur dupliciter. 262
Flamma quid, eiusque natura. 882
Flores virtutum. 63
Fluuius aquæ vitæ quid. 279
Fœlicitas animæ quanta. 620
Fons lateris Christi duplex. 52
Fonti tribus riuulis diffluenti, quid similetur. 734
Fonti vt comparetur anima. 596
Formositas animæ quanta & vnde. 408
Fornicatio spiritualis quæ. 296
Fortitudo vt sit virtus, donum, & beatitudo. 268. & seq.
Fortitudinis donum quid, eiusque effectus, & quotuplex. 560. & seq. 714
Fortitudinis gradus primus 329. secundus 331. tertius. 332
Fortitudinis materia vel obiectum duplex. 328
Fortitudinis secundum quatuor gradus diffinitio. 329
Fortitudinem sumi bifariam. 328
Francisci beati contemplatio. 597
Fratris Ægidij raptus. 551
Fructus caloris Spiritus sancti. 768
Fructus æterna vitæ duodecim. 276. & seq.
Fructus regni diuinæ claritatis triplex. 839
Fructus spiritus duodecim. 264
Fructus spiritus quid sit, & quæ duo ad eius rationem requirantur. 266 & seq.
Fruendum esse solo Deo. 262. 266
Fruitio diuina in via & in patria qualis. 270. & seq.
Fruitio multifariam dicitur. 265
Fruitio quid. 751
Fruitio vera quæ sit, & vnde causetur. 262. & seq.

Fruitioni perfecta sex necessaria. 760.
Fruuntur homines aliquo diuersimodè. 265. & seq.
Funiculus patris æterni triplex. 219
Funiculus filij triplex. ibid.
Funiculus Spiritus sancti triplex. 221
Fundamentum virtutum. 734
Fundamentum vitæ contemplatiuæ. 522
Fundamentum vitæ actiuæ. 675

G

Gaudendum esse de aliorum profectu. 848
Gaudendum in aduersitatibus. 345
Gaudium bona conscientia. 196
Gaudium cuiuslibet beati ad B. Mariam quantum. 288
Gaudium duplex in anima amantis. 866
Gaudium essentiale quod. 281
Gaudium & dolor vt simul fuerint in Christo. 82
Gaudium in Spiritu sancto. 439
Gaudium spiritus vnde. 273
Gemmæ in Cruce Christi spirituales quatuor. 105
Genera peccantium quinque. 654. & seq.
Generatio diuina vt semper noua fiat in anima. 841
Genu omne cur in nomine Iesu curuandum sit. 31
Gladius flammeus versatilis mysticè quid. 107
Gloria Deo danda. 8
Gloriatio in peccatis. 117
Gloria vana nihil Deo odibilius. 503
Gloria vana quantum impediat proficientem. 667. & seq.
Gloria fructus quatuor animæ beatæ ascripti 279
Gloria fructus quatuor corpori glorioso ascripti. 283
Gloria fructus tam corpus quàm animam concernentes duo primi. 285. & seq & duo vltimi 288. & seq
Gradatim ascendendum esse ad contemplationem. 281
Gradus abnegationis propriæ voluntatis. 612. & seq.
Gradus actiuæ vitæ supremus. 694
Gradus charitatis quinque. 450
Gradus nouum mortificationis. 808
Gradus tres videndi veritatem diuinam. 781
Gratia contemplationis quomodo obtineatur. 861
Gratia diuina quomodo respondendum. 538
Gratia donum est, sine quo nihil possumus. 162
Gratia & virtutes quomodo differant. 159
Gratia gratum faciens duplex. 165
Gratia increata & creata qua. 422
Gratia necessaria iustificationi. 119
Gratia prout operetur in homine. 546
Gratia purgans. 169
Gratia quid sit. 166 168
Gratia triplex. 159
Gratia vt lux tria efficit in anima. 168. & seq.
Gratia vt motrix tria efficit in anima. 169. & seq.
Gratia vt perficiat essentiam animæ. 51
Gratia vt sit mater nostra. 215
Gratia vt vita, tria operatur in anima. 168
Gratia ad animam triplex comparatio, triplexque ordo effectuum eius. 167. & seqq.
Gratiæ comparatio ad solis radium. 167
Gratiæ diuinæ præsentiam cognosci per tria. 163
Gratiæ & gloriæ actus tres. 291
Gratiæ & gloriæ regni destructiuum est peccatum. 87
Gratiæ gratum facientis efficacia quanta 776
Gratiam gratum facientem nobis Christus promeruit. 204
Gratiam mouere liberum arbitrium dupliciter. 160
Gratiam potiorem esse natura. 21. & seq.
Gratia diuina destitutus, quid agere debeat. 567
Gratitudo Deo exhibenda. 9
Gratitudo quàm sit necessaria. 16 & seq.
Gratitudo vt duplicem generat dolorem. 851
Gratus Deo vel odiosus quando quis dicatur. 166
Grauitas dolorum Christi. 86
Gula spiritualis vnde. 590. 811
Guilelmi Iuliacensis Comitis conditio qua. 186
Gustus animæ quis. 137
Gustus cælestis gratiæ quanta sit virtutis. 246
Gustus spiritus duplex. 255
Gustum animæ exercitari à Christo tripliciter. 222. & seq.

Gustum internum quomodo perdiderit homo. ibidem.
Gustum spiritus sensibilem multis de causis subtrahi. 768
Guttur sponsi suauissimum quod. 254

H

Hierarchia mentis triplex. 439
Hierarchici actus qui. 631
Hominem communicare cum omni creatura. 18
Homo vt plus versetur in Cælo quàm in terra. 357
Horæ contemplationis tres. 253. & seq.
Humana intelligentia diuino lumine irradiata vt aurora comparetur. 897. & 898
Humiliationis causam quantam habeat homo. 321
Humilis verè quis. ibid.
Humilitas affectionis habenda qua. 326
Humilitas cognitionis quomodo obtinenda. 324
Humilitas Christi. 71.107
Humilitas duplici via obtinetur. 320
Humilitas exhibitionis quomodo nutrienda. 325
Humilitas falsa qua. 321
Humilitas in quo principaliter & essentialiter consistat. 325
Humilitas lata gratiam sola meretur. 322
Humilitas orantibus necessaria. 238
Humilitas perfecta filiorum Dei. 814
Humilitas quanta sit laude digna, & quàm necessaria ad salutem. 319
Humilitas quid. 525
Humilitas triplex, scilicet cognitionis, exhibitionis, & affectionis. 323. & seq.
Humilitas vt introducat charitatem. 319
Humilitatis exemplum in puero Iesu. 16
Humilitati veræ proprium quid. 325
Hypocrisis quanta sit iniquitas. 184
Hyssopus mysticè quid. 156

I

Iaculationum amoriferarum formula. 549
Ieiunium culpa obseruandum. 304
Ieiunium triplex. 303
Ieiunij effectus. ibid. & 301
Ieiunia Ecclesiæ obseruare qui teneantur. 303
Iesus quid sit, quibusque sapiat. 29. & seq.
Iesu nomen quomodo luceat, pascat, & ungat. 31. & seq.
Ignis proprietatis nouem gradibus amoris congruentes. 844. & seqq.
Ignis vt dicatur actus. 869
Ignis vt habeat naturam actualem. 856
Ignis vt habeat vim vnitiuam & immutatiuam. 894
Ignis vt sit semper mobilis. 750
Ignorantia & cæcitas mentis vnde. 116
Ignorantia quàm sit pernicioſa. 112
Ignorantia malum quod, eiusque species quatuor qua. 116. & seq.
Illuminatio Dei in anima. 157
Imaginatio duplex. 229
Imaginatio quid sit. ibid.
Imago amoris Christi quomodo semper circunferenda sit. 63. & seq.
Imago Dei in anima triplex. 150
Imago Christi vt in corde portanda. 499
Imago & similitudo Dei in anima qua. 152. 408. 421
Imago S. Trinitatis per quæ tria perficiatur in anima. 777
Imagines homini necessariæ quæ. 543
Imagines nociuæ tres. 542
Immortificatio suipsius vti dono Consilij contrarietur. 668
Impassibilitas corporis glorioſi vnde 284
Impedimenta denudationis cordis. 641
Impedientia proficiendi. 657. & seq. 665. & seq.
Incarnationis Christi tria præcipua. 6
Incarnationis Christi ratio duplex. 18. & seq.
Incipientes vti Deo viuere debeant. 672
Indiscretio quorundam impetuosorum. 589
Indiscretio vt fugienda. 203
Influxus diuini luminis quàm leuiter amittatur. 557. 647
Ingratitudo hominum quantum afflixerit Christum. 85
Ingratitudo quàm sit detestabilis. 16. & seq.
Ingratitudo qualitum Deo displiceat. 207
Inhabitatio caliginoſa sub vmbra dilecti qua sit. 260. & seq.
Inhæsio mutua vti contingat. 887
Intellectus donum eiusque gradus. 562. 718

Intellectus & sapientia prout sunt virtutes & dona. 208
Intellectus quando sit vis animæ, vel virtus seu donum. 244
Intellectus vt solis radio assimiletur. 718
Intellectus vt præparandus ad contemplationem. 554
Intelligentia simplex. 650
Intelligentia vis animæ quæ. 230
Inimicis obligamur in quatuor. 352
Iniuriam fieri bifariam. 342
Iniuria quomodo patienter sustinenda. ibid.
Iniuriarum remissio quanta virtus. 333
Inspirationes diuinas quinam recipiant. 809
Inhabilitas exercitiorum vnde. 585. & seq. 729
Instrumentum in via contemplationis. 547
Intentio bona & praua. 183
Intentio deiformis. 190. 493. 535. 679. 689
Intentio facit omnia opera vt bona sint aut mala. 183
Intentio recta. 189
Intentio simplex. 190. 493
Intentio triplex. 185. 493. 531. 685
Intentionis rectæ signa exteriora quinque. 187. & seq.
Intentionis rectæ signa interiora duo. 188
Intentionis rectificatæ signum verum. 687. 693
Intentioni simplici quænam necessaria. 533. 687. & seq.
Introitus ad altissimam perfectionem quis. 575. 727
Introuersio vt fiat. 760
Inuidia diabolica contra hominem. 17
Inuocatio interna. 522. 724
Irradiationem diuinæ claritatis tribus recipi modis. 556
Itinera æternitatis duo. 702
Iubilus quid sit. 827
Iucunditas de Christi humanitate in cælis quanta. 289
Iudicium quodnam Deus requirat à nobis. 365
Iugum duplex. 637
Iugum exterioris interiorisque hominis quod. ibid. & seqq.
Iustificatio cur sit maximum Dei opus. 120
Iustificatio quid sit, & qua quatuor illi sint necessaria. 119 & seq.
Iustitia Christi victus diabolus. 100
Iustitia generalis & legalis 361. particularis. 363
Iustitia quantopere à gentilibus culta. 365. & seq.
Iustitia vt includat in se actus trium virtutum. 364
Iustitia vt sit cibus spiritualis. 165
Iustitia vt sit virtus generalis. 438
Iustitia vt sit virtus politica, purgatoria, purgati animi, & exemplaris. 365. & seqq.
Iustitiæ gradus quatuor. ibid.
Iustitiæ species duæ. 364
Iustitiæ vis quanta. ibid.
Iustitiam præcellere inter virtutes morales duplicatione. 363

I.

Iabia fidelis animæ qua. 21
Lac apparuum quid. 23
Languor animæ vnde. 523. 725.
Languor infernalis. 728.
Languor spiritus vnde. 892.
Lapis angularis cur dicatur Christus. 21.
Laqueiocculti diaboli. 613. & seqq. 809.
Largitas Dei in Eucharistia. 60
Latria quid sit, eiusque actus proprius quis. 380.
Latus Christi cur apertum sit. 53
Laua sponsi sub capite sponsæ, quid. 226.
Libanus quid. 276.
Liberalitas vnde & quid sit. 527. 680
Liberatio hominis à peccato quomodo per Christum facta sit. 97. & seq.
Liberatio hominis à potestate diabolis. 99
Liberatio hominis à pœna peccati. 100
Liberi arbitrij nobilitas. 518.
Lignum vitæ afferens fructus duodecim, vt designet Christum. 263. 276.
Liquefactio spiritus quid. 437
Liquefactio felix inter Deum & animam. ibid.
Longanimitas vt sit fructus. 274
Luciditas corporis glorioſi vnde. 283
Luciferi casus. 25. & seqq.
Lumen diuinum suscipere volenti quid faciendum. 818
Lumen gloriæ tria operatur. 278
Lumen increatum soli comparatum. 595

Lumi-

Luminis diuini triplex similitudo. 608. & seqq.
Lux scintillans in spiritum. 625

M

Macula animæ. 115
Maiores debere esse & humiliores. 322
Malitia quid sit. 113
Mandatum nouum cur dixit Christus. 59
Mandatorum Dei studiosa obseruatio in aduersis, vt sit bonum signum. 869
Manere in solitudine quid. 693
Mansiones tres in homine. 524. & seq.
Mansuetudo fructus spiritus. 274
Mansuetudo vera qua. 350
Manus Christi quomodo osculanda. 8. & seq.
Maria beatissimæ perfectio quanta. 846
Mariæ & Anselmi colloquutio de passione dominica. 90. & seq.
Matrimonij carnalis & spiritualis differentia qua. 425
Matrimonij spiritualis bona tria. 432
Matrimonij spiritualis initiatio, confirmatio, & consummatio qua. 427
Matrimonio mystico necessaria duo qua. 436
Matrimonium inter Deum & animam quid faciat. 424. & seq.
Martyrium spirituale. 353
Martyrium vtrum sit actus maximæ perfectionis, & quosnam quatuor actu virtutum habeat. 332. & seq.
Martyrij corona quibus præparetur. 591
Mediatoris fides qua. 20. & seq.
Meditatio quid sit, eiusq; tria genera qua. 214. 232
Meditatio vt transeat in speculationem, & perficiatur per diuinam inspirationem. 232. & seq.
Meditationis collectaneæ duæ. 234
Meditationis, cogitationis, & contemplationis differentia. 691. & seqq.
Meditationes vitæ actiuæ duos fines habent. 319
Meditationum gradus. 673
Memoria quomodo præparanda ad contemplationem. 553
Memoriæ quies & eleuatio vnde. 596
Mens contemplantis vt sit ab omnibus expedita. 820
Mens hominis vt bene ordinetur quinque modis. 264
Mens præsentia sui Creatoris visitata, vt se gerat. 706
Mens vt lumine diuino illustranda. ibid. & seq.
Mensuræ bonæ, conferta, coagitata, & superfluentis discrimen. 644. & seq.
Meritum Christi tam Angelos, quàm homines beatificare. 20
Militia Christiana perfecta qua. 194
Militiæ Christianæ insignia qua. 59
Misereri quomodo sit Deo proprium. 370
Misericordia cur meritò vocetur Deus. ibid.
Misericordia Dei infinita. 369
Misericordia & Iustitia diuina, vt simul in Christi passione concurrerint. 98. & seq.
Misericordia iustitiam semper comitem habere debet. 372
Misericordia quid sit. 369
Misericordiæ vitiosa & iniusta qua. 372
Misericordia vt exercenda in vita actiua. 518
Misericordia vt maxima virtus, sacrificiumque acceptissimum. 373
Misericordia vt sit virtus & beatitudo. 372. & seqq.
Misericordiæ & miserationis differentia. 370
Misericordiæ humanæ excellentia & virtus. 368
Misericordiam & veritatem triplicem Deus requirit. 365
Mititas vt pariat benignitatem. 327. 679
Mititas virtus & beatitudo. 310
Modestia fructus spiritus. 278
Modestia virtus qualis. 311
Mori & viuere in Deo quid. 603
Mors Christi quomodo toti humano generi valuerit. 99
Mors quatenus eligenda pro iustitia. 447
Mortis Christi virtus quanta. 75
Mortificatio incipientium, proficientium, & perfectorum. 637. & seq.
Mortificationi propriæ summa vigilantia cur insistendum sit. 853
Motus diuini amoris. 728
Multiloquium quàm sit detestabile. 216
Mundi innouatio qualis futura sit. 286
Murmuratio cuius sit filia. 302
Mutationes quales fiant in homine contemplatiuo. 474 & seq.

N

Nardus mystice quid. 319
Natiuitas Iesu quam sit dulcis & mirabilis. 15.
Natura amoris qua. 745. & seqq.
Natura diuinitatis quinam considerandæ. 736
Natura hominis duplex. 698
Natura humana quomodo deificata. 12
Natura ignis qua. 850.895.887
Natura rationalis ad quid facta. 633
Natura vti paulatim cogenda. 566
Natura humana dignitas. 13
Natura humana dignitas per Christi passionem reparata. 73
Naturæ inconstantia quamdiu plerumque duret. 571 675.
Necessitas cauendi peccata homini indicta. 104
Negligentia nostra culpanda, non gratia. 162
Nequitia effectus. 658
Nigredo sponsi exterior, & decor eius interior quomodo imitanda. 65
Nobilitas animæ quanta. 421
Nobilitas animæ summa in quo consistat. 777
Nobilitas hominis verè fidelis quanta. 177. & seq.
Nobilitas status gratiæ excellentissima. 848
Nobilitas summa qua. 171
Nomen Dei ineffabile quod. 29
Nomen Dei quando sanctificetur in nobis. 241
Nominis Iesu virtus quanta. 32.
Nouima animæ diuersa vnde. 151
Non facio bonum, quod volo, quid significet. 899
Nouitas vitæ æternæ ineffabilis. 285

O

Obdormitio spiritus in Deo quomodo fiat. 764
Obedientia Abrahæ. 137.148
Obedientia Christi. 75 147
Obedientia in aduersis & prosperis qualis esse debeat. 146
Obedientia voti quibus necessaria. 512.
Obedientia quid sit. 145.525. & seq 678
Obedientia vnde procedat. 711
Obedientia vti exemplo Christi seruanda sit. 147
Obedientia vt sit vsus bonæ voluntatis. 144
Obedientia excellentia quanta. 147
Obedientiæ gradus triplex. 148.512
Obedientiæ gratia Christus mortem susceptit triplicatione. 75
Obedientiæ opera vt exercenda. 513
Obedientia necessaria quinque. 145. & seq.
Obedire diuinæ voluntati quantum sit bonum. 136. & seq.
Obliuio Dei & salutis vnde. 118
Obstinatio peccatorum vnde. ibid.
Otium triplex detestabile, & vitandum quod. 215
Otium vt sit vitandum. 114
Oculus animæ quis. 779
Oculus simplex animæ quis. 608
Oculus triplex. 504
Oculo simplici duo necessaria. 190
Oculum intelligentiæ tria confundunt. 209
Oculum simplicem quinam efficiant. 688
Oculi animæ quando sint sani. 251
Oculi intellectuales vti mundandi. 704
Odiendum quidnam in homine. 496
Odium peccati necessarium. 123.846
Offensa punitioque vt remittenda. 352
Operis boni promptitudo vnde. 853
Opera bona ad salutem esse necessaria. 114
Opera bona quando Deo sint gratiora. 180. 634
Opera Dei qua, quomodo sint magna, mirabilia, & iusta. 69
Opera exteriora quomodo exercenda. 500.761
Opera misericordiæ vnde proueniant. 528 681
Opera virtutum, cur dicantur fructus. 266
Operationes Hierarchiæ quomodo fiant. 439. & seq.
Orare semper quis dicatur. 236 239
Orandum esse frequenter. 239
Oratio Deo gratissima qua. 238
Oratio duplex. 234
Oratio quid sit. ibid.
Oratio vocalis vti fundenda in vita actiua. 534
Orationis Dominicæ commendatio, & explanatio. 240. & seqq.
Orationis Dominicæ septem petitiones vt respondeant donis Spiritus sancti, & beatitudi-

dinibus. 243
Orationis gradus tres. 237
Orationi necessaria quatuor. 234
Orationi perfectæ necessaria quinque. 237. & seqq
Orationum iaculatoriarum vtilitas. 632
Origo virium superiorum quæ. 601
Ornatus vitæ contemplatiuæ & supereſſentialis. 815
Oſculatum quid. 6
Oſculetur me oſculo oris ſui quid. 889
Oſculum myſticum. 3.6.796
Oſculum manuum. 8. & seq.
Oſculum oris ſponſi quod. 9
Oſculum, oſculans, oſculatum myſticè. 5 & seq.
Oſculum triplex myſticè quod. 7
Oſculum quid. 8
Oſculo tria fieri. 6
Oſculum non labore ſed oris curpetat ſponſa. 5
Oſculum Spiritus ſanctus. 3
Os oſculans myſticè quod. 6
Oſtium vt ſit Chriſtus tripliciter. 223

P

PAlma qui vere crucem deſignet. 73
Panis quotidianus triplex. 242
Paradiſi ingreſſum tria præpedientia myſticè quid. 107
Paranymphus animæ quid facit. 839
Parentes quanta ſint pietate fouendi. 375
Paſſio amoris quid. 881
Paſſio Chriſti quàm ſit amoroſa. 94
Paſſio Chriſti quomodo omnem complectatur perfectionem. 62
Paſſio Chriſti vt præſeruet hominem à peccatis. 103
Paſſio dominica quomodo ſemper in memoria ſit portanda per compaſſionem & imitationem. 62
Paſſionis Chriſti effectus quinque. 97. & seq.
Paſſionis Chriſti grata recordatio. 96
Paſſionis Chriſti inſtrumenta quomodo veneranda. 381
Paſſionis Chriſti memoria vt ſit amoroſa menti grata. 64
Paſſionis dominicæ memoria quàm ſit ſalubris. 68
Paſſionis dominicæ opus, modus, cauſa & fructus. 70. & seq.
Paſſionem Chriſti meditandi gradus. 320.675
Paſſiones animæ quid ſint. 111
Pater cæleſtis vt operetur in Memoria. 627. & seq.
Pater noſter triplici ratione dicitur Deus. 241
Patientia Chriſti, quanta. 70.106.335
Patientia Dei triplex quæ. 336
Patientia excellentiſſima quæ. 360
Patientia operis, oris, & cordis quomodo tenenda. 347 & seqq.
Patientia vera & falſa quæ. 337
Patientia vnde. 679.714
Patientia vt dulceſcat in paſſionis Chriſti recordatione. 335. & seq.
Patientiæ commendatio. 335. 344
Patientia vt ſit fructus ſpiritus. 273. & seq.
Patientiæ gradus tres, ſcilicet incipientium. 351. proficientium. 355. & perfectorum. 358. 511. 526
Patientia perfectio in duobus. 344
Patientia vis quanta. 342
Patientia tribus modis exerceri. 338
Patientiam duobus modis obtineri. 334
Pax quadruplex quomodo obtinenda. 358
Pax ſpiritus vera quæ. 273.439.760
Pacis fruitionem quomodo quis conſequatur. 358. & seq.
Pacis gradus tres. 357
Pacifici qui ſint. 356
Paupertas ſpiritus quadruplex. 305. & seq.
Paupertas vera quid. 489.645 & seq.
Paupertatis amorem quæ duo excitent. 308
Paupertatis Chriſtianæ religionis gradus tres. 309. 490
Paupertatis exemplum in Ieſu & Maria. 306
Paupertati ſpiritus triplici ratione promittitur iudiciaria poteſtas. 307
Peccantes ex ignorantia, vel paſſione qui. 111
Peccantes ex malitia qui ſint. 112
Peccatori pœnitere volenti quid agendum. 655
Peccatum Adæ quadruplex. 351. & seq. 846
Peccatum deteſtandam maculam animæ imagini infligit. 87
Peccatum diuinæ vindictæ prouocatiuum, ipſiuſque

que Dei maximè iniuriatiuum. 86. & seq.
Peccatum mortale quid maximè vitare faciat. 847
Peccatum mortale quinque Christo vulnera infligit. 86
Peccatum obligatiuum pœnæ aternæ. 87
Peccatum quomodo fiat. 111
Peccatum veniale quid faciat in charitatem. 850
Peccati gradus septem qui. 117
Peccato duo quædam inesse. 115
Peccato vt quis potissimè moriatur. 67
Peccata oblita quomodo remittantur. 124
Peccatorum confitendorum forma. 674
Peccatorum remissionem attribui actui quo proximis indulgemus, propter tria. 353. & seq.
Peccatorum remissio quatenus per Eucharistiam fiat. 58
Peccatorum tam venialium quàm mortalium remissioni quænam sint necessaria. 126. & seq.
Peccatorum venialium discrimen. 495
Peccatorum venialium nocumenta quæ. 249
Pedes animæ qui. 843
Pedes Christi quomodo osculandi. 7
Pedes mysticè quid. 186. 703. 704
Pedum animæ inquinatio quæ. 186
Perfectio Christianæ religionis, quæ. 59
Perfectio cuiuslibet rei in quo consistat. 815
Perfectio vera in quo consistat. 344
Perfectio vera quibusnam medijs obtineatur. 487. & seq.
Perfectio viæ & patriæ quæ. 414
Perfectionis diuinæ similitudo quomodo obtinenda. 776
Perfectionis genera quinque. 448
Perfectionis initium & finis quis. 633
Perfectionem veram cur pauci acquirant. 771
Perseuerantia donum Dei singulare. 212
Perseuerantia filia vnica regis æterni. ibid.
Perseuerantia mentis. 646
Perseuerantia quid sit. 213
Perseuerantia conseruandæ quatuor necessaria ibidem.
Personarum proprietates, quatenus in diuinitate considerandæ. 736
Petenda quænam à Deo. 377. 612. 634
Philosophia quid sit. 194
Philosophi quomodo mundum, seipsosque contempserint. 193
Pietas & misericordia vt differant. 368. & seq.
Pietas naturalis quæ. 375
Pietatis actus triplices. 378
Pietatis Christianæ summa in quo consistat. 379
Pietatis donum quid, eiusque effectus. 559. 712
Pietatis virtus & donum vt differant. 375. & seq.
Piscina probatica quid mysticè. 642
Piscina porticus quid. ibid. & seq.
Pœnitentia peccantibus post baptismum, necessaria. 101
Pœnitentiæ vera quatuor necessaria quæ. 122. & seq.
Pœnitentiæ veræ signa quatuor. 131
Pœnitentiam etiam de venialibus necessariam. 126
Pœnitentiam exteriorem qui vitare maximopere debeant. 587
Pœnitudo peccatorum vt exercenda. 521. 672
Portæ tres quanam aperiantur animæ amorosæ à S. Trinitate. 818
Potentia rationalis. 650
Potentiæ cognitiuæ in homine. 649
Potentiarum animæ actus gratiæ et gloriæ tres. 291
Potentiæ diaboli quatuor Christus vicit in cruce. 106
Præceptum Dei duplex, scilicet probationis & exequutionis. 149. 339
Præcepta prima tabulæ emanantia à dilectione Dei. 393
Præcepta secundæ tabulæ à proximi dilectione emanantia. ibid.
Prælati spirituales quales esse debeant. 702
Prælium in cœlum quod. 21
Præsumptuositas quantum proficienti obsistat. 666
Probamentum virtutis acquisitæ. 579
Probationis diuinæ gradus triplex. 588. 729. & seqq.
Processio in diuinis. 478
Profectus continuus faciendus. 216
Profectus vitæ contemplatiuæ vnde dependeat. 563. & seq.

Profundatio spiritus nostri in Deum quid. 740
Proles spiritualis inter Deum & animam qua. 433
Propositum cauendi peccata quomodo stabiliatur. 847
Proprietarij in sua voluntate qui. 810
Proximus noster quis sit, & qua ratione, & quomodo sit diligendus. 454. & seqq.
Prudentia triplex. 201
Prudentia vt sit sustentatrix, directrix, & moderatrix aliarum virtutum 199
Prudentia vt sit virtus purgatoria. 205
Prudentia vt sit virtus politica. 199
Prudentia actus tres. ibid.
Prudentia partes tres. 202
Psaltes quid significet. 878
Pudicitia quomodo tuta seruanda sit. 298
Pulchritudo animæ, in quo potissimum consistat. 158 & seq. 170
Pulchrum dici aliquid ex tribus. 444
Pulsus Dei ad ostium animæ. 121
Purgatorium quinam peccata purget. 126
Puritas cordis in quo consistat. 197
Puritas cordis quomodo obtinenda. 761
Pusillanimitas quid & vnde. 693

Q

Quadriga Aminadab quid mystice. 109. 198
Quàm pauci ad veram sui mortificationem electi sint. 802
Quæstio propria etiam in contemplatiua vita cauenda. 780
Quæstio propria vnde proueniat. 491
Quæstio propria vt mortificanda. 493
Quies abstractionis & solitudinis diligenda. 854
Quies animæ in Deo quanta. 763
Quies animæ vt fouenda. 691
Quies animarum Sanctarum sola qua. 165
Quies apud Deum quanta. 246
Quies & pax cordis vera qua. 356
Quiescendum vt sit in Deo. 273
Quietatio cordis necessaria. 248

R

Ratio quid sit. 231
Raptus vt sit supremus gradus contemplationis. 893
Reatus totius deletio vti per Eucharistiam fiat. 38.
Recollectio mentis vt faciendæ 486
Recti qui sint. 131. 134.
Reddendum tribus qua sua sunt. 362. 365
Redemptionis humanæ modus conuenientissimus. 19. 97
Regnum Dei intra nos quod. 429. 438
Regnum vt per tria bene disponatur. 488
Religio quid sit, & vnde dicatur. 378
Religionis actus duo interiores, & duo exteriores. ibid.
Religionis cultui tria necessaria. ibid.
Relinquenda quænam sint ad contemplatiuam vitam aspirantibus. 784
Renouatio spiritus quomodo fiat. 227
Reparationis humanæ modus dulcissimus. 19.
Resignatio affectionis. 566
Resignatio indiscreta qua. 482
Resignatio orantibus necessaria qua. 240
Resignatio perfectorum 377
Resignatio quantopere necessaria. 565. 588
Resignatio quorundam falsa. 615
Resignatio vti probanda. 643
Resignationis gradus. 513
Reuelationem propheticam fieri quadrifariam. 830
Reuelationes falsæ vnde. 575. 726
Reuelationes fieri multifariam. 574. 725
Riuus diuinæ operationis in intellectum. 597. 735
Riuus diuinæ operationis in vim amatiuam vnde. 737
Riuus diuinæ operationis in voluntatem. 596
Rogerij raptus. 556. 587

S

Sabbatum cordis quod. 357
Sacramentum in generali quid sit. 30
Sacramentum matrimonij mystici, quod. 434. & seq.
Sacramenta duo ex latere Christi profluxisse. 52
Sacramentorum ostium quod. ibid.
Sacramentorum effectus speciales qui. 51
Sacramentorum vis vnde. ibid.
Sacrificio in omni quatuor consideranda qua. 76
Salomon quid interpretetur. 1
Salutionis æternæ signum manifestum triplex. 391

Salus animæ ex gratia & libero arbitrio. 161
Sanctificationis nostræ causa, forma, & finis quæ. 50
Sanctitas nulla consistit in sensibili gratia. 583
Sanctitas vbi quærenda. 532
Sanctitatem vt nemo sibi arrogare debeat. 506. 675
Sanctum aliquid dici quadrupliciter. 445
Sanctum propriè quid. 456
Sangui suga filia duæ quæ. 116
Sanitas calica quid operetur. 728
Sapientia creata duplex. 209
Sapientia diuina vt animam trahat. 776
Sapientia irrationabilis. 696
Sapientia mystica nobilissima quæ. 701
Sapientia quatenus à proficientibus exercari debeat. 700. & seq.
Sapientia quanam sit virtus, & quæ donum. 209. & seq 254
Sapientia Sanctorum quæ. 258
Sapientia vnde dicatur, eiusque obiectum & actus qui sint. 252
Sapientia vt sit lux & ignis. 775
Sapientiæ diffinitio. 696
Sapientia diuina præconia. 648
Sapientiæ donum, eiusque actus. 562. & seq. 720. & seq.
Sapor virtus quomodo discernatur à falso. 246
Sarmentorum genera quinque amputanda quæ. 305
Satisfactio peccatorum digna quæ. 130
Satisfactio humilis. 7. & seq.
Scala amoris nouem gradibus distincta. 760
Scientia & consilium prout sunt virtutes & dona. 205. & seq.
Scientiæ donum, eiusque effectus. 206 560
Scientia donum quomodo acquiratur. 713
Scientiæ effectus triplex. 206
Scriptio Dei in animæ quæ. 156
Scriptura cibus animæ. 46
Scriptura sacra obscuritas quomodo intelligenda. 682
Scrupulositas quantum malum. 667
Scrupulositatis origo. 308
Scutum diaboli quomodo confractum. 106
Secretarij Dei imperfecti. 661
Securitas vitæ æternæ quanta. 1281
Sensualitas in tribus consistit. 494
Sensus hominis duplex. 224. 423
Sensus interiores quinque. 870
Sensus interiores exterioresque quinque. 224. & seq.
Sensus vis animæ quæ. 228
Seruiendum ne sit Deo propter mercedem? 448
Seruitutis discretio. 504
Seruus fidelis vt quis efficiatur. 656
Seruum mercenarium quæ efficiant. 656. 676
Serui pigri qui. 657
Signum certum imperfectæ dilectionis. 581
Silentium internum seruandum quod. 761
Silentium mysticum. 793
Silentium quanta sit virtutis. 214
Similitudines quatenus contemplandi viam demonstrent, quantumque à vera Dei vnione absint. 556
Simplicitas spiritus vnde oriatur. 718
Simplicitatis laus. 720
Simplicium deuotio quid à Deo obtineat. 473
Simplicium recollectio vt inchoanda. 480. & seqq.
Sobrietas antiquorum quanta. 300. & seq.
Sobrietas quid sit. 299
Sobrietatis commendatio. 302. & seq.
Sobrietatis & abstinentiæ gradus tres. 300
Societas beatorum quam sit amabilis. 286
Solitudo & silentium vt sint meditationi necessaria. 214. 217
Solitudo mentis vera quæ. 217
Solitudini corporali duo comites necessarij qui. ibidem.
Solis calori vt assimiletur tractus Spiritus sancti. 767
Solis effectus. 722
Solicitudo qualis seruanda sit in peccatis venialibus. 527
Speculatio quid sit. 252. 626
Speculatio vnde oriatur, vtque transeat in contemplationem. 245
Spes animæ amantis secura. 794
Spes quid sit. 388
Spes vti nos Deo vniat. 539
Spei certitudinem oriri ex tribus. 390

Spei ob-

Spei obiectum quod. ibid.
Spiritualis exercitationis gradus triplex. 755
Spiritus Dei quid à nobis exigat. 747
Spiritus diuinus vt spiritui creato occurrat. 819
Spiritus humanus diuino amore succensus, vt igni similetur. 896
Spiritus noster vt præparandus ad fruitionem gloriæ. 620
Spiritus noster vt expiret per diuini spiritus inactionem. 757
Spiritus sanctus cur in columba, & cur in nube declaratus sit. 44
Spiritus sanctus datur in baptismo. 41
Spiritus sanctus in columbæ specie propter triæ apparuit. ibid. & seq.
Spiritus sanctus vt sit amor. 36. 641
Spiritus sancti operatio in anima. 164
Spiritus sancti præsentiæ signum euidens. 860
Spiritus & animæ distinctio. 753
Spiritus illustratio vnde. 719
Spiritum amantem tangi à spiritu diuino. 824
Spiritum esse in spiritu, & spiritum esse supra spiritum, spiritumque esse sine spiritu quid. 593. 753. & seq. 890
Sponsus & sponsa quàm sint dulcia nomina. 9
Sponsa Dei sensatur amans anima triplici ratione. 426. & seq.
Sponsa & soror cur vocetur anima. 183
Sponsus anima vt sit Deus. 418. 848
Sponsus cælestis quàm eminentissimè intendere dignatus est sponsæ suæ, tam in creatione, quàm recreatione. 420
Sponsi amore Deum sibi animam coniungere, vnde intelligatur. 418
Sponsi & sponsæ quàm sint dulcia nomina. 9. 418
Sponsum cur se vocet Christus. 11
Strenuitas & temperantia vnde. 528. 681
Strenuitas, seueritas, & benignitas quid differant. 699
Strenuitas vt exhibeatur in tribu. 154
Suauitas æternæ gloriæ quanta. 281
Suauitas diuini amoris. 408
Subtilitas corporis glorioſi. 284
Sudor Christi sanguineus vnde. 45
Superbiam & inuidiam esse capita vitiorum Spiritualium. 116
Suspendium mysticum eligendum quod. 252
Susurrium diuinum quod. 233. 794
Syntereſis quid. 651

T

Tactus Dei quid sit, & quid doceat. 763
Tactus extrahens & intrahens, quid. 604. & seq 741 & seq 763
Tactus mysticus. 602. 604. & seqq.
Tædium animæ amantis. 792
Temperantia quid sit. 292. & seq.
Temperantiæ gradus quatuor. 294
Temperantiæ modus duplex. 293
Tempestas quadruplex. 659
Templum animæ quomodo mundandum, ornandum, & sanctificandum sit. 442. & seqq.
Templi materialis consecratio quid mysticè nobis insinuet. 196
Tendere ad Deum quid. 186
Terebræ triplices vt expellantur ab anima. 386
Tentationes vincendi modus quis. 501
Tentationum quarundam importunitas quanta. 589
Tepidus, calidus, frigidus quis. 114
Tepor multorum quantus. 4
Theologia mystica quæ sit, eiusque excellentia quanta. 257. 235. 530. 683
Theologia scholastica quid. 530. 684
Thesaurus absconditus vt sit passio Christi. 24
Thesaurus cordis duplex. 185
Thymiama mysticum quod. 723
Thymiama mysticum quomodo conficiatur. 851
Timendum esse semper sub spe. 389
Timor Domini radix sapientiæ & initium. 312
Timor fœdus, atque damnabilis triplex, scilicet humanus, mundanus, & seruilis. 313. & seq.
Timor naturalis quando sit bonus aut malus. 315. & seq.
Timor pulcher & acceptabilis Deo triplex, scilicet initialis, filialis & castus. 316. & seqq.
Timor inordinatus vnde. 509
Timor donum quid, eiusque effectus. 558. 710
Torcular mysticè quid. 359
Tractus Patris æterni. 219. 777
Tractus Filij Dei. ibid 771
Tractus Spiritus sancti. 220. 766
Tractus Spiritus sancti vt sequendus. 576

Tractus 8. Trinitatis, quo animam trahit. 220. 216 691
Tranquillitas æterna vita quanta. 282
Transfiguratio Christi quid fuerit. 43
Tribulationes cur à Deo permittantur. 310
Tribulationum quanta vtilitas. 339. & seq.
Trinitas sanctissima vbi habitet. 606
Trinitatis cognitio. 598
Trinitatis ostensio in transfiguratione Domini. 44
Trinitatis mysterium in Christi baptismo. 40
Trinitatis Sanctissimæ operatio discreta. 624
Tristitia malum. 876

V

VAcuitas spiritualis vt distet à materiali. 779
Vbera sponsæ duo mysticè quid. 2.61.368
Velle triplex. 184
Venialia stant simul cum gratia Dei. 126
Verbum absconditum audire quid. 233
Verbum Dei quàm sit necessarium. 46. & seqq.
Verbum Dei quomodo custodiendum. 47
Verbum Dei vtrum plus sit quàm corpus Christi. 48
Verbum otiosum quod. 216
Verbum Patris vt humanam naturam assumpserit. 775
Verbi Dei operationes quatuor. 48
Verecundia vt seruanda sit. 298
Veritatem diuinam mens hominis trifariam contemplatur. 829
Veritatem in iniustitia detinentes qui. 110
Via ad perfectionem. 630
Via omnium nobilissima quæ. 547
Via contemplatiua progressus. 548
Via Domini quæ. 649
Viatores cur dicantur. 843
Vigilia triplex custodienda. 206
Vindicta appetitus vtrum sit licitus. 348
Virginitas animæ in quo consistat. 425
Virginitas in quo consistat. 296
Virtus nominis Iesu quanta. 32
Virtutis cui similetur. 757
Virtus animæ amatiua vt trahatur à Spiritu sancto. 766
Virtus affectiua vti formetur. 799
Virtus intellectiua vt trahatur à filio Dei. 791
Virtus memoratiua vt trahatur à patre æterno. 777
Virtus quando vertatur in vitium. 182
Virtus quid sit. 132.172.179.177
Virtus quomodo probetur. 362
Virtutem aliquam quando quis nouerit se adeptum. 636
Virtutes cardinales vt rectificent vires animæ inferiores. 172
Virtutes cardinales cur variis appellentur nominibus. 173
Virtutes cardinales quando vocentur politicæ, purgatoriæ, purgati animi & exemplares. 178. & seq.
Virtutes cardinales vti diuersimodè possideantur. 178
Virtutes, dona, beatitudines & fructus quomodo differant. 176
Virtutes gratuitas esse sibi omnes connexas. 174
Virtutes informes quomodo fiant formatæ. 177
Virtutes principales septem. 178
Virtutes quàm sint necessariæ. 171.523
Virtutes Theologicæ vti nos Deo coniungant. 684
Virtutes Theologicæ vti per Sapientiam roborantur. 697
Virtutes Theologicæ vti tres animæ vires reformant. 154 172
Virtutes vt in medio consistant. 175
Virtutes vt sint multiplices, & quomodo acquirantur. 174. 579. 636
Virtutum ad amorem quid maximè moueat. 179
Virtutum cardinalium gradus quatuor. 173
Virtutum commendatio. 179. & seq.
Virtutum genera quatuor. 180
Vis irascibilis vt iugo stringenda. 638
Vires animæ quomodo impediantur, & ad peccatum trahantur. 111
Vires animæ quomodo reformentur. 786
Vires animæ tres inferiores quomodo perficiantur. 154.163
Vires tres animæ vt per Theologicas virtutes reformandæ sint. 154
Vires inferiores animæ vti præparandæ & regendæ. 564.639
Vires tres superiores quomodo moueantur à Spiritu san-

vitu ſancto. 164
Virium animæ deformatio. 785
Virium ſuperiorum ſubtilitas quanta. 594
Viſio ſpiritualis ad quid neceſſaria. 670
Viſionis intellectualis principium triplex. 210
Viſiones myſticæ quænam dicantur. 707
Viſus interior quatenus reformandus. 863
Vita actiua vt acquiratur. 778.779
Vita animæ duplex. 153. 422
Vita beata quæ ſit. 277
Vita contemplatiua pars melior vnde. 620
Vita contemplatiua præſentis temporis, vti non pertingat ad viſionem diuinæ eſſentiæ, & è contrario. 893
Vita contemplatiua quid ſit. 250
Vita contemplatiua in quonam principaliter ſit. 869
Vita contemplatiua ſpiritualis figurata per Rachel. 540
Vita contemplatiua ſupereminens vt figurata per Mariam Magdalenam. 611
Vita creati amoris in quo conſiſtat. 578
Vita & mors animæ quæ. 406
Vita interna vt acquiratur. 500
Vita ſpiritualis fidelium in quo conſiſtat. 59
Vita ſpiritualis quid. 756
Vita ſpiritualis vt augeatur per Euchariſtiam. 58
Vita triplex. 516
Vitæ actiuæ & contemplatiuæ differentia. 500
Vita contemplatiua ſpiritualis impedimenta. 541
Vitæ contemplatiuæ ſuperemineniis ornatus, ſex neceſſaria. 620. & ſeq.
Vitæ actiuæ quæ neceſſaria. 518
Vitæ internæ quinam aptiores. 517
Vitam contemplatiuam quænam inuent. 543
Viuere & mori noſtrum quid. 749
Vitiorum omnium capita quatuor quæ. 116
Vitulus tenerrimus Abrahæ vti Euchariſtiam figurârit. 56
Vmbra vnde cauſetur. 260.616
Vmbram cauſantia tria quid myſticè. 260.833
Vnctio Dei in anima quæ. 157
Vnio deitatis & humanitatis in Chriſto qualis. 13
Vniri quinam Deo non poſſint. 686
Vnitas Dei intrahens quid ſit. 764
Vnitas naturalis in homine triplex. 676
Vnitas ſpiritus noſtri vt ſe habeat cum vnitate ſpiritus diuini. 739
Vnitio ſpiritus noſtri cum Dei ſpiritu quid efficiat. ibid.
Vnio inter Deum & animam quanta. 11
Vnio ſponſi & ſponſæ quomodo myſticè fiat. 437
Vnum neceſſarium quid ſit. 661
Vnum quatenus ſimus cum Deo. 653
Vocationem diuinam ſeptifariam fieri. 654
Voluntas bona ad Deum quæ. 141
Voluntas bona ad proximum quæ. 143
Voluntas bona quid ſit, & quando reputetur pro facto. 136.142
Voluntas bona totum hominem rectificat. 144
Voluntas Dei propria fons omnis boni. ibid.
Voluntas hominis propria origo omnis mali. ibid. & ſeq.
Voluntas deuota & plena quæ. 139
Voluntas hominis vt trahatur à Deo. 224
Voluntas mala vnde oriatur. 133
Voluntas noſtra quando ſit bona. 242
Voluntas noſtra vt ſe habeat in Deum & diabolum ſicut mulier inter virum legitimum & adulterum. 144
Voluntas propria quæ ſit. 133
Voluntas propria quàm veneno ſa res ſit. 571.595
Voluntas quid ſit. 132 137
Voluntas quomodo præparetur ad contemplationem. 555
Voluntas rectæ & valida quæ. 139
Voluntas ſe & omnia mouet. 187
Voluntas vnde dicatur. 135
Voluntas vt dirigatur, erigatur, ac perficiatur per charitatem. 403. & ſeq.
Voluntatis bonæ gradus quatuor. 138
Voluntatis bonæ latus. 135
Voluntatis coactio duplex. 138
Voluntatis humanæ perfecta conformitas ad diuinam quæ. 141
Voluntatis propriæ renuntiatio quàm ſit Deo grata. 135
Voluntati propriæ reſignantes imperfectè. 811
Voluntatem noſtram quomodo diuinæ conformare debeamus. 136 139
Voluntatem noſtram tripliciter moueri à Deo. 142
Voluntatem propriam habere, ſolius Dei eſſe. 132

Voluntates in Christo quatuor, earumque diuersitas, & conformitas in sua passione qua. 77. & seq.
Vota religionis ad quid conferant. 489
Vox iungitur orationi mentalis triplici ratione. 235
Vulnera animarum tria ex originali peccato. 20
Z
Zacheus quomodo imitandus. 694
Zaleuci Consulis iustitia quanta. 365. & seq.
Zelator animarum Christus. 290
Zelus erga proximos. 880

FINIS

D. HEN-

D. HENRICI HARPHII, THEOLOGI

ERVDITISSIMI,

Theologiæ mysticæ, LIBRI PRIMI *(qui & diuini amoris Christi formiumq; virtutum Soliloquium, siue in Cantica Canticorum paradoxa, aut certè diuini amoris spiritualiumq; nuptiarum Epithalamium inscribi potest)*

PARS PRIMA.

Diuini Amoris inflammatiua potissimùm complectens, videlicet, de Filij Dei incarnationis, cõuersationis, passionisque mysterijs ac fructu: de institutione vsuque Sacramentorum.

Vbera sponsi quæ? osculum quid? Pater osculans, Filius osculatum, Spiritus sanctus osculum: labia sponsæ quæ? Caput I.

OSCVLETVR *me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino.* Canticorũ I. Dic quæso nobis, de quo, à quo, & ad quem dicatur: *Osculetur me osculo oris sui.* Aut quale est istud ita subitaneum, & factum repẽte, de medio sermonis exordium? Et quidem iucundum eloquium, quod ab osculo sumit principium. Et blanda Scripturæ facies faciliter afficit & allicit ad legẽdum: ita, vt quod in eo latet, delectet inuestigare, etiam cum labore: nec fatiget inquirẽdi fortè difficultas, vbi mulcet eloquij suauitas. Verùm, quem non attentum valde faciat, istiusmodi principium, sine principio: & nouitas locutionis in veteri libro? Cuius & titulus prænotatur; *Cantica Canticorum Salomonis.* qui interpretatur pacificus, optimè conueniens libri principio, qui similiter incipit à pacis signo, scilicet ab osculo: Simili congruentia innuens, quòd ad hanc Scripturam intelligendam mentes inuitat pacificas, quæ sese tam à vitijs, quàm à tumultibus alienare prævalent. Nimirum cùm hæc Cantica sola docet vnctio

Desiderium animæ ad Deum.

Salomon quid.

diuina; ſola addiſcit experientia. Non enim eſt ſtrepitus oris, ſed iubilus cordis: non ſonus labiorũ, ſed motus gaudiorũ: concordia voluntatũ, non conſonantia vocum. Nec auditur foris, nec perſonat in publico: ſed ſola quæ cantat audit, & cui cantatur. Eſt enim quoddam Epithalamium, id eſt, nuptiale carmen, caſtos exprimens iucundosq; cõplexus animorũ, concordiam morum & affectuũ, conſentaneamq; ſpiranſ & flagrãs ad alterutrũ charitatẽ, qua ſponſa fidelis ad perfectã ætatem, & ad annos nubiles iam peruenit: annos dico meritorum, nõ temporum, vt ad cæleſtis ſponſi cõplexus idonea iudicetur. Oſculum igitur petit cum fiducia, memor vberum ſuorũ, cùm ſubinfert: *Quia meliora ſunt vbera tua vino.*

Vbera ſpõſi duo quæ.

Hæc vbera ſponſi ſunt duo quædã argumenta manſuetudinis ingenitæ. Nam gemina dulcedo ſuauitatis exuberat in pectore ſponſi, ſcilicet inexpectando longanimitas, & in condonando facilitas, iuxta illud Pſalmi: *Longanimis Dominus, & multũ miſericors.* In cuius geminæ bonitatis experimento, ſe meritò ſponſa fatetur in eam excreuiſſe fiduciam, vt auderet petere oſculum. Quid mirũ, dicens, ſi ſic præſumo de te, ô ſponſe, quæ de tuis vberibus tantã experta ſum ſuauitatis abundantiã. Ad audendũ me prouocat dulcedo vberũ tuorum, nõ meorum confidentia meritorũ. En gratia tua multis iam annis caſtè, *ſobriè, pie, iuſtè* viuere curaui: lectioni inſiſto, vitijs reſiſto, orationibus incumbo, cõtra tentationes frequenter vigilo, *annos meos in amaritudine animæ meæ* recogito: ſed *anima mea ſicut terra ſine aqua* in *illis.* Vt igitur *holocauſtum* meum *pingue fiat, oſculetur me* queſo, tua benigna largitas *oſculo oris ſui*, vt imbibã ſpiritũ intellectus, quò pertingã: & ſapientiæ; quo guſtem illa, quæ iam intellectu apprehẽderim. Et ſic *adipe & pinguedine* replebitur *anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum.* Eſt enim *ſpiritus ſapientia & intellectus*, qui ad inſtar apis ceram portantis & mel, habet omnino vnde accendat lumẽ ſcientiæ, & vnde infundat ſaporẽ gratiæ. Neuter autẽ ſe putet oſculum percepiſſe, ſiue qui intelligit veritatẽ, nec diligit: ſiue qui diligit, nec intelligit. In iſto nanq; oſculo nec error locum habet, nec tepor, quamobrẽ geminæ gratiæ ſacroſanẽti oſculi ſuſcipiendæ deſiderio petit è regione ſponſa duo labia, ſcilicet intelligentiæ rationem, & ſapientiæ voluntatem, vt de pleno glorians oſculo, mereatur audire: *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternũ.* Sunt igitur labia fidelis animæ intellectus & affectus. Ex parte verò Dei, ſunt labia lux

Tit. 2.
Eſa. 38.
Pſal. 19.
Pſal. 62.
Eſa. 51.
Pſal. 44.
Labia.

veritas,

veritatis, imprimens intellectui veram cognitionem; & dulcedo bonitatis, imprimens affectui suauissimã delectationẽ. Vt tamen manifestius aliquid insequamur de osculo, mihi videtur ineffabile quiddã, & inexpertum omni creaturæ per illud osculum designasse, qui ait: *Nemo nouit Filiũ, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Illa nanq; gignentis & geniti cognitio pariter & dilectio, quid nisi osculum est suauissimum? sed secretissimum. Pater enim Filium osculãs, eidẽ arcana suæ diuinitatis eructat, & spirat suauitatẽ amoris. Cui nimirum sempiterno singulariterq; beato cõplexui, nulli penitus interesse donatur creaturæ, solo vtriusq; Spiritu teste & conscio mutuæ dilectionis & agnitionis, nisi *cui voluerit Filius reuelare.* Si ergo rectè Pater osculans, & Filius osculatus accipitur, nõ erit absre Spiritum sanctum per osculum intelligi: vtpote qui Patris & Filij pax est imperturbabilis, gluté firmũ, indiuiduus amor, indiuisibilis vnitas. Ipsum igitur sponsa petit infundi sibi sub osculi nomine, in quo reueletur sibi Filius & Pater. Cùm autem Patrem & Filium veraciter cognouerit, vtriusq; bonitatem (qui Spiritus sanctus est) non ignorabit. Huius igitur trinæ cognitionis & dilectionis sibi gratiam petit infundi, cùm osculũ petit: non tamen osculum præsumit petere ab ore, soli reseruans illud Patri. Audire vis osculũ de ore? *Ego & Pater vnum sumus.* Et iterum: *Ego in Patre & Pater in me est.* Nam in Patre Filium esse, & in Filio Patrẽ, est osculũ ore ad os sumptum. Osculum, inquam, perfectę cognitionis, dilectionis & pacis Sed illa cognitio & dilectio supereminet omni scientiæ, & *pax* illa superat *omnem sensum*. Quapropter sponsa minus aliquod postulans: *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui.* Vis audire nouã sponsam osculum nouum accipientẽ ab osculo oris? *Insufflauit*, inquit, in eis, & dixit: *Accipite Spiritum sanctũ.* Osculũ profectò fuit, non corporeus ille flatus, sed inuisibilis Spiritus, qui propterea in illo flatu Dominico datus est, vt per hoc intelligeretur tam ab ipso, quàm à Patre procedere, tanquã verè osculũ, quod osculãti osculatoq; cõmune est. Hæc igitur vox est animæ fidelis ad cõplexum totius Trinitatis per affectus amoris iugiter suspirantis. Et iste modus exponendi in intentione auctoris videtur esse principalior ad legendum, ad audiendumq; deuotior, ad prędicandum fructuosior, & ad ædificandum efficacior. Quasi diceret anima fidelis: *Osculetur me*, scilicet tota Trinitas, *osculo oris sui*, id est, delectabili vnione per Spiritus sancti gratiã meo spiritui dulciter infusam.

Osculũ mysticum.

Matth. 11.

Osculũ Spiritus sanctus.

Ioan. 14.

Ibidem.

Philip 4.

Ioan. 20.

fusam. Est enim Spiritus sanctus gluten illud optimum, quo Deo conglutinamur in spiritu, vt spiritus noster vnus cum eo spiritus fiat. Et hoc est osculū felicissimū, quo felix anima fœcundata & impinguata, velut *adipe & pinguedine* deuotionis adimpletur. Vnde in verbis prædicti de tribus petit anima certificari; quæ pariter in osculo possunt intelligi. Petit enim vt per Patris potentiā, securam habeat de offensis reconciliationē, quò ad vim irascibilē: Et per Filij sapientiā, veram habeat de sua cognitione dilectionē, quò ad vim rationalem: Ac per Spiritus sancti bonitatē, se refectam sentiat per diuinæ dulcedinis prægustationem, quò ad vim concupiscibilem. Sic pater Euangelicus super collum filij prodigi cecidit, & osculatus est eum.

Psal 62. Tria petit anima.

Lucæ 15.

Quomodo Pater osculans, os Filius, osculatum humana natura, osculum Christi persona: illud osculum quomodo quis accipiat? Cap. II.

Desideria Patrum antiquorū pro Christi aduentu.

Tepor nostri.

Psal. 44.

Exod. 4. Isa. 6. Hiere. 1.

Ioan. 4.

Osculetur me osculo oris sui. Hæc est vox antiquorum Patrum, suspirantium in carne Christi præsentiā, & clamantium ad Deum Patrem, apud quem incarnandi, & Filium mittendi residet principaliter auctoritas, vt intelligatur Pater osculans, Filius os eius, osculatū humana natura, osculum vnio Filij Dei ad humanam naturam in vna persona. Vnde dicit Bernardus: Ardorem desiderij Patrum suspirantium in carne Christi præsentiā frequentissimè cogitans cōfundor & compungor in memetipso: & nunc vix contineo lachrymas; ita me pudet teporis torporisq; miserabiliū temporum horum. Cui nanq; nostrum tantum ingerit gaudium gratiæ huius exhibitio, quantum accēderat veteribus Sanctis desiderium sola promissio? quorum piæ expectationis affectum, & flagrans desiderium mihi inspirat ista vox: *Osculetur me osculo oris sui.* Senserat nimirum in spiritu, quisquis tunc spiritualis esse poterat, quanta *gratia* foret *effusa in labys* illius, cupiens omnino tantæ participio suauitatis non fraudari. Propterea loquens in animæ desiderio, dicebat: *Osculetur me osculo oris sui.* Quasi diceret: Nō audio iam Mosen, eò quod *impeditioris linguæ* mihi factus est: Isaiæ labia sunt immūda: Hieremias *loqui* nescit, eo quòd *puer* est, & omnes Prophetæ sunt elingues: Sed ipse loquatur mihi, & aperiat volūtatem Patris, ac in persona propria me erudiat; cuius gratiosa præsentia me reficiat; cuius admirandæ doctrinæ fluenta fiant in me *fons aquæ salientis*

entis in vitam æternam. Ipsum enim pater *vnxit oleo* lætitiæ *præ participibus* suis. Ex quo nimirum vberior effunditur mihi gratia, si dignetur me osculari osculo oris sui. Cuius *sermo vivus & efficax* osculum mihi est: non quidem coniunctio labiorũ, quæ pacem aliquando mentitur animorũ: sed infusio gaudiorũ, reuelatio secretorũ, & indiscreta quædam coniunctio superni luminis & illuminatæ mentis: sicut adhæreus Deo, *vnus spiritus* efficitur. Et quidẽ congruè satis Filius os Patris dicitur, quia sicut per os aperiuntur secreta cordis, sic per Filiũ Pater nobis innotuit, & per Filium suum Pater voluntatẽ suam mundo aperuit. *Neque* enim *Patrẽ quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Hãc ergo reuelationẽ velut osculũ à Filio petit: quia Filij est, cui voluerit, reuelare. Felix osculum, per quod nõ solùm agnoscitur Deus, sed etiam diligitur Pater; qui nequaquã plenè cognoscitur, nisi cùm perfectè diligitur. Cùm igitur anima quandoq; sentit in secreto cõscientiæ, Spiritum Filij clamantem: *Abba Pater*, ipsa paterno se diligi præsumat affectu, quæ se eodẽ Spiritu, quo & Filius, affectã sentit. Confidat quæcunq; sit illa, nisi hæsitãs, & in Spiritu Filij se filiam Patris agnoscat, Filijq; sponsam & sororẽ: Sororẽ, inquam, quia ex vno Patre: Sponsam verò, quia in vno Spiritu. Nam si carnale matrimoniũ duos in vna carne cõstituit, multo magis copula spiritualis duos in vno spiritu iungit. Attende proinde, quòd osculum quidẽ petit, non tamẽ ab ore (quod proprium est assumpti hominis vnicæ felicitatis & prærogatiuæ singularis) sed humilius ab osculo oris sui se petit osculari, quod est cõmune multorum, qui dicere possunt: *Et nos omnes de plenitudine eius accepimus.* Nam qui plenitudinẽ accipit, osculũ ab ore sumit: sed qui de *plenitudine*, osculũ de osculo recipit. Hac nimirum ratione nemo Sanctorũ dicere præsumpsit: *Osculetur me* ore suo, sed tantum, *osculo oris sui*, prærogatiuã istam illi seruantes, cui singulariter semelq; os Verbi tunc impressum est, cùm ei se *corporaliter plenitudo diuinitatis* infudit. Felix osculum, ac stupenda dignatione mirabile, in quo non os ori imprimitur, sed homini Deus coniungitur. Et ibi quidem contactus labiorũ, complexum significat animorum: Hìc autẽ cõfœderatio naturarum diuinis humana cõponit, *quæ* sunt *in terris*, & *quæ in cælis pacificans.* Ad hoc igitur osculum Sanctus quisq; temporis antiqui suspirabat, eò quòd *iucunditatẽ*, & *exultationem* thesaurizari *super* eum; & in ipso thesauros omnis *sapientiæ & scientiæ* absconditos esse præsentiebat, cupiens & ipse *de plenitudine eius* accipere. Et sic accipitur

Heb. 1.

Heb. 4

1. Cor. 6.

Filius os Patris.

Matth. 11.

De sensatione, & cognitione loquitur, quæ per reuelationem habetur.

Osculũ non ab ore, sed oris petit sponsa.

Ioha 1.1.

Colos. 2.

Colos. 1.

Eccli. 15.

Colos. 2.

Ioha. 1.

Os osculãs. Osculatum. Osculum. 1. Tim. 2.

cipitur os osculans Verbum assumens: osculatum verò caro, quæ assumitur: Osculum autẽ, quod pariter ab osculante Verbo, & ab osculata carne cõficitur, ipsa Persona ex vtroq; cõpacta, *mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus* accipitur. Hoc osculum sponsa petit, cum dicit: *Osculetur me osculo oris sui*, quasi diceret: Non Angelos, non Patriarchas, nec alium quemcunq; nuntiũ mittat ad reconciliandũ genus humanũ, sed in propria persona mittat Filiũ humanatũ. Vnde sicut in osculo carnali osculantium labia vniuntur, exteriores anhelitus inuicem spirant, & osculantium corpora sibi propinquant: sic in Incarnatione Filij Dei tria facta sunt, scilicet, Vnio duarũ naturarum in persona Verbi: conformitas spirituũ diuini & humani (quia Deo adhærens, *vnus spiritus* efficitur) & cõmunicatio idiomatũ, id est, proprietatum: (Dicit enim Ambrosius, quòd quicquid dicitur de Filio Dei per naturam, etiam dicitur de filio hominis per gratiã) & approximatio ad nos per assumptionẽ nostrorũ defectuũ: quia *debuit per omnia fratribus* assimilari. Nam cum tanta dignitate Deus descendit in limum, & cum tanta dignitate limus ascendit in Deum, vt quicquid Deus fecit, limus fecisse credatur: & quicquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur.

Præcipua in Incarnatione Christi tria.

Hebr. 2.

Osculatria fieri.

Ioan. 1.

Deniq; ad nostrã instructionem (vt dicit Adam de sancto Victore) in osculo tria notantur. Nam ibidẽ osculantiũ labia se consociant, in quo figuratur coniunctio Verbi & hominis, cum *Verbum caro factum est*. Et quia labia sunt instrumenta sermonum, ideo in eorũ cõiunctione designatur mutua vicissitudo fraternarũ orationum (iuxta illud Iacobi: *Orate pro inuicem vt saluemini*) ac maximè fraternarũ instructionum & admonitionũ, sicut *vnicuique de proximo suo mandauit* Deus.

Iacobi 5.

Eccli. 17.

Hoc enim osculum sponsa spiritualiter accipit, vt sponso suo fideliter fructificet. Naturales enim quasdam columbas per osculum concipere ferunt. Quod osculum columbinũ (vt dicit Augustin.) syncerissima susc ipit charitas, quæ fœcundissima fideliter ei fructificat, à quo sumit originẽ, *non* quærens *quæ sua sunt*. Ibidem etiã anhelitus interiores conspirant, in quo notatur vnio spiritus diuini & humani, per quã vnionẽ omnes vnitate voluntatis vniuntur, qui Christo per charitatẽ spiritualiter incorporantur. Ideo *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*, in Domino. Ibi denique corpora sibi mutuò appropinquãt. In quo figuratur participatio passionum Christi & Christiani: quia *complantati sumus* cum Christo *similitudini mortis eius*, & per consequẽs

Actor 4.

Rom. 6

indicat

indicat mutuam supportationem onerum fraternalium, secundùm illud Apostoli: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*, dicentis: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicē sicut dilexi vos.* Galat. 6. Ioan. 15.

Osculum pedum sponsi duplex: osculumque manuum sponsi quod? Cap. III.

Osculetur me osculo oris sui. Tres sunt animarū affectus siue profectus, expertis duntaxat satis noti & manifesti, cùm aut petunt de actis malis indulgentiam, aut de bonis agendis gratiam, aut ipsius etiam indultoris & benefactoris sui præsentiam, eo modo, quo in corpore fragili possibile est, optant intueri. Quos nimirum affectus siue profectus trium osculorum nomine placuit euidentius declarare. Nam in osculo primo dedicantur primordia nostræ conuersionis. Secundum verò proficientibus indulgetur. Sed tertium sola & rara experitur perfectio. Ab hoc autē solo, quod vltimò positum est, Scriptura ista sumpsit exordium, quā tractare suscepimus, & eius causā reliqua duo sunt à nobis adiungenda. Primum osculum ad pedes Dominicos sumendum est, pro adeptione veniæ. Secundum ad manus, pro gratiarum actione. Tertium ad os, pro diuini amoris infusione. Verùm quia *Deus spiritus est*, & nullis illa simplex substantia membris distincta corporeis, habet tamen os Deus, quo *docet hominem scientiam*: & manum, qua *dat escā omni carni*, & pedes, quorū *terra scabellū* est, ad quos peccatores cōuersi & humiliati satisfaciant. Habet, inquā, hæc omnia, sed per effectū, non per naturā. Apud Deum enim inuenit verecunda confessio, quò se humiliando deijciat: & prompta deuotio, vbi se innouando reficiat: & iucunda contemplatio, vbi excedendo quiescat. Primum igitur osculum prosequendo, sciendum, quòd si rectè visum est Apostolo referre Christi caput ad deitatem, nobis vtique non incongruè videri potest, pedes ad eius humanitatem pertinere, qui sunt misericordia, & veritas, vel iudicium. *Vniuersæ* namq; *viæ Domini misericordia & veritas*, Et iterum: *Misericordia & veritas præcedēt faciem tuam*, Itemq; *Misericordiā & iudicium cantabo tibi Domine.* Felix mens, cui semel Dominus Iesus vtrumque pedē infixerit. Et à duobus signis eam cognoscetis, quæ secum deferat necesse est diuinis impressa vestigijs, & ipsa sunt timor & spes: Ille iudicij, ista misericordię repræsentans imaginē. Meritò *beneplacitū est* Deo *super timentes eum, & in* his, *qui sperant su-*

Animarum affectus tres.

Osculū triplex mystic̄ quod. Ioan. 4.

Psal. 93. Psal. 35. Esa. 66.

Pedes Domini osculandi qui sint.

1. Cor. 11. Psal. 24. Psal. 88. Psal. 100.

Psal. 146.

per misericordia eius, cùm *initium sapientiæ timor* sit, spes profectus. Vnde si dolore peccati, & timore iudicij compũgeris, veritatis iudiciq; labia impressisti. Quòd si timorẽ & doloré intuitu diuinæ bonitatis, & spe consequendæ veniæ temperas, etiã misericordiæ pedem amplecti te noueris: alioqui alterũ sine altero non expedit osculari, quia tola recordatio iudicij in barathrum desperationis præcipitat, & fallax assentatio misericordiæ securitatẽ pessimam generat. Iaceat igitur anima nuper cõuersa ad pedes seuerissimi Domini pauida, terramq; cum publicano aspiciat, non cælum. Nec ei locus ille vilis aut despicabilis videatur, vbi sancta peccatrix peccata deposuit, sanctitatẽ induit, flendo, rigando, tergendo, osculando pedes Dominicos, fleuit amarè, & de intimis visceribus longa suspiria trahens, & salutaribus intra se susceptis singultibus, felleos humores euomuit, cui cælestis medicus celerrimè subuenit: quia *velociter currit sermo eius*. Cuius exemplo prostemere & tu misera, vt desinas esse misera; amplectere pedes, riga lachrymis, & placa osculis, non tam corporalis coniunctionis, quàm realis satisfactionis. Nam osculum est pacis indicium. Peccata verò nostra separãt inter nos & Deum. Tollatur ergo de medio quod interest, & pax est. Cũ ergo satisfacimus, vt ablato de medio, quod separat, peccato, recõciliemur, indulgentiã, quam recipimus, quid nisi osculũ pacis, interim ad pedes sumendum, esse dixerim? Humilis enim esse debet & verecunda satisfactio, qua emendatur superba transgressio. Non paruus est igitur fructus in hoc osculo primo, quod Domini Iesu pedibus imprimitur, tantùm curemus, vt neutro pedum illorũ fraudemur. Porrò sumpto iam ad pedes osculo primo, nec statim præsumẽdum est ad osculum oris consurgere, sed gradus erit ad aliud quoq; osculum mediũ, quod secundo loco manibus eius dulciter est imprimendũ. Nam si dixerit Iesus: *Dimittuntur tibi peccata tua*, nec peccare desieris, quid proderit, quum recidenti quàm iacenti deterius erit? Qui ergo tribuit pœnitendi voluntatẽ, opus est vt addat tibi & continendi virtutẽ, ne pœnitenda denuo facias: fiantq; *nouissima* tua *peiora prioribus*. Per manũ igitur illius sit tibi transitus, illa te prius tergat, & erigat in spem audendi potiora. Erigat, inquam, dãdo vnde præsumas, scilicet decorem continentiæ, & dignos fructus pœnitentiæ, qui sunt opera pietatis. Hęc erigentte de stercore peccatorũ in spem audendi potiora: si tamen manus largiẽtis osculari studueris non tibi, sed nomini eius gloriã dando. Da semel, da iterum, tum pro donatis crimi nibus, tum pro collatis & conser-

Lucæ 18.

Lucæ 7.

Psal. 147.

Osculum quid. Esa. 59.

Satisfactio humilis.

Osculũ manuum.

Matth. 9. Lucæ 5. & 7.

Lucæ 11.

Matth. 3.

Gloria Deo danda.

conſeruatis virtutibus alioqui ſi magis in te, quàm in Domino gloriaris, propriàs, & nõ Domini manus oſculari conuinceris: quod (iuxta B. Iob ſentẽtiam) *eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum.* Cæterùm has manus Dominicas ſi diſtinctis vocabulis recipere placet, in tribuendo largitatẽ, & in cõſeruando fidelitatem; quod donatum eſt, eas eſſe memento. Tribuit enim *omnibus affluenter, & non improperat.* Nec *patietur* nos *tentari ſupra id quod* poſſumus, *ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt* poſsimus *ſuſtinere.* Pro huiuſmodi nimirum ei gratiarum actiones reddendæ ſunt, eum bonorum omnium tam largitorem, quàm conſeruatorẽ recognoſcendo & confitendo. Quantum autem in gratitudine & gratiarũ actione veraciter proficis, tantum & in fiduciam dilataris: & inde fit vt ames ardentius, & pulſes fidentius ad oſtium inuitantis amici & dicentis: *Petite, & accipietis.* Quia non ſolùm fecit te Deus tuus, ſed etiam fecit multa propter te. Fecit & ſeipſum propter te, cùm *Verbum caro factum eſt* propter te, *& habitauit in nobis.* Factus eſt tecum vna caro, teq; faciet ſpiritũ vnum, vt meritò de eo magna præſumas, ſi veraciter amas. Hæc igitur non recedant à corde tuo, ne decidant ab affectione tua: ſed hæc cogita ſemper, & in his delectare iugiter his quaſi quibuſdam ſtimulis vrgens ſolicita animam, & his facibus eam inflammare curato, ad redamandum eum, qui tam multipliciter tibi ſuum erga te commendat amorem.

Iob 31. Manus Dei oſculandæ quæ ſint.

Iacobi 1. 1 Cor. 10. Gratitudo Deo exhibenda.

Lucæ 11. Iohan. 16. Iohan. 1.

Oſculum oris ſponſi quod? ſponſus, ſponſa, vnio ſponſi & ſponſæ quæ? Cap. IIII.

Oſculetur me oſculo oris ſui. Quis hoc dicit? Sponſa. Quænam ipſa; Anima ſitiens Deum. Ponamus igitur affectiones diuerſas, vt illa, quæ propriè ſponſæ congruit, diſtinctius illuceſcat. Si ſeruus eſt, timet à facie Domini: Si mercenarius, ſperat de manu domini. Si diſcipulus, parat aurem magiſtro: Si filius, patrem honorat. Quæ verò petit oſculum, amat. Excellit enim in naturæ donis hæc amoris affectio, præſertim cùm ad ſuum recurrit principium. Nec ſunt inuenta æquè dulcia nomina, quibus Verbi & animæ dulces exprimerentur affectus, quemadmodum ſponſus & ſponſa. Quippe quibus omnia ſunt cõmunia, nil proprium, nil à ſe diuiſum habentibus, vna vtriuſque hæreditas, vna domus, vna menſa, thorus vnus, vna voluntas,

Oſculum oris.

Sponſus & ſponſa quæ ſint dulcia nomina.

luntas, & vnus, spiritus. Nam si amare sponsis specialiter & principaliter conuenit, non immeritò sponsæ nomine censetur anima, quæ amat. Amat autẽ, quæ petit osculum, non libertatem, non mercedem, non hæreditatẽ, non denique doctrinã, sed osculum: more planè castissimæ sponsæ sacrum spirantis amorem, nec omnino valentis dissimulare flammam quam patitur. Vide enim quale sumat sermonis exordium, magnũ quid à magno petitura, nullo (vt assolet fieri) vtẽs fuco blanditiarum, nullis verborum circumuolutiõibus ambit ad id, quod desiderat: non facit proœmium, non captat beneuolentiam; sed velut amoris impatiens, & ex abundantia cordis repente prorumpẽs, nudè, frontoseq; satis, *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui*. Quasi diceret: Gratias quidẽ ago de osculo pedum, gratias & de osculo manuũ; sed si cura est illi de me, non quiesco donec *osculetur me osculo oris sui*. Accepi, fateor, potiora meritis, sed prorsus inferiora votis: nec sum ingrata, sed amo: desiderio feror, non ratione. Pudor sanè reclamat, sed vrget affectio, superat amor. Nec ignoro, quia *honor regis iudiciũ diligit*, sed præceps amor nec iudicium præstolatur, nec consilio temperatur, nec pudore frenatur, nec rationi subijcitur. Nonne tibi quasi manifestè dicere videtur illud Psalmi: *Quid enim mihi est in cœle? & à te quid volui super terram?* Cùm omnia velut *stercora* reputauerim, vt te solum lucrifacerem. *Defecit caro mea*, id est, omnis delectatio carnalis & pernitiosa, *& cor meum*, id est, omnis cogitatio vitiosa. Sed Deus est cordis mei reformator, est & inhabitator, qui tam castum cor mihi dedit, quòd eum solum iam gratis amo. Alij quidem eligant alia, sed *pars mea Deus in æternum*. Vides quia hæc amat castè, quæ solum eum quem amat quærit, non aliud quicquam ipsius. Amat sanctè, quia non in concupiscentia carnis, sed in puritate spiritus. Amat ardenter, vtpote diuino sic amore inebriata, quòd maiestatem non cogitet. Nam ille *terram* aspicions, *facit eam tremere*: nihilo minus tamen ista fidenter se ab eo petit osculari. Ebriane est? Ebria planè, quia talibus inferius dicit sponsus; *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi*. Et Psalmista: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. O quanta vis amoris, quantaq; in spiritu fiducia libertatis. Quid manifestius, quã quòd *perfecta charitas foras mittit timorẽ*? Petit enim amplexum & osculum, dicens: *Osculetur me osculo oris sui*. Nõ enim est cuiusuis hominum ex affectu hoc dicere, sed si quis ex ore Christi osculum spirituale vel semel acceperit, hunc profectò proprium experimen-

Feruor spõsæ quomus.

Psal. 98.

Psal. 72. Philip. 3.

Amor spõsæ qualis.

Psal. 103.

Cant. 5. Psal. 35.

1. Ioan. 4.

rimentum solicitat,& repetit libens. Arbitror enim neminem vel scire posse quid sit,nisi qui accipit. Est quippe *manna absconditum:* & solus qui edit, adhuc esuriet: fons est signatus, cui non communicat alienus: sed solus qui bibit,adhuc sitiet. Expertum audi, quomodo adhuc requirit *Redde mihi,* inquit, *lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Ad quid? Profectò vt *sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea,& labijs exultationis laudabit os meum. Tibi* nanq; Domine Iesu,tibi, tanquam fidelissimo sponso, *dixit cor meum, Exquisiuit te facies mea ; faciem tuam Domine requiram,* vt adimpleas *me lætitia cum vultu tuo.* Nam *spiritus* ante faciem nostram *Christus Dominus,* cui fideliter adhærentes, in osculo sancto spiritus vnus ipsius dignatione efficimur,ad osculum oris dignanter admissi in feruore spiritus,& plenitudine lucis. Nam si carnale matrimoniũ duos in carne vna constituit, cur non potius copula spiritualis in vno spiritu glutino charitatis adunit? Denique, quod nimium est admirandum,& intima dulcedine complectẽdum,in humanitate dulcis Iesus venire disponens, vt animam ad maiorẽ prouocaret amorem, more & nomine sponsi se liberaliter repromisit affuturum per Prophetam dicentem: *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendam viam,* scilicet humanitatis assumptæ. Cur hoc, nisi quia purum spirat amorem, & amoris purissimi requirit vicissitudinem? Dicit enim Gregorius super Cantica, quòd cùm vult timeri, se Dominum nominat: cùm vult honorari: patrem: cùm vult amari, sponsum. Quanto ergo dignior est amor quàm timor,tanto plus gaudet Deus dici pater quàm dominus: & quanto charior est amor quàm honor,tanto plus gaudet dici sponsus,quàm pater. Cum enim se Dominum nominat,indicat quòd creati sumus: & cùm se patrem nominat,indicat quòd adoptati sumus. Cùm autem se sponsum nominat, indicat quòd coniuncti sumus. Si igitur, ô fidelis anima, desideras ei, tanquam sponso dignissimo couniri, audi quomodo id fiet. Dicit enim sanctus Thomas in libro de æterna beatitudine,quòd anima fidelis vnitur Deo morum & virtutum conformitate, voluntatum identitate,& intima charitate. Sola nanq; perfecta charitas reddit voluntatem deiformem, & afficit ad perfectã eius imitationem, alia cuncta penitus calcãs, vt soli Deo dulciter inhæreat. Hæc,inquam,inter sponsum & sponsam sola perfectam causat vnionem. Quæ nimirum vnio figurata legitur in primo libro Regum, vbi dicitur, quòd *anima Ionathæ*

Apoc.2.

Psal.50. Psal.62.

Psal.26. Psal.15. Thren.4.

Sponsus quare Christus.

Psal.18.

Vnio inter Deum & animam.

1.Reg.18.

thæ conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam. Tunc enim anima sic Deo coniungitur, cùm ei tam perfectè cōunitur, quod omne communicabile percipit per gratiam, quod Deus habet per naturam. Vnde Dei Filius ideo naturam assumpsit humanam, vt per eandem anima amorosa transiret ad vnionem diuinam,

Ioan. 17. quam etiam Christus impetrauit, orans & dicens: *Sicut & tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.* Est enim ibidem vnio consummata, vbi & Pater & Filius vnum sunt: Filius autem existens caput Ecclesiæ, cum membris suis, id est, fidelibus, ad paternam transit vnionem. Et quamuis vnio, quam hic ignita consequi potest anima, sæpe recipit interpolationem, tamen vnio fidelis animæ cum Deo in

Ioan. 16. gloria non habet interpolationem, dicente Christo: *Iterum videbo vos*, scilicet post mortem, *& gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Nam videre Iesu Christi, nihil aliud est, quàm fidelem animam inseparabiliter vniri Deo Patri. Et gaudium animæ, quod nemo aufert, est delectabiliter & totaliter vniri summæ Trinitati.

De dignatione diuina, qua naturam humanam in vnitate personæ assumpsit: dignitas humanæ naturæ quanta? Cap. V.

QVis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam nemo me despiciat? Cantic. 8. Quia, secundùm beatum Dionysium, ad rationem summi boni pertinet, quòd se creaturis summo modo communicet, quod in eo maximè perficitur, cùm naturam creatam sibi tam inseparabiliter coniungit, quòd ex tribus vna fiat persona, scilicet ex Verbo, ex anima, & ex carne, sicut ait Augustinus 13. de Trinitate. Et ideo quamuis humanæ carni non erat conueniens secundùm naturæ suæ conditionem vniri Deo in vnitate personæ, fuit tamen Deo conueniens secundùm infinitam excellentiam bonitatis eius, vt eam vniret sibi pro salute humana. Nec propter hoc aliquo modo Deus est immutatus à statu suo, in quo fuit ab æterno, sed creata natura, quæ secundùm rationem sui mutabilis est, per assumptionem est immutata & quodammodo deificata, quia diuina natura trahit humanam naturā ad illam excellentissimam vnitatē diuinæ personæ, vt eadē sit ὑπόστασις naturæ diuinæ & humanæ: ita quòd humana natura quodammodo fundatur & substātiatur in diuino stipite.

Natura humana quomodo deificata.

pite. Vnde hæc vnio multum assimilatur vnioni, quæ fit per insertionem, cùm ramus vnius arboris inseritur stipiti alterius arboris: tunc enim manet vnus stipes arboris vtriusque, in quo fundatur & substãtiatur vterque ramus arboris. Vnus ramus est per naturam, & alius per insertionem, & fit arbor vna. Præterea sicut in vna arbore insita sunt fructus plures specie differentes, verbi gratia, quando pyrum inseritur cum pomo, fit vnum suppositum existens, scilicet arbor vna: tamẽ natura pomi non est in natura pyri, nec econuersò: neq; natura pyri est in natura pomi, nec in natura alterius, cùm tamen vterq; fructus sit per vnionem de esse arboris: Sic in vnitate personæ Christi sunt aliæ proprietates diuinæ naturæ conuenientes, & aliæ naturæ conuenientes humanæ. Vnde generaliter coniunctio diuinæ naturæ & humanæ habet hæc tria insertionis vnioni similia, scilicet quòd natura diuina non est humana, nec ecõuersò: sed vtraq; natura habet vnum suppositum cõmune, in quo scilicet vtraque natura est subsistẽs. Et si quæris, Quid facit illud suppositum esse in vtraque natura? Respondeo, quòd coniunctio vel vnio naturæ vtriusq; in illo supposito. Nam vnio diuinæ naturæ & humanæ in persona Christi, facit Christum esse Deum & hominem. Agnosce nunc, ô homo, dignitatem tuam, agnosce gloriam conditionis humanæ. Nam tanta est dignatio diuina in assumptione humanæ naturæ, quod est incomprehensibilis omni intellectui humano, de qua nimirum stupet & omnis creatura cælestis. Hinc hortatur Leo Papa dicens: Agnosce, ô homo Christiane, dignitatẽ tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri cõuersatione redire. Memento capitis huius, & cuius corporis sis membrũ reminiscere, quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumẽ & regnum. Noli diaboli rursum seruituti subijcere, quia pretium tuum sanguis Christi est. Hæc ille. Et in eo Deus potissimè dulcedinem misericordiæ suæ demonstrauit humanæ naturæ, quòd scilicet cõtemptus ab homine tanquam aduersario & inimico, nihilominus humano generi taliter vniri voluit in Christo in vnitate personæ. In qua scilicet vnione manifestatur mire Dei condescendentia, in eo quòd ipse genus humanum sibi inimicũ, tanta dignatione sibi coniungere voluit per indissolubile vinculum, non solùm amoris, sed etiam vnionis, ne saltem amplius homo fugeret ab eo. Quid enim mirabilius, quàm quòd Deus post tam detestabilem ingratitudinem nostram & lapsum, cùm nihil in nobis inueniret nisi demeritum, etiam infirmiora nostra

Vnio Deitatis & humanitatis.

Naturæ humanæ dignitas.

Dignatio Dei ad hominem.

abundantiori gloria ſublimare voluit, ſeſéque maieſtas illa contraxit, vt id quod melius habebat, id eſt, ſeipſum limo noſtro coniungeret, vt in vna perſona ſibi inuicem vnirentur Deus & limus, maieſtas & infirmitas, tanta ſublimitas & tanta vilitas? Nihil enim Deo ſublimius, & nihil limo vilius. Et tamen cum tanta dignatione Deus deſcendit in limum, cum tantaque dignitate limus aſcendit in Deū, vt quicquid fecit Deus, limus feciſſe dicatur: & quicquid limus pertulit, Deus pertuliſſe in illo dicatur. Quāti ergo te fecit Deus ô homo, ex his, quæ pro te fecit, & quod pro te factus eſt agnoſce, vt appareat tibi benignitas eius in humilitate. Quanto namque minorem ſe facit in humanitate, tantò maiorem ſe exhibuit in bonitate. Et quantò pro me vilior, tantò mihi charior eſt. Aduerte ô homo, quia limus es, & non ſis ſuperbus: Et quia Deo coniunctus es, & non ſis ingratus. Nemo namque nouit, nec noſcere poteſt ad plenum, quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad ſapientiā, quid decoris ad gloriā, quid commodi ad ſalutem penes ſeipſam contineat huius venerandi myſterij, ſcilicet humanæ redemptionis inſcrutabilis altitudo. Ad hoc ſiquidem ars miſericordiæ beatitudinem Dei & miſeriā hominis temperauit in vnitatem mediatoris, vt operante Sacramēto vnitatis, per virtutem reſurrectionis beatitudo miſeriā abſorbeat, mortemq; vita glutiat, & totus homo glorificandus, in diuinæ conſortium naturæ trāſeat. Nec ſanè quis amplius dubitet magnum aliquid in cauſa fuiſſe, quòd maieſtas tāta, *lucem inhabitans inacceſſibilem*, de tam longinquo, in locum tam indignum, ſua dignatione deſcendere dignaretur, & claritatem ſuā infirmis oculis temperans, velut laterna quadam ſe induens, illo ſcilicet glorioſo & ab omni labe puriſſimo corpore, quod ſuſcepit, *exultauit vt gigas ad currendam viam*, & quærendam ouem centelimam, *quæ* errauerat & *perierat*. Mira quærentis Dei dignatio & ſolicitudo, magna dignitas hominis ſic quæſiti, in qua ſi gloriari voluerit, non erit inſipiens Non quòd aliquid eſſe videatur à ſeipſo, ſed quòd eum tanti æſtimauerit ipſe qui fecit. Vnde dicit Apoſtolus: *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Nam adoptio eſt actus legitimus, per quē qui filius non eſt, pro filio habetur. Ad cuius ſimilitudinem Deus nos adoptare dicitur in filios, cùm ex gratuita bonitate ſua nobis confert gratiam, per quam in æterna beatitudine ius acciperemus: quæ nulli creaturæ debetur ex ſua natura, ſed eſt ſuper omnem creaturam. Specialiter

Limus. Deus.

1. Tim. 6.

Pſal. 18.

Lucæ 15.

Galat. 4.

Adoptio filiorum.

cialiter autem nobis non competebat ratione naturæ corruptæ: quia *eramus natura filij iræ*, in quantum originale peccatum, in nos per actũ naturæ transfusum, excluſit nos à regno Dei. Vnde propriè Pater adoptat nos in filios per Filium, iuxta illud ad Galatas iam allegatũ, quia Chriſtus ſecundùm hominem eſt cauſa meritoria noſtræ gratiæ, qua adoptamur. Cauſa meritoria eſt cauſa media inter principale efficiens & effectum. De ratione namque adoptionis eſt, quòd procedat per conſenſum filij naturalis, vt dicitur in Inſti. de adopt. Si quis nepotis loco adoptat aliquem, filius conſentire debet, ne eo inuito ſuus hæres agnoſcatur. Adoptat etiam Pater per Spiritum ſanctum, in quantum ſcilicet dona gratiæ, quibus adoptamur, appropiatè ſunt ab ipſo. Dicitur enim ad Romanos: *Accepiſtis ſpiritum adoptionis.* Quæ nimirũ adoptionis filiatio fuiſſet in homine etiam in ſtatu innocentiæ, quia nec ſolùm eſt hominum, ſed etiam Angelorum, qui per naturam æternam hæreditatem attingere non poterant, ſed eis tantùm conueniebat per gratiam. Vnde ad Iob dictum eſt: *Vbi eras cùm me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?*

Ephes. 2.

Cauſa meritoria.

Rom. 8.

Iob. 38.

Condeſcenſio humanitatis diuinæ vt fuerit ineffabilis, ac de ingratitudine, debitaque gratiarum actione
Cap. VI.

Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ? &c. Aduentus Filij Dei in carne, & eius nomen, prophetica reuelatione prænũciata fuerunt, ſecundum Ambroſium in Homilia ſuper illud Euangelij, *Elizabeth* Zachariæ *impletum eſt tempus pariendi*, Iſaia Propheta dicente, prout habetur in antiqua translatione: Reuelabitur enim Filius meus Ieſus cum his, qui cum eo iucundabuntur, qui relicti ſunt in annis quadringentis. Et erit poſt annos hos, & Filius meus Ieſus morietur, & conuertetur ſæculum. Videte fratres quantum fecit illa maieſtas, & pro quolibet humanam naturam aſſumendo, & ingratos morte ſua redimendo. *Nobis* enim *Filius* Dei *natus eſt, nobis datus eſt*, & totus in noſtros vſus expenſus eſt. Nam quaſi ſaccum plenũ miſericordia Filium ſuum Deus Pater miſit in mundum. Saccum, inquam, in paſſione conſcidẽdum, vt effundatur, quod in eo latet, pretiũ noſtrum. Saccum, inquam, paruum, ſed plenum: vtpote in quo habitat *omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Quid enim nobis glorioſius, quàm quòd

Lucæ 1.

Natiuitas Ieſu dulcis & mirabilis.

Eſaiæ 9.

Pſal. 29.

Colo. 2.

nos tanti æstimauit Dei Filius, vt homo fieret, & tali mortenos redimeret? O verè sacra & dulcis infantia Domini Saluatoris, quæ veram humanis cordibus innocentiam infudisti, per quã omnis ætas in beatam redeat infantiam, tibiq; conformis fiat. nõ pusillanimitate membrorum, sed humilitate sensus, & pietate morum. O Bethleem ciuitas Dei summi, & inæ, & in suburbibus tuis visa sunt mirabilia. Deus pẽdet ad vbera, ponitur in præsepio, ligatur in cunis, pannis inuoluitur, & laxatis fasciolis, felices manus & sancta brachiola per cunarum paruitatem expandit, alludit Virgini Matri, arridet, & blandientes oculos ad Mariam intorquet. Stat perterrita tantis miraculis Regina cælorũ, & miratur quòd ille, qui sic potuit ad nos venire, sic voluit subuenire. Obsecro fratres, non patiamini sine causa tam pretiosum exemplar vobis exhibitum esse, sed conformamini illi, & *renouamini spiritu mentis vestræ*. Studete humilitati, quæ fundamẽtum est, custosq; virtutum. Quid enim magis detestandum, quàm vt videns Deum cæli paruulum effectum, *apponat vltra magnificare se homo super terram?* Ille *semetipsum exinanuit*, vt penè videretur esse nihil, *sine* quo *factum est nihil:* & tu in immensum gloriaris & inflaris, existimans te *aliquid esse, cùm* sis *nihil?* O puer dulcissime, Iesu bone, *quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timẽtibus te,* & perficies sperantibus *in te*, quia tanta exhibuisti necdum scientibus te! Prorsus dulcedo incomparabilis, & pietas ineffabilis, vt Deum, qui creauit me, videam paruulum incarnatum pro me. Nam illa superbenedicta & summa Trinitas tam ineffabili, quàm incomprehensibili Sacramento nobis exhibuit hanc Trinitatem, vt pro nostra salute Verbum, & anima, & limus vilissimus conuenirẽt in vnam personam, quæ *Mediator* esset *Dei & hominum*. Et hæc tria vnum, & hoc vnum tria sunt, nõ in confusione substantiæ, sed in vnitate personæ. Absorpta videtur in deitatem humenitas; non quòd mutata sit substantia, sed affectio deificata. Opus mirabile, opus singulare inter omnia, & super omnia opera sua. Hinc Augustinus de catechizandis rudibus efficaciter ingerit, dicens: Ama amorem illius, qui amore tui amoris descendit in vterum Virginis, & amorem suum amori tuo copulauit, humiliando se, sublimando te, coniungendo lumen suæ æternitatis limo tuæ mortalitatis. Ecce homo, quanta tribuit Dominus, & quãta retribuit, vt prorsus meritò deficiat *spiritus tuus* in tantorum consideratione beneficiorum. Et licèt digna non sufficias agere gratias, ingratitudinẽ tamen prorsus

Mich. 5.

Lucæ 2.

Humilitatis exemplum in puero Iesu.

Ephes. 4.

Psal. 9.
Phil. 2.
Ioan. 1.
Galat. 6.
Psal. 30.

1 Tim. 2.

prorsus odiat anima tua: quia nihil ita displicet Deo, præsertim in filijs gratiæ, quemadmodum ingratitudo: vias enim obstruit gratiæ: & vbi fuerit illa, iam non inuenit accessum gratia, cùm iure perditum reputatur, quod ingrato donatum est. Oportet igitur hominem esse gratum & deuotum, qui percepta tantorum beneficiorum gratiarumque munera sibi salubriter proficere & multiplicari desiderat. Gratias igitur age, & amoris vices rependе tantæ gratiæ, &, si dici licet, plus quàm gratuitæ miserationi, quæ tantis beneficijs obruerit non modò immeritos, sed nimium malè meritos & ingratos. Dic proinde cum cordis iubilo: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Nam si mille millies me rependerem, quid sum ad Dominum meum? O dulcissima reconciliatio, ô satisfactio suauissima, ô verè reconciliatio facilis & perutilis, quã nobis vita pariter & morte sua ex amore coëmit hic paruulus: vtpote cuius *liuore sanati sumus*, cuius sanguine redempti sumus, cuius meritis reconciliati sumus, adeò vt quacunque hora homo peccator ingemuerit, omnium peccatorum suorum non recordabitur amplius, iustus iudex in patrem trãsiens. O satisfactio parua, sed non paruipendẽda. Nam quàm facilis modò tam difficilis erit postea. Et sicut nemo modò est, qui reconciliari non possit, ita post paululum nemo qui possit. Quia sicut nunc *benignitas apparuit* vltra omnem spem & æstimationem, similem expectare possumus iudicij districtionem: *multus ad ignoscendum*, multus ad vlciscẽdum. Noli ergo contemnere eius misericordiam & benignitatem, si non vis sentire iustitiam, sed iram, sed indignationem, sed æmulationem, sed furorẽ. Hinc misericordia sibi priora vindicat. vt si voluerimus, districtio inuenire non possit, in quem desæuiat.

Ingratitudo detestabilis.

Psalm. 115.

Isaiæ 53. 1. Per. 2. Ezech. 18.

Ad Tit. 3. Esaiæ 55.

Inuidia diaboli ad hominem quanta fuerit, cùm Deum incarnari præuidit: & incarnationis Dei ratio duplex. Cap VII.

QUis mihi det te *fratrem meum sugentem vbera matris meæ*? &c. Dicit Alexãder de Hales in III. parte Sũmæ suæ, exponens illud Ionæ: Si *propter me* orta est *tempestas*, de Filio Dei, quòd Lucifer prouidit rationalem creaturã assumendam in vnitatem personæ Filij Dei, vidit & inuidit, cecidit & tentauit, eiusq; *inuidia mors* intrauit *in orbem terrarum*. Vnde inuidia, quæ fuit causa diabolici casus, impulit ipsum ad tentandũ hominem, cuius inuidebat felicitati, vt sic natura humana per peccatũ

Ionæ 1.

Sapien. 2.

demereretur assumptionē & vnibilitatē ad Deū. Hęc ille. Ex quo satis videtur, quòd diabolus præuidebat, humanā naturā assumendā, etiā si non peccasset. Et hoc tenet opinio quædam catholica, quæ sustinetur à veris catholicis, vtpote quæ iudicio rationis consonare videtur. Dicit enim, quòd de humana carne assumpta loqui possumus dupliciter. Vno modo, quantum ad substantiam humanę naturæ simpliciter assumendam: & tunc præcipua Dominicæ incarnationis ratio non erat hominis liberatio, quia Christus incarnatus fuisset, etiā si homo non peccasset. Nam incarnatio facit ad perfectionem ipsius hominis, & per cōsequens ad perfectionem totius vniuersi, in hoc, quòd completionem dat humano generi secundùm illud, quòd respicit tam naturam, quàm gratiam, & etiam gloriam. In incarnatione nimirū homo, qui est vltimus in creatione, coniungitur cum suo principio, vnione, qua sub Deo nulla maior est: & in hoc completus est totius humanæ naturæ appetitus, dum per opus incarnationis idoneitas nobilissima, quæ fuit in humana natura, secundùm quam vnibilis erat diuinæ naturæ, ad actum perfectum reducitur. Et ideo quamuis homo lapsus non fuisset, nihilominus Deus incarnatus fuisset, quia sic competebat hominem perfectum esse secundùm naturam, gratiam, & gloriam, vt sic humana natura potiorem suam dignitatem consequeretur. Per hoc etiam quòd humana natura assumitur & deificatur, per consequens omnis creatura quodammodo exaltatur, dum in suo simili deitati counitur. Homo nanq; compositus ex natura corporali & spirituali, quodammodo cum omni creatura cōmunicat. Vnde verus amator hominū Deus Dei Filius purpurā suæ diuinitatis cilicio nostræ mortalitatis operiens, pauper & mendicus venit in regionē nostram, sub dura & graui necessitate pro nobis seruiens, ex amore, quo nimirum seruitutem ludum reputauit, dicens: *Delectabar per singulos dies, ludēs corā eo*, scilicet Patre, cùm carnē ex eius præcepto susceperi. *Ludens*, inquam, *in orbe terrarum* fideli seruitio. Nunquid non ludus videretur infidelibus, si audirent Filium Dei carnem, mortem, clauos & lanceam toleraſſe? Verè ludus erat taliter amanti, quo nobis sic luditur, vt illis illudatur. Et *deliciæ meæ*, inquit, *esse cum filijs hominum*, quibus vtique delicijs carere noluit Creator hominum. Putabam ego Domine IESV, quòd deliciæ tuæ essent potius cum choris Angelorū, vbi diuinitatis gloria Thronis & Potestatibus admirandus, superiorū naturarum oculos reuerberas, vbi *lucem* inhabitas *inaccessibilem*. Sed illa

Incarnatio Christi.

Hominem communicare cum omni creatura.

Prouer. 8.

Ibidem.

1. Tim. 6.

illa tua clementissima pietas & benignitas adoranda, delicias suas dicit & ostendit esse cum filijs hominum.

Alio modo de carne assumpta loqui possumus, quantum ad defectum passibilitatis & mortis: & tunc incarnationis præcipua ratio fuit humani generis redemptio, quia si homo non peccasset, ac de lapsu redimendus non fuisset, Christus carnem passibilem & mortalem nō assumpsisset. Nec quidem opus istud excellentissimum impediri potuit lapsu parentū, quin natura humana per incarnationem eius exaltaretur super omne creatū. Quia sic decebat diuinam benignitatem & sapientiam, vt perfectè vinceret ipsam malitiam. Nam in tantum sapientia vincit malitiam, quòd non patitur malum aliquod, de quo non eliciatur maius bonum: alioquin non perfectè malitiam vinceret. Et propterea contra præuaricationem primi Adæ, qui totum genus humanum * interfecit, statuit rectitudinem secundi Adæ, qui pro toto genere humano satisfacere posset. Cuius obedientia multo plus Deo placuit, quàm inobedientia primi Adæ displicuit. Bonitas etiam diuina tāta est, quòd ex ea Deus est plenus dilectione & misericordia, adeò quòd *diligentibus se, qui secundùm propositū vocati sunt sancti, omnia* cooperari facit *in bonum*. Ex hoc enim nos obligauit ad maiorem dilectionem, humiliationē, gratiarum actionem. Nam si magnum erat Deum simpliciter incarnari, maius tamen erat carnem infectam, passibilem, & mortalem assumi, ac pro genere humano vilissima acerbissimaq; pœna mori. Hinc dicitur ad Ephesios: *Deus (qui dives est in misericordia) propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, cōuiuificauit nos* in *Christo*, id est in morte Christi: *cuius gratia saluati estis, & cōresuscitauit*, scilicet in spe, *& consedere* nos *fecit in cælestibus in Christo IESV, vt ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu*. Ecce quomodo *semetipsum exinaniuit* illa maiestas, *formam serui accipiens*, & cum tota multitudine miserationum suarum de thalamo virginali prosiliens. Nec modum dulciorem habuit ad redimendum nos abyssus illa consiliorum Dei, quia quicquid in thesauro diuinæ pietatis inuentum est, totum in vtero Virginis congestum est. Fuit enim iste modus reparandi conuenientissimus, vbi potissimum ostendebatur potentia, sapientia, & bonitas diuina. Quid potentius, quàm coniungere Creatorem & creaturam? Quid sapientius, quàm quòd ad perfectionem vniuersi cōiunctio fieret primi & vltimi? scilicet Verbi Dei

Sap 7.

Aliâs infecit.

Bonitas diuina quāta. Rom. 8.

Ephes. 2.

Philip. 2.

Modus reparationis humanæ dulcissimus.

Animarum vulnera.

& humanæ naturæ? Quid beneuolentius, quàm quòd Creator rerum sic se voluit communicare rebus creatis? Et hoc summè necessariũ fuit humanæ naturæ, quæ per peccatum corruit in infirmitatẽ, ignorantiam, & malitiã, per quæ fuit facta impotens ad virtutem diuinã imitandã, ad veritatem cognoscendã, & ad bonitatẽ diligendã. Ideo Deus factus est homo, per quod se reddidit homini imitabilem, cognoscibilem & amabilem, vt etiam in forma serui procuraret salutem serui per summam humilitatem, quæ maximè decet Deum, non solum vt tanta esset humilitas in redemptione, quanta fuit superbia in præuaricatione, scilicet, vt homo vellet esse vt Deus: sed etiam, vt se humiliaret vsque ad pœnas innocenter sustinendas, quod quia fieri non potuit in natura diuina, factum est in natura humana. Non me capio præ lætitia, quòd summa illa maiestas naturam suam, natura carnis meę & sanguinis subuelat, & me miserũ in diuitias gloriæ suæ non ad horam, sed in sempiternum includit, & fit frater meus Dominus meus. Hæc exinanitio tam dignatiua rapit affectum meum, & istorum memoria concalescit cor meum, quia *viuus est* huiusmodi *sermo & efficax, ac penetrabilior omni gladio ancipiti*, medullas cordis mei valenter pertransiens. Profitẽ nobis fratres tanta charitas, quam nobis Deus maiestatis exhibuit: tanta humilitas, quam suscepit: tãta benignitas, quæ nobis per humilitatem Christi apparuit: & agamus gratias redemptori & mediatori nostro, per quem nobis innotuit tam boma erga nos voluntas Dei Patris. Tale enim est cor Dei Patris erga nos, quale nobis exhibuit, qui de corde Patris processit.

Hebr. 4.

Mediatoris fides quæ? Angelorum bonorum confirmationis, & malorum reprobationis ratio. Prælium factum in cælo quod? Cap. VIII.

Meritum Christi tam Angelos quã homines beatificat.

Vis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ? Vt latius prosequamur de casu Luciferi, & suorum complicũ, sciendum, quòd postquam creauit Deus Angelos in libertate naturæ, reuelauit eis Deus incarnationem Filij sui, quem dominatorem vniuersæ terræ constituit, & mediatorem fidelissimũ tam Angelorum quàm hominũ, vt per hæc, si vellent à natura ad gloriam per meritum Christi & gratiam ascenderent: & qui nollent, à natura ad pœnam æternam ruerent. Dicitur enim apud Iob: *Quis demisit lapidem angularem eius*, id est, terræ, *cùm me laudarent astra matutina, &*

Iob 38.

na. & iubilarent omnes filij Dei? Quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens? cùm ponerem nubem vestimentum eius?
Lapis angularis est Christus, de terrena materia corpus assumens, eodē de se dicente apud Matthæum: *Nunquam legistis, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Quem lapidem Deus Pater dimisit, cùm Christum in assumptione carnis mittendum ab initio creaturæ rationalis inter Angelos reuelauit. Et dicitur lapis angularis, non solùm quia Iudæos & Gentiles, sed etiam quia Angelos & homines in vnam communitatem gratiæ & gloriæ (cuius ipse caput est) insimul copulauit. Rex enim est & mediator, tam Angelorum, quàm hominū, vtriusq; beatitudinem æternā beneficio promerens incarnationis & passionis. Cui scilicet incarnationi quidā Angelorum fideliter fauebant, & gratiarum actiones reddebant: qui nimirum in fide Christi ad æternam beatitudinem intrare meruerunt merito dilectionis eius. Et hi vocantur *astra matutina*, quasi manè orientia per claritatem gloriæ: qui Deum laudabant, & interna mentis exultatione iubilabant de incarnatione Christi, de eius sapienti dispositione, in sua gratifica saluatione iugiter collaudantes: Cæteri verò superbientes Angeli, circunuentione Luci fermiserabiliter attracti, contemnebant inferiori naturæ subijci: & ideo inuidebant incarnationi Christi, & exaltationi generis humani Quorum multitudo significatur hîc per mare, quia auersi à dulcedine diuina, facti sunt amari ex inuidia. Hinc cùm à vulua diuinæ prouidentiæ per creationem procederent, & à luce diuina se elatione propria auerterent, à Deo vestiti sunt nube, id est, mentis cæcitate, per superbiam propriam excæcati. Quos Deus ostijs conclusit, quia certis limitibus eorum malitiam sua dispositione coercuit; vt verificetur illud Apostoli: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari* super *id quod potestis*. Et ex hac controuersia *factum est prælium magnum in cælo*. Nam electi Angeli sublimiter de Deo sentientes, ad eius gloriam afficiebantur, & pro facultate sibi tradita fideliter nitebantur. Angeli verò mali & superbi, de bonitate suæ naturæ sublimiter sentiebant, & ita ad propriam gloriam afficiebantur, totoq; conatu in contrarium Angelis electis ferebantur, & pugnabant sensu, iudicantes naturam gratiæ præferendam. Pugnabant etiam affectu, quo afficiebantur ad propriam gloriam: Pugnabāt deniq; conatu, quo nitebantur beatorum Angelorum obedientiā subuertere. Ignorabant enim, donec experientia didicerant, quòd in omnibus gratia sublimior

Matth. 21. Psal. 117.

Lapis angularis.

Astra matutina quæ.

Angeli mali per mare designati.

1. Cor. 10. Apoc. 12. Prælium in cælo.

Gratiam potiorem natura.

mior esset & validior quàm natura. Per naturam enim datur esse creaturæ, quod in se est: sed per gratiã datur creaturæ esse, quod in Deo habet. Vnde nec *valuerunt* resistere gratiæ per naturam, nec *inuentus est amplius locus eorum in cælo:* sed *proiectus est ille draco magnus, & angeli eius in terram*, ita vt miraretur Isaias, dicens: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? qui dicebas in corde tuo: In cælum* ascendam, *super astra* cæli *exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis? Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo?* Puto sanè per Aquilonem reprobandos angelos & homines fuisse designatos, per sedem verò potestatem in illos: quos vtiq; in præsentia Dei quanto vicinior ei, tanto perspicacior cæteris præuides, nullo sapientiæ radio coruscantes, nullo spiritus amore feruentes, velut vacuũ reperisti locũ, & affectasti super illos dominiũ, quos quadam astutiæ tuæ claritate perfunderes, & malitiæ tuæ æstibus inflammares, vt quomodo Altissimus sua sapientia & bonitate cunctis obedientiæ filijs præerat, sic & tu *super* omnes *filios superbiæ rex* cõstitutus, tua eos astuta malitia, & malitiosa astutia regeres, per quod Altissimo similis esses. Et prosequitur Iohannes in Apocalypsi, dicens: *Et ipsi vicerunt eum*, scilicet draconẽ, *propter sanguinem Agni:* quod dicit propter meritum passionis Christi. Licèt enim redemptor & reconciliator vnus est Christus, ex eo tamen redemptor dicitur, quòd Deo Patri pro peccatis suorum integrè satisfecit. Reconciliator verò, quia gratiam promeruit etiam ipsis Angelis, quibus non fuit redemptor, quia non peccauerunt: nisi largè redemptio capiatur. Nam eisdem Christi meritis peccatores homines à peccatis sunt dimissi, & Angeli ne peccarent præseruati. Vicerunt igitur Angeli diabolum in sanguine Agni, quia tam beati Angeli, quàm homines electi diabolum vicerunt in sanguine Agni, non proprijs viribus, sed merito Iesu Christi, quod completum est in passione & morte Iesu Christi. Vnde facta victoria, subdit Iohannes ibidem, dicens: *Audiui vocẽ magnam in cælo, dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnũ Dei nostri, & potestas Christi eius.* Vox autem ista est Angelorum, congratulãtium gloriæ Dei, paci Christi, & humanæ saluationi. *Nunc*, inquiunt, *facta est salus*, scilicet quantum ad declinationem à malo: *& virtus*, quantum ad operationem boni: *& regnum*, quãtum ad spiritus libertatem, qua scilicet liberè absque vlla contradictione summo Deo obedirebant. Hoc enim superbiens angelus ex natura habere volebat, & gratiã cõtemnebat, per quam

Isaiæ 14.

Aquilo mysticè quid.

Iob 41.

Apoc. 12.

Redemptor Christus.

Reconciliator Christus.

Apoc. 12.

ratio-

rationali creaturæ Deus gloriam offerebat. Et quantum valuit, electã illam multitudinem Angelorũ, qui se gratos oblatæ gratiæ reddebant, impedire conatus est. Nõ enim est verisimile electos Angelos absque probatione tantum accepisse præmium, cùm nec homines, qui sunt infirmiores, sine probatione glorificari possint. Sequitur: *Et potestas Christi eius*, quia sicut Christus secundùm diuinitatem dominium habet, & potestatem vniuersalis præmij, sic secundùm humanitatẽ, qua suspensus in Cruce meritum acquisiuit, potestatem habet vniuersalis meriti. Nec enim angelica, nec humana merita pondus aliquod æqualitatis iustitiæ possunt habere ad illud infinitum præmium, quod Deus est, nisi merito Iesu Christi fulciantur. Quod sicut rationem meriti habet ratione humanitatis assumptæ & crucis: sic rationẽ infiniti habet ratione coniunctæ diuinitatis, ac per hoc secundùm iustitiæ æqualitatem infinito præmio correspondet infinitum meritum, & infinito merito soluitur infinitum præmium. Potestate igitur huius meriti Christi Angeli electi releuati, gloriã diuinæ fruitionis intrauerunt, & Angeli mali proiecti velut reprobi inuidẽtes, & chaos æternæ damnationis proiecti sunt: atq; ex tunc prævalere cœpit meritum Christi per fidem, quæ in ipso erat. Cui humiliter Angeli electi sẽ subiecerunt secundùm formam voluntatis Dei. Et si quæritur, Quomodo meritũ Christi tunc Angelis valere poterat, cùm Christus nõdum meruerat? Breuiter respondeo, quòd sic valebat Angelis, sicut hominibus illis, qui ante Christi aduentum crediderunt in aduentu eius, quod Ecclesia sancta fideliter & veraciter confitetur. Vnde dicit Origenes: Tanta vis est mortis Christi, quòd ad sanitatem & remedium non solùm præsentis & futuri, sed etiam præteritorum sæculorum: & non solùm humano huic ordini, sed etiam cælestibus Virtutibus sufficiat.

Meritum passionis Christi quomodo valuerit Angelis.

De fide Mediatoris tam Angelorum quàm hominum, & de thesauro passionis Christi, qui profuit vtrisque: ac de casu Luciferi, & omnium malorum. Cap. IX.

Quis mihi det te fratrem meũ sugentem vbera matris meæ? Deus Pater ab æterno proposuit Filium suum incarnandum, vniuersalem mediatorem inter se & creaturã rationalem, in cuius fide & dilectione omnes saluarentur. Non enim fas est dicere plures esse mediatores, nec rationalem creaturam absque mediatore per gloriam ad Deum accedere posse, cum suppetere non possit

sint merita Angelorum vel hominum ad acquirendam gloriam æternam. Hinc meritò dicitur in Apocalypsi, quòd Agnus *occisus est ab origine mundi*, quia propter fidem & dilectionem mediatoris Christi, eius passio & mors non solùm valebat ad meritum & gloriam sempiternam hominum, sed quodámodo etiam Angelorum. Et ideo dicitur ad Ephesios, quòd *ipsum dedit*, scilicet Deus Pater, *caput supra omnem Ecclesiam*, scilicet triumphantem & militantem, Angelicam & humanam: quæ scilicet Ecclesia, dicitur corpus Christi, id est, qui sunt de Ecclesia numero & merito, quæ etiam Ecclesia vna vocatur in Canticis: *Vna est columba mea, perfecta mea.* Ad quam nimirum vnitatem etiã pertinent Sancti veteris Testamenti, qui fidem vnã nobiscum habuerunt: quorum vtiq; caput etiã fuit Christus incarnandus, qui per fidẽ huius incarnationis futuræ, tunc eis infudit gratiam. Ad quam etiam integritatem Ecclesiæ concurrunt Ecclesia militans & triumphans, de qua etiã sunt Angeli conciues & consortes nostri. Et ideo omnium illorum caput est Christus, influens Angelis illuminationes, etiam secundùm quod ipse est homo, cum quibus ipse cõformitatem habet in natura intellectuali, quæ est suprema & nostræ naturæ cõpletiua, mediante qua residua natura nostra Dei Verbo est vnita, vt dicit Damascenus. Vnde dicit Apostolus ad Colossenses: *Qui est caput omnis Principatus & Potestatis.* Per hæc enim duo, quæ sunt nomina dignitatis & excellentiæ, etiã intelligũtur alij chori Angelorum, quia Christus, largè loquendo, caput est Angelorum propter influentiam gloriæ, sed propriè est caput hominum, non solùm propter gratiæ & gloriæ influentiam, sed etiã propter conformem naturã Agnus etiã *occisus* dicitur *ab origine mundi*, quia præcipuè post lapsum protoparẽtum Christus singulariter ordinatus est mori pro nobis redimendis: & ideo *ab origine mundi* per Sãctos suos cœpit mors eius figuris & mysterijs præmonstrari & prænuntiari, ac in talibus figuris cœpit quodámodo occidi: & præsertim in membris suis ab initio cœpit occidi, sicut in Abel & similibus. Vnde Christus thesaurus est absc̃ditus *in agro*, cuius merito regnum cælorum comparatur, & omnes tam Angelos, quàm homines regnare facit. Hic thesaurus communis est tam Angelis, quàm hominibus, recõditus vtiq; in *ipsõ summo angulari lapide, in quo omnis ædificatio cõstructa*, scilicet tam Angelica, quàm humana, *crescit in templum sanctum in Domino.*

Apoc. 13.

Ephes. 1.

Ecclesia quomodo corpus Christi.

Cant. 6.

Coloss. 2.

Christus quatenus caput Angelorum & hominum.

Apoc. 13.

Gene. 5. 4. Matth. 13. Thesaurus absconditus.

Ephes. 2.

Vnde & sancti Angeli post casum Luciferi, huius pretiosissimi thesauri

ſauri virtutem experti, tanta dilectione ferebãtur ad Chriſtum, quòd pro eius gloria libentiſsimè mortem ſuſcipere voluiſſent, ſi eis poſsibile fuiſſet. Dicit enim de ijs ſanctus Iohannes in Apocalypſi, quòd *non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem*, id eſt, ſic Deum cordialiter dilexerunt, vt ſibi neceſſarium æſtimarent vitæ propriæ non parcere præ diuinæ dilectionis feruore, ſi diuinæ voluntatis beneplacitum fuiſſet. Quod quidem Deus ab eis acceptauit, ac ſi iam opere compleſſent: quia perfecta voluntas pro opere reputatur. Lucifer autem elatione tumidus, & affectu propriæ excellentiæ cæcatus, electiua volũtate voluit hoc à Deo conſequi ſolùm ratione naturalium: ad quod etiam requirebatur huiuſmodi gratia & meritum. Vnde vehemens affectus ad propriam excellentiam & poteſtatem ſic in eo vnam conſiderationem inclinauit, quòd excluſit aliam, ſcilicet ſui caſus conſiderationem. Nam ſecundùm Auguſtinum, factus cõtinuò ſe à veritate auertit, propriæ poteſtatis elatione delectatus. Vnde dicitur apud Ezechielem: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiæ, perfectus decore, in delitijs paradiſi Dei fuiſti.* Et iterum: *Tu Cherub extentus & protegens, poſui te in monte ſancto Dei. In medio lapidum ignitorum ambulaſti, perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta eſt iniquitas in te. Et eleuatum eſt cor tuum in decore tuo: peccaſti, & eieci te de monte Dei, & perdidi te, ô Cherub protegens, de medio lapidum ignitorum.* Vnde miratur Iſaias: *Quomodo*, inquit, *cecidiſti de cælo Lucifer?* id eſt, quàm irreparabiliter. Inflatus enim nobilitate naturæ, ſuper omnem creaturam exaltari voluit, & in omnia inferiora dominari. Pro cuius ſolo conſenſu, nihil enim Angelus ille fecit, non operatus eſt, ſed tantùm cogitauit ſuperbiam, & in ictu oculi proiectus irreparabiliter gehennalibus tormẽtis æternaliter eſt addictus. Bernardus: Si ſic actum eſt cum Angelo, quid de me erit cinere & terra? Et ſi cuiquam mirum videatur, quòd Deus tam nobiliſsimam creaturam ſine ſpe reparationis ſic perire permiſit, reſpondet Bonauentura ſuper lib. 2. Sententiarum, quòd in hoc Deus oſtendit terrificam & inflexibilẽ ſuam iuſtitiam, quæ tantum ſeipſam conſeruat, quòd ordinem inſtitutum nullo modo infringat: tantum peccatum odit, vt abijciat quos chariſsimos reputauit. Vnde tam ſpectandum ſignum diuinæ ſeueritatis in Angelo nobiliſsimo, & in homine primo, quorum vtrumq; proprijs manibus plaſmauit, & ornauit, nobis infirmis appoſuit, vt diſcamus, quantum odit peccatũ, quòd pro vnico actu cordis nobiliſsima creatura æternaliter ſine ſpe veniæ ſit

Angelorũ dilectio.

Apoc. 12.

Luciferi caſus.

Ezech. 28.

Ibidem.

Iſa. 14.

Seueritas Dei quanta.

Gene. 3.

damnata; & pro esu pomi Adam cum omni posteritate sua duplici mortalitati, & multiplici pœnalitati sit subiectus. Vnde secũdùm Gregorium in Moral. Lucifer fuit altior omnibus Angelis alijs, non solùm cadẽtibus: sed etiam stantibus. Et propter hoc eleuatũ est cor eius, dominationem appetens super omnes alios. Non enim appetijt æquari Deo simpliciter, cùm hoc sciret impossibile fore, sicut dictat ratio, quòd creatura non potest æquari Creatori: sed appetijt illam æqualitatem tantùm in quodã modo habendi illud, quod possibile fuit eum consequi, si debito modo illud appetiuisset. Voluit enim vt posset in omnibus inferioribus se quicquid vellet, & hoc etiam accepisset. Sed appetijt eo modo quo non obtinuit, scilicet, vt non haberet ea ex gratia, sed ex suis naturalibus: & ideo elatione tumidus, mox cæcidit. Cui peccato protinus odium & inuidia successit, quæ duo secundùm Augustinum respectu Dei præsupponunt in Angelo voluntatis prauitatem. Optimum enim, quod in se nihil habet malitiæ, non potest haberi odio, nisi ab affectu distorto, cùm ipsum ex se penitus sit amabile. Et secundùm Damascenum, cum eo cecidit simul maxima multitudo Angelorum, qui sub ipso ordinati erant: & hoc suggestione Luciferi, quæ nihil aliud fuit, quàm insinuatio conceptæ malitiæ, omnibus Angelis vniuersaliter facta per locutionem nutus, in quam illi cõsenserunt cum eo, per eũ, & sub eo beatitudinem & prælationem ac principatus auctoritatem sibi proportionatam ex merito suorum naturalium obtinere conantes. Alij verò ab hac insania dissenserunt, & ad Creatorem conuersi, desiderabant hoc ab ipso per eius bonitatem & gratiam obtinere. *Et* hoc fuit *prælium magnum factum in cælo*, cuius pugna specialiter attribuitur Michaëli, non gratia Ordinis, cùm ipse non sit de supremis, sed gratia nominis, quod interpretatur, quis vt Deus? Illi namq; competit illis resistere, qui voluerunt esse vt Deus, & esse similes Altissimo. Vnde hæc quatuor simul erant ad modum impetus fulgurãtis, scilicet peruersus appetitus Luciferi, & eius ad Angelos elocutio, consensus malorum, & simul casus omnium. Sic & in perseuerantibus erant conuersio beatorum in Deum, infusio gratiæ, si in ipsa creati non fuerunt, & confirmatio gloriæ.

Apoc. 12.

Michael quid?

Desiderium Patrum Sanctorum ad Incarnationem Filij Dei. Christus quare venerit vt Deus, Sponsus, Agnus: & cur anima vt Sponsa iungatur ei. Cap. X.

Quia

QVis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ? Quis, inquit, *mihi det?* Quasi diceret: Aliquis, cuius non debeo esse immemor. Nimirũ ipsa charitas increata hoc fecit, cui vicem amoris reddere debemus, ne ingrati inueniamur. *Te fratrem meum*, id est, vt sis frater meus secundùm carnem, *sugentem vbera matris meæ*, id est, Virginis Mariæ, quæ est mater nostra. Sequitur: *vt inueniam te foris*, id est, vt cognoscã te in natura humanitatis, quia interius nulli possibile est. Nam intus erat dilectus, dum *in principio erat Verbum*: foris autem, dum *Verbum caro factum est*. Sequitur: *Et deosculer te*, id est, facie ad faciem videns, & ore ad os loquens, tibi iungar fide charitate formata, strictius iungenda nuptiarum tempore. De hoc desiderio dicit Bernardus super Cantica: Ardorem desiderij sanctoũ Patrum suspirantium Christi in carne præsentiã frequentissimè cogitans, cõfundor & compungor in memetipsõ. Et nunc vix contineo lachrymas, ita me pudet teporis torporisq; miserabiliũ temporũ horũ. Cui namq; nostrum tantũ ingerit gaudium gratiæ huius exhibitio, quantum accenderat veteribus Sanctis desideriũ promissio? Quid tu agis, ô vilis homuncio, qui præsentem Dominum agnouisti, qui laboriosam eius redemptionem profluentibus vulneribus recepisti? Quales amoris vices rependis? quales gratiarum actiones exsoluis? quales deniq; pro salute animæ tuæ tam pretioso sanguine redemptæ solicitudines impẽdis? Cùm & priores Patres pro venturo Domino tormentis & morti liberaliter se tradiderunt. Vnde meritò conqueri habet: *Pretiũ meum cogitauerunt repellere*. Cùm tamen veniens tam dulcissimũ atq; benignissimum se exhibuit in carne, vt etiam lapides scinderentur in eius passione, vt qui conuerti noluerint, meritò audituri sint: *Quid vltra debui facere & nõ feci?* Nam tam ineffabilem charitatem ostendit in humanitate, vt violentissimè traheret homines à peccatis, cùm inter omnes affectus fortissima *est dilectio. In charitate*, inquit *perpetua dilexite, ideo attraxi te, miserans* tui. Vnde ait Diuus Augustinus: Magnum diuinæ dilectionis indicium: Homo Deum contemnens à Deo discessit, sed Deus hominem diligens, ad hominem venit. Venit ad te Deus homuncio, & totum quod de Adam traxisti, totũ quod de tuis prauis moribus addidisti, totum Christus deleuit, totum dimisit, orationem docuit, gratiam promisit, certamen induxit, laborãti subuenit, & pro victoria coronabit. Hinc ait & Bernardus in Sermone Aduẽtus Domini: Si per-

De modo suscipiendi Deum incarnatum.

Ioan. 1.

Psal. 61.

Matth. 17. Isaiæ 5.

Cant. 8. Ierem. 31.

sonam venientis intueor, non capio excellentiam maiestatis. Si attendo ad quos venerit, dignationis magnitudinē expauesco. Si considero propter quid venerit, amplector, quoad possum inæstimabilem latitudinem charitatis. Venit enim Deus, cuius maiestas incomprehensibilis. Venit Agnus, cuius mansuetudo infatigabilis. Venit sponsus, cuius amor incomparabilis. Quid igitur faciendum putas ô anima venientem susceptura? Deus est qui venit, requirens munditiam: stude ornatui, nā Linceos habet oculos. Testatur hoc Sapiens: *In omni*, inquit, *loco oculi Domini contemplantur bonos & malos*. Sed quo pacto? Aliū quendam audi Sapientē: *Omnia*, inquit, *opera illorum velut Sol in conspectu* Domini, *& oculi eius sine intermissione inspicientes in vijs eorum*. Et quo fine prosequitur, dicens: *Et retribuet illis retributionem, unicuique* prauorū *in caput* eorum, *& conteret inferiores partes terræ*. Vnde vt nihil credatur occultum, paulo post addit, dicens: *Oculi Domini, multò plus lucidiores super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes*, id est, secretissimas cogitationes. Si igitur, ô anima, non inuenis puritatem, adhibe confessionem, ama ob quam amaris. Ama confessionē, si affectas decorem, vt dicatur & tibi: *Confessionem & decorem induisti*. Secundò, venit Agnus, præferens mansuetudinem, sed exigens contritionē: *Ecce*, (inquit) *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Cur enim agnus, nisi quia totus innocēs? ex amore pœna crucis tulit peccata mūdi: O Agne Dei, qui tollis peccata mundi. Quantis ea laboribus & pœnis exoluisti, quàm exiguis etiam suspirijs semper hominibus indulsisti. Stude igitur fidelis anima pastui. Nam fletibus nostris pascitur tamquam paruulus lacte caprarum. Lac enim de capris (quod est animal fœtidum) quid est, nisi lachryma pro peccatis? *In fletu* inquit, *venient* ad me, *& in misericordia, reducam eos*. Iucunda promissio. Tertiò, venit sponsus, stude amplexui, vt verè dicas cum sponsa: *Dilectus meus mihi, & ego illi*. An non dulcis complexus vnum velle & vnum nolle. Et quid mirabilius, quàm quòd tam immensus ad pauperculam veniens more & amore sponsi, velut ex æquo se coniungit? Nescio quid delicatius, quid tenerius habet in se Deus sub ratione sponsi, quàm sub ratione regis, nisi quòd regi debetur reuerentia, quæ timoris aliquid habet: spōsus verò non nisi purum amorem requirit. Sed vnde persuaderi poterit animæ pauperculæ, quòd Christo coniungenda sit more & nomine sponsæ? Profectò ex triplici ratione. Primò, ex cognatione, quan-

Deus quomodo suscipiendus.

Prou.15.

Eccli.17.

Eccli.23.

Confessio.

Psal.103.

Ioan.1.

Agnus Christus.

Lac caprarū quid?

Hiere.31.

Cant.2.

Sponsus Christus.

Anima vt sponsa Christi.

quantum ad imaginem. Secundò, ex assimilatione, quantum ad similitudinem: *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & similitudinẽ nostram.* Ex his enim cogitur non solùm gratuita, sed etã naturali quadam inclinatione diligere animã sicut pater filiã. Sunt enim multi cognati nec similes, & tamen propter cognationem se diligunt. Et sunt multi similes non cognati, qui propter similitudinem se diligunt. Sed vbi simul hæc duo concurrunt, necesse est, vt maior excrescat vis amoris. Tertiò, se nostra vestiuit natura in quo maxima nobis ostendit dilectionis indicia. Et talis amor vigere debet inter spõsum & sponsam. Vnde ait Augustinus: O quàm stultum est, amorem tam potentis non concupiscere: & quàm impium, tam multum diligentem non redamare. Dilige illum vt illo fruaris, dilige te vt ab illo diligaris. Dilige in donis illius, quæ tibi data sunt ab illo, illum tibi, & te illi, quia hæc est pura & casta dilectio, nihil habens sordidum, nihil amarum, nihil transitorium. Genes. 1. Dilectio pura quæ?

Nomen Dei ineffabile quod? Iesus quid sit, quibus vt sapiat. Cap. XI.

OLeum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te. Canticorũ I. Dicit Isaias: *Nomen tuum Domine, & memoriale tuum in desiderio animæ.* Quod verum est in vtraque lege, quantum ad illud nomen, *quod est super omne nomen*, quia *secundùm nomen tuum Deus*, ita *& laus tua.* Nam in lege veteri nomen, *quod* erat *super omne nomen*, dicebatur nomen Domini τετραγράμματον, id est, nomen quatuor literarum. Scribitur enim apud Hebræos quatuor literis, quæ ineffabile pronuntiant: & ideo dicebatur nomen Domini ineffabile, eò quòd non licuit alicui hoc nomen proferre, nisi tantùm summo Sacerdoti: & hoc tantùm in sanctuario in tempore ieiunij, & in benedictione sacerdotali. In cuius prolatione fuit cura magna & timida reuerentia. Significat enim nomen Dei, quod dicitur ineffabile: non quia dici non potest, sed quia eius significatio ab humano corde comprehendi non potest. Vnde secũdùm sapientes Iudæorum significat incommunicabilem & nudam Dei substantiam. Quod nomen Deus primò indicauit Moysi tam quantum ad vocem, quàm etiã quantum ad significationem, dicens: *Et nomen meum* magnum *Adonai non indicaui eis*, scilicet patribus. Quòd scilicet nomen Adonai ponitur in Biblia, & pronuntiatur loco nominis τετραγράμματον: quod propter eius reuerentiam Isa. 26. Phil. 2. Psal. 47. Exod. 6. Adonai.

omnino subticetur. Nam hoc nomen in aurea lamina scribebatur,& super mitram vitta hyacinthina ligabatur, vt immineret fronti Pontificis. Et hoc solũ in toto pontificis habitu fuit de solo auro,ad ostendendum, quantam charitatis eminentiam ei debeamus. Et (vt dicit Rabbi Salomon) ponebatur etiã nomen istud in Rationali iudicij, sub lapidibus Rationalis abscõditum. Nam Rationale fuit de panno duplicato, & inter duos pannos ponebatur, & portabatur ad pectus pontificis: cuius virtute ei manifestabatur de interrogatis, quando Dominum consulebat,vt etiam sic impleretur illud Cant. *Pone me vt signaculum super cor tuum.* Vnde nomen hoc figura fuit dulcissimi nominis Iesu, compositum ex quatuor literis, quibus & nomẽ Iesu scribitur, scilicet Iod, quod est nobiscum litera I. He,id est H.nobiscum. Vau quæ est nobiscum litera V. Chet,per quam intelligimus E. Quæ nihilominus quatuor literæ Hebraicæ effectũ nominis Iesu conuenienter exprimunt. Vnde He,id est iste, Iod,id est principium. Chet, id est passionis. Vau, id est vitæ; nam Christus est principium vitæ in Adam amissæ, quam reparauit sua passione. Hæc etiam tanguntur in Glossa super Exodum. Ecce habes nomen patribus quidem manifestatum,sed nõdum effusum,nondum dulcescit charitate,quia pauescit potestate. Hoc enim reseruatũ erat nouæ legi. Cuius tamẽ effusionem & fragrantiam præsensit Abacuc Propheta,cum dixit : *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Nimirùm cùm, vt dicitur in Actis,*nõ est in alio aliquo salus. Nec enim aliud est nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Vocabis nomen,* inquit, *eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorũ.* Quid consolabilius peccatori? quid vtilius pœnitenti? quid dulcius multum diligenti? quàm quòd *Iesus Christus factus* est pro nobis *obediens vsque ad mortem crucis?* Hinc meritò *nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ,* quia *secundum nomen tuum, sic & laus tua.* Sicut enim Saluator diceris, sic & facto ostendis. *Omnes* enim *Prophetæ perhibent testimonium,remissionem peccatorum accipere per nomen eius.* Dicat tamen humilis,non superbus: *Oleum effusum nomen tuum.* Non quòd ille superbus nõ habet oleum, sed quòd non habet effusum, nec experitur eius fragrantiã. Habet quidem oleum, sed reconditum: habet in codicibus,non in cordibus: foris habet in litera: contrectat manibus vas plenum & clausum, nec aperit vt vngatur. Intus est vnctio Spiritus. Aperi,& vngere. Quid facit oleum in vasis, si non sentis

& in

Cant.8.

Exod.28.

Abacuc.3.

Act.4.

Matth.1.

Philip.2.

Isa.26.

Isai.47.

Actor.10.

Cant.1.

& in membris? Quid tibi prodest pium lectitare Saluatoris nomen in libris, nec habere pietatem in moribus? Sed *in* hoc *iudicium* venit Iesus, *vt* nõ videntes *videant, &* videntes *cæci fiant. Confiteor tibi,* inquit, *Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc* vnguenta, hoc oleum, *à sapiẽtibus & prudẽtibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater*: quia *sic placitum* est *ante te*. Veruntamen ecce Christus, ecce Iesus, vinumq; infusum Angelis, effusum in homines, vt ab vno nomine, quod est Christus, millia millium credentium Christiani dicantur, & in nomine Iesu, per humilem sequelam, salutem consequantur. O quàm charũ nomen, & quàm vile. Vile quidem, sed salubre. Nam si vile nõ esset, mihi nõ effunderetur: & si salubre nõ esset, non me lucraretur. Particeps nominis, particeps sum & hereditatis. Christianus sum, frater Christi sum. Si sum, quod dicor, hæres sum Dei, cohæres autem Christi. Sed quid mirum si sponsi nomen sit effusum, cùm & ipse sit effusus & exinanitus, *Formam serui accipiens?* Effusa est in sponso *plenitudo diuinitatis* habitans super terram *corporaliter*, vt *de* illa *plenitudine omnes* acciperemus, ac odore vitali repleti, diceremus: *Oleum effusum nomen tuum.* O nomen superbenedictum. O oleum vsquequaque diffusum, non solùm cælos, sed & terras, & inferos copiosè respergés, adeò quòd *in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Et quamuis Deus & homo, secundùm Bernardum, tria habent nomina, scilicet Iesus, Christus, & Filius Dei: Et, vt dicit Bonauentura super librum 3. Sententiarum in expositione literæ, quodlibet horũ nomen est super omne nomen, tamen *in nomine Iesu* duntaxat flectitur *omne genu*; cuius causam assignat ibidem Bonauentura dicens, quòd Filius Dei nominat personam in diuina natura tantùm. Christus autem, & Iesus nominat personam in duabus naturis, sed diuersimodè. Christus enim nominat personam in humana natura relata ad diuinam, quia dicitur vnctus. Sed Iesus nominat personam diuinam relatam ad humanam, quia Iesus interpretatur Saluator. Et ideo *in nomine Iesu* debet *omne genu* curuari, in signum gratitudinis, quòd nostram naturã assumpsit, & in ea nos redemit. Hoc igitur *nomen* erit meritò *in desiderio animæ*, quia per illud prõprie constituitur spõsus animæ, qui maximè regratiandus & diligendus est.

Ioan. 3.
Matt. 11.
Nomen Iesu.
Coloss. 2.
Phil. 2.
Ioan. 1.
Philip. 2.
Filius Dei.
Christus.
Iesus.
Phil. 2.
Isaiæ 26.

Iesus nomen quomodo luceat, pascat, leniat, vngat: filium Dei effici quid. Cap. XII.

Virtus nominis Iesu quanta.

Oleum.

Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerũt te. Iam effundamus oleum, vt sentiamus eius virtutem, & videamus cur oleo comparetur sponsi nomẽ. Nam oleum est lux, cibus, & medicina. Lucet enim, fouens ignem: pascit vel cibat, nutriens carnem; & vngit, leniens dolorem. Sic nomen Iesus, lucet prædicatum, secundùm illud: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Nihil enim sic iræ comprimit impetum, superbiæ sedat tumorem, vulnus liuoris sanat, restringit luxuriæ fluxum, auaritiæ sitim temperat, & totius dedecoris pruriginem fugat, sicut nomen Iesu prædicatũ. Dicit enim Bernardus: Cùm nomino Iesum, hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni denique honestate & sanctitate perspicuum: eundemq; ipsum Deum omnipotentem, qui suo me & exemplo prouocet, & adiutorio roboret. Nam in luce nominis huius Deus nos vocare desiderat *in admirabile lumen suum*, scilicet fidei, gratiæ, & virtutum, vt *in lumine* suo videamus *lumen*. Fuistis, inquit Apostolus, *aliquando tenebræ, nunc autẽ lux in Domino*. Secundò, nomen Iesu pascit recogitatum. Nihil enim sic mentem cogitantis cõfortat & impinguat, nihil sic exercitatos sensus reparat, virtutes roborat, bonos mores & honestos vegetat, castas affectionos incorporat, sicut Iesus in vita & morte recogitatus. Aridus est omnis animæ cibus, si non hoc oleo vngatur: & insipidus, si non hoc sale condiatur. Iesus mel in ore, melos in aure, iubilus in corde. Hinc dicit Bernardus: O anima mea, reconditum habes electuarium in vasculo vocabuli huius, quod est Iesus. Hoc autem electuarium cõfectum est ex omnibus beneficijs diuinitatis eius in creatione, & humanitatis eius in recreatione, & ex omnibus virtutibus eius in exemplum sequelæ, præsertim ex illa ineffabili charitate nobis ostensa in mansuetissima tam horribilis passionis & mortis perpessone, quibus, ô anima, reficiaris delectabiliter, quiescas dulciter, proficias vtiliter, & consummes feliciter. Tertiò, nomen Iesu lenit inuocatum & vngit. Hoc enim & ipse desiderat in Canticis, dicens: *Pone me vt signaculum super cor tuum; vt signaculum super brachium tuum.* Habet igitur sponsa vbi medeatur & cordi suo & brachio, scilicet, in nomine Iesu: habet inquam, vnde sensus suos & affectiones seruet, ne corrumpantur; vel sanet, si corrumpantur. Habet etiam vnde suos actus vel prauos corrigat, vel minus perfectos adimpleat. Inde est quòd in Euange-

Ioan. 1. Iesu nomen illucet.

Matth. 11.

1. Pet. 2. Psalm. 35. Ephes. 5.

Nomen Iesu pascit.

Nomen Iesu lenit. Cantic. 8.

lio

lio dicit Ioannes, quòd *dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Quibus? *His* Ioan. 1.
vtique, *qui credunt in nomine ejus.* Igitur infideles non habẽt hanc potestatem, nisi fidem huius nominis recipiant: nec fideles propterea sunt filij Dei, sed *dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Hoc enim dicit secundùm Chrysostomum. Primò ad ostendendum, quòd multo studio opus sit, vt imaginem filiationis Dei in baptismo formatam, incõtaminatam semper custodiamus: vt sic dilectus ponatur *super brachium* sicut *signaculum.* Secundò, ad designandum, quòd hanc potestatem nullus potest nobis auferre, nisi nosipsi eam auferamus, ne quandoque velamen excusationis prætendamus. Tertiò, ad ostendendum, quòd hæc gratia non datur, nisi volentibus, & se ad hoc aptantibus, vt Christum *vt signaculum super cor* suum ponant. Hi enim soli adoptantur in filios per gratiã, sicut Christus est per naturam, de quo miratur in Canonica sua Ioannes, dicens: *Videte qualem charitatem dedit nobis* Deus *Pater, vt filij Dei nominemur & simus.* Quibus idem dicit Ioannes: *Scribo vobis* filij, quia *remittuntur vobis peccata propter nomen eius.* Nunc ergo perscrutemur quibus medijs ad hanc adoptionem peruenire mereamur. Et hoc prosequitur Euangelista, dicens: *Qui* sunt, scilicet nati, *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*, scilicet per quandam affectionem diuinam, vel deiformem. Et propter hoc *Verbum caro factum est*, vt hanc adoptionem consequamur, *& habitauit in nobis*, vt ab eo modum huius filiationis consequendæ disceremus. Oportet enim hanc adoptionis gratiam consequi per vuluntatis & amoris in Deũ debitam transformationẽ. *Oportet nasci denuò*, non iam *ex aqua*, sed *ex Spiritu sancto:* quia qui *spiritu Dei aguntur, ij filij Dei sunt.* Veruntamen huiusmodi oportet suppeditare triplicem affectum inordinatũ. Primò, inordinatum affectum naturalem amoris, vel timoris per sanguinem significatum, propter quem multa facienda omittuntur, vel omittenda fiunt, & sic Deus deseritur, & adoptio contemnitur. Non sic Apostolus, qui dicebat: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an gladius?* &c. Nimirum in corde gerebat nomen Iesu, quod amoroso corde gestum dulcoratiuum est, etiá omnium tribulationum. Hinc *ibant* Apostoli *gaudentes à cõspectu concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati.* Secundò affectum sensibilem inordinatum, quo quis abstractus & illectus vincitur, & ad peccãdum ratione deuicta miserabiliter inclinatur: quia

Caut. 8.

1. Ioan. 3.
1. Ioan. 2.

Adoptionis gratia.

Ioan. 3.
Rom. 8.

Affectus inordinat⁹.

Rom 8.

Actor. 5.

Galat.5. *caro concupiscit aduersus spiritum*, & vincit, nisi spiritus amore diuino succensus, efficaciter resistat: sciens, quia caro & sanguis *regnum Dei*
1.Cor.6. *non possidebunt*. Tertiò, affectum naturalem ipsius rationis, qui secundùm Augustinum dicitur esse vir in anima. Huic enim plurimi sapientes in oculis suis perniciosè satis innituntur, & decipiuntur, cùm ex quadam verecundia, vel inflata superbia consilijs aliorum acquiescere nolunt. Contrà quos dicit Dominus: *Væ, qui sapientes estis in oculis*
Isaiæ 5. Ierem 4. *vestris*, & apud vosmetipsos *prudentes. Sapientes sunt, vt faciant mala: bene autem facere nescierunt*, nec informabiles, nec ducibiles, sed lepra propriæ voluntatis, & proprij sensus lethaliter infecti. Illi autē,
2.Cor.12. Actor.9. qui natus fuerat ex Deo, in *tertium cælum* eleuatus, concito dicebatur: Vade ad Ananiam, & ibi *dicetur tibi, quid te oporteat facere*.

Candor & rubedo sponsi, secundùm diuinitatem quid? Amor Spiritus sancti quid? Cap. XIII.

Cant.5. *Dilectus meus cādidus & rubicūdus, electus ex millibus*. Cāt. V. Sponsa, id est amās anima, suspirans in amorem sponsi cælestis, ac inquisita: *Qualis est dilectus tuus*, scilicet, secundùm diuinitatē *ex dilecto* Patre, *ô pulcherrima mulierum?* quia pulchritudo tua pulcherrimum ostendit, à quo tu pulchra es. *Qualis*, inquam, *est dilectus tuus* secundùm humanitatem, *ex dilecto*, id est ex adiuncta dilecti diuinitate? Cōfidenter respondet: *Dilectus meus* in vtraque natura *candidus & rubicundus, electus ex millibus* Quia solus mediator exceptus ex omni numero, tam
Matth.3. & 17. Dilectus candidus. Sap.7. Heb.1. Angelorum, quàm hominum, de quo Pater ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Nam *dilectus meus* primò dicitur *candidus* secundùm diuinitatem, quia *candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, imago bonitatis* eius. Hinc dicit Apostolus: *Qui cùm sit splendor gloriæ*, id est, Patris, scilicet coæternus Patri, vt splendor Soli. Ponit enim simile quale potest. Nam cùm in creaturis nihil sit æternum, ponit simile in coæuis ad probanda æterna. Fi-
Filius Dei. lius enim procedit de Patre sicut splendor de sole, qui splendor est soli coæuus, & esset coæternus, si sol esset æternus. Est enim Filius fontalis radius, paternā gloriam in se manifestans. Vnde dicitur in libro Sa-
Sap.7. pientiæ, quòd *est vapor virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei syncera, & in se permanens omnia innouat, ac per nationes in animas sanctas se transfert, & amicos Dei Prophetasq; constituit. Est*

enim

enim speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum inuenitur * pulcrior. Hic est ergo dilectus tuus, ô amica amorosa. De quo Bernardus: Quid est Deus? *Ex quo omnia, per quem omnia, & in* quo *omnia* Quid est Deus? Quo nihil melius cogitari potest. Quid est Deus? Voluntas omnipotens, beneuolentissima virtus, æternum lumen, incommutabilis ratio, summa beatitudo, inuisibilis & inaccessibilis in se, & in suis spectaculis solus mirabilis. Secundò, *dilectus meus* est *rubicundus* secùndùm diuinitatem, & hoc propter illam eminentissimam charitatem, qua nos participes facere voluit omnium bonorum suorum. Nam diuina pulchritudo & dulcedo in se, vel in sua similitudine, finis est allicies omne desiderium, quia Philosophus in contemplatione optimi diligibilis ponit vltimam felicitatem hominis. Et ideo infinita bonitate sua Deus rationalem creauit spiritum sua imagine insignitum, ac bonitatis suæ capacem, vt super omnia summam amet essentiam, sicut ipsa summum bonum est: immò, vt nihil amet præter illam, aut nisi propter illam. Si ergo (vt dicit Anselmus in Monologion) Deus ex nihilo dedit rationalem essentiã, vt amans esset, quid dabit amanti, si amare non cesset? Si tam grande est, quod amori famulatur; quàm grande est, quod amori recompensatur? Et si tale est amoris fulcimẽtum, quale est amoris emolumentum? Nam si rationalis creatura, quę sibi inutilis est sine hoc amore, sic eminet in omnibus creaturis; vtiq; nihil potest esse prẽmiũ huius amoris, nisi quod supereminet in omnibus creaturis. Etenim idipsum bonum, quod se sic amari exigit, non minus ab amante se desiderari cogit. Quid ergo summa bonitas retribuet amanti & se desideranti, nisi seipsam? Nam quicquid aliud tribuit, non retribuit, quia nec compensatur amori, nec consolatur amantẽ, nec satiat desiderantẽ. Hæc ille. Porrò, quia, secundùm Dionysiũ, de natura boni semper est effluere, & ideo à Patre æterno (qui fons est totius bonitatis) erit semper emanatio perfectissima, quæ est generatio. Erit & emanatio iucundissima, quæ est per modum benignitatis & liberalitatis, quæ scilicet emanatio est amor, qui Spiritus sanctus est, à Patre Filioque procedens. Et sic confitemur in vnitate diuinæ naturæ Trinitatem personarum, ita quòd Trinitas personarum non excludit ab essentia vnitatem, simplicitatem, immensitatẽ, æternitatẽ, incommutabilitatem. Amor autem, qui à Patre Filioque procedit, Spiritus sanctus dicitur, quia amor est primum donum, quod à liberalitate procedit, cùm sit donum intrinsecum in ipso dante, in quo scilicet omnia

* Aliâs prior. 1. Cor. 8. Rom. 11.

Deus quid sit.

Ethic. 10.

Diuinorum nominum. cap. 4.

Trinitas.

Amor.

Spiritus sanctus.

alia dona donãtur. Pro quo notãdum, quòd Spiritus sanctus est amor essentialiter, in quantum cum Patre & Filio vnus est Deus. In quantũ enim tres personæ sunt vnum in essentia, amore se diligunt essentiali, qui Spiritui sancto appropriatur. Est etiam amor personaliter, in quãtum est nexus Patris & Filij. De quo dicit Anselmus: Ineffabilis quidem est cõplexus in illa Trinitate, non genitus, sed genitoris genitiq; suauitas, ingeniti largitate perfundens omnes creaturas pro captu earum. Est etiam amor exemplariter, quia non solùm est causa efficiẽs

Amor duplex.

amoris gratuiti, qui in nobis est, sed etiã exemplar atq; finis. Vnde duplex distinguitur amor, scilicet increatus: & creatus, & vterque est nobis necessarius ad salutẽ. Increatus, quo diligamur: & creatus, quo diligimus. Primus autem Deus est, & secundus Dei donum est, & vterq; simul infunditur animæ. Nam corpus mysticũ viuificari non potest,

Bonum hominis.

nisi sit vnum per amorẽ. Oportet enim quòd prius vniatur vno amore increato, qui est Spiritus sanctus. Et rursum totũ bonũ hominis consistit in eo, quòd eo fruatur quod fruendum est, & vtatur eo quod vtendum est. Ad quod requiritur præsentia fruibilis, id est præsentia Spiritus sancti, & etiam dispositio debita fruentis, id est donum sancti Spiritus, scilicet amor creatus. De quo dicit Hugo de arca Noë, quòd Deus creauit spiritum rationalem charitate, nulla necessitate: vt eum suæ beatitudinis participem efficeret. Et vt aptus esset tanta beatitudine perfrui, fecit in eo dilectiõem spiritualem, palatum quodammodo per hanc illum sensificans ad gustum internæ dulcedinis, quatenus per ipsam dilectionẽ ei infatigabili desiderio inhæreret. Per dilectionem ergo copulauit sibi Deus rationalem creaturam, vt illi semper inhærendo, ipsum, quo beatificandã erat, bonũ, & ex ipso quodammodo per affectum fugeret, & de ipso per desiderium biberet, & ipsum per gaudiũ possideret. Fuge ergo fidelis anima tumultũ sæcularium, quærens in solitudine dilectum, vt fugas & bibas dulcoris illius inenarrabilem suauitatẽ: immergere, replere, & inebriare, quia nescit ille deficere, si non incipias fastidire. Adhære denique fortiter, & inhære suauiter, quia si gustus sempiternus fuerit, sempiterna quoq; beatitudo erit. Ecce cur dictũ reor: *Dilectus meus cãdidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Sed hîc quæri potest: Vtrum principalior

Amor vetus.

actus charitatis sit diligere dilectum hunc amore amicitiæ vel concupiscentiæ, præsertim cùm actus, quo Deus vt obiectũ beatitudinis diligitur, est principalissimus, quia sub tali ratione est obiectum charitatis.

tis Sed sic eum diligere, est velle ipsum ad fruēdum habere, quod est ipsum amore concupiscentiæ diligere. Ad hoc dicendum secundùm Richardum super librum Sententiarum tertium, quòd Deum diligere vt obiectum beatitudinis, intelligi potest dupliciter. Vno modo, quòd diligens ad hoc ipsum diligat, vt suam perfectionem per ipsum consequatur. Et sic Deum diligere non est actus principalissimus charitatis, nec est sub ista ratione charitatis obiectū principale. Alio modo, quòd ideo diligatur, quia in ipso sunt omnes perfectiones simpliciter quod requiritur ad hoc, vt aliquid perfectè sit obiectum beatitudinis: & sic diligere Deum, est actus charitatis principalissimus, & est dilectio amicitiæ: quia sic diligens principalius habere vult Deū omnes perfectiones, quas habet, quàm velit aliquid aliud. Nam qui ex charitate vult frui Deo, quod est ipsum amore concupiscentiæ diligere, hoc ideo principaliter vult, vt Deus honorificetur & glorificetur in se, quod est ipsum amore amicitiæ diligere, quia sic amans, Deo principaliter vult gloriam & honorem. Per charitatem enim amor concupiscentiæ respectu nobilissimi amati (quod Deus est) ordinatur ad amorem amicitiæ sicut ad finem, & ideo, simpliciter loquendo, amor amicitiæ nobilior & principalior actus est charitatis.

Candor & rubedo in dilecto secundùm humanitatem quid? Agni cornua septem, quæ? Cap. XIIII.

Dilectus meus candidus, secundùm humanitatem, omnimoda puritate & innocentia: *& rubicundus*, quia passus & sanguine perfusus ex charitate. Dicit Anselmus libro de Meditatione redemptionis humanæ cap. 5. Excute fastidium tuum, ô homo, & fac vim cordi tuo, intende in hoc mentem tuam, vt gustes bonitatem Redemptoris tui. Accendere in amorem Saluatoris tui. Mande fauum verborum, suge plus quàm mellitum saporem, gluti salubrem decorem. Mande cogitando, suge intelligendo, gluti amando & gaudendo. Dicit enim Linconiensis in Sermone de pastoribus: Quòd sicut cera mollis fortiter applicata sigillo recipit imitatoriā similitudinem omniū formarū & figurarum sigillo inscriptarum: sic anima per amoris copulam fortiter ad Deum applicata, non æquali, sed cum summa imitatoria similitudine ipsius pulchritudinis recipit cōformitatē. Et cùm apud summā pulchritudinem nulla desit pulchritudo, etiam in anima per amoris

copulam à ſumma pulchritudine impreſſa, nõ erit alicuius pulchritudinis abſentia, ſed in illa refulgebit imitatoriè pulchritudo, quæ ſuper ipſam eſt impreſſa, vt ei veraciter ſpõſus dicere valeat: *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te.* Primo igitur *dilectus* eius *candidus* eſt per innocentiã & puritatẽ. Quapropter à Ioanne vocatus eſt *Agnus Dei*, quia innocens in ſe piè & manſuetè tulit *peccata mundi.* O Agne Dei, qui tollis peccata mundi, quàm magnis ea laboribus, pœnis, & anguſtijs exſoluiſti, quàm exiguis ſuſpirijs ſemper hóminibus indulſiſti! *Omnes* enim *errauimus* & *vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, & Dominus in eo poſuit iniquitates omnium noſtrum. Sicut ouis ad occiſionẽ ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe* obmutuit, & *nõ aperuit os ſuum.* Quem agnum petijt Iſaias, dicens: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ.* Nimirum hic Agnus in Apocalypſi ſponſus cẽſetur: *Veni*, inquit, *oſtendam tibi ſponſam, vxorem Agni.* Et *lucerna* cæleſtis Hieruſalem. Sicut hic: *Lux* enim eſt illuminans *omnem hominem venientem in hunc mundum. Lucerna* inquit, *eius eſt Agnus.* Secundò verò *dilectus* eius eſt *rubicundus*, vtpote ex charitate paſſus, & ſanguine perfuſus, *quæ non* rapuit exſoluens. Vnde eſt illud B. Petri Apoſtoli: Sequimini *veſtigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Vidit enim Ioannes *agnũ ſtantẽ tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem*, ſcilicet contra ſeptem peccata mortalia, *& oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſſi in omnem terram. Septem cornua* ſunt, humilitas contra ſuperbiam, paupertas contra auaritiam, temperantia contra gulam, caſtitas contra luxuriam, patientia contra iram, charitas contra inuidiam, fortitudo contra acediam. His cornibus ſicut Chriſtus, ita Chriſtianus diabolum debellare debet. Vide nunc *quia fortis eſt vt mors dilectio*, imò fortior morte, quia mortẽ mori coëgit in morte amantiſsimi Redemptoris noſtri. O inſuperabilis amor charitatis, qui inſuperabilẽ ſuperaſti, & cui omnia ſubiecta ſunt, omnibus quodammodo ſubiecisti, dum victus amore Deus ſeipſum *humiliauit, ſerui formam accipiens:* non modò *inuentus vt homo*, ſed vt *opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Vnde teſtatur apud Hieremiam: *Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam. Dedi dilectam animam meam in* manus *inimicorum eius. Quid vltra debui facere, & non feci?* Quapropter dicit Chryſoſtomus de reparatione lapſi, quòd nemo amatorum carnalium, etſi ſit in hoc ſupra modum inſaniens, ſic exardeſcere poteſt in amorem dilectæ ſuæ, ſicut Deus effunditur in amorem animarum noſtrarum.

Cant. 4. I. Candor dilecti.

Ioan. 1.

Iſaiæ 53.

Actor. 8. Iſaiæ 16.

Apoc. 21. Ioan. 1.

¶ I. Rubedo dilecti. Pſal. 68.

1. Pet. 2.

Apoc. 5.

Cornua Agni.

Cant. 8.

Philip 2.

Pſal. 21. Ierem. 12. Iſaiæ 5.

Quo

Quo scilicet amore deuictus, quam fœdam inuenit, balneo proprij sanguinis emundauit. Inde miratur Bernardus super Cantica, dicens: Quàm dulciter Domine Iesu cum hominibus conuersatus es, quàm abundanter multa & magna bona hominibus largitus es, quàm fortiter tam indigna, tam aspera & dura pro hominibus passus es: dura verba, duriora verbera, durissima mortis supplicia. O duri & indurati & obdurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus sarcinulis tam pretiosas margaritas expendit. O bone Iesu, quid tibi & morti? Nos debuimus, & tu soluis: peccauimus, & tollis. Opus sine exemplo, gratia sine merito, charitas sine modo. Agnosce nunc ô homo, quòd nihil tãtum ad illius amorẽ inflãmat, sicut beneficiorũ eius immensa donatio. Ex hoc enim quòd ipsum tam liberalẽ cogitas ad largiendũ, non solùm sua, sed etiã seipsum secundùm omnẽ affectũ & modũ, ipsum te nimiũ diligere cogitabis. Nihil autem ad amorẽ reciprocũ tantum excitat, sicut amari. Quòd si diligis te, qui te destruxisti, quomodo nõ diliges eũ, qui te redemit? Considera quanta fuerit erga te dilectio Dei, quòd vellet Deũ hominẽ, & hominẽ Deum quodammodo fieri, & sic te post lapsum quærere, & post offensam plus quàm prius exaltare. Nunquid exaltationẽ culpa meruit? Certè nõ. Sed ne abeo amplius fugeremus, naturã nostram inseparabiliter sibi vnire voluit. Si ergo nos, qui nihil sumus, imò qui mali sumus, in tantum diligit, cur eum qui summè bonus est, nõ diligimus? cùm nihil in suo beneficio quæsiuit, nisi vt amore suo nos inebriaret, ac sibi nos amoris vinculo inseparabiliter colligaret, ac æternaliter beatificaret. Meritò ergo *dilectus meus cãdidus & rubicũdus, electus ex millib⁹.* Meritò, inquã, dilecto dilecta dicat: *Trahe me post te, ne* scilicet euagari *incipiam,* sed *anima mea* renuat *consolari* in alijs, & dicat: *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Hoc enim sequitur: *Curremus in odorem vnguentorũ tuorũ.* Quid putas vult sibi odor iste potius q̃ sapor aut visus, vel aliquid huiusmodi? Audi rationẽ: Cũcta (ni fallor) huius mũdi delectamenta frequentata fastidium ingerunt. Solus odor suauissimus delectabiliter reficit, fastidiũ nescit, corpus non aggrauat, & appetitũ renouat: per quem illa immẽsa beneficia creationis & redemptionis in apotheca memoriæ posita mirè redolentia designãtur: quorum odor suauissimus sponsam reficit, cuius refectio prouocat appetitũ, appetitus refectionẽ ingeminat, ac sẽinuicem in hac vicissitudine conseruant. Sic enim Euangelista Ioãnes

Amor Dei ad homines quantus.

Cant. 1.

Psalm. 76.

refectus ait: Odor tuus Domine Iesu excitauit in me concupiscentias æternas. O odor, quàm es effluens longè, lateque diffluens, & in amorosis cordibus dulciter omnia disponens ac suauiter adimplens?

Baptismatis & Circuncisio quare à Christo accepta: Circuncisio spiritualis quæ? Cap. XV.

Heb.2. *Dilectus meus candidus & rubicundus.* *Candidus* est dilectus Baptismali ablutione, & *rubicundus* legali circũcisione. Nõ quia indiguit, sed quia voluit præceptis legis & gratiæ subijci, & *per omnia fratribus* assimilari, absque peccato. Nã primò Christus candidari & baptizari voluit, vt baptismum, quo nos baptizaremur, consecraret. Quapropter ea demonstrari debuerũt in baptismo, quæ pertinent ad efficaciam baptismi. Ad quam primò cooperatur virtus quædã cælestis: & ideo *cælum est apertum baptizato* Christo, ad ostendendum quòd de cætero virtus cælestis baptismum consecraret. Secundò, fides Ecclesiæ, & eius qui baptizatur. Nam baptizati fidem profitentur per se, si sint adulti; vel per alium, si sint paruuli. Et ideo baptismus dicitur fidei Sacramentum. Per fidem autem inspicimus cælestia, quæ sensum & rationem humanam excedũt. Ad quod designandum *aperti sunt cæli*, Christo baptizato. Tertiò per Christi baptismũ nobis specialiter aperitur introitus regni cælestis, qui per peccatum homini primo præclusus fuerat. Ideo baptizato Christo, *cæli aperti sunt*, vt ostenderetur quòd baptizatis via patet in cælum. Licèt enim per Christi passionem & mortem cælũ hominibus aperiebatur, sicut per communem causam apertionis cælorum: oportebat tamen hanc causam applicari singulis ad hoc, quòd singuli introeant, quod fit per baptismum, secundùm illud Apostoli: *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu*, per mortẽ *ipsius baptizati sumus.* Et ideo potius fit mentio de apertione cælorum in baptismo, quàm in passione. Nam obstacula, quibus prius obsistentibus animæ defunctorum cælos introire nõ poterant, per passionem Christi totaliter sunt ablata; sed in baptismo sunt aperta, quasi manifestata iam via, per quam homines in cælum erant intraturi. Cæterùm summæ Trinitatis mysteriũ in Christi baptismo demõstrabatur, quia fideles in inuocatione & virtute summæ Trinitatis baptizantur, & sanctificantur. Filius enim in humana natura baptizatur. *Spiritus sanctus* in habitu columbæ *descendit: vox* Patris Filio testimonium perhibentis auditur. Vnde dicit Hilarius in

Baptismi effectus qui. Lucæ 3.

Matth 3.

Baptismus Christi.

Rom.6.

Trinitas.

Lucæ 3.

Matthæ-

Matthæum, quòd super Iesum baptizatum descendit Spiritus sanctus, & vox Patris est audita, dicētis: *Hic est Filius meus dilectus*, vt ex ijs, quę consummabantur in Christo cognosceremus, per aquæ lauacrū & de cœlestibus partibus sanctum in nos aduolare Spiritū, & paternæ vocis adoptione filios Dei fieri. Nec quidem species columbæ, in qua demōstratus est piritus sanctus, naturaliter fuit Spiritus sanctus: nec species hominis, in qua demonstratus est Dei Filius, fuit ipsa natura Filij Dei: nec vox ipsa pertinet ad naturā verbi, vel Patris loquentis, sed sicut ipsam columbam, & etiam humanam naturam à Christo assumptā, sic etiā vocis formationem tota Trinitas operata est. Fuit autē conueniens, quòd super Dominum baptizatum Spiritus sanctus descenderet, quia quod circa Christum in eius Baptismo factum est, pertinet ad mysterium omnium, qui postmodum baptizandi fuerant. Omnes autem, qui baptizantur Christi baptismo, Spiritum sanctum recipiūt, si non fictè accedū. Præterea (sicut ait Augustinus 2. de Trinitate) *Spiritus sanctus* descendisse dicitur super Christum *corporali specie sicut columba*, non quòd ipsa substantia Spiritus sancti videretur, quæ est inuisibilis illa creatura in vnitatē diuinæ personæ assumeretur. Nec enim dicitur, quòd Spiritus sanctus sit columba, sicut dicitur, quòd Dei Filius est homo ratione vnionis. Non ergo Spiritus sanctus descendisse dicitur super Christum ratione vnionis ad columbam, sed vel ratione ipsius columbæ Spiritum sanctum significantis, quæ descendendo super Christum venit, vel etiam ratione gratiæ spiritualis, quæ per modum cuiusdam descensus à Deo deriuatur in creaturam, iuxta illud Iacobi: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est, descendens à Patre luminum*. Spiritus enim sanctus, qui *Spiritus veritatis* dicitur, vt nullam ostenderet fictionem, formauit veram columbam, in qua appareret, licet ipsam in vnitate personæ non assumeret. Vnde dicit Augustinus in lib. de agone Christiano, quòd omnipotenti Deo, qui creaturam vniuersam ex nihilo fabricauit, non erat difficile verum corpus columbæ, sine aliarum columbarum ministerio figurare, sicut non fuit difficile verum corpus in vtero Mariæ sine virili semine fabricare; cùm creatura corporea, & in viscerib⁹ fœminæ ad formandum hominem, & in ipso mūdo ad formandum columbam, imperio Domini voluntatiq; seruiret. Nam propter tria descendit Spiritus sanctus in specie columbæ. Primò, propter dispositionem, quæ requiritur in baptizato, vt scilicet non fictus accedat: quia *Spiritus san-*

Matth. 3.

Ioan. 1.

Spiritus sanctus datur in baptismo.

Iacob. 1.

Ioan. 16.

Spiritui sanctus in columba.

Sap. 1.

Matth.10. *Elus disciplinæ effugiet fictum.* Est enim columba simplex animal, astutia carens & dolo. Ideo dicitur apud Matthæum: *Estote simplices sicut columbæ.* Secundò, propter effectum baptismi, qui est remissio peccatorum, & reconciliatio ad Deum: quia mansuetum est animal. Vnde Chrysostomus: Cùm oportebat delictis ignoscere, quod fit in baptismo, mansuetudo erat necessaria, quæ demonstratur in columba, sicut in diluuio apparuit, *oliuæ ramum* ferens, & communem orbis terrarũ tranquillitatem annuntians. Tertiò, ad designandum dona Spiritus sancti, quæ suis proprietatibus columba designat. Nam pro cantu gemitum habet, quod pertinet ad donum timoris. Fellecaret, quòd pertinet ad donum pietatis, per quam Sancti carent ira & rancore cordis amaricati. Secus fluenta libenter resident, vt accipitre viso fugiat, & sic euadat: quod pertinet ad donum scientię, quia timorati libenter secus sacræ Scripturæ fluenta resident, vt incursum diaboli euadant. In cauernis petræ nidificat, quod pertinet ad donum fortitudinis, quia Sancti in plagis mortis Christi tanquam in petra firma ponũt nidum, id est, totam spem suam & refugium. Alienos pullos nutrit: quod pertinet ad donum consilij, quo Sancti nutriunt alios exemplo & doctrina, qui fuerunt aliquando pulli diaboli. Rostro non lædit: quod pertinet ad donum intellectus, quo Sancti sanum intellectum habent, nõ deprauatum, erroneum, vel deceptum. Grana meliora semper eligit: quod pertinet ad donum sapientiæ, qua Sancti viam regiam perfectionis incedentes, semper eligunt Deo magis placita, & sibi ipsis salutifera. Secundò, *dilectus* est *rubicundus* circuncisione legali. Voluit enim Christus circuncidi propter multa. Primò, vt veritatẽ humanæ naturę ostenderet contra Manichæum, qui dixit eum habere corpus phantasticum: & contra Apollinarem, qui dixit Christi corpus esse diuinitati consubstantiale: & contra Valentinum, qui dixit Christum de cælo corpus attulisse. Secundò, vt approbaret circuncisionem olim institutam, & ostenderet se filium obedientiæ, & de genere Abrahæ, qui circuncisionis mandatum accepit in signum fidei, quam de Deo habuerat. Nam circa tempora Abrahæ videtur idololatria exordium sumpsisse. Voluit igitur Deus habere distinctionem inter fideles & infideles: quapropter Abrahæ dedit circuncisionem propter fidei eminentiam. Tertiò vt qui *in similitudinem carnis peccati* venerat, remedium, quo caro peccati mundari consueuerat, non respueret, sed *per omnia fratribus* assimilaretur, & Iudæis excusationem tolleret, si eum nõ recipe-

Genes.8.

Columbæ proprietates.

Dona Spiritus sancti.

Circuncisio Christi.

Lucæ 2.

Genes.15. & 17.

Idololatriæ exordium.

Rom.8. Heb.2.

recíperent. Quartò, vt onus legis in se súscipiens, à legis onere cæteros liberaret, iuxta illud Pauli *Misit Deus Filium suum factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* Vnde postea baptismum súscepit, vt ad illud nos prouocaret, quia in illo datur gratia maior, tam ad operandum bonum, quàm ad resistendum malo: & etiam vtilitas communior, quia circuncisio determinatum habuit populum, sexum, & tempus. Vult tamen Dominus nos spiritualiter circũcidi, dicens apud Hieremiá: *Circuncidimini Domino & auferte præputia cordium vestrorum.* Et in Deuteronomio: *Circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere,*

Galat. 4.

Circuncisio mystica. Iere. 4. Deut. 30.

Transfiguratio & agonia in Christo quid fuerint. Cap. XVI.

Dilectus meus cãdidus & rubicundus. Candidus est *dilectus* claritate transfigurationis, & *rubicundus* agonia prolixæ orationis. Pro primo notandum, quòd ante passionem suã Christus transfigurari voluit, vt gloriam suam omnibus hominibus notificaret, & ad eam desiderandã omnes efficacius incitaret. Porrò, quia per Christum ad hanc perducuntur gloriam, tam ij, qui eum præcesserunt, quàm illi, qui post eum fuerunt: ideo de præcedentibus Mosen & Heliam testes assumpsit, & de sequentibus Petrum, Iacobũ & Ioannem, vt *in ore duorum* vel *trium testium* staret omne verbum. De qua transfiguratione dicit Hieronymus super Matthæum: Nemo putet Christum per hoc, quòd transfiguratus dicitur, pristinam formam & faciem perdidisse, vel assumpsisse corpus spirituale, vel aëreum; sed quomodo transformatus est, Euangelista demonstrat, dicẽs: *Resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba* velut *nix.* Vbi splendor faciei ostenditur, & candor vestium describitur, non substantia tollitur, sed gloria commutatur. Vnde claritas in trãsfiguratiõe corporis Christi deriuata est à diuinitate ipsius, vt dicit Damascenus, & à gloria animæ eius. Sicut etiam claritas glorioſi corporis ab animæ claritate deriuatur, vt dicit Augustinus in epistola ad Dioscorum. Quòd autem à principio conceptionis Christi gloria animæ eius non redundaret in corpus, ex quadam dispensatione diuina factum est, vt in corpore passibili nostræ redẽptionis expleret mysteria. Non tamen adempta fuit Christo potestas derinãdi gloriam animæ ad corpus, quod ostendit in transfiguratione, quantum ad claritatem;

Transfiguratio Christi.

Deut. 17.

Matth. 17.

Claritas Christi.

aliter tamen quàm in corpore glorificato. Nam ad corpus glorificatũ redundat ab anima claritas, sicut quædam qualitas permanens corpus efficiens. Vnde fulgere corporaliter in corpore glorificato, non est miraculosũm. Sed ad corpus Christi in transfiguratione derivata est claritas à diuinitate, & ab anima eius, non per modum qualitatis immanentis, & ipsũm corpus efficientis, sed magis per modũ passionis transeuntis, sicut cùm aër illuminatur à sole. Vnde fulgor ille tunc in corpore Christi apparens, miraculosus fuit, sicut & hoc ipsum, quòd ambulauit super aquas, quòd exiuit de clauso Virginis vtero. Claritas igitur illa, quam in transfiguratione Christus assumpsit, fuit quidem claritas gloriæ, quantum ad essentiã, non tamen quantum ad modum essendi. Fuit, inquã, claritas gloriæ, sed nõ fuit claritas glorioſi corporis, quia corpus Christi nondũ erat immortale. Denique, vt dicit ibidẽ Gloss. bene cõuenit mysteriũ secũdæ regenerationis, quæ scilicet erit in resurrectiõe, vbi corpus resũscitabitur, cum mysterio primę, quæ est in baptismate. Nã in baptismate Christi operatio totius Trinitatis ostensa est. Fuit enim ibi Filius incarnatus, apparuit in specie colũbæ Spiritus sanctus, & Pater fuit ibi in voce declaratus. Similiter & in transfiguratione (quæ Sacramentum est secundæ regenerationis) tota Trinitas apparuit. Pater in voce, Filius in homine, & Spiritus sanctus in nube. Quòd si quæritur, cur ibi Spiritus sanctus in colũba, hîc in nube declaratus est. Dicendũ, quòd dona sua per species declarare solet. Donat autem innocentiam in baptismate, qui per auem simplicitatis designatur. Daturus est autem claritatem & refrigerium in resurrectione; & ideo in nube refrigerium, in fulgore nubis claritas resurgentium corporum figuratur. Et ideo conuenienter secundùm Hieronymum, qualis futurus est tempore iudicandi, talis tunc Apostolis apparuit. Et Beda ait: Qualis tunc Apostolis apparuit, talis post iudicium tunctis apparebit electis. Vnde meritò dicebat Petrus: *Domine, bonum est nos hîc esse.* Nec solùm in transfiguratione, sed omni tempore vitę mortalis fuit *speciosus forma præ filijs hominum.* Vnde Chrysost. Certè fulgor ipse diuinitatis & maiestatis occultæ deitatis, quæ in humana facie relucebat, ex primò aspectu poterat ad se trahere omnes iam credentes. Nisi enim in vultu suo speciosissimo sydereum quiddam & diuinum habuisset, nunquam eum Apostoli statim ad primam vocem secuti fuissent. Sequebantur etiam eum; & adhærebant ei populi, affatu pariter & aspectu illius delectati: vtpote cuius vox suauis, & facies decora.

Corpus glorificatũ.

Ioan. 6.

Luc. 3.

Matth. 17.

Luc. 9.

Matth. 17. Psal. 44.

Matth. 4. Luc. 6.

decora, & iuxta vocem sponsæ; *totus* erat *desiderabilis*. Pro secundo verò sciendum, quòd Christus oraturus, procidit in faciem suam super terram, vt humilitatem mentis ostenderet habitu corporis, & orauit dicens: *Abba Pater, si possibile est*, salua congruentia redemptionis humanæ; quòd mors moriatur, me secundùm carnē non moriēte, *transfer calicem hunc*, id est, experimentum passionis, *à me*. Per quam scilicet orationem offerebat spiritum Deo Patri. Et subiungens: *Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat*, offerebat voluntatem. In qua oratione transfigurat in se suos, & qui nihil aliud vult, quàm Pater, docet eos priuatam corrigere voluntatem, & dirigere iuxta diuinam. *Et factus in agonia*, id est, in certamine contra mortē, vel in anxietate mortis, quam quasi præsentē præuidebat. Vel dici potest certamen sensualitatis & rationis, quia mirabili pugna certabant in eo: vna mortem abhorrens & recusans, altera diuinæ voluntati penitus obtemperare desiderans, & mortem pro humana salute zelans, quia virtute diuina quælibet pars agere & pati permittebatur, quod ei propriū erat. Quod indicare volens, dixit: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*: quia sua tristitia tantum erat intensa, quantum esse poterat citra mortem; & sic vsque ad horam mortis durabat. Ex qua nimirum agonia *factus est sudor eius* feruētissimus, in modum *sanguinis* erūpens, & *in terrā* decurrens, ita quòd ex apprehēsione periculi iam imminentis, & ex anxietate vehemēti sensualitatis, apertis poris efflueret copiosè sudor sanguineus, qui fuit sanguis verus & naturalis de purissima carne Christi, licèt miraculosè effusus: quia (secundùm Bedam) est contra naturā sudare sanguinem: sicut *aqua & sanguis* effluens de latere Christi iam mortui; fuit aqua vera & sanguis verus, sed miraculosè de mortuo corpore effluxerunt. Et quia nunquam aliquis mortaliū legitur ob mortis horrorem sudorē fudisse sanguineum, satis claret, nunquam eius similem fuisse dolorē. O Iesu fidelis amator animarum, vnde animæ tuæ tam vehemēs tristitia, tātii sudoris anxietas, & tam anxia supplicatio? Nonne penitus voluntarium Deo Patri sacrificium obtulisti, & nihil inuitus pertulisti? Vtique Domine. Sed vt maioris erga te gratitudinis & amoris stimulos haberemus, sciens nos amore tuo beatos, naturalem infirmitatem carnis, & omnimodam promptitudinem spiritus, talibus indicijs in te expressisti; quibus doceremur, quòd *verè languores nostros* portasti, & cum maximo sensu doloris passionū sentes percurristi, & tamen libera voce subiunxisti, dicens: *Fiat voluntas tua*.

Cant 5.

Matth 26.
Marc. 14.

Lucæ 22.

Matth. 26.

Lucæ 22.

Christi sudor sanguineus.

Ioan. 19.

Isaiæ 53.
Matth. 26.
Lucæ 22.

tua. Tantum enim pro nostra salute laborasti, quòd sudorem sanguineum effudisti; nec solùm oculis, sed omnibus membris fletum etiam sanguineum emisisti, vt totum corpus tuum mysticum (quod est Ecclesia) totius corporis tui naturalis lachrymis purgaretur. Tanto nanque deuotionis ardore, & humanæ salutis amore spiritus tuus incalescebat, vt totus in corpore sanguis velut alludens spiritui se pronum & promptum exhiberet ad exsudandum. Electe puer Domini mei, dulcis amator animæ meæ, quid tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commiseras? Prorsus nihil. Ego homo perditus, totius confusionis & doloris tui causa extiti. Ego sum, qui *vuam acerbam* comedi, *& obstupuerunt dentes* tui, innocenter exsoluentis, quæ non rapuisti. Amor tuus ô dulcissime Iesu, & iniquitas mea, sic te fecerùt anxietate & miseria plenum. Maledicta sit tanta iniquitas, pro qua delenda tanta sustinuit tua bonitas. Vnde ait Augustinus: Descendisti huc vita mea, & tulisti mortem meam de abundantia vitæ tuæ, & intonuisti clamans dictis, factis, morte, vita, descensu, ascensu, clamans Dominus Deus noster, vt redeamus ad te.

Iere. 31.

Psal. 68.

Verbum Dei quomodo animam viuificet, confirmet, illuminet, oblectet. Cap. XVII.

Cibus animæ quis.

COmedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Cantic. V. Boni comedunt, dum spiritualem consolationē percipiunt, dum amore Christi pascuntur, dum in fide illuminantur, dum in spe consolantur, dum charitate accenduntur, dum iustitia, castitate, veritate, cæterisque virtutibus delectantur. Quælibet enim virtus mentem pascit, dum hāc sua delectatione reficit. Cibus etiam bonorum est sacra Scriptura, dum teritur & masticatur, quia latent in ea spirituales sensus, qui mentem erudiūt & pascunt: in qua tot inueniunt refectiones, quot spirituales sententias. Per hanc enim sciunt consolari in aduersis, *humiliari* in prosperis, saturari *& esurire, abundare & penuriam pati*. Et quamuis in Psalmo inimici dicantur, qui etiam ex *adipe frumenti* satiantur, mystica & interna percipientes, quia Deus, quod amoris est, etiam indignis sæpe facit, non tamen spiritualem cibum in ea percipiunt, sed morsum: nec sumunt ædificationem, sed inflationem, & damnationis accumulationem. Nam huiusmodi, velut ignari gratiæ, sæpe mouētur carnali gaudio, vel naturali alacritate, cùm tamen arbitrantur se moueri spiritua-

Scripturæ cibus.

Philip. 4.

Psal. 77.

Psal. 147.

Deotio malorum.

li iu-

ri iucunditate & consolatione, sæpeq; sentiunt aliquid ab inimico, vel à corde proprio, quod esse credunt à Spiritu sancto. Hinc dicit Bernardus: Solam animam, quã videris relictis omnibus, verbo Dei votis omnibus adhærere, verbo viuere, verbo Dei se regere, de verbo concipere, talem puto coniugem Dei esse. Alioqui (vt dicit Gregorius) cibus quidem mentis est verbum Dei. Et quasi cibus acceptus stomacho langueſcente, reijcitur, quando verbum auditum in ventre memoriæ non tenetur. Quisquis autem alimenta non retinet, huius vita desperatur. Vnde denuo Bernardus: Sic igitur serua sermonẽ Dei, quomodo melius seruare poteris cibum tui corporis. Nam ille *panis viuus* est, & cibus mentis est. Panis terrenus, dum est in arca, potest à fure tolli, potest à mure corrodi, potest vetustate corrumpi. Vbi verò comederis, quid horum times? Hoc modo custodi verbum Dei: quia *beati* sunt, non *qui audiunt*, sed qui *custodiunt illud*. Traijciatur igitur in viscera quædam animæ tuæ, transeat in affectiones tuas, & in mores tuos. Comede *bonum, & delectabitur in crassitudine anima tua*. Ne obliuiscaris comedere panem tuũ, ne cor arescat tuum, sed *adipe & pinguedine repleatur anima* tua, sicut ille, qui ait: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo*. Et sicut vetus Adam effusus totum hominem occupauit, ita Christus modò totum hominem obtineat, qui totum creauit, totum suscepit, totum redemit, & totum glorificabit, vt per virtutem peruenias ad gloriam: quia *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ*. Sicut enim ex escis carnalibus corpus alitur, sic ex diuinis colloquijs & orationibus interior homo pascitur, & nutritur, dicẽte Domino: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. Veruntamen secundùm Bernardum, aliter afficitur mens fructificans verbo, & aliter fruens verbo. Illic enim solicitat necessitas proximi, hic inuitat suauitas verbi. Et quidem læta mater est in prole, sed in amplexibus lætior est sponsa. Chara sunt pignora filiorum, sed oscula plus delectant. Quàm necessarius iste cibus est, indicat Dominus, dicens: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*, quia secundùm Rabanum, sicut humanum corpus sine terreno cibo non viuit, sic anima sine Dei verbo viuere non potest, quod est cibus mentis. Hinc, secundùm Augustinum, sicut nullum est maius signum æternæ prædestinationis, quàm Dei verba libenter audire, sic nullum peius est signum, quàm illa contemnere. Ideo dicitur in libro Prouerbiorum: *Qui declinat aures suas ne audiat*

Verbũ Dei quomodo custodiendum.

Lucæ 11.

Esa. 55.

Psal. 62. Psal. 118.

Psal. 23.

Deut. 8. Matth. 4.

Marth. 4.

Prou. 28.

diat legem, ad hunc scilicet finem, vt inde regulet vitam, *oratio eiuserit execrabilis* Hæc enim auersio contingit ex rerum similium illectione, qua scilicet humanus affectus à diuinis auersus ad inferiora, turpius infigitur. Cùm enim omnis humana cognitio trahatur à sensualibus, homines terreni & sibi ipsis derelicti, ea frequenter hauriendo, sic eis immerguntur & illiciuntur, vt de intellectualibus, & præsertim de diuinis nec audire nec loqui curãt, sed *qui de terra est, de terra loquitur.* Insuper, vt dicit Petrus Rauennas, Diabolus primordia sanctitatis, scilicet loquelam, & auditum, quantũ in eo est, extinguere nititur, sciẽs quia iam ea subuertere fundamẽta nõ potest. Tam necessarium enim est animæ verbum Dei, quod dicit Augustinus, & habetur 1. q. 1. can. Interrogo vos: Quid plus esse vobis videtur, Verbum Dei, an Corpus Christi? Si vultis respondere verum, hoc vtique dicere debetis, quod non minus est verbum Dei, quàm corpus Christi. Et ideo non minus reus est, qui verbũ Dei negligenter audierit, quàm qui corpus Christi sua negligentia in terrã cadere permittit. Quod sanè, secundùm Thomam, intelligendum est, non referendo comparationem ad ipsa collata, sed ad nos, quo ad fructum, quem vtrumq; efficit in nobis. Et maxime verum est de verbo necessitatis. Et quia (secundùm Philosophũ) actus actiuorum sunt in patiente prædisposito, ideo verbum hoc fructificat secundùm dispositionem recipientium. Deus enim cùm humanam mentem occupauerit, vnamquanq; iuxta proportionem sui profectus internis inspirationibus alloqui non cessabit. Nam incipientibus vt iudex loquitur, dicens: *Venite filij, audite me timorem Domini docebo vos.* Proficientibus verò, sicut misericors pater, *loquetur pacem in plebem suam. Et super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor.* Perfectis autem vt sponsus: *Ducam*, inquit, *eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius.*

Ioan. 3.

Psal. 33.

Psal. 84. Ose. 2.

Verbũ Dei vt viuificet animam.

Denio; Dei verbum tanquã cibus spiritualis in nobis quatuor spiritualiter perficit Primò viuificat affectum hominis, peccati vulnera sanans Nam multi gratiæ vita carentes, ex gustu panis huius concipiunt contritionis spiritum, & confitendi, satisfaciendi, ac à peccatis abstinendi verum propositum, & sic Deus per gratiam intrans, animã viuificat, & eius vulnera sanat, iuxta illud Psalmistæ: *Eloquium tuum viuificabit me.* Hoc enim verbum, quasi semen in intellectu seminatũ, crescit in cognitionem sui: & inde dolor: quia, vt dicit Ecclesiastes: *Qui addit scientiam, addit & dolorem*: in cognitione mundi, & inde timor:

Psal. 118.

Eccles. 1.

mor: quia *totus mundus in maligno positus est*: vt dicitur in libro Sapientiæ: *Creaturæ Dei factæ sunt in odium, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium:*) in cognitionem quoque Dei (& inde amor, qui est animæ vita.) Nam quomodo potest cognosci Deus & non amari, in quo concurrunt vniuersæ causæ diligendi? Hinc secundùm Augustinum, mentem hominis iuxta substantiam mentis nihil implere potest, nisi creatrix Trinitas solus Deus: quamuis secundùm operationem & volũtatem vel affectionis instinctum duntaxat, impletur anima quandoque etiam ab his quæ sunt creata, sicut implet Satanas cor alicuius non ingrediendo, sed malitiæ suæ virus infundendo, & fraudulentis deceptionibus ingerendo. Secundò confirmat cor hominis pœnitentis, iuxta illud Psalmistæ: Et *panis confirmat cor hominis*, scilicet ad ambulãdum cum Helia, de virtute in virtutem, *vsque ad montem Dei*, id est, perfectionem omnium virtutum. Vnde sicut bonum semen in Euangelio, Dei verbo comparatum, terram, in qua seminatur, mundat, humores ad se trahens, qui conuerterentur in herbas malas & infructuosas: sic Dei verbũ virtutem habet mundatiuam, viscositatem inordinatorum affectuum ad se trahens, ex qua nascerentur actus mali & vitiosi. Vnde Apostolus ad Hebræos: *Verbo*, inquit, *virtutis suæ purgationem peccatorum faciens.* Et ideo comparatur aquæ sapientiæ salutaris: *Cibabit*, inquit, *illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum*: vt sic Dei verbum sit esca & potus, desolatos dulciter consolans, & tentationibus pusillanimitatibusque fatigatos, in bono concepto confortans.

Sap. 14. 1. Ioan. 5.

Verbũ Dei vt confirmet animã. Psal. 103. Lucæ 1.

Hebr. 1.

Eccli. 15.

Tertiò cor hominis proficientis illuminat, iuxta illud Psal: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* Illuminat enim mentes humiles experimentali cognitione Christiformiũ virtutum, & omnium agendorum, cauendorum, & perferendorum.

Verbũ Dei vt illuminet mentẽ. Psal 118.

Quartò cor hominis perfectionem attingentis mirabiliter oblectat, in se continens *omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem.* Quem gustans Petrus, respondit: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Et Psalmista: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo?*

Verbũ Dei vt oblectat animam. Sapien. 16. Ioan. 6. Psalm. 118.

Sacramentum in generali quid: Quis eius effectus: Quatenus Sacramenta suscipienda. Cap. XVIII.

Cant. 5. COmedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi. Hæc verba ſecundò poſſunt intelligi de ſacramentali ſumptione corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, vnde muſto inebriantur chariſsimi In illorum namq; corde, ſecundùm Fulgentium, fontes gratiarum fluẽt & refluent in æternum, & *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* In quorum perſona immediatè præmittitur in Cantic s: *Comedi fauum cum melle meo.* Vbi dicit Origenes: Fauus eſt cera virginea, diſtincta cellulis melle repletis. Quid eſt ergo, *Comedi fauum cum melle meo*, niſi manducaui corpus virgineæ carnis, dulciſsima diuinitate repletum? Et ſic per guſtum humanitatis peruenitur ad guſtum diuinitatis. Et ille, ſecundùm Anſelmum, plus manducat, qui plus amat, & plus amando rurſum plus manducat & amat: licet huius amoris guſtum in hac vita non niſi vt pignus quoddam capiamus, in futuro ſeculo plenitudinem eius in præmium expectantes. Quantalibet enim noſter ſpiritus abundantia pingueſcat, non tamen pari iucunditate ſumitur cortex Sacramenti, & adeps frumenti, fides & res, memorabilia & præſentia, æternitas & tempus, vultus & ſpeculum, imago Dei & forma ſerui: quamuis in hac vita nũquam maius gaudium & refrigerium quis expertus fuerit, quàm dignè accedens in ſumptione corporis & ſanguinis Chriſti fideliter deguſtauit: qua ſumptiõe deuota mẽs in Deum tranſmutatur, & cor gratiarum fonte potatur. Videndum eſt igitur primò de Sacramentis in generali. Nam Sacramentum, ſecundùm Thomam, propriè dicitur, quod eſt ſignũ alicuius rei ſacræ pertinentis ad homines: vt ſcilicet propriè dicatur Sacramentum rei ſacræ ſignum, in quantum eſt hominem ſanctificans. Ordinatur enim ad ſignificandum noſtram ſanctificationem, in qua tria notari poſſunt, ſcilicet cauſa ſanctificationis noſtræ, quæ eſt paſsio Chriſti; forma ſanctificationis noſtræ, quæ conſiſtit in gratia & virtutibus; ac vltimus finis ſanctificationis noſtræ, qui eſt vita æterna, quæ omnia habentur per Sacramẽta. Vnde Sacramentum eſt ſignum & rememoratio eius quod præceſſit, ſcilicet paſsionis Chriſti; ac demonſtratiuum eius, quod in nobis efficitur per Chriſti paſsionem, ſcilicet gratiæ; & προγνωστικόν, id eſt, prænuntiatiuum futuræ gloriæ. Nam Sacramenta nouæ legis per aliquem modũ in nobis cauſant gratiã, quia per ea Chriſto incorporamur: quod fieri non poteſt, niſi per gratiam.

Pſal. 45.

Cant. 5. Fauus quid.

Sacramentũ quid ſit.

Cauſa agẽs. Pro quo notandum, quòd duplex eſt cauſa agẽs, ſcilicet cauſa principalis,

cipalis, quæ operatur per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit. Sed hoc modo non potest causare gratiam nisi Deus: quia gratia non est aliud, nisi quædam participata similitudo diuinæ naturæ. Et est causa instrumẽtalis, quæ non agit per virtutem suæ formæ, sed solùm per motũ, quo mouetur ab agente principali: & ideo effectus instrumento non assimilatur, sed principali agenti: sicut domus non assimilatur securi, sed arti, quæ consistit in artificis mente. Et hoc modo Sacraméta nouæ legis causant gratiam. Adhibentur enim hominibus ex ordinatione diuina ad gratiam in eis causandam. Gratia nanque Sacramentalis aliquid addit super gratiã communiter dictam, & super virtutes & dona quoddam diuinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem. Pro quo sciendum, quòd gratia secundùm se considerata perficit essentiam animæ, in quantum participat quandam similitudinem diuini esse. Et sicut ab essentia animæ fluunt eius potentiæ, sic à gratia fluunt quædam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur virtutes & dona, quibus potentiæ perficiuntur in ordine ad actus suos. Ordinantur ergo Sacramenta ad quosdam effectus speciales in vita Christiana necessarios, sicut Baptismus ad spirituale regenerationẽ, qua vitijs homo moritur, & Christi membrũ efficitur: qui scilicet effectus est aliquid spirituale præter actus potentiarum animæ: eadem ratio est in alijs Sacramẽtis. Sicut igitur virtutes & dona super gratiã cõmuniter dictam addunt quandam perfectionem determinatè ordinatam ad actus proprios potentiarũ, sic etiam gratia Sacramentalis, vt dictum est. Cæterùm, interiorem Sacramentorum effectũ Christus operatur in Sacramentis, secundùm quod est Deus per auctoritatem: & secundùm quod est homo, operatur efficienter & meritoriè, sed operatur instrumentaliter, in quantum humanitas est instrumentum ipsius diuinitatis: quia passio eius, quæ conuenit ei secundùm humanam naturã, est causa nostræ iustificationis meritoriè & effectiuè. Vnde virtus salutifera deriuatur à diuinitate Christi per eius humanitatem in ipsa Sacramenta. Hæc ergo Sacramenta specialiter virtutẽ habent ex passione Christi, cuius virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem Sacramentorum. In cuius signum de latere Christi pendentis in Cruce fluxerunt *aqua & sanguis*. Quorum vnum pertinet ad Baptismũ, aliud ad Eucharistiam, quæ sunt potissima Sacramenta. Ea ergo intentione & deuotione, secundùm Chrysostomum, percipere debemus Ec-

Gratia quid.

Gratia Sacramentalis.

Gratiæ effectus.

Sacramentorum effectus.

Sacramentorum vis vnde

Ioan. 19.

Sacramentorũ ostiũ. Gene. 2. Ioan. 19.

clesiæ Sacramẽta, ac si nobis de latere Christi profluerẽt. Vulnus enim lateris Christi est ostium Sacramentorum: quia sicut de latere primi Adę formata est Eua, sic de latere secũdi Adę formata est Ecclesia. Hinc secundùm Augustinũ Euangelista vigilanti verbo vsus ost, dicẽs: *Aperuit*, vt innuat, quòd ibi quodammodo ostium vitæ apertum est: quia inde Ecclesiæ Sacramenta manauerunt, sine quibus ad veram vitã non intratur. Et præcipuè de Christi latere duo Sacramenta manauerunt, sine quibus vitam intrare non possumus, scilicet Sacramentum redemptionis & ablutionis. Primum pertinet ad Sacramentum Eucharistiæ, quod significatur per sanguinem: imò est idem ipse sanguis, quẽ quotidie sumimus, & qui de Christi latere fluxit. Secundum pertinet ad Sacramentum Baptismatis, quod significatur per aquam. Vnde dicit Augustinus: Ille sanguis effusus est in remissionẽ peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculũ. Hæc & lauacrũ præstat, & potum. Voluntas ergo Dei sit in omnibus, & super omnia nobis accepta, eò quòd cor Christi sic vulneratum sit amoris vulnere propter nos, quatenus nos per amorem reciprocum intrare possimus per ostiũ lateris ad cor eius, & ibi omnem amorem nostrum ad amorem suum diuinum counire: & sicut metalla diuersa igne liquefacta, & counita in vnam formam appositã effluunt, sic omnia desideria sua debet homo fideliter, amore Christi, fundare & ordinare in Deũ. Clamat enim clauus, clamat vulnus lateris, quòd verè Deus sit *in Christo, mundum reconcilians sibi.* Patet arcanum cordis per foramina corporis. Patet magnum illud pietatis Sacramentum. Patent *viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriens ex alto.* *Maiorem* enim miserationem *nemo habet, vt animam suam ponat quis pro* inimicis suis impijs & damnatis redimendis. Vnde dixit Alexander de Hales super Cant. lib. 2. De corde dulcissimo Christi duos fontes emanare conspicio, scilicet sanguinis & aquæ. Fons sanguinis delicias ferentis amoris ministrat Ecclesiæ. Fons aquæ mundat & refrigerium præstat contra incentiuum vitiorum. Aperiat terra sanctæ matris Ecclesiæ *os suum*, & suscipiat *sanguinem* Abel iusti, quia sanguis iste clamat pro nobis ad Patrem interpellando. Et Augustinus: *Vulneratus est*, inquit, *propter* delicta *nostra.* Tuta & firma requies infirmis peccatoribus in vulneribus Saluatoris. Patent mihi per vulnera misericordiæ viscera, & quicquid ex me mihi deest, datur mihi ex visceribus Domini mei: quia misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Per foramen corporis

Sacramenta duo fluxisse ex latere Christi.

Cor Christi quare vulneratum.

2. Cor. 5.

Lucæ 1. Ioan. 15.

Fons lateris Christi duplex.

Genes 4. Rom 8. Isa 55.

mihi.

mihi patet arcanum cordis. Vulnera Iesu Christi plena sunt misericordia, plena pietate, dulcedine & charitate. Per has rimas gustare mihi licet, quàm *suauis est Dominus* Deus mens. Hæc ille. Discè nunc ô fidelis anima, quo Iesus ardebat amore cui cordis amplissima regio non sufficit, quin amoris flamma diffusius euaporaret per corporis aperturas. Fecit sibi fenestras ignis ille diuinus, vt effluendo medullas hominum penetraret. Voluit insuper aperiri latus illud sanctissimum, vt amica Christi quasi columba fidelissima nidificaret in ore foraminis, iuxta illud Canticorum: *Veni columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ:* vt, inquam, quasi turtur amoris castissimi bonorum operum suorum & exercitiorū pullos illic abscondat, ne prædæ pateant. Surge nunc amica Christi, & os cordis appone vulneri laterali, vt sugas dulcedinem inenarrabilem, & haurias aquas salutares omnium diuinorum charismatum & gratiarum.

Psal. 33. 1. Pet. 2.

Fossionis lateris Christi ratio.

Cant. 2.

Sacramentum Eucharistiæ triplicem habere significationem: conferre gratiam: tria quoque contineri in eo, ac de ineffabili amore ostenso in hoc benedicto Sacramento. Cap. XIX.

Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Iam de Sacramẽto Eucharistiæ prosequendum est, quod est potissimum inter omnia Sacramenta. Dicit enim Dionysius cap. 3 hierar. cœlestis, quod non contingit aliquem perfici perfectione hierchica, nisi per diuinissimam Eucharistiã. Nimirum cùm in eo Christus substantialiter, & in alijs tantum continetur quædam virtus instrumentalis à Christo participata.

Cant. 5.

Habet autem hoc Sacramentum triplicem significationem. Vnam respectu præteriti, in quantũ est commemoratiuum Dominicæ passionis, quæ fuit verum sacrificium. Et secundùm hoc vocatur sacrificium. Nam quia non solùm est Sacramentum, sed etiam Ecclesiæ sacrificium, in quantum continet Christum passum, ideo non solùm sacerdoti sumẽti proficit, sed etiam toti Ecclesiæ: imò & illis, qui sunt in Purgatorio. Aliã significationẽ habet respectu rei præsentis, scilicet Ecclesiasticæ vnitatis, cui per hoc Sacramentũ homines congregantur: & secundùm hoc vocetur Communio. Dicitur enim Cõmunio secundũ Damascenum, quia cõmunicamus per ipsam Christo, & quia participamus eius carne & deitate: quia communicamus & vnimur ad inuicem

Sacrificiũ.

Cõmunio.

uicem per ipsam. Per eius enim perceptionem, quasi membra Christo feliciter incorporamur, & omnes vnum in Christo efficimur, ac per consequens spiritualiter viuificamur: quia sicut vita naturalis est in membris, eò quòd vniuntur capiti, à quo recipiunt influentiam sensus, & motus; sic in fidelibus, qui sunt membra Christi, vita spiritualis conseruatur, eò quòd vniuntur capiti Christo per hoc amoris Sacramentum. Tertiâ significationem habet respectu futuri, in quâtum est præfiguratiuum diuinæ fruitionis, quæ erit in patria: & secundùm hoc dicitur viaticum, quia præbet nobis viam illuc perueniendi. Et secundùm hoc etiam dicitur εὐχαριστία, id est, bona gratia: quia gratia Dei est vita æterna, vel quia realiter continet Christum, qui dicitur plenus *gratia*. Quamuis enim omnia. Ecclesiæ Sacramenta remedia sunt, per quæ quis in spiritualem creaturâ regeneratur, fouetur, & nutritur: de Sacramento tamen Eucharistiæ peculiarius & excellentius emanare dignoscitur fluuius quidam gratiæ cælestis, & radius diuini amoris, fideles animas feliciter incendens, & suauiter inebrians. Hoc igitur Sacramentum ex seipso virtutem habet conferendi gratiam. Nec quis habet gratiam ante Sacramenti huius susceptionem, nisi ex aliquali voto ipsius, vel per seipsum, sicut adulti; vel voto Ecclesiæ, sicut paruuli. Ex efficacia namque virtutis ipsius est, quòd etiam ex voto ipsius gratiam aliquis consequatur, per quam spiritualiter viuificetur. Ex his etiam restat, quòd per eius debitam frequentiâ gratia augeatur, & spiritualis vita perficiatur, scilicet per cõiunctionem ad Deum. In Græco verò dicitur μετάληψις, id est, assumptio, quia secũdùm Damascenũ, per hoc Filij deitatem assumimus. Cæterùm, dicit glossa Brixiensis de cons. dist. 2. can. Sicut in sanctificando, quòd in Sacramẽto Eucharistiæ tria continentur, scilicet, forma visibilis panis & vini, veritas corporis & sanguinis Christi, & virtus spiritualis, scilicet vnitatis & charitatis, id est, æterna coniunctio & dilectio Christi ad Ecclesiam. Primum est Sacramentum tantùm, & non res Sacramenti. Secundum est Sacramentum & res Sacramenti: quia verũ corpus Christi, quod de Virgine Maria contraxit, est res significata, & in hoc Sacramento contenta. Tertium est res Sacramenti tantùm, & nõ Sacramentum: quia corpus Christi mysticũ, quod capiti per charitatẽ coniungitur, est res in hoc Sacramẽto non contenta, sed tantũ significata.

Viaticum.

Eucharistia. Ioan. 1.

Errores circa Eucha-

Quantum igitur ad primum, circa materiâ huius Sacramẽti, multipliciter quidã errauerunt. Aliqui enim, vt dicit B. Augustinus lib. de

hæresi-

stiæ Sacramentum.

Lxresibus, errauerunt; offerẽtes in hoc Sacramento panem & caseum, dicentes à primis hominibus oblationes in fructibus terræ & ouiũ fuisse celebratas. Quidam verò de sanguine infantis, quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam perficere perhibentur, miscendo eum farinæ, panem indefacientes. Quidam etiam aquam solam sub specie sobrietatis in hoc Sacramento offerunt. Et in Canonibus, de consecr. dist. 2. can. Cùm omne crimen, extirpantur quatuor errores, qui fiebant circa Eucharistiã. Primus erat, quòd lac pro vino in diuinis sacrificijs dedicabant. Secũdus, quòd intinctã Eucharistiã in sanguine populis pro complemento Communionis porrigebant. Tertius, quòd botrum offerentes & sanctificantes, solum vinum se offerre credebant, ac post consecrationem vinum exprimebant. Quartus, quòd pannum lineum musto intinctũ per totũ annum reseruabant, & in tempore sacrificij aqua partem eius lauabant, & sic offerebant. Omnes autem istos errores Christus exclusit, cùm hoc Sacramentũ instituit sub specie panis & vini: quæ duo sunt materia conueniens huius Sacramenti, vtpote quibus communius homines reficiuntur. Oportet tamen vinũ aqua misceri, tum propter institutionem, tum propter Dominicæ passionis repræsentationẽ, de cuius latere profluxit vtrumq;, tum etiã propter significationem: effectus huius Sacramenti, qui est vnio populi Christiani ad Christum qũia per aquam populus, & per vinum Christus significatur. Vinum igitur aqua mixtum offertur, vt ostendatur quòd caput & membra, Christus & Ecclesia, Deus & anima vnum efficiuntur, non quidem quodlibet vnum, sed idipsum, quod est Deus, eo modo quem deifica beatitudo requirit. Cæterùm, vt dicit glossa Brixiensis, de consec. dist. 2. can Comperimus: Impossibile est corpus Christi sine sanguine sumi, & vice versa. Nam siue speciem panis, siue vini quis sumat, vtrumque sumit: & dicuntur duo Sacramenta & vnum. Vnum quidem propter vnum contentum, quamuis reuera sint plura Sacramenta. Nam accidentia panis sunt tantùm Sacramentum corporis Christi, & accidentia vini sunt tantùm Sacramentum sanguinis Christi: quamuis sub specie panis est totus Christus, simul & sub specie vini. Nec tamen est ibi duplex sumptio corporis & sanguinis Christi, nec superfluit hæc vel illa sumptio: quia species panis ad corpus, & species vini refertur ad sanguinem, cùm vinum sit Sacramentum sanguinis, in quo est sedes animæ: ideoq; sumitur sub vtraque specie, vt significetur quòd

Materia Sacramenti Eucharistiæ apta.

Ioan. 19.

Accidentia Sacraméti.

verumq; Christus assumpsit, scilicet carnem & animam, & quòd tam animæ quàm corpori participatio valet. Panis ergo tantùm transubstantiatur in carnem, & vinum tantùm in sanguinem, quamuis vbicunque sub specie panis est Christi corpus per transubstantiationem vel conuersionem, ibi etiam est sanguis per connexionem, & anima per coniunctionem, ac deitas per vnionem. Hæc enim quatuor non possunt diuidi, nec ab innicem separari. Et eodem modo est dicendū de sanguine. Huius autem Sacramenti figura fuit vitulus tenerrimus, quem Abraham præparauit tribus Angelis. In quo vt dicit Bonauentura) consideratur dulcedo paterni amoris, qui per Abraham intelligitur Hic enim *vitulum tenerrimum*, id est, vnicum Filiū suum secundùm carnem occidendo, summæ Trinitati præparauit, quæ per tres viros intelligitur, licèt Pater & Filius ab ipsa Trinitate non distinguuntur. In hoc igitur apparet ineffabilis dulcedo diuinæ bonitatis, quòd ad iustitiā Deo famescente, propter nimiam benignitatem proprium iudicium reflexit in assumptā humanitatem: alioqui iustitiæ fames totam deuoraſſet humanam naturā, quia nec homo, nec Angelus illi appetitui satisfacere potuit; nisi tenerrimus iste vitulus, quem exposuit inexpressibili contemptui, passioni & morti, ad satisfaciendū pro filio prodigo, qui simul accedit ad conuiuium cum ipsa Trinitate, qui fuerat reus in morte.

Transubstantiatio Sacramēti.

Figura Eucharistiæ. Genes. 18.

Dulcedo bonitatis diuinæ in Eucharistia.

Consídera nunc ô anima mea, viscerosam Christi dilectionem, qua maiorem ostendere non poterat. Nam ex quo corporaliter in passione pretiū exsoluens pro nobis ad Patrem recessurus erat, suis relinquere voluit corpus & sanguinem suum, vt nos vniret sibi vnione huius Sacramenti, qua strictior non inuenitur in via. Vnde dicit Bonauentura: O quàm admirabilis est tua dilectio Domine Iesu, cùm non possit ab hominibus separari. Nonne qui iam ascensurus eras ad dexteram Patris tui, potestatem hominibus dimisisti, vt te cùm velint, habeant in altari? Et hanc potestatem antequam mori inciperes eis tribuisti, ne amittere te timerent. Nec tibi suffecit ad ostensionem ardentissimi amoris tui, quòd semel corpus & sanguinem tuum exponeres in pretium nostræ redēptionis, nisi quotidie denuo effundatur in Sacramento altaris, vt qui quotidie peccamus, in eo quotidie mundaremur. Et quod est summè complectendum, sese pro nobis exponit manibus cuiuscunq; sceleratissimi sacerdotis, dum taxat Catholici: ita quòd nec pro cuiuscunque malitia vel iniuria sibi illata violari possit

Contemplatio.

eius

eius præsentia, quin semper ibi sit, ritè factis quæ circa consecrationem fieri debent. Cuius ratio est, quia licèt celebrans tanto se fecit indignum Sacramento, noluit tamen Christus, quòd in alijs fidelibus eius impediretur effectus, se potius eligens iniuriari, & iterum spiritualiter crucifigi, quàm suos fideles tanti Sacramenti fructu fraudari. Vnde mille quadringentis annis, & eo amplius, tãtam elegit in hoc Sacramento sustinere contumeliam ab indignè conficientibus & sumentibus, vt vel sic vnam fidelem animam satiaret, cui nihil sufficit, quod Deo minus est. O quantum est hoc in effusione diuini amoris.

Sacramentum Eucharistiæ remittere culpam, delere reatum, augere vitam spiritualem, vnire corpori mystico, vnire summo Deo. Cap. X X.

Comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi. Iam de effectibus ipsius Sacramenti breuiter videamus, quos quintuplices distinguere placuit. Conscientiam tamen habens peccati mortalis, hos effectus consequi non videtur, nec est conueniens susceptor huius Sacramenti, quia non viuit spiritualiter, & ideo nutrimentum spirituale suscipere non potest, quod non est nisi viuentis, nec etiam vniri potest Christo. Nam sicut passio Christi prodesse potest omnibus ad remissionem culpæ, & adeptionem gratiæ, & gloriæ, quantum ad sufficientiam: tamen effectum non habet, nisi in illis, qui passioni Christi coniunguntur per fidem & charitatem. Sic & hoc Sacramentum vel sacrificiũ (quod est memoriale Dominicæ passionis) non habet effectum nisi in illis, qui per fidem & charitatem huic coniunguntur. Eucharistia quibus prosit.

Primus igitur effectus eius est, remissio peccatorum, quò ad culpam: quia sumitur ibi sanguis Christi, qui effusus est in cruce in remissionem peccatorum. Vnde Chrysostomus super illud Ioan. 19. *Exiuit sanguis & aqua*, dicit: Quia hinc sacra mysteria initium suscipiunt, cùm accedit homo ad tremendum calicem, velut ab ipsa bibiturus Christi costa, sic accedit, vt ipse Dominus dicit: *Hic est sanguis, qui pro vobis fundetur in remissionem peccatorum.* Et ideo mundatur ex hoc ab omni macula peccatorum, etiam mortalium oblitorum: si tamen quis fecit, quod in se fuit, in debito modo confitendi & conterendi, ac in debito proposito satisfaciendi. In cuius etiam argumentum ante sumptionem huius Sacramenti facta est lotio pedum à Domino Iesu: quia Effectus Eucharistiæ quintuplices. Matth. 26. Ioan. 13.

quia pedes affectuum nostrorum debent esse purificati. Hinc ait Apo-
1.Cor 11. stolus: *Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit.* Secundus effectus eius est, deletio totius reatus, quia recipit animam Christi, præuentam omni benedictione cælesti. Veruntamen ad hoc requiritur feruens deuotio, & omnium peccatorum plena tam affectualis, quàm actualis detestatio. Nam (secundùm Thomam in lib. 3. Senten.) tanta potest esse cõmunicantiũ deuotio, quòd ab omni scoria & reatu peccatorũ reddantur immunes, licèt admodum pauci tali deuotione ferantur in ipsum Sacramentum. Alij verò purgantur magis vel minus, secundùm mensuram deuotionis in sumente. Pro quo notandum, quòd Eucharistia ratione habet & effectũ tam Sacramenti q̃ sacrificij. Habet enim effectũ Sacraméti in eo qui sumit, ad quem scilicet est institutũ, vt spiritualiter nutriat per vnionem ad Christum, & ad eius membra: sicut & nutrimentum vnitur nutrito. Et hæc vnio fit per charitatem, ex cuius feruore quis consequitur remissionem culpæ & etiam pœnæ, secundùm modũ sui feruoris. Effectum verò sacrificij habet in eo qui offert, vel in his pro quibus offertur, scilicet vt
Iuc. 21. satisfaciat pro peccatis. Sed quia in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis, sicut Dominus in Euangelio ostendit in vidua, quæ obtulit *duo minuta*: ideo quamuis hoc sacrificium sufficeret ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen est tantummodo satisfactorium secũdùm quantitatem deuotionis ipsius offerentis: vnde & de se virtutem habet à peccato præseruandi, quamuis non auferat homini possibilitatem peccandi: sicut etiã charitas, quantum est de se, præseruat hominem à peccatis, secundùm illud ad Ro-
Rom. 13. manos: *Dilectio proximi malum nõ operatur.* Et tamen ex mutabilitate liberi arbitrij contingit, quòd aliquis post habitã charitatem peccat. Tertius effectus eius est, augere vitam spiritualẽ in virtutibus, & præcipuè in charitate: cui proprium est transformare amantem in amatum. Corpus enim Christi pro nobis expositum omnibus aduersitatibus, miserijs, opprobrijs, & pœnalitatibus ex infinita sua dilectione, datur in hoc Sacramento tanquam memoriale perenne puri amoris, in quo se dulciter ad omnẽ familiaritatẽ, imò in cibum totaliter incorporandum, & per modum cibi & potus frequentandum præstat, & ideo omnem effectum, quem cibus & potus materialis facit, quantum ad vitam corporalem, scilicet sustentando, reparando, augendo,

dele-

delectando: hoc etiam totum facit istud Sacramentum, quantum ad vitam spiritualem, vt de eo verificetur illud Euangelicum: *Caro mea verè est cibus.* In qua vtiq; totus Christus sumitur, qui est abyssus quędam diuini amoris, & ideo sumentē manducando & rememorando meritò totaliter ignire debet & inebriare, & in ipsum crucifixū amoris vehemētia totaliter trāsformare: quia nihil maius, dulcius, & amabilius nobis relinquere potuit, q̄ seipsum. In vehemētia namq; charitatis perfectio cōsistit Christianæ religionis: quia per hāc Ecclesiæ membra coniunguntur ad inuicem, & capiti Christo summoq; Deo. Hinc etiam Christus in cœna dixit: *Mandatum nouum do vobis. Nouum*, inquam, non quantum ad substantiam, sed quantum ad mandati formā, scilicet, *vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Hac enim via sequēdus est Deus, vt ex dilectione *pro fratribus* animam nostram ponamus. Et bene dicitur *nouum*, quasi renouatum in Christi passione, quia nimis fuit antiquatum, ita quòd nulli sapiebat, sed iam renouatum renouat animas, omnem verum Christianum nouum faciens: qui secundùm Deum creatus est. *Pone me*, inquit, sicut *signaculum super cor tuum*, & super *brachium tuum*: per affectum pariter & effectum, viscerosè diligendo, & studiosè imitando. Signaculum enim formam suam imprimit rei quæ sigillatur. Et vera insignia militiæ Christianæ, sunt insignia charitatis Dei & proximi, non quæ ostenduntur verbo & lingua, sed opere & veritate. Nam sicut carbo mortuus igni appositus ignitus efficitur; sic hoc Sacramentū dignè frequentatum, tāquam ignis verus charitatis animam totam igneam reddit sua virtute, non solùm conferens habitus virtutum, sed etiam excitans eos in actum, iuxta illud; *Charitas Christi vrget nos* Et inde est, quòd anima spiritualiter ex huius Sacramenti virtute reficitur, per hoc quòd anima in omnibus bonis spiritualibus delectatur, & in dulcedine diuinæ bonitatis inebriatur, quòd etiā amara pro dulci sumit. Quartus effectus eius est, nos vnire spiritualiter corpori Christi mystico, ita quòd *vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus*, cuius caput est Christus. Et hoc significat, quòd panis fit è multis granis, & vinum confluit ex multis racemis: & quia sumimus vitam cum corpore, ideo spiritualiter viuimus, in mystico corpore vniti perfectè cum capite. Sicut enim vita naturalis est in membris, eò quòd vniuntur capiti, à quo recipiunt influentiā sensus & motus; sic in fidelibus (qui sunt membra Christi) vita spiritualis conseruatur, eò quòd vniuntur

Perfectio Christianismi in quo. Ioan.13.

1. Ioan.3.

Cant.1.

Insignia militiæ Christianę.

2.Cor.5.

Refectio animæ. 1.Cor.10.

Vita animę in quo

capiti Christo per hoc amoris Sacramentum. Vnde Christus ait: *Qui manducat me*, viuit *propter me*. Dicit enim Cyrillus, quòd viuificatiuum Dei Verbum vniens seipsum propriæ carni, fecit ipsam viuificatiuam, & ideo conueniebat eam quodammodò nostris vniri corporibus per Sacramenta, id est, carnem & pretiosum sanguinẽ, quem accipimus in benedictione viuificatiua in pane & vino. Ex his etiam sequitur communis participatio omnium Deum timẽtium, tam in vita gratiæ, quàm gloriæ. Quintus effectꝰ eius est, nos vnire summo Deo, & totaliter intimare, & vnum cum eo efficere, sicut ad Patrem Christus orans dicebat: Oro *Pater, vt sint vnum* in nobis, *sicut & nos vnum* sumus. Vnde in hoc Sacramento ostenditur excessus diuinæ largitatis in summo gradu. In omnibus enim alijs Dei donis inter donantem & eum cui datur, semper aliqua diuisio remanet: sed cùm se dat in cibum & potum, ad omnimodã se confert vnionem, sicut cibus & cibans in vnione corporis vniuntur. Cibus enim cõuertitur in carnem & sanguinem cibati, vt iam vnius ad alterum non sit aliqua separatio. Veruntamen iste cibus non conuertitur in comedentem, sed econtra comedentem conuertit in cibum, sicut ait Dominus ad Augustinum. Cibus sum grandium. Cresce, & manducabis me. Nec me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ; sed tu mutaberis in me. In Christum enim anima mutatur, cum Christo magis ac magis in gratia & charitate cæterisq; virtutibus assimilatur. Factus est inquã, cibus & potus quotidianus, in quo totũ quod ipse est & habet, cum spiritu suo nobis in summo communicat: cùm tamen natura diuina totum quod est optimũ in se naturaliter habet. Et hæc offert quocunque loco, quocunque tempore, & à quocunque Sacerdote Catholico, ritè quod agendum est perficiente, vt sic summa Trinitas in hoc Sacramento singulis animabus amorosis se totam ad fruendum Sacramentaliter exhibeat, & eidem se veraciter vniat vnione, qua strictior & glorioſior non inuenitur in via. In cuius argumentum Christus in similitudine se dicit fermentum; & nos farinam, quia pasta post fermentationem est de natura fermenti. Dicit etiam se vitem, & nos palmites, non faciens gradũm, seu vnionem.

Ioan. 6.

Ioan. 17.

Largitas Dei in Eucharistia.

Animã mutari in Christum quid.

Ioan. 15.

Passionem Dominicam portandam semper in memoria, in imitatione: deque amore Christi patientis. Cap. XXI.

Fascic.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Cant.1. Fasciculum vocat totã congeriem Dominicæ passionis, quæ Christi vestigia veraciter imitanti inter vbera per iugem memoriam cõmorari debet, *ne vagari* tandem incipiat *post greges sodalium* suorum. Quasi diceret: Dei Filius factus homo pro nostra dilectiõe, *fasciculus myrrhæ* factus est mihi in sua passione, id est, exemplar omnis amaritudinis, & sustinendæ passionis ex amore illius. Omnes, inquam, quas in cruce passiones Christus sustinuit, quasi *myrrhæ fasciculus inter vbera mea* cõmorabitur per subtilem intelligentiam, per iugem memoriam, per amorosam compassionem, & affectuosam complacẽtiam. Et bene dicitur *fasciculus* diminutiuè, propter amoris magnitudinem, eò quòd amanti leuis est etiam amaritudo mortis. Et quia *paruulus natus est nobis, & filius* ad crucifigendum *datus est nobis:* Nec *sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Est autem *fasciculus myrrhæ,* qui componitur ex infantilibus necessitatibus, quas in præsepio sustinuit; ex laboribus, quos in prædicando pertulit; ex fatigationibus, in discurrendo: ex vigilijs, in orando: ex tentationibus, in ieiunãdo; ex lachrymis, in compatiendo; ex insidijs, in colloquendo. Insuper ex sputis, colaphis, verberibus, flagellis, & alijs innumeris, quæ pro salute generis humani pertulisse dinoscitur. Sed & myrrha potatus & vnctus est, vt nihil desit amaritudinis in operatione nostræ salutis. Hæc igitur commorari debent inter vbera amorosæ compassionis, & studiosæ imitationis. De primo vbere dicit Dominus: *Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absinthij & fellis.* Et sponsa: *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.* De secundo vbere dicit Apostolus: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu,* id est, eandẽ humilitatem, patientiam, benignitatem, &c. Christus enim omnia bona terrena contempsit, vt nobis contemnenda monstraret: & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcepit, vt nos peccatores patienter similia pateremur, vt nec in bonis terrenis quæreretur felicitas, nec in malis terrenis timeretur infelicitas. Vbi enim gloriatio nostra, spes nostra, & lætitia cordis nostri, nisi in pretiosissimo thesauro Dominicæ passionis, in quo balsamum illud amoris diuini vbertim exprimitur? Delectet igitur eam semper in corde retinere, semper in ea occupari, nec vnquam marcescat in cordibus nostris, sed rediuiua pullulatione noua semper existat. Nam qui salutẽ æternam & meritorũ

Cant.1.

Fasciculus myrrhæ.

Isaiæ 9. Rom.8.

Matth.27.

Vbera spõsæ duo quæ.

Thren.3.

Ibidem.

Phil.2.

Passio Domini quatenus ruminanda.

affluentiam desiderat, qui cunctarum virtutum arcem exoptat, qui scientiam & sapientiam obtinere desiderat, qui æquanimiter inter aduersa & prospera stare, securamque viam inoffenso pede perambulare affectat, hunc fasciculum myrrhę scilicet passionis Dominicæ, iugiter portare studeat in pectore, nō solùm compatiēdo, sed etiam imitando. Est enim liber vitæ, continens omnia saluti necessaria, proficiens efficaciter ad contemptum mundi & sui, ac proficiens in amorem Dei. Hinc glorioſum illud lumen omniū Ecclesiarum diuinitatis arcanum tam singulariter attingens, ac diuinæ claritatis abyssum oculis purioribus intuens, verbaque secretissima, *quæ non licet homini loqui*, percipiens, nihilominus ad ima mellito quodam affectu declinās, passionis huius præconium de thesauro cordis in mediū eructauit, dicens: Nihil arbitratus sum *me scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum*. Et iterum: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi* Nimirum cùm secundùm Augustinum non solùm quicquid boni gesſit Christus in terra, sed etiā quicquid mali sustinuit, totum disciplina morū fuit. Passio namq; Dominica complectitur in se cunctam perfectionem homini in hac vita possibilē. Et omnia perfectionis opera, quæ Christus in Euangelio verbo docuit, in sua passione perfectissimè pariter & exemplo compleuit. Vide nūc, quid egerit vnigenitus Dei Filius, vt multos Dei filios efficeret, vel fratres acquireret. Emit enim sibi fratres sanguine proprio, ne solus rediret in regnum. Probauit ille, qui fuit reprobatus; redemit ille, qui fuit venditus; honorauit ille, qui fuit iniuriatus; viuificauit ille, qui fuit occisus. Et *cùm esset in forma Dei, formam serui* pro seruorum suorum salute susceptit: & in ligno crucis, cùm esset ipse lignum vitæ, appensus est, quasi semetipsum pensāret in pretium perditorum. Vnde ait sanctus Bernardus: O indebita miseratio, ô gratuita & probata dilectio, ô inopinata dignatio, ô stupenda dulcedo, ô inuicta mansuetudo, Regem gloriæ, Dominum maiestatis pro tam despicatissimis vermiculis crucifigi? Pudeat membra sectari gloriam, quibus caput suum tam inglorium exhibetur: pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum. Sed quid tibi Domine respondeam aut retribuam, quia fecisti mihi de corpore tuo spectaculum animæ meæ, balsamum salutis meæ, tabernaculū gloriæ, & habitaculum perpetuæ vitæ? Si igitur, ô anima mea, quietem desideras, si securitatem affectas, si fœcunditatem amas, pennas assume sicut columbæ, & volans, in vulneribus Iesu nidifica:

2. Cor. 12.

1. Cor. 2. Galat. 6.

Philip. 2.

fica: nusquã quies gratior, nusquã securitas tutior, nusquam fœcunditas vberior. Ibi enim hauries, quod pullis ministres. Et sicut columba, cõfugiens ad arcã salutis, porta tecum *oliuæ ramũ virẽtibus foliis*, id est, amorosam voluntatẽ bonis operibus plenam. Ibi namq; sicut columba fœcunda nidificans in foraminibus petræ, secura parturis opera lucis. Vnde Bernardus super illud Canticorum: *Fulcite me floribus, stipate me malis; quia amore langueo*, dicit quòd anima amorosa cernit *regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua*, cernit Vnicum Patris crucem sibi baiulantẽ, cernit cæsum & consputũ Dominum maiestatis, cernit auctorem vitæ & gloriæ clauis confixum, lancea transfixum, saturatũ opprobrijs: tandem illam dilectam *animam suam* ponere *pro amicis suis*. Cernit hæc, & suam magis animã gladius amoris transuerberat, & dicit: *Fulcite me floribus, stipate me malis; quia amore langueo*. Hi flores, & hæc mala, quibus se fulciri postulat & stipari, sunt interiores virtutum perfectiones, & exteriores passionum exercitationes, quas Christus ante mortem ostendit & sustinuit. Nam talis anima nõ solũ malis exteriorũ passionũ, sed etiã floribus interiorum virtutum, quibus omnia volens sustinuit, de crucis arbore collectis, per memoriã & imitationem iungi cupit, quorũ fragrantia sponsum crebrius ad se reuisendũ inuitet. Gaudet enim sponsus talibus odoramẽtis, & cordis thalamũ libenter ingreditur, quod istiusmodi respersum floribus, & refertũ fructibus inuenerit. Hæc igitur fidelis sponsa spiret inhianter, & in huius memoria requiescat suauiter, ac donec idonea fiat Dei *gloriam reuelata facie* speculari, de crucis ac passionis eius ignominia glorietur, sponsum nudum in cruce pendentem amplectens, & considerans eius abyssalem abiectionem, mãsuetissimam patientiam, ac omnium virtutum perfectionem vltra omnẽ humanam æstimationem, præcipuè tamen eius eminentissimã dilectionem, qua diuinitatem suam nostræ naturæ tam inseparabiliter vniuit, ac omni refrigeratione diuini influxus sẽmota, cunctas pœnalitates, & iniurias amore nudo decertauit, gloriosè de omnibus amore nostri victoriam reportando, vt copiosam redemptionem tribueret, ac perfectissimæ conuersationis nobis formã ingereret, dicens: *Exemplũ dedi vobis*. Hanc igitur amoris imaginẽ tecum fer, ô fidelis sponsa, quocunque permanseris, in omni loco, tẽpore, opere, otio & occupatione. Si comedis, intinge quãlibet buccellam in corde illius. Si bibis, cogita potum, quem tibi de suis vulneribus propinauit. Si dormis pone caput

Genes. 8.

Cant. 2. Cant. 3.

Ierem. 31. Iohan. 15.

Flores virtutum.

2. Cor. 3.

Ioan. 13. Peroratio.

ttum ſuper ſpineam coronã,& corpus ſuper crucis dimenſionem. Talia charius amplectere, crebrius recole,& per affectũ te totam immerge, cui te totam offerre, totam conformare, totamque vnire deſideras, à quo te totam transformari & incorporari exoptes feliciter.

Memoria paſſionis Chriſti vt grata ſit menti amoroſæ, quatenusque imitanda: de eiusque ingredine exteriori,& decore interiori. Cap. XXII.

FAſciculus myrrhæ dilectus meus mihi. De quo dicit Sanctus Bernardus: Super omnia, Domine Ieſu, te mihi reddit amabilem calix quem bibiſti, opus redemptionis noſtræ. Hoc enim amorem noſtrum facilè vendicat ſibi: hoc, inquam eſt, quod deuotionem noſtram & blandius allicit,& iuſtius exigit, & arctius ſtringit, & vehementius afficit. Multum enim in hoc opere laboraſti, nec in omni fabrica mũdi tantum fatigationis aſſumpſiſti. In illa namque dixiſti, *& facta ſunt*, mãdaſti, *& creata ſunt*. In hoc autem opere ſuſtinuiſti in dictis contradictores, in factis obſeruatores, in tormentis illuſores, in morte exprobratores. Et ſi de nihilo nos feciſti, non tamen de nihilo redemiſti, quia triginta annis *operatus es ſalutem* noſtram *in medio terræ*, laboraſti *ſuſtinens*, ſuſtinuiſti patiens. Plus igitur mihi contuliſti redimendo, quàm creando. Nam creando me mihi dediſti. Redimendo verò te dediſti, vbi me mihi reddidiſti. Et ideo ſi me totum debeo pro me facto, quid iam addam pro me refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam facilè ſum refectus, quàm factus. De omni nanq; quod factum eſt, dixiſti, *& facta ſunt*. Sed vt me reficeres, dixiſti multa, egiſti mira, pertuliſti non ſolùm dura, ſed etiam indigna. Quid igitur gratiarum, quid retributionis dignè pro his omnibus tibi retribuam puluis & cinis? Quid enim pro me facere debuiſti,& non feciſti? cùm ab imo *pedis vſque ad verticem* capitis te totum in aquas paſsionũ demerſiſti, vt me totum de illis extraheres, & *intrauerunt vſque ad animam* tuam, quam in mortem perdidiſti, & meam perditam mihi reddidiſti, meque triplici debito obligaſti. Pro eo namque, quòd in creatione animam meam mihi dediſti, quam per me perditam in redemptione mihi reddidiſti, meipſum debeo, & bis debeo. Sed pro eo, quòd mei cauſa tuam animam perdidiſti, quid tibi reddam Domine Ieſu? Nam & ſi millies meam animã rependere poſſem, quid ſum ad Deum meum?

Pſalm. 32. & 148.

Pſal. 73. Iſaiæ 1.

Pſal. 32.

Iſaiæ 1.

Pſal. 68.

Homo Dei debitor trifariam.

meum? Reddam tamen quod possum, reddam totã animam meam, rependam totam dilectionem meam. Diligendus enim es mihi Domine Iesu *toto corde, tota anima, tota mente*, tota virtute. Sed quomodo fiet hoc in me, nisi per te? Adhæreat *anima mea post te*, quia tota virtus eius pendet ex te: & ad passionis tuæ gloriosa insignia, quibus salutem meam operari dignatus es, me totum inclino, tuæ victoriosæ crucis regale vexillũ in nomine tuo suppliciter inuoco: tuum spineũ diadema, tuo rubẽtes sanguine clauos, immersam tuo sacro lateri lanceam, tua vulnera, tuum sanguinem, mortẽ & sepulturam, tam victoriosam resurrectionem & glorificationem Christe, supplex adoro & glorifico. Odorem enim vitæ mihi spirant hęc omnia. Quorum odore viuifico Domine Iesu, spiritum meũ à peccati morte resuscita, & eorũ virtute ab astutijs Sathanæ me custodi & conforta, vt fiat mihi *iugum tuum suaue, & onus leue*; ac vestigia tua sequens, fideliter portem crucem tuam, quæ *vitæ lignum est his, qui* apprehenderunt *eam*. Hinc meritò dixerat sponsa fidelis: *Nigra sum*, scilicet exterius, tãquàm crucifixo conformis, sed formosa, scilicet interius. Non enim erubescit sponsa nigredinem, quã in sponso præcessisse non ignorat. Cui similari summæ gloriæ est. Nihil enim sibi gloriosius putat, quàm Christi portare opprobrium. Inde vox illa prorsus exultationis & salutis: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Grata est illi crucis ignominia, qui crucifixo non est ingratus. Nigredo est, sed forma & similitudo Domini. Niger erat, cui *non* erat *species* & *decor*. Niger, quia *vermis, & non homo*: & si homo, tamen *opprobrium hominum, & abiectio plebis*. Nigrescebat enim candoris zelo & lucro pulchritudinis alienæ. Multos enim candidos facit vnius denigratio, cùm non culpa contingitur sed cura afficitur. *Expedit* siquidem, quòd *vnus* denigretur pro omnibus similitudine carnis peccati, *& non tota gens* condemnetur in nigredine peccati. Candor æternæ vitæ nigrescat in carne pro purganda carne, obscuretur in passione, turpetur in cruce, pallescat in morte. Ex toto *non* sit *species, neque decor, vt sibi* speciosam & decorã sponsam acquirat, sine macula, sine ruga: nigredinem habeat, sed foris, nõ intus: Nam intus diuinitatis candor, virtutum decor, gloriæ splendor, innocentiæ puritas. Sed hæc interim tegat despicabilior infirmitatis color, & velut *absconditus vultus eius & despectus*, dum tentaretur *per omnia pro similitudine absque peccato*. Niger factus es, Domine Iesu,

Matth. 22. Psalm. 62.

Matth. 11. Prouer. 3. Cant. 1. Nigredo imitanda.

Galat. 6.

Isaiæ 53. Psal 21.

Ioan. 11.

Isai. 53. Ephes. 5.

Isa. 53. Hebr. 4.

sed oculis insipientium. Fidelium enim mentibus formosus es valdè in tua nigredine. Et beati, qui te dum hominem inter homines conuersantem, in ijs, qui te denigrauerunt diligenter obseruantes, seipsos imitatores tui pro viribus exhibent, vt internam formositatē consequātur. *Omnis* enim *gloria* talium *ab intus* est, non foris, vt veraciter dicāt: Psal. 44. 2. Cor. 1. *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae:* vt conscientiæ testimonium sit gloria. Sed quia non solus arbiter Deus, cui soli placere desiderant, & cui placere sola vera & summa gloria est, in qua dignatur gloriari rex gloriæ. Iam enim adhærent soli Deo, vt *spiritus vnus* fiant cum eo: ac in diuinum quendam mutantur affectū, ita quòd iam nec sentire, nec sapere cupiūt, nisi Deum. *Deus* autem *charitas est*: & quantò coniunctiores sunt Deo, tantò pleniores sunt charitate, quæ *suffert omnia, credit omnia, sperat omnia.* Vis agnoscere interiorem sponsæ decorem? Rationalis enim quædam est sponsæ species ac spiritalis effigies, ipsaque æterna: quia æternitatis imago, decor eius. Verbi gratia. *Charitas* est, quæ *nunquā excidit*; & *iustitia*, quæ *manet in seculum seculi:* sic *patientia pauperum non peribit in finem.* Paupertas autem & humilitas, nonne altera regnum æternum, & altera exaltationem promeretur æternā? Sic *timor Domini sanctus*, permanet *in seculum seculi.* Sic prudētia sic temperantia, sic fortitudo, & si quæ sunt aliæ virtutes, in æternum permanent, quæ non nisi margaritæ quædā sunt in ornatu sponsæ splendore perpetuo coruscantes: quia sedes & fundamentum perpetuitatis haberi nō potest, nec omnino locus est in anima perpetuæ beatæq; vitæ, nisi medijs interiectisque virtutibus. Has igitur margaritas anima sibi diligenter colligat, tanquam flores cælestes de rosario Dominicæ passionis, quibus suffulta, confidenter dicat: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Super quo dicit Bernardus in libro de diligendo Deum: Meritò in his sponsa glorietur, in læua repræsentans recordationem illius charitatis, qua nulla maior est, quàm quòd *animam suam* posuit etiam pro inimicis suis, vt amici fierent. Meritò in læua admirabilis illa memorata, & semper memoranda dilectio collocatur, vt super eam sponsa requiescat, *donec iniquitas transeat*, ne incuruetur, & inclinetur ad carnalia & sæcularia desideria, *quæ militant aduersus animam.* Meritò sit hæc læua sponsi sub capite sponsæ, super quam reclinet, caput suum, hoc est, intentionem mentis suę sustentet. Quid enim aliud facient considerata tanta & tam indebita miseratio, tam gratuita & sic probata dilectio, tā inopinata dignatio, tam

Cant. 2. Ioan. 15. Psal. 56. 1. Pet. 2.

stupen-

stupenda dulcedo, nisi vt considerantis animum ab omni prauo penitus vendicatum amore, mirabiliter ad se rapiant, vehementer afficiant, perfecteque contemnere faciant, quicquid nisi in contemptu horum appeti non potest? Horum igitur vnguentorum odore sponsa currat alacriter, amet ardenter, & sibi parum amare sic amata videatur, etiam cùm se totam in amore constrinxerit. Quid enim magnũ, si puluis exiguus se totum ad redamandum collegerit, quando illa maiestas in amore præueniens, tota in opus salutis eius intensa cõspicitur?

Vtper memoriam passionis Christi potissimè quis moritur peccato, & viuit Deo, quantoque deformior, tanto nobis amabilior apparet. Cap. XXIII.

FAsciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Quàm dulciter Domine Iesu cum hominibus conuersatus es, quàm abundanter multa & magna bona hominibus largitus es, quàm fortiter tam indigna, quàm aspera pro hominibus passus es, ita vt liceat sugere *mel de petra, oleumq́, de saxo durissimo*: duro ad verba, duriori ad verbera, durissimo ad horrendæ mortis supplicia, quia in omnibus his *sicut agnus coram tondente se* obmutuit, & *non aperuit os suum.* Vides igitur quàm verum dixit ille, qui ait: *Dominus sollicitus est mei.* Pater, vt seruum redimeret, Filio nõ pepercit: Filius seipsum libentissimè tradidit: Spiritũ sanctum vterque mittit. Ipse *Spiritus pro nobis gemitibus inenarrabilibus postulat.* O duri & indurati & obdurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus sarcinulis tam pretiosas merces expendit. *Non enim corruptibilibus auro vel argento, sed pretioso sanguine* suo nos redemit: quem effudit abundè, quia largiter vndæ sanguinis de corpore Iesu per quinque partes emanauerũt. Quid igitur à te requirit *ô homo*, qui tanta solicitudine te quæsiuit, teque redemit, nisi *solicitum ambulare cum Deo tuo?* Quod potissimè fit per iugem memoriam Dominicæ passionis. Dicit enim Gregorius super illud, *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram:* Certum, inquit, est, quòd vbi mors Christi circumfertur, non potest regnare peccatum. Est enim tanta suauitas crucis Christi, vt si coram oculis ponatur, & in mente fideliter teneatur, ita vt in ipsam Christi mortẽ intentus oculus mentis aspiciat, nulla carnis concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla pec-

Deut 32. Isa.53. Actor 8. Psal.39. Rom.8. 1.Pet.1. Mich.6. Coloss.3.

cati posit inuidia superare. Nam qui de morte Christi assiduè cogitat, extinguitur in eo concupiscentia carnis, & effugatur peccatū: & hoc
Rom.6. modo dicitur quis mori *peccato*, & viuere *Deo*. Quid enim est viuere Deo, nisi in pace, in patientia, in iustitia, in sanctificatione, in charitate, cæteris que virtutibus, quæ omnia Christus est? In his ergo quicunque viuit, simul cum Christo in æternum viuit. Quàm felix igitur & salubris Dominicæ passionis memoria, quia carnem suā dedit in cibum, & sanguinem in potum, animā in pretium, vulnera in remediū, brachia in refrigerium, crucem in clypeum, sudorem in medicamentum, clauos in salsamentum, coronam spineam in ornamētum, & cor apertum in amoris indicium, aquam lateris in suaue balneum, totam vitam & mortem in exemplum, scilicet cruciformis perfectionis, vt in cruce virtutum cor nostrum sit affixū, in sensu carnis delectetur, & spiritualiter impingueſcat nostra affectio pariter & dilectio. In cruce denique humilietur superbia nostra, dilatetur charitas nostra, prolongetur perseuerātia nostra, exaltetur spes & expectatio nostra, totumq; cor nostrum, os & opus illi cruciformiter conformetur: sicut ex sola sua stupenda charitate pro nobis redimēdis mori dignatus est. O summa dulcedo diuinæ bonitatis & benignitatis, ô immensa charitas diuinæ largitatis, ô stupenda prodigalitas Dei, & hominis Iesu Christi, apud quem est plena peccatorū remissio, pietatis exhibitio, meritorū augmentum, infirmorum remedium, lapsorum refrigerium, tentatorum refugium, sanorum incolumitas, quietorum serenitas, & fortunatorum felicitas. O *speculum* munditiæ, virtutū & gratiarū omniū
Sap 7. pulchritudinum obiectū, ab impijs crucifixoribus tam multipliciter deturpatum. Quis dabit cordi meo tam præcipuum cōpassionis affectum, vt immensitate sua omnium amore singulari flagrantium votiuas superet compassiones? Nam quanto magnitudine doloris & amoris in morte pallens, obfuscatior e quadam mortifera deformior apparuisti, tanto cordi amorotō, & menti bene dispositæ amabilior fuisti. Sicut enim amās redamari naturaliter appetit, sic & abamato sui amoris manifestationē requirit. Propter quod exterior in cruce tua deformitas, maxima reputatur formositas: quia nō qualis apparuisti, sed qualia sustinuisti rememorandū est, vt tua deformitate nos formosos efficeres, præsertim cùm ex charitate nimia cuncta pertulisti, vt
Isa.53 nos redimeres, & tuo *liuore* nos sanares, tuaque morte nos feliciter viuificares. Hinc passionis tuæ memoria tanta spiritus deuotione distillar,

Passionis Dominicæ memoria, quàm sit salubris.
Ioan.6.

lat, quòd mentes recolẽtium *adipe & pinguedine* replere videatur: quia charitatem tuam nõ tam ex passione pia mens humana pensare debet, quàm ex animo patientis. Sic enim *semel* passus es morté pro nobis, vt paratus esses, si oporteret, mille millies mori pro nobis. Sic passus es mortem, vt paratus esses pœnam incomparabiliter morte grauiorem pro nobis mille millies sustinere: sed paratus non permissisti, quia non oportuit. Et ideo si millies moriamur, ac omnes vires tã animæ, quàm corporis expendamus, nihil tamen adhuc dignũ gerimus ad ea, quæ de tua dilectione percepimus, glorioſa beneficia. Versemur ergo iugiter in huiusmodi cogitationibus. *Beatus* enim, *qui* repleuerit *desiderium suum ex ipsis*: quia scribitur in libro de Mixtionibus elemẽtorum, quòd si interfector illum videt, quem interemit, statim interfecti vulnera emanant sanguinem. Sic si deuotionis oculo Christum rursum à nostris sceleribus crucifixum, per memoriã passionis eius fideliter intueamur, sanguinem eius recentem per verã compassionem emanare sentiemus. Sicut enim ex reflexione radiorum solis in speculo concauo faciliter ignis incenditur in panno; sic ex reflexione humanæ intelligentiæ in speculum passionis Dominicæ, cõsiderando qualiter nos dilexit Deus, in affectione faciliter incenditur ignis diuini amoris, quia dicit Apostolus: *Commendat autem Deus charitatem suam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est.* De quo mirantur & Angelici spiritus, dicentes: *Magna & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens. Iustæ & veræ sunt viæ tuæ Domine, rex* * *sanctorum.* Eius enim opera magna fuerunt per potentiam: quia postquam *omnia quæcunque voluit, fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis*, addidit & illud opus magnum, quo mortale & immortale fecit idem, ac duo maximè distantia in vnius personæ simplicitatem sine cõpositione copulauit. Fuerunt etiam mirabilia per sapientiam: quia postquam cuncta, sicut voluit, disposuit, addidit per sapientiam disponere *omnia suauiter*, mirabilem inueniens suæ passionis & humanæ redemptionis conuenientiam, quæ fuerat impossibilis ex parte creaturæ, quæ patiendo non sufficiebat ad redimendũ: & etiã ex parte Creatoris, qui inhabilis erat ad patiendum, & moriendum. Fuerunt etiã iusta per æquitatem: quia postquam omnem inæqualitatem ab operibus suis exclusit, tandè iustitiam rigidissimã cum maxima tamen misericordia cunctis ostẽdit. Nam vt iniustitia humana non maneret inulta, nec diuina misericordia

Dulcedo in passione Domini.
Psal. 62.
1. Pet. 3.
Psal. 126.
Rom. 5.
Apoc. 15.
* Al. seculorum.
Psal. 134.
Sap. 8.

dia maneret vacua, iustum Dei Filium, vt seruum redimeret, tantis supplicijs, opprobrijs, & angustijs tradidit, crucisque suspendio tanquam genere mortis despectissimo, pro peccatis nostris abolendis accepit in sacrificium satisfactionis. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret* in eius redemptionem, & reconciliationē.

Ioan. 3.

Peroratio. Erige nunc oculos tuos, ô anima mea, ad fontem lucis huius ardentis, vt ignorantia tua indagatione passionis eius illustretur, & detestanda tepiditas incalescat. Quòd si quid aduersi patimur, si persecutiones, si detractiones, infirmitates, vel alias angustias, & aduersitates quascunque, iuxta Apostolum ad Hebræos: *Aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione cōtempta.* His, inquam, te totam immerge, quia frequenter his occupari, dixi sapientiam: alioqui est impossibile peruenire quempiam ad perfectam acquisitionem veri luminis virtutis, aut diuini gustus, seu sensus, & gratiæ singularis. *Verbum enim crucis* sicut *pereūtibus quidem stultitia est*; sic his, *qui salui fiunt, Dei virtus* & sapientia *est*. Igitur *anima mea conuertere in requiem tuam*, id est, in Deū tuum, affectione pariter & imitatione, vt in te, tanquam in speculo, suam imaginem expressè repræsentet, & in te ineffabiliter delectetur, tibi familiariter congratuletur, te eleuet innouando, te innouet decorando, te decoret amando, te amet inhabitando, te à casu futuro conseruet præcauendo, & te lætificet de conuersione gratias agendo.

Heb. 12.

1. Cor. 1.

Psal. 114.

Quod Christus commendat in passionis opere patientiam, in modo humilitatem, in causa charitatem, in fructu reparatam humanam dignitatem. Cap. X X. IIII.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Dicit sanctus Bernardus: In Christi passione tria comenit specialiter intueri, scilicet opus modum, & causam: nos autem & quartum addamus, scilicet fructum illius. Primò namque commendatur in opere patientia singularis: quia cùm *supra dorsum eius* sic fabricarēt *peccatores*, cùm sic extēderetur in ligno, quòd dinumeraretur *omnia ossa* eius, cùm fortissimum illud propugnaculum, quod custodit Israel, vndiq; foraretur, cùm foderentur *manus* eius *& pedes*, velut *agnus ad occisionem ductus est, & tanquam ouis coram tondente se, non aperuit os suum*: non aduersus Patrem murmurans, à quo missus est: non aduersus ge-

Patientia Christi.

Psal. 128.

Psal. 21.

Isaiæ 53.

Act. 8.

nus

nus humanũ, pro quo, quæ non rapuit, exſoluebat; nec cõtra po-
ſſibilitatem ſibi peculiarẽ, à quo pro tãtis beneficijs tanta mala recipiebat: ſed econtra flagellis cæſus, ſpinis coronatus, clauis cõfoſſus, patibulo cõfixus, opprobrijs ſatiatus, omniũ tamen dolorũ & iniuriarũ immemor. *Pater*, inquit, ignoſce *illis*, quia neſciunt *quid faciunt*. O quàm multus es Domine *ad ignoſcendũ*, & q̃ magna multitudo benignitatis tuæ, quando in ipſa elatione *manuum* tuarũ, cùm iam *ſacrificium matutinũ* tranſiret in holocauſtum *veſpertinum*: in ipſa, inquam virtute incenſi, quod cælos aſcendebat, terram operiebat, inferos reſpergebat, exaudiendus *pro* tua *reuerentia*, *lachrymis* perfuſus, clamans dixiſti; *Pater* ignoſce *illis*. Clamant illi, *Crucifige*: tu clamas, *Pater* ignoſce. O quàm longæ ſunt *cogitationes* tuæ à cogitationibus noſtris? Quàm firmata eſt etiam ſuper nos impios miſericordia tua? Hinc multæ miſeriæ corporis, hinc multæ miſeriæ cordis, hinc dolores, hinc liuores, hinc plagæ, hinc guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Sed vincant *miſericordiæ tuæ antiquæ Domine*. Magna illorum iniquitas, ſed multo maior per omnẽ modũ pietas tua Domine: quia *charitas patiens eſt*, vt inimicum ſufferat, *benigna eſt*, vt etiã inimicũ diligat, ac malum in bono vincat. Et ſi quæris: An non valuit opus ſuum reparare Creator ſine tali difficultate & iniuria ſui? Dico, vtiq; valuit: ſed cum iniuria ſui taliter reparare maluit, ne peſsimũ ingratitudinis vitiũ occaſionẽ de cætero reperiret in homine. Multũ enim fatigationis aſſumpſit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, cõmoueretq; ad gratiarum actiones difficultas redẽptionis, quem minus deuotum fecerat facilitas conditionis. Nam homo gratis eſt conditus ſine grauamine, vel labore auctoris. (Siquidem *dixit, & facta ſunt*,) ſed non gratis eſt redemptus: quia de Domino ſeruus, de diuite pauper, de Verbo caro, de Dei Filio filius hominis pro redemptione hominis fieri nõ deſpexit, ac triginta annis eius *ſalutẽ* operari dignatus eſt *in medio terræ*, in labore & ſiti, in frigore & nuditate, in ieiunio & oratione, in vituperio & obfuſcatione. Suſtinuit dura verba, duriora verba, duriſsima mortis ſupplicia. Secundò verò commendatur in modo humilitas. Nam in humilitate iudicium eius ſublatũ eſt, cùm nec ad tãtas blaſphemias, quas ſibi obijciebant, nec ad crimina reſponderet, ſed potius illud Propheticum reuoluebat: *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum, quoniam ego in* flagellis *paratus ſum*. Vnde in modo eius paſsionis, & noſtræ redẽptionis fuit omnimoda deſpe-

Lucæ 23.
Iſaiæ 55. Pſal. 140.
Lucæ 15.
Pſal. 88.
1. Cor 13.
Pſal. 32.
Pſal 73.
Humilitas Chriſti.
Pſal. 53. Pſal. 37.

ctio,& extrema exinanitio,qua pro nobis seipsum *exinaniuit vsque ad*
Philip.2. carnem,crucem, & *mortem*. Quis enim dignè poterit æstimare, quantæ fuerit humilitatis, & exinanitionis Dominum maiestatis carnem
Isaiæ 53. indui, cruce turpari, morte mulctari? *Vidimus*, inquit, *eum* non ha-
Psal.44. bentem speciem neque decorem, nec speciosum *forma præ filijs hominum*: sed *opprobrium hominum*, & *despectum* tanquam *leprosum*. & *nouissimum virorum*, *virum dolorũ*. & *percussum à Deo*, ac *humiliatum*. O nouissimum,& altissimum: ô humilem, & sublimem? ô opprobriũ hominũm,& gloriam Angelorum. Illo nemo sublimior, nemo humilior. Nihilne merebitur vel ista humilitas, quæ hunc habet modũ, imò quæ tam est vltra modum? Sicut enim eius patientia est singularis, sic & humilitas admirabilis, vtraque sine exemplo; digna tamen in Redemptore humilitas tam admirabilis, & patientia tam insuperaMatth.11. bilis, vt sui ab eo perfectè discerent: quia *mitis* est, & *humilis corde*. Talibus odoramentis refoue viscera tua, ô fidelis sponsa, vt abundes his vnguentis, non minus suauibus, quàm salutaribus, vt dicere valeas:
Cant.1. Charitas Christi. *In odorem vnguentorum tuorum* currimus. Tertiò, proinde commendatur in causa diuina charitas: quia videns Deus, quòd nec per amicos, nec per pretium nos ipsos redimere poteramus, se fecit fratrẽ nostrũ, nostram naturam allumendo de purissimis sanguinibus beatæ Virginis dorsum accipiẽs, vt verberaretur pro peccatis nostris, qui secũdùm quod Deus erat, non habuit vbi verberari posset. Dedit & sanguinem effusum in pretium, vt nos redimeret, sicut petijt Psalmista, dicens:
Psal.25. Psal.24. *Redime me Domine, & miserere mei, quia vnicus & pauper sum ego*. *Unicus*, non habens amicos: & *pauper*, non habeus denarios. Et cùm liberare nos posset ex potentia, maluit tamen hoc facere potius ex misericordia, vt amore nos adstringeret, & eius iustitiæ satisfaceret. Vnde
Ephes.2. meritò dicitur, quòd *propter nimiam charitatem qua dilexit nos* Deus, vt seruum redimeret, nec Pater Filio, nec Filius sibijpsi pepercit. Verè *nimiam*, quia mensuram excedit, modum superat, & supereminet virtutibus vniuersis. *Maiorem*, ait, charitatem *nemo habet, vt animam*
Ioan.15. *suam ponat quis pro amicis suis*. Tu tamen maiorem habuisti Domine, ponens eam pro inimicis. *Cùm* enim adhuc *inimici essemus, per*
Rom.5. *mortem* tuam,& tibi reconciliati sumus, & Patri. Vix pro iustis quis moritur: tu pro iniustis, ab iniustis, & cum iniustis passus es, moriens propter delicta nostra, qui venisti gratis peccatores iustificare; seruos facere fratres, captiuos hæredes, exules reges. O Domine Iesu, *quid est*

homo

homo, quia sic *magnificas eum? aut quid* sic *apponis erga eum cor tuum?* Iob 7.
Redemisti enim eum per suppliciū, quo nullum iniustius: quia passus es iustus pro iniustis, cum iniustis, & ex causis iniustis, sub iudicibus, & pœnis iniustis. Redemisti eum, inquam, per opprobrium, quo nullum vilius, *vt vltra* nūquam *apponat se homo magnificare super terram.* Rede- Psal. 9.
misti proinde eum per pretium, quo nullum pretiosius, scilicet anima & corpore, vita & sanguine, & quicquid preti; fuerat in homine Deo. Redemisti nos etiam per mysterium, quo nullum est profundius, cuius nec longitudinem, nec latitudinem, nec sublimitatem, nec profunditatem humana capit intelligētia. Redemisti denique per exemplum, quo nullum perfectius. Passio namque Christi cōplectitur om- 1 Pet. 2.
nem perfectionē homini possibilem in hac vita. Hinc ait Petrus: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exēplū, vt sequamini vestigia eius.* Passionis Christi fructus.
Quartò cōmendatur in fructu humanæ naturæ reparata dignitas, propter quam reparandā summa sapientia voluit à stultis illudi, summa innocentia voluit ab impijs flagellari, & præ filijs hominum speciosis forma voluit à vilibus conspui, vitaque nostra perpetua voluit tam pœnaliter mori, vt vel sic tandem plenum fructum suæ passionis consequeremur. Talem, inquam, fructum, qualem ipse promisit, dicens: Dignitas Christi.
Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem, id Lucæ 6.
est, mensurā sine mensura: quam nec *oculus vidit, nec auris audiuit, nec* 1. Cor. 2.
in cor hominis ascendit, cùm Iesus glorificatus erit *omnia in omnibus,* vtpote rationi plenitudo veritatis, volūtati plenitudo charitatis, & memoriæ cōtinuatio æternitatis. O veritas, ô charitas, ô æternitas, quan- Psalm. 102.
do replebis *in* his *bonis desiderium* meum? vt verè dicam: *Dilectus meus inter vbera mea commorabitur.* Cant. 1.

Quòd Christus crucem ascendit sponte propria, ex charitate maxima, & ex Patris obedientia: ex quibus passio reddebatur summè fructifera. Cap. XXV.

Dixi: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius. Cant. VII. *Dixi,* ait Dominus, id est, ab æterno disposui, ex intima charitate, & spōtanea voluntate, quòd *ascendam in palmam,* id est, in crucem, cuius pars, vt creditur, erat de palma, & erat in altum crux eleuata sicut palma, vt in ea Iesus exaltatus traheret *ad* se *omnia.* Antiquitus etiam victoria designabatur in palma, quam gloriosè Christus in cruce tri- Palma cur crucē Christi designet. Ioan. 12.

umphans adeptus est. *Et apprehendam fructus eius*, qui sunt fructus humanæ salutis, vt scilicet ibidem pro te, ô anima, mortem sustineam, aqua lateris mei te lauando pulchram efficiã, effusoque sanguine meo copiosè te redimam. *Apprehendam* etiam *fructus eius*, qui sunt fructus corporis mei, scilicet illius glorificationem, resurrectionis accelerationem, ascensionis gloriosam ostensionem, nominis mei manifestationem, ac iudiciariæ potestatis adeptionem. Dicat etiã fidelis Christianus: *Ascendam in palmam*, id est, in Crucem, Christi passionẽ iugiter rememorando, dolenter compatiendo: viuaciter intuiscerando, & fideliter imitando: quia *Christus passus* 1. Pet. 2. *est pro nobis, relinquens* nobis *exemplum*, vt *eadem cogitatione* nos armantes, sequamur *vestigia eius*, 1. Pet. 4. *Et apprehendam fructus eius*. Non solùm fructus nostræ redemptionis, gratus existendo, & gratias agendo, sed etiam fructus exemplaris perfectionis fideliter imitando perfectionem illam omnium virtutum. Vnde Anselmus lib. de Meditatione redemptionis humanę. An aliqua necessitas coëgit Christum, vt in passione sẽ sic altissimus humiliaret, & omnipotẽs ad perficiendũ opus salutis nostræ tantum laboraret, in doloribus angustijs, & opprobrijs? Sed omnis necessitas, & impossibilitas eius subiacet voluntati. Quippe quod vult, necesse est esse: quod autẽ non vult, impossibile est esse. Sola igitur volũtate hæc fecit, & pertulit. Et quia volũtas eius semper est bona, sola fecit hæc bonitatẽ. Nõ enim Deus egebat, vt hominẽ hoc modo saluum faceret: sed humana natura indigebat, vt hoc modo Deo satisfaceret. Non indigebat Deus, vt tam laborioſa pateretur: sed indigebat homo, vt ita Deo reconciliaretur. Nec indigebat Deus, vt sic humiliaretur: sed indigebat homo, vt sic de profundo inferni erueretur. Nam cùm peccare est Deum inhonorare (quod homo facere non debuerat, etiam si necesse fuisset perire, quicquid est, quod Deus non est) ideo exigebat ratio, quòd peccans aliquod maius redderet Deo pro honore ablato, q̃ sit hoc, p̃ quo illum exhonorare non debuit. Quod quia natura humana non habuit, ne iustitia Dei in suo regno peccatũ relinqueret impunitũ, Dei bonitas subuenit, & humanam naturam in suam personam Dei Filius assumpsit, vt in ea persona esset Deus homo, qui haberet, quod superaret, non solùm omnem essentiam (quæ Deus non est) sed etiam omne debitum, quod peccatores soluere debebant. Et hoc, cùm nihil pro se deberet, pro alijs solueret, qui quod debebant, reddere non habebant. Pretiosior est enim vita hominis illius, quàm omne quod Deus nõ est, & su-

& superat omne debitũ, quod peccatores pro satisfactione debebãt, vel debere possent. Mors enim eius superat omnem magnitudinem, & multitudinem peccatorũ, quæ excogitari possent extra personã Dei. Quam (quia non debuit, eò quòd peccator non fuit, sponte tamen ad honorẽ Patris passioni, & morti se obtulit, & inferri permisit, vt alijs ostẽderet iustitiã Dei non esse deserendã propter mortẽ, quã quandoq; soluere deberet ex necessitate, cùm ipse, qui nõ debebat, illatam iniustè propter iustitiã sponte sustineret, vt hominẽ perfectè liberaret, & primæ dignitati restitueret. O fortitudo Dei abscondita, hominẽ in cruce pendentem, æternã suspendere mortem, genus humanum prementem: hominem ligno confixum, diffigere mundum perpetuæ morti affixum. O celata potestas, hominem damnatũ cum latronibus, homines saluare damnatos: hominem in patibulo extensum, omnia trahere ad seipsum. O virtus occulta, vnam animã emissam in tormento, innumerabiles extrahere de inferno: hominẽ mortẽ corporis suscipere, & animarũ mortẽ perimere. In his omnibus non est humiliata natura diuina, sed exaltata humana: nec illa immutata, sed ista misericorditer adiuta. Nec humana natura passa est aliquid vlla necessitate, sed sola libera voluntate. Nec violentiæ succubuit, sed ad honorẽ Dei, & hominũ vtilitatẽ, quæ illi mala voluntate sunt illata, spontanea bonitate misericorditer sustinuit: nec vlla cogente obedientia, sed potenti disponẽte sapientia, quod Patri placitũ, & hominibus profuturũ intellexit, hoc sponte fecit, obedientiã Patri liberã exhibẽdo. Fuit igitur passio Christi ex obediẽtia, & tamen ex volũtate spontanea. Nam ex obediẽtia Patris mortẽ susceptit, iuxta illud Apostoli: *Factus* est *obediens* Patri *vsque ad mortẽ, mortem autẽ crucis*. Et illud Ioannis: *Potestatem habeo ponẽdi animã meam, & potestatẽ habeo iterum sumendi eam*. Et *hoc mandatũ accepi à Patre meo*, scilicet *eam ponendi, & iterum sumendi*. Et hoc fuit conuenientissimum. Primò, humanæ iustificationi: vt *sicut per vnius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi*, sic *per vnius* hominis obedientiam, *iusti* constituantur *multi*. Secundò, diuinæ ad homines reconciliationi, iuxta illud Pauli: *Reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius*, in quantum scilicet Christi mors, Deo Patri sacrificiũ erat acceptissimum, secundùm illud: *Tradidit semetipsum oblationem pro nobis, & hostiam Deo in odorem suauitatis*. Omnibus autẽ sacrificijs antefertur obedientia, quia dicitur 1. lib Reg. *Melior est obedientia quàm victimæ*. Et ideo conueniens erat, quòd sacrificium

Mortis Christi virtus quanta.

Obedientia Christi.

Philip 2.
Ioan. 10.

Rom. 5.

Ibidem.

Ephes 5.

1. Reg. 15.

passionis & mortis Christi procederet ex obedientia. Tertiò, fuit conueniens eius victoriæ, qua de morte & auctore mortis gloriosè triumphauit. Sicut enim miles, qui vincere desiderat, debet esse obediês duci; sic & homo Christus per hoc victoriâ obtinuit, quòd obediens Deo Patri fuit, quia, vt dicitur in libro Prouerbiorũ: *Vir obediens loquetur victorias.* Nihilominus tamen ex dilectione Patris animam suam posuit, & ex dilectione nostra, vt obedientia voluntaria esset, & veraciter dicere posset: *Voluntariè sacrificabo tibi.* Nam secundùm Augustinũ 10. libro de Ciuitate Dei: Verum sacrificium est omne opus, quod agitur, vt sancta societate Deo adhæreamus, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus. Christus autẽ (vt subdit ibidẽ) in passione seipsum obtulit pro nobis. Et hoc ipsum opus, quo voluntariè sustinuit passionem, Deo maximè acceptum fuit, vtpote proueniens ex maxima charitate Dei Patris, & proximi. Vnde subdit Augustinus: Huius veri sacrificij multiplicia variaq; signa fuerũt priscа Sanctorum sacrificia, cùm hoc vnum per multa figuraretur, tanquã verbis multis res vna diceretur, vt sine fastidio multitudini commendaretur. Et cùm, vt dicit Augustinus libro 4. de Trinitate, quatuor in omni sacrificio considerentur, cui scilicet offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, & pro quibus offeratur: Idem ipse, qui vnus verusque mediator est, per sacrificiũ pacis reconciliauit nos Deo, vnum cum illo manens, cui offerebat; vt vnum in se faceret, pro quo offerebat; vnus ipse esset, qui offerebat, & quod offerebat. Quòd autem prompta voluntate, & ex charitate sacrificium suæ passionis offerebat, ostendit apud Iohannem, dicens: *Vt cognoscat mũdus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc,* scilicet ad locum passionis. Quòd etiam ex dilectione nostra passionem illam assumpsit, ostendit Apostolus ad Ephesios, dicens: *Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis.* Tanto namque charitatis affectu ferebatur in ipsam passionis, & mortis ignominiam, quòd diceret: *Meus cibus est, vt faciam voluntatẽ* Patris mei, *qui misit me.* Eadẽm namque ratione Christus ex obedientia, & charitate passus est, quia præcepta charitatis non nisi ex obedientia impleuit, & ex dilectione ad Patrem præcipientem obediens fuit.

Prou. 1.

Psal. 53.

Ioan. 14.

Ephes 5.

Ioan. 4.

Hæc igitur, ô fidelis sponsa, mãde & rumina: hæc sugat & glutiat cor tuum, cùm eius carnem & sanguinem accipit os tuum. Recole, quia captiua eras, & hoc modo redempta; ancilla, & sic liberata; exul, & re-

& reducta; perdita, & restituta; mortua, & resuscitata. Per hæc enim, & non nisi per hæc, manebis in Christo, & Christus in te. Considera quid tibi erat, & quid tibi factum sit, & pensa quis tibi hoc fecit, quo amore dignus sit. Intuere necessitatem tuam, & bonitatem suam, & vide quas gratias reddas, & quantũ eius amori, & solicitudini debeas.

De quatuor voluntatibus in Christo, ac de earum diuersitate, & conformitate in sua passione. Cap. XXVI.

Dixi: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius. Ad euidentiam eorum, quæ iam dicta sunt, sciẽdum est, secundùm Richardum in libro 3. Sententiarum, quòd in Christo fuerunt plures voluntates: & si numerentur secundùm naturas, tunc sunt duæ, scilicet diuina & humana: si verò secundùm potentias, tunc sunt tres, scilicet voluntas diuina, voluntas animæ rationalis, & voluntas appetitiua sensitiua, quæ extenso nomine voluntas dicitur, quia mouetur post apprehensionẽ: quamuis propriè non inuenitur voluntas, nisi in rationali parte. Si deniq; numerentur secundùm modos volẽdi, sic sunt quatuor; quia diuiditur voluntas rationalis in deliberatiuã & naturalem, quam Hugo vocat voluntatem pietatis, in libello de voluntatibus Christi, vbi sic ait: Fuit in Christo voluntas diuinitatis, voluntas rationis, voluntas pietatis, & voluntas carnis. Voluntas diuinitatis per iustitiam sententiã dictabat: Voluntas rationis per obedientiam veritatem approbabat: Voluntas pietatis per cõpassionem in alieno malo suspirabat: Voluntas carnis passionem in malo proprio refugiebat. Et hic cõparauit Hugo voluntatem ad modum volendi. Si ergo quæritur: Vtrũ in Christo fuit conformitas voluntatum? Dicendum secundùm Bonauenturam, quòd talis conformitas in duobus cõsistit. Primò cõsistit in volito, vt quandò vnum & idem volũt: & hoc quandoq; est de necessitate, quandoq; de congruitate, quandoq; præter necessitatem & congruitatem: quia possibile est, quòd voluntates sunt conformes, ita quòd vna subsit alteri, & tamen non velint idem, quia voluntas superior non vult inferiorem velle quod ipsa vult, sed magis contrarium. Secundò, consistit in ratione vel modo volendi, vt quando eodem modo volunt, vel altera vult illud eodem modo, quo superior vult eam velle: & hoc secundum est ad perfectam conformitatem.

Voluntates quatuor in Christo.

Conformitas in quib. consistat.

Conformitas igitur in modo, vel ratione volendi, fuit in omnibus

Voluntatis diuersitas in Christo.

voluntatibus Christi, quamuis ex parte voliti non esset identitas, quia vnaquęque voluntas volebat, quod suum erat. Nam diuina voluntas, quod iustum erat, volebat. Voluntas rationis iustitiæ consentiebat, & eam approbabat. Voluntas pietatis sine odio infimæ miseriæ condolebat. Voluntas carnis iustitiam non accusabat, sed pœnam recusabat: & sic vnaquæque voluntas, quod suum erat, operabatur, & quod ad se pertinebat, sequebatur. Voluntas diuina iustitiam, voluntas rationis obedientiam, voluntas pietatis misericordiam, voluntas carnis naturam: nec tamen istæ voluntates à diuina voluntate, vel in minimo discordabant, quod sic patet: Nam volũtas deliberatiua rationis nunquam discordabat à voluntate diuina; nec in volito, quia volebat quicquid sciebat diuinam velle voluntatẽ; nec in forma, vel modo volendi, quia quicquid volebat, ex charitate volebat, & sic volebat, sicut eã Deus velle volebat. Ex hoc enim quòd Christus ipsam passionem acceptauit gratanter, & voluntariè, voluntate deliberatiua rationis, meruit & sibi, & nobis omnibus; quod meritum fuit in actu voluntatis formaliter, & in passione materialiter, in quantum ipsa fuit voluntati materia merendi. Quamuis enim in passione Christus non meruit, in quantum comparatur ad causam suam efficientem, tamen multum meruit, in quantum comparatur ad Christi voluntatem, eam ex maxima charitate patienter sustinentem, & acceptantem, quod sic patet: Quia per alium modum, quàm per suam mortem humanam naturã potuit liberare. Sicut enim nullis meritis præcedentibus per meram liberalitatem ita naturam humanam exaltauit, quòd eam sibi vniuit in vnitate personæ: sic si voluisset, eam reparare potuisset absq; omni satisfactione. Sed per propriam mortem liberare, & exaltare voluit, quia nullus alius modus ita conueniens fuit. Per hunc enim modum ad nos vim suæ dilectionis efficacius ostendit. Vnde Lucas dicit, quòd in transfiguratione Domini Iesu apparuerunt Moses & Helias, *visi in maiestate, & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.*

Lucæ 9.

Amor Christi excessiuus ad nos.

Nam ibi completè ostẽdit amorem excessiuum, quem ad nos habebat, propter quem assumpsit & sustinuit excessiuos dolores, angustias, pressuras, miserias, ignominias, & confusiones. Quòd enim tali vituperio tractatus, & tali morte damnatus est homo Deus, fuit stupendæ humilitatis abyssus, & stupẽdæ dignationis excessus. Et hęc omnia suscepit & sustinuit ex amore propter electos. Vnde dicit Alexander de Hales in lib. 3. Sententiarum, quòd passio Christi propterea fuit meritoria,

toria, quia fuit in parte rationali sicut volitum & placitum. Erat autem inæstimabile gaudium, & delectatio in superiori parte animæ suę, in qua fruebatur. Non enim fuisset virtuosus eius dolor, nec Deo gratus, si doluisset inuitus: quinimò sicut alijs fruebatur virtutibus, sic & ista virtutum suarum summa fruebatur. Nam in illum dolorē, quem assumpsit & sustinuit, sicut in rem sibi placidissimam, & à se inæstimabiliter dilectam, toto mentis conatu ferebatur. Hæc ille. O inæstimabilis amor Christi, quo tanto affectu propter nos adhuc inimicos, & totis viribus repugnantes, tam desideranter cucurrit ad pœnas, & crucem, vt diceret *Baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor*, donec *perficiatur*. Considerans enim meritum suæ passionis, & fructum suæ sanctissimæ crucis, paratus erat, si oporteret, in æternū cruciari, & infinitis doloribus angi, tam ob amorem paternum, quàm etiam ob amorem & vtilitatem fraternam: ac per hoc tantum meruit apud Patrem, ac si fuisset æternaliter cruciatus, quia per voluntatem, & desiderium totam vitam suam dilatauit ad vnum quoddam infinitum, & ad tolerantiam infinitæ materiæ mortis, vt suo æterno perfectius Patri satisfaceret, & nos perfectius cum Deo pacificaret. Et in hoc apparet ex parte circa nos incomprehensibilitas immensissimæ suæ charitatis. Secundò, voluntas naturalis rationis in Christo, non discordauit à voluntate diuina in aliquo, quod patet. Primò, quia formalis ratio, sub qua voluntas naturalis in Christo mortem refugiebat, & illa ratio, sub qua voluntas deliberatiua mortem optabat, non discordabāt; quia voluntas naturalis mortem refugiebat, in quantū erat aliquod malū naturæ secundùm se. sed voluntas deliberatiua volebat eam, in quantum apprehendebatur, vt vtilis ad redemptionē humani generis secūdùm ordinationem diuinam. Esse autem aliquod malum naturæ secundùm se, & illud esse bonum in ordine ad aliquem finem, nullam importat repugnantiā. Secundò, quia qui vult, quod alius vult eum velle, nō discordat ab eo in volendo: sed illud, quod voluntas naturalis volebat in Christo, voluntas deliberatiua volebat eam velle, quia volebat, q, secundùm motū suum naturalē moueretur. Et quia conformitas voluntatis ad voluntatē non solùm attenditur secundùm assimilationē, sed etiam secūdùm subiectionē, ideo Deus à volūtate naturalis rationis non requirebat cōformitatē assimilationis, vt idē vellet, quod ipsa voluntas deliberatiua vellet: (illam enim tulit, cùm in oratione dixit: *Non sicut ego volo*) sed conformitatem subiectionis, vt Luc. 22. Matth. 26.

vellet illud, quod Deus ordinauit eam velle. Vnde Christus obtulit conformitatẽ subiectionis, ostendens, se velle diuinæ voluntati subesse, subdens: *Sed sicut tu.* Similiter appetitus sensitiuus in Christo non discordabat à voluntate deliberatiua rationis in aliquo, quamuis non appeteret id, quod voluntas deliberatiua volebat, sed pœnam & mortem corporis refugiebat, quam illa volebat; quia quod refugiebat, ad imperiũ voluntatis deliberatiuæ refugiebat, & cõtrarium appetebat, quia per hoc in Christo maior pressura dolorum, & angustiarum resurgebat, nec tamen per talem motum contrarium voluntatis rationis naturalis, & appetitus sensitiui retardabatur in aliquo, vel impediebatur appetitus deliberatiuæ voluntatis. Hinc in Christo (secundũ Bonauenturã super 3. lib. Sententiarum) dolor & tristitia nõ solùm ad partem inferiorem rationis peruenerunt, sed vsque ad portionem superiorem se extenderunt: ita quòd tota illa anima benedicta pateretur cum corpore, vt sic tota peccatrix anima curaretur, quamuis etiã in anima Christi secundùm supremam partem rationis fuerat gaudium fruitionis. Et hoc teneatur tanquam verum, quamuis difficile sit ad intelligendum, qualiter in anima Christi secundùm eandem potentiam, & eundem statum potẽtiæ fuerit immensus dolor, & immensum gaudium, nec dolor superueniens discontinuauerit gaudium, nec econtrario, vt videbitur infra.

De triplici dolore in Christo, scilicet in sensu exteriori, in appetitu sensitiuo interiori, & in ratione tam inferiori, quàm superiori. Cap. XXVII.

Dixi: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius. De dolore Christi, quem habuit in passione sua, prosequendo, Sciendum (quòd secundùm Richardum super 3. lib. Sententiarum) in Christo fuit triplex dolor, & quilibet eorum, licet non fuit maximus simpliciter, eò quòd dolor damnatorum sit maior, (vt etiam sentiunt Thomas & Bonauentura, & alij) fuit tamẽ maximus inter omnes dolores huius vitæ, & omnes hi dolores vnam causam priuatiuam maioris intensionis habebant, quia vires inferiores à superiori portione non recipiebant aliquam mitigationem, quæ multum in alijs Sanctis alleuiabat dolores virium inferiorum, quod est diuina dispensatione factum. Nam quia Christus venerat ad curandum dolores nostros, dolorem intentissimum assumere voluit, vt

verifi-

verificaretur illud propheticũ: *Verè dolores nostros ipse portauit.* Cùm enim secundùm Hubertinum, in cæteris electis Dei, propter amorem diuinum decertantibus, influxus diuini dulcoris ferè totam supportauit, & temperauit illati doloris vehementiam, solus ipse Iesus, quantum ad hoc, præter cæteros in passionibus est derelictus, vt tam immensè pateretur sine aliquo refrigerio, quantum illa natura passibilis pati poterat. Et hunc sensum tangit Glossa super librum Leuiticum, loquens de hirco emissario: Tempore, inquit, passionis Christi, diuinitas in cælum abijsse dicitur, non quidem locũ mutans, sed virtutem cohibens, vt possent impij consummare passionem. Et hæc pœna derelictionis fuit ei grauior omnibus alijs pœnis, quinimò sine hac nulla fuisset ei pœna Quæ profectò derelictio sumpsit initiũ, vt rationabiliter creditur, cùm præ angustia spiritus sudorem emisit sanguineũ, in egressu animæ eius superbenedictæ terminanda. Et hoc ostendit, cùm dixit: *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Quod verbum secũdùm Hubertinum, excessiuum prætendit amorẽ, quia cùm eadem sit derelictio & expositio Patris & Filij, non videtur aliud dicere Patri: *Vt quid dereliquisti me?* quàm respectu reciproco super amorem cõuerti, & admirari, ac alijs admirabilem proclamare stupendam sui expositionem ad tam horribile genus mortis pro sic impijs & ingratis, cuius nulla ratio potest assignari, quàm sua inæstimabilis charitatis incomprehensa mensura. Primus igitur dolor Christi fuit in sensu exteriori, qui maximus fuit in genere suo, tum propter vehementissimum sensum læsionis corporis. (Nam propter magnã æqualitatem & nobilitatẽ complexionis, sensus tactus fuit in eo viuacissimus. Vnde sicut nullus potest ei æquari, nec in æqualitate complexionis, nec in viuacitate sensus, sed illius dolor sensibilis tam exterior q̃ interior fuit omnium dolorum acutissimus.) Tum etiam, quia patiebatur in membris maximè sensibilibus, scilicet in manib⁹ & pedibus, vbi est magna neruorum abundantia, in quibus maximè viget sensus tactus. Mors enim in cruce confixi iudicatur acerbissima, quia talis configitur in locis maximè neruosis, & sensibilibus, & pondus corporis pendentis auget continuè vim doloris, quãuis illud genus mortem protrahat pendentis. Tum denique, propter vniuersalitatem doloris, quia passus fuit per totum corpus, vt *à planta pedis vsq; ad verticem* capitis *non* esset *in eo sanitas*; quod tandem erat in cruce sic extensum, quòd dinumerari poterant *omnia ossa* eius: qui dolor continuabatur

Isaiæ 53.

Leuit. 16.

Lucæ 22.

Matth. 27.

I.

Christi primus dolor sensus exterioris.

Isaiæ 1.

Psal. 21.

batur per ſuſpendiū in cruce tribus horis, vt copioſa fieret redemptio, & ſuæ charitatis perfectiſsima exhibitio. Cuius etiam doloris magnitudinem ex hoc colligere poſſumus, quia Chriſtus ex ſola memoria iam imminentis paſsionis, præ cordis anguſtia, ſudorem emiſit ſanguineum. Vix enim credibile foret alicui viuenti, quales anguſtias natura delicata mortem horrendo perſenſit, cùm tam crudelia ſupplicia ſibi iam imminere cognouit. In cuius argumentum dixit: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*: quia triſtitia illa tantum erat intenſa, quantū eſſe poterat citra mortē. Vbi nunc es, ô fidelis ſpōſa, iam imagine Dei tui nobiliter inſignita? Velis, obſecro, Chriſto Ieſu pro tua ſalute ſuppliciter oranti, ſudanti, gementi, lachrymanti, & agonizanti, fideliter aſſiſtere. Noli dormire illi, qui non dormiuit tibi, ſed in corde tuo collige guttulas ſanguinis ſui, quas pro te ſudando copioſè fudit in terram. Secundus verò dolor fuit in appetitu ſenſitiuo interiori, qui ſpeciali nomine triſtitia dici debet, qui fuit etiā in eo maximus in genere ſuo: quia nimirum apprehendebat ſe mori pro inimicis, & ingratis etiā crucifixoribus, qui paſsionē illam ſibi iniurioſiſsimè inferebant. Plus enim triſtatur homo de paſsione ſibi iniuſtè & iniurioſè illata, quàm de iuſtè & quaſi cōpaſsiuè illata: imò ipſa anima ſecundùm omnes potētias eius & vires inferiores patiebatur, eò quòd in ſingulis animæ viribꝰ inferioribus, quæ circa tēporalia operātur, aliquid inueniebatur, quod erat cauſa doloris Chriſti. Hîctamen ſciendum, quòd in Chriſto fuit verus dolor paſsiōis & cōpaſsionis, & vterq; dolor fuit intenſiſsimus, quia multū in ſe doluit, & multū in nobis condoluit, & vterq; dolor fuit in ſenſualitate, & ratione, ſed ordine permutato. Nam dolor paſsionis, & carnis prius attingebat animā ſecundùm ſenſualitatē, & deinde ſecundùm alias vires. Dolor verò compaſsionis primò fuit in ratione, & ex ratione redundabat in ſenſualitate. Nam ſicut ratione noſtra dolente pro peccatis, gemit & lachrymatur ſenſualitas: ſic & Chriſtus, quia multum pro peccatis doluit etiam de peccatis noſtris fleuit. Veruntamē dolor compaſsionis in Chriſto fuit multū intenſior, quàm dolor paſsionis: quia licèt in eo magna fuerit cauſa dolēdi in ſenſualitate, propter ſeparationē animæ eius à carne, & magna diſpoſitione ad dolendū propter optimā complexionē. (Nam corpus eius optimè fuit complexionatum, vtpote ſancti Spiritus operatione miraculosè formatum) ideo ſicut illa, quæ per Chriſtum facta ſunt, miracula potiora ſunt, (vt dicit Chryſoſtomus de vino, in quod aquam

II. Dolor ſenſu. interioris. Lucæ 23.

Compaſsio maior paſsione.

Lucæ 22.

Matt. 26.

Ioan. 2.

aquam Christus conuertit in nuptijs) sic etiam eius corpus: & ideo maximè viguit in eo sensus tactus, ex cuius perceptione sequitur dolor. In dolore tamen compassionis, amplior erat ratio dolendi, propter inhonorationem Dei, & nostram à Deo separationem. Erat etiam maior dispositio ad condolendum propter dilectionis immensitatem. Nam quanto maior dilectio, tanto maiores sunt plagæ compassionis. Hinc Christi compassio multò plus excessit aliorum compassiones, q̃ passio passiones, sicut in eo fuit maior excellentia dilectionis, quàm passionis, respectu aliorum, licèt vtrobique multum excederet. Tertius denique dolor Christi fuit in portione partis intellectiuæ tam inferiori, q̃ superiori, qui dicitur dolor compassionis. Qui dolor (vt dictum est) ex ratione redundauit in sensualitatem. Et in genere suo fuit dolor maximus, maiorq; prædictis duobus doloribus. Pro quo notandum, quòd secundùm Bonauenturam super 3. Sententiarum, Christi passio non tantùm peruenit ad inferiorem rationem, sed etiam extendit se ad superiorem portionem; quia sicut anima nostra ex coniunctione sui ad corpus infectum tota corrumpitur, & inficitur secundùm omnem sui vim, & omnem partem tam superiorem, quàm inferiorem: sic anima Christi ex coniunctione sui ad corpus patiens, & afflictum, tota affligebatur & patiebatur, vt sic tota peccatrix anima curaretur. Hinc in Christo fuit dolor & passio, etiam secundùm supremam partem rationis, quamuis & in ea fuit gaudium fruitionis. Et hoc teneatur tanquam verum, quamuis difficilè sit ad intelligendum, qualiter in anima Christi secundùm eandem potentiam, & eundem statum potentiæ fuit dolor, & gaudium. Nec dolor superueniés discontinuauit gaudium, nec cõtra: sed simul fuerunt, nec (quod maius est) dolor intensissimus fecerat gaudium minus esse perfectum: & hoc ideo, quia Christus viator erat & comprehensor, ita q, viatoris cognitio nõ impediebat cognitionem cõprehensoris, nec affectio affectionem: quod erat in Christo singulare officiũ mediatoris, quo debebat experiri diuina & humana. Vnde sicut simul & semel perfectè cõuerti poterat ad Deum & ad nos, ita quòd vna illarũ conuersionum alterã non impediebat, vel retardabat, sic secundùm eandem partẽ animæ simul & semel gaudere potuit in Deo, & compati corpori suo, sic quòd nec dolor à gaudio, nec gaudium à dolore pateretur aliquam diminutionem, vel remissionẽ. Sicut enim in pœnitente videmus, q, simul dolet, & de dolore gaudet; sic anima Christi secundùm naturã com-

III. Dolor in parte intellectiua.

patiebatur corpori patienti, quæ tamen de illa passione lætabatur. Et hoc maximè verum est de gaudio fruitionis. Quamuis enim omnes animæ potentiæ ipsius Christi patiebãtur ex parte sui subiecti, quia potentiæ radicantur in essentia animæ, ad quam perueniebat passio corpore passo: tamen ratio superior ideo non patiebatur ex parte sui obiecti, scilicet Dei, qui non erat animæ Christi causa doloris, sed delectationis & gaudij, ita quòd tota anima Christi secundùm essentiam fruebatur, in quantum erat subiectum superioris partis animæ, cuius est frui, diuinitate, vt sicut passio ratione essentię attribuitur superiori parti animæ ita econuerso, fruitio ratione superioris partis animæ attribuatur essentię. Veruntamen anima Christi nõ fruebatur tota secundùm omnes eius potentias, nec quidem directè, quia fruitio non potest esse actus cuiuslibet partis animæ, nec per redundantiam, quia cùm Christus erat viator, non fiebat redundantia gloriæ à superiori parte in inferiorẽ, nec ab anima in corpus, sicut econtra, nec superior pars animæ per inferiorẽ partem impediebatur circa illud, quod est sibi proprium, ita quòd Christo patiente, superior pars animæ perfectè fruebatur.

Vt magnus fuerit dolor Christi, propter magnitudinem & multitudinem nostrorum peccatorum: quia quodlibet mortale sibi fecit in corde quasi quinque vulnera. Cap. XXVIII.

Dolor maximus in anima Christi.

DIxi: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Quia Christus omnes passiones & dolores assumpsit voluntariè propter finem humanæ liberationis à peccato, ideo tantam quantitatem dolorum assumpsit, quæ magnitudini fructus exinde sequẽtis esset proportionata. Nam quia non solùm potestate, sed etiam iustitia genus humanũ à peccatis liberare voluit, ideo non solùm attẽdit, quantam virtutem eius dolor haberet ex adiuncta diuinitate, sed etiam quãtus dolor sufficeret secundùm humanam naturam ad tantam satisfactionẽ. Veruntamen quamuis maximam assumpsit tristitiam, non tamen excedentem rationis regulam, licèt eius dolor, & passio totam occuparet animam ratione suæ essentiæ, eò quòd tota animæ essentia corpori coniungitur, ita quòd est tota in toto, & tota in qualibet eius parte: & ideo corpore patiente, & dispositio ad separationem ab anima, patiebatur anima tota. Et quia vnio naturæ diuinæ & humanæ facta est in persona &.

na & hypostasi, ac supposito diuino, manente tamen distinctione naturarum, vt scilicet sit eadem persona & hypostasis diuinæ naturæ & humanæ, salua tamen vtriusque proprietate naturæ, ideo supposito diuinæ naturæ attribuenda est passio, non tamen ratione diuinæ naturæ, quæ est impassibilis, sed ratione naturæ humanæ. Hinc dicit Cyrillus in epistola synodali: Si quis non confitetur Dei Verbū passum carne, & crucifixum carne, anathema sit. Et iterum dicit in quodam sermone Ephesini Concilij, quòd mors Christi, tanquam facta mors Dei, scilicet per vnionem in persona, destruxit mortē, quia Deus & homo erat, qui patiebatur. Non enim natura Dei læsa est, nec mutatione sua suscepit passiones. Cæterùm inexpressibilē illā pressurā doloris Christus sustinuit ex quinq; causis concurrentibus, secundùm Hubertinū. Prima causa fuit imaginatio, & inflictio crudelissimæ & pœnalissimæ mortis. Secunda fuit derelictio totalis, & expositio ipsius sensualitatis, quæ totaliter fuit derelicta & exposita passioni & dolori: de quibus duobus iam visum est superius. Tertia causa fuit pro damnabili Iudæorum obstinatione, & nimia multorum ingratitudine; quia præuidebat, quantum ad maximam redimendorum partem, se Christus in vanum laboraturum, & tam amaram mortē susceperū. Vnde tanta fuit eius mentalis passio, quantus extitit eius amor tam ad Deum, quam ad proximum. Tantum enim doluit de iniurijs Dei iniuriati, & hominis iniuriantis, quantum dilexit Deum & homines. Ad quamlibet etiam iniuriam, & contumeliam summi Patris singularem habuit aspectum, & pro singulis ac omnibus satisfecit. Similiter & multum doluit humanam ingratitudinem, circa beneficiū incarnationis suæ, de qua tantum dolorem in mente sua sumpsit, quantum erat humanitatis suæ beneficiū, quòd ingratis contulit, & quanta fuit in hoc charitatis suæ magnitudo, qua carnem assumpsit, & pro nobis redimendis crucifigi voluit. Nulla enim natura neque Angelica, neque humana beneficij assumptionis humanitatis nostræ magnitudinem, & immensę suæ charitatis incomprehensibilitatē circa genus humanum exprimere posset. Dolor igitur cum amore cōmensurari debet, vt quantus fuit amor Christi erga Deū Patrem & proximum, tantus esset & dolor de Patris offensa, & homine offendente. Sed Christus vnione diuina Deum inæstimabiliter amabat & proximum. Hinc hoc ipso, in quantum passibilis erat, inæstimabiliter dolere debuit, sicut absque mensura dilexit. Quòd si Deus esset infiniti doloris, sicut est infiniti amoris,

Causæ dolorū Christi quinque.

I.

II.

III.

Ingratitudo hominū.

& ille Christo vniretur vnione personali, cui dolores illos infunderet, nonne in infinitum doleret? Præterea Christus in anima sua tantum dolebat, quot & quantæ fuerunt mortales culpæ, per quas eius mẽbra præcidebantur ab eo; & quot & quantæ fuerunt infirmitates mẽtales & corporales præcisorũ membrorũ suorũ: quia *posuit in eo* Pater *iniquitatem omnũ nostrum*, & peccata tam facta ab initio mundi, q̃ facienda vsq; ad finem sæculi nõ solùm saluandorũ, sed etiã damnandorum, sicut non minus doluit pro malis dæmonum, (licèt redemptio non transiret ad eos) quàm pro culpis electorum: imò tanto amplius, quanto maior malitia, maiorq; iniuria Dei continebatur in illis, sicut ait ad Patrem, loquẽs: *Et omnes fluctus tuos induxisti super me*, quia tunc omnia peccata in mente portauit, & eorum debita supplicia sustinuit. Et tantum pro qualibet culpa sumpsit dolorem, quantũ erat grauis æterni Patris iniuria, & quantum requirebat emenda. Cùm igitur vnius peccati mortalis iniuria sit infinita, quanta putas tunc erat grauitas doloris omnium simul in Christo, quo redimere voluit miseros à peccatorum dispendio? Stupendum igitur excessum doloris assumpsit ex respectu gratiæ capitis, quo redemptor & emendator erat omnis mali, quod inflictum erat per peccatum. Vnde susceptit hæc omnia vt sua, non quidem ad cõmittendum, *qui peccatum non fecit*, sed ad perfectè soluendum & satisfaciendum, ad quod venit. Et hoc Hubertinus ostendere volẽs, dicit: quòd Christus in se recollegit omnia peccata perpetrata & perpetranda, tanquam expiaturus ea, quantũ ad sufficientiã. Quia cùm viator erat & comprehensor, illa omnia clarius & magis distinctè cernebat, quàm aliqua mens humana peccatum aliquod singulare videre posset & vnumquodque peccatum mortale respectu animæ dulcissimi Iesu fuit quasi furca ferrea quinque dentibus armata, quinq; ferales aperturas vno ictu perficiens. In cuius argumentum in corpore suo benedicto quinq; vulnera retinere voluit, ostendens, quòd mortaliter peccans eum spiritualiter denuo crucifigit, secundùm illud Pauli: Iterum *crucifigentes sibimet Filium Dei, & ostentui habẽtes*. Primum vulnus est, quia peccatũ est diuinæ vindictæ prouocatiuũ. Et quia Christus erat mediator pacis, vtpote *pax nostra, qui fecit vtraque vnum*, ideo quantum dilexit pacẽ inter Creatorem & creaturam, tantum doluit inimicitiã & iram diuinam ex peccato causatã. Hinc etiã pro suis crucifixoribus Patrẽ tam efficaciter oratit. Secundum vulnus est, quia peccatũ est maximè ipsius Dei iniuriatiuum, vtpote

Grauitas dolorum Christi.

Isa. 53.

Psal. 87.

1. Pet. 2.

Peccatum mortale quinque vulnera Christo inflixit.

Heb 6. 1.

Ephes. 2.

Lucæ 23. 11.

vtpote diuinum mandatũ contemnens, diuinam maiestatem & præostensam charitatẽ vilipendens, vt meritò diceret: *Pretium meum cogitauerunt repellere.* Et quia Filius Dei est, ideo quantum amat diuinitatis gloriã, tantum dolet peccati dedecus & ignominiam, Patrisq; iniuriam. Hinc Bernardus dicit in persona Christi: Nonne satis propter te vulneratus sum? Nũquid satis pro iniquitate tua afflictus sum? Cur addis afflictionẽ afflicto? Magis me cruciãt vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei. Tertium vulnus est, quia peccatũ est intra animæ imaginem inflictiuum detestandæ maculæ. Et quia Christus erat animarũ sponsus fidelissimus, vt diceret de eo Chrysostomus, quòd nemo amatorum carnalium, etiam si sit supra modũ insaniens, ita exardescere potest in amorem dilectæ suæ, quantum Deus effunditur in amorem animarum. Ideo quãtum diligebat animæ decorem, tantum dolebat maculę turpitudinẽ. Vidés enim horrendã deformitatẽ, quam anima consequitur ex perpetratione mortalis culpæ, tãtum doluit de illius deformitate, quanta fuit nobilitas & formositas imaginis ipsius animę, & quãta fuit in illa diuinę similitudinis excellẽtia. Et ideo tanquam verus animarũ sponsus, earum decorem perfectè diligens, sẽ totum in doloribus & angustijs ac tormentis reliquit, vt lauacrum de sẽ & de suo sanguine faceret, ad diluendam tantam animæ turpitudinẽ. Quartum vulnus est, quia peccatũ est totius regni gratiæ & gloriæ destructiuum in agente. Et quia Christus erat restaurator animarũ, ideo quantum diligebat totum regnum gratiæ gloriæ, tantum dolebat de eiusdem destructione. Vnde Bernardus in persona Christi: O homo, vide quæ pro te patior; non est dolor, sicut quo crucior. Ad te clamo, qui pro te morior. Vide pœnas, quibus afficior; vide clauos, quib⁹ cõfodior. Et cùm sit dolor tãtus exterior, tamen interius est plãctus grauior, cùm te tam ingratũ experior. Quid enim tam ingratũ, sicut in se tam dedecorosè destruere, quod Christus in se studuit tam laboriosè reformare? Quintum vulnus est, quia peccatum est æternæ pœnæ obligatiuũ. Et quia Christus omnium hominum Redemptor erat, quantumad sufficientiam. Ideo quantum rationalis creaturæ quietem in auctore suo diligębat, tantũ de eius à Deo separatione, & æterna damnatione dolebat. Propter hæc, secundùm Bernardũ, si Christus tot mẽbra habuisset, quot sunt stellæ in cælo, & quodlibet membrũ corpus habuisset, omnia illa corpora ad lignũ crucis ex amore dedisset, antequã vnã animã damnandã (quantũ in se est) reliquisset. O amor omnia

Psal. 68.

III.

IIII.

V.

vincens, quousque sæuies in tuam originem? quousque persequeris insontem? quousque cunctis gratus, suauis & amplectendus, in eum, qui te genuit, solùm crudelis inueniris? cùm nec dulcis Iesus tanto discrimine retrahatur, nec tanta pœnalitate dolorum & angustiarum moueatur, nec tanta opprobriorum irrogatione in concepto proposito tepescat; sed inexpressibili quodam desiderio salutis animarũ immobiliter perseuerat. Nullus enim vnquam sitiens potum, vel moriturus vitam cunctis mortalibus optatam sic affectauit, sicut ex amore sitiuit Christus peccatores saluos facere, & se eis amabilem exhibere.

Vt magnus fuerit dolor Christi propter pœnalitates quascunque, tam Martyrum, quàm aliorum iustorum, & præcipuè suæ Matris per veram compassionem, & de doloribus B. Virginis Mariæ. Cap. XXIX.

Doloris Christi causa quarta. IIII.

Dixi: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius. Quarta proinde causa doloris & tristitiæ in Christo fuit, quia non solùm omnia tormenta Martyrum, sed etiam omnes labores, miserias, pœnalitates, dolores, angustias, confusiones, irrisiones, & pressuras interiores & exteriores omnium iustorum (quorum ipse caput erat) in se pœnaliter pertulit, compatiendo tanquam verus amicus, quos vtique sicut animam suam dilexit: vtpote pro quibus *animam* suam ponere paratus erat.

Ioan. 10.

Compassio Christi erga suos.

Nec solùm pro illis, & cum illis, qui tunc fuerunt, sed etiam qui præcesserunt, & qui futuri sunt vsque in finem sæculi, tunc simul patiebatur: & quod post resurrectionem non potuit, pro tunc adimplere voluit. In cuius argumentum ad Saulum contra suos sæuientem ait: *Saule, Saule, quid me persequeris? Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris.* Eum enim persequebatur in membris suis.

Acto. 9. & 22.

Magnitudo dolorum Christi.

Omnes igitur & singulas aduersitates & pœnalitates omnium electorum suorum Christus clarius & magis distinctè cognouit, quàm aliqua mens humana aliquod singulare posset intelligere. Et ex his in anima Christi tantus generabatur dolor, quantæ fuerunt omnium aliorum iustorum pœnalitates & anxietates. Omnium enim Martyrum & aliorum iustorum dolores ita suscepit Christus per compassionem, quòd eius cordi doloriosius infixæ fuerant, quàm in Martyribus & aliis electis, qui illa supplicia sustinuerant. Et omnium dolores in corde suo non solùm excepit in generali, sed etiam singulariter singulos multò distin-

distinctius & perfectius, quàm ij, qui pro suo nomine illos sustinuerunt, vt sic in omnibus electis, & cum eis patereturꝛ & sua compassione omne pœnale & dolorosum fructuosius redderetur. In cuius argumentum, cùm iam sacrificium eius esset consummandum; tam efficaciter etiam pro crucifixoribus exorauit, vt etiam eis in profectum & meritum cederet, dicens: *Pater*, ignosce *illis*, quia nesciunt *quid faciũt*. Luc. 23. Et quod maius miraculum hac benigna pietate? Hoc enim verbũ magnæ patientiæ & mansuetudinis, magni amoris & indicibilis bonitatis, magni dulcoris & venię fuit. Tantam enim mansuetudinem seruans in contumelijs, tantam patientiam exhibens in tormentis, tam ineffabilem benignitatem reddens impijs crucifixoribus, euidentius se declarauit esse Filium summi Patris. Non ergo desperet amplius quisque pœnitens. Quid enim conuerso non ignoscitur, cùm fusus Christi sanguis agnoscatur? Quis homicida desperet, si reditus est in spem, à quo & Christus occisus est? Vnde ait beatus Anselmus: In his omnibus considera pectus illud dulcissimum, quam tranquillitatem seruat pietatis. Non suam attendit iniuriã, nec reputat pœnam, nec sentit contumelias: sed potius à quibus patitur, illis cõpatitur, à quibus vulneratur, illis medetur: vitã procurat, à quibus occiditur: cum qua mentis dulcedine, cum qua deuotione, in qua charitatis plenitudine clamat: *Pater*, ignosce *illis*. Vnde Augustinus ait: Vide charitatis affluentiam, & mirabilem patientiam. Pro inimicis facit orationẽ, remittit, & non expetit vltionem. Cur ergo formica, festuca, puluis, & fauilla vindictam expetis, remissionem protrahis, cùm videas regem gloriæ, dominum maiestatis remittentem iniurias, contumelias, & blasphemias, & cõdonantem omnes pœnarum & crucis molestias? Ibidem.

V. Doloris Christi causa quinta. Iohan. 19.

Quinta denique causa doloris in Christo, fuit maternorum viscerum inexpressibilis dolor & angustia, propter nimiam compassionem. Stabat enim Maria *iuxta crucẽ* corpore, sed in Cruce tota migrauerat mente, tota angustiata cordialiter, vt ipse: nimirum cùm dilectio Matris ad Christum excessit omnem dilectionem mortalis naturæ. Tum, quia sciebat certissimè, quòd eam maximè diligebat, quem & verum Deum in vtero suo incarnatũ ex amore sciebat, & ab ea sola corpulentã substantiam Spiritu sancto cooperante suscepisse gaudebat; quem etiam, vtpote plenum gratia & sanctitate, omniq́ue virtute, summè diligendum esse cognoscebat. Tum etiam, quia per triginta tres annos Matri suæ per exhibitionem amoris & obedientiæ fidelissimè

lissimè adhęsit, cui nunc vicem sub cruce Mater fidelissima reddere volebat. Vnde dicit Chrysostomus: In passione videbis altaria duo: vnum in pectore Mariæ, aliud in Christi carne. Christus carnē, Maria immolat animam. Optat quidem ipsa ad sanguinem Filij sanguinem addere carnis suæ, & cum Domino Iesu corporali morte redemptionis nostræ consummare mysterium. Sed hoc solius erat summi Sacerdotis priuilegium, vt cum *sanguine* intraret in *Sancta sanctorum*, ideo nec Angelo, nec homini potuit in recuperatione hominis esse communis auctoritas. Vnde Anselmus ad Beatam Virginem ait: Verè tuam animam pertransiuit gladius doloris, qui tibi amarior extitit omnibus doloribus cuiuslibet corporeæ passionis. Quicquid enim crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leue fuit, aut potius nihil, comparatione tuæ passionis: quæ nimirum immēsitate sua transfixit penetralia benignissimi tui cordis. Obsecro Domine, indica animæ meæ, vel potius me fac sentire per amorem Filij tui, quantus tibi dolor inerat, cùm videbas Filium tuum vultu lachrymabilem, facie despicabilem, in Cruce distractis membris erigi, & hostiam illam pretiosam in altari Crucis pro nobis omnibus offerri. Videbas, inquam, vultum eius amabilem factum omnibus indecorum, genas & os eius glorioſum præ mortis eius angustia pallidum. Videbas caput illud tremendum deorsum inclinatum, & prę dolore fatigatum. Videbas eum denique pœnis & miserijs multis obuolutum, nec ei præstare valebas solatium vllum, vel auxilium. In nullo prorsus ei aliqualiter subuenire potuisti. Quantam ergo tristitiam habuisse putamus te Matrem eius secum per omnia participantem? Nam mensuram doloris vehementis naturam mortalem comprehendere posse non credo; quia ratio dictat, experientia probat, & vis magni amoris approbat, quòd multū dolebas, quia multum diligebas. Si enim sola passionis Filij tui memoria nōnullos deuotos ob magnam compassionem velut exanimes reddit, quid fecit præsentia crudelissimæ passionis & mortis in ea, quæ genera uit ipsum mundi Saluatorem patientē? Et si sola memoria tantum feruet in mente peccatoris, quantum æstuabat in mente sanctissimæ Matris? Maria. Qui me humilē ancillam ex gratia eligere dignatus est in Matrē, ipse cor meū ardentissimo amore cōstrinxerat, vt nusquā nisi de ipso, & in ipso spiritus meus summā lætitiā & tristitiā recipere posset. In eo namq; cuncta possederā, & eius dilectio fuit mihi totius orbis plena possessio. Anima mea ibi erat, vbi IESVS erat;

Leuit. 16. Heb. 9.

Anselmus ad B. Mariā.

Dolor beatæ Mariæ, quantus.

Lucæ 1.

Maria respondet.

ac ma-

ac magis in eo, quàm in me ipsa viuebat. Inspicere speciosum *forma præ filijs hominum*, erat cordis mei plenum gaudium. Nunc autem Psal. 44.
omnia mihi versa fuerunt in amaritudinem. Pensa igitur quàm amaris eram repleta doloribus, quantisque vexabar in corde singultibus: tantis enim in mente vexabar angustijs, quòd pro eo mori mihi fuisset solatium singulare. Aspiciebam infelix & misera Filium meum in cruce pendentem, quem nimium diligebat anima mea: & de vultu illius omnis decor abscesserat. Ab eo videbam me deseri, quem genueram, quod erat mihi dolor maximus: Ideo vox mea perijt, omnis virtus mea euanuit, sensus recessit, & immensa me calamitas oppressit. Oculos lachrymosos sursum leuaui, dilectum suspensum vidi, nec in aliquo illi solatiu præstare potui. Respexi deorsum, & cum immenso dolore vidi eos, qui thesaurum meum rapuerũt, & tam crudeliter crucifixerunt. Defeci præ dolore, corrui præ mœrore, corde priuata eram: quia ipse mihi cor abstulerat, & simul secum crucifixum tenebat. Non multa verba promebam, sed in corde talia voluebam: O gau- Luce 1.
dium & exultatio spiritus mei, lumen oculorum meorum, prius te vidi cum immensa lætitia cordis mei, nunc autem cum inexpressibili dolore & tristitia. O dolor incomparabilis orbatæ matris, & destitutio desolatæ genitricis. Mori video, in quo tota vita & salus mea consistit. O Fili mi, quis mihi dabit vt pro te moriar? Moritur vnicus Filius meus, cur secum non moritur hæc mœstissima mater eius? O Fili mi, vltra quid faciam? quò vadam? quò me vertam? Tu mihi pater & frater, tu mihi sponsus & filius, tu mihi omnia eras. Nunc orbor patre, viduor sponso, prole desolor, omnia perdo. Fili mi, vbi est tantum gaudiũ, quod in natiuitate tua habui? Væ mihi, in quantum dolorem versum est illud gaudiũ. O benignissime Fili, desine nunc quæso durus esse Matri, qui cunctis benignus semper esse consueuisti, & suscipe me Matrem tecum in cruce, vt qui vno corde viuunt, & vno amore se diligunt, etiam vna morte pereant. Nam vita mea moritur, salus mea perimitur, & omnis spes mea de terra tollitur. Cur ergo Mater viuit post Filiũ in dolore? Tu enim mortẽ excipis pro peccatoribus, ô spes mea, & vnicũ solatium animæ meæ, & factus es mihi dolor & *amaritudo amarissima*, transfodiens cor meũ gladijs acutissimis, Isa 38.
indicibilibus scilicet pœnis tuis & angustijs Anselmus: Considerare nũc libet bona mater, optima genitrix, fidelissima nutrix, & filia desolata, quis sit dolor tuus, qualis angustia tua, Vnigenitum videns

Lucæ 2. crucifixum, & in nepotem mutans filium, magistrum in discipulum, regem in militem, dominum in seruum, omnipotentem in deficientem. Reuera viscera tua penetrat *gladius*, configunt animam tuã lancea & claui, laniant mentem tuam spinarum aculei, lacerat cor tuum aspectus amorosi Filij tui. Vulnera Filij tui sunt vulnera tua, crux Filij tui crux tua, mors Filij tui, mors tua. Nutrix quomodo amittis alumnum, mater filium, ancilla dominum? Vna die orbaris omnibus bonis, & repleris omnibus malis, pœnis, opprobrijs, angustijs, & miserijs. Nam dolores, quos in sua parturitione non sensisti, nunc centuplicantur in passione Filij tui. Econuerso verò, cor Filij transfigebatur gladio maternæ compassionis. Vnde dicit Bernardus: O bone Iesu, magna pateris exterius in corpore, sed multo maiora interius in corde ex compassione Matris omnia tecum participantis. Vndique angustiæ, vndique tormenta sentiri possunt, narrari non possunt. Et Augustinus: Cruciat te Domine Iesu crux tua, sed non minus Mater tua. Cruciat te dolor tuus, sed non minus dolor eius. Non est mirum, si doles & condoles, si pateris & compateris bone Fili in desolatione Matris, in separatione Matris, & in commendatione Matris. Nunquã enim te deseruit, non in infantia, non in adolescentia, non in passione tua. Nunquam tibi defuit eius solatium, sed nec obsequium. Lactat infantem, sequitur prædicantem, videt & comitatur patientem, contemplatur opprobria, intuetur tua vulnera, audit tua verba. Igitur meritò non obliuiscetis angustiæ Matris, caput inclinans, & eam in matrem Iohanni commendans, ac eum in filium ei adoptans. Item

Ioan. 19. Augustinus: Matri suæ Dominus in cruce iam anxius, oculis & vultu annuens, ait de Iohanne: *Mulier ecce filius tuus*. Et Iohannem intuitus, ait: *Ecce mater tua*. Dum hæc pauca diceret, illi duo dilecti semper lachrymas fundere non cessabant. Tacebãt illi duo Martyres, quia

Lucæ 2. præ nimio dolore loqui non poterant. *Gladius* enim doloris Christi animas vtrorumq; pertransiuit: sed seuerius in Matrem sæuiebat, quæ plus diligebat. Nam sæui Christi dolores in anima Matris fuerunt sæui tortores. O si vidisses in illa hora lamentabili miseriam Matris Filio compatientis, Matrem pro Filio morituro mœrentem, Filiũ Matrem desolatã dulciter consolantẽ, siue interno compassionis vulnere audire & videre non potuisses. Et (vt dicit Hugo) Beata Virgo nunc non solùm in matrem Iohanni traditur, sed etiam toti Ecclesiæ, peccatoribus scilicet vniuersis. Effecta est ergo mater Dei & hominis, ma-

ter.

ter rei & iudicis. Nec decet vt inter filios discordiam esse permittat.

Denique maximè dolor augebatur maternus, ad mortem appropinquante Iesu, cùm cœpit facie pallescere, oculos deprimere, & caput ad Matrem suam inclinare, quasi dans illi vltimum aue. Aue, inquam, doloris & omnis desolationis, quod nec verbo poterat exprimere præ nimia compassione & inæstimabili dolore, quasi commendãs ei corpus suum tam crudeliter confossum, & Patri spiritum suum cõmendans, & dicens: *Pater, in manus tuas commẽdo spiritum meum.* Cùm igitur vocẽ Filij animã suam Patri commendantis & morientis cor maternum percepit, angustijs vehementissimis æstuare cœpit, & animam fidelissimæ Matris gladius doloris pertrãsiuit. Manus suas sursum extendit, præ cordis desiderio tãgere cupiens dilectum, vt vel sic dolori & amori melius consulere potuisset. Et cùm aliud solatium non haberet, sanguinem ex eius vulneribus profluentem, & vsque ad terram stillantem, nimia cum auiditate susciebat, illum crebrius deosculãs, in tantum vt facies Matris de sanguine occisi Filij sanguinolenta redderetur. Manus erigebat sursum, amplecti cupiens Filium, sed frustra manus extensæ redibant incomplexæ. O quàm malè tunc erat pijssimæ Matri, grauius erat illi viuere vita tali, quàm gladio mortis ab impio necari. Ideo *plorans* plorabat, & sine intermissione gemitus irremediabiles dabat. Interim Ioseph & Nicodemus occulti Iesu discipuli venerunt ad deponendum corpus eius. Quos dùm dolorosa Mater Filium deponere volentes vidit, paululum reuixit spiritus eius, & quasi de morte consurgens, prout poterat, eis adiutorium ministrabat. Vnus clauos extrahebat, alter ne caderet, corpus exanime sustentabat. Maria verò stabat in altum brachia leuans, caput dependentiaq; brachia Filij sui super pectus trahens, irremediabiliter flens, & ea deosculans. Quot autem illic lachrymas, gemitus, & suspiria fundebãt vniuersi, quis explicet? In tantas enim prorũpebant lachrymas, quòd vix eorum quisq; verba formare poterat. Cùm autem Filij corpus in terra positum fuerat, ruens super illud electa Mater præ doloris incontinentia, qui maximè tunc augebatur in amplexu & osculis Filij (sicut ait Augustinus) faciem eius & vulnera tam copiosè lachrymis perfundebat, vt carnem eius cum spiritu in lachrymis solui putares: sæpiusque deosculans illa felicissima membra, frequenter ingeminabat, dicens: O dulcissimè Fili, quid fecisti? Cur te Iudæi crudelissimi crucifixerunt? Videbat enim corpus eius sic malè tractatum ab impijs,

Dolor Matris ex morte Filij.

Lucæ 23.

Thren. 1.

Matth. 27.

Depositio Iesu.

pijs,ac laceratum,totumque cruentatum: & ideo tam copiosè lachrymis illud irrigabat, quòd super lapidem, in quo positũ fuerat corpus, defluerent, vbi postmodum eius lachrymæ diu cernentibus apparuisse dicuntur. Nam hoc maximè doloris angustias augmentabat, quòd illum videbat morientem, totum afflictum & derelictum, totum despectum & laceratum, totum anxium & sitibundum, totum oppressum & violentatum: & sic perseuerans in indicibili dolore, paupertate pressa, & necessitate coacta, sub alieno tecto cogitur dies lugubres ducere, ac alienis eleemosynis sustentari, Mater Dei, Regina cæli, Domina mundi.

Vt amorosa fuerit Christi passio, & quàm rationabiliter eam sustinuit in cruce, ac de passionis eius grata recordatione.

Cap. XXX.

Ferculum Christi quid.

FErculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Cant. 3. Quamuis per hoc *ferculum*, secundùm Richardum, ibidẽ, anima sancta potest intelligi, quæ Christum reficit, dum bonis operibus, studijs, ac desiderijs eius delectatur, sicut scriptum est: Populus meus saturauit me votis, impleuit me odoramentis: tamen secundùm aliam significationem, per *ferculũ* intelligi potest, vel Virgo gloriosa, in qua Christus nouẽ mensibus requieuit, cuius vterus virginalis fuit ferculũ Salomonis, vtpote de quo

Lucæ 11. dicitur: *Beatus venter qui te portauit:* vel ipsa crux beata, in qua Christus pro nostra salute pepẽdit: cui & ex amore beata Virgo fideliter se iunxit, vt de ea diceret Bernardus super Cantica: Tãta vis amoris mẽtem Mariæ repleuerat, vt cum lachrymis astans cruci, animã, & si non posuit, tamen exposuit. O ferculũ crucis felicissimũ, quo Christus descẽdit ad nostra vilissima, vt nos traheret ad sua sublimia. Nunc enim

4. Reg. 2. hoc ferculo anima sancta fertur in Deũ, quo & Helias receptus est in cælum. Hæc enim est peccatorum scala, per quam Christus ad se traxit omnia sicut prædixit: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad meipsum.* Hanc enim ex intima charitate pro nobis amplectens, *& sibi baiulans crucem,* cum ea simul totius mundi (quantum ad sufficientiam) tulit offensam cum infinitis opprobrijs, exiens *in eum qui dicitur Caluarie locum.* Occurre illi nunc anima mea, & vide sponsum tuum pro te sibi Crucẽ baiulãtem, & sub eius onere curuum, ac multum anxium incedentem, ad locumque, vt pro te mortem sustineat, ex amore pro-

Ioan. 12.

Ioan. 19.

re properantem, ac tua crimina pœnis indicibilibus expiare cupientem: Et quantum potes, in tantis angustijs & ludibriorum renouationibus posito, toto corde compatere. Nec solùm totus nudus in Cruce dignatus est extendi, sed etiam Cruci voluit affigi, & sic exaltari; Ioan. 12. vt *omnia* traheret ad seipsum per eminentissimæ charitatis inditium, vt sic nobis suam ad nos commẽdaret indissolubilem charitatem, qua cum tanto sui dispendio firmauit nostrã salutem. Extensis enim neruis & venis, protensis ossibus & iuncturis, extensione violenta Cruci est affixus, ac in manibus & pedibus crudeliter perforatus, clauis grossis cutem & carnẽ, neruos & venas ossiumq; compages discipantibus: & hoc rationabiliter. Nam quia primus homo manus extenderat ad Genes. 3. lignũ præuaricationis, ac pedibus accedendo confecerat chirographũ nostræ dãnationis: ideò Christus vt chirographum illud deleret, manibus & pedibus ligno salutiferæ Crucis affigi voluit clauis inuictissimæ charitatis, per hoc *chirographum decreti (quod nobis erat contrarium) de medio* tollens, & *illud Cruci affigens*. Colos. 2. O quàm libẽter Crucem ascendit, & quanta dilectione cuncta pro nobis sustinuit, quàm gratanter obediuit, & quantum Pater in eius obedientia delectatus fuit. Quia nimirum tantam mansuetudinem seruans in contumelijs, tantam patientiam exhibens in tormẽtis, tam ineffabilem benignitatem reddens impijs crucifixoribus, pro quibus interpellauit clementiam Patris, euidentius se declarauit esse Filium summi Patris. *Respice* nunc Psal. 83. & tu sanctissime Pater *in faciem Christi tui*, qui tibi *factus* est *obediens* Phil. 2. *vsque ad mortem*, nec ab oculis tuis recedant cicatrices eius, vt memineris, quantam pro peccatis nostris satisfactionem ab eo susceperis. *Vtinam appenderentur in statera peccata, quibus iram* meruimus, *& calamitas, quam* passus est innocens Filius tuus. Iob 6. Hæc vtique grauior appareret, & magis digna, vt propter ipsam effundas *misericordiam* tuam super nos, quàm sint illa peccata, vt pro ipsis contineas *in ira misericordias* tuas. Psal. 76. Gratias igitur tibi referat omnis lingua super abundantia pietatis tuæ, quia vnico Filio cordis tui non pepercisti, sed vt eum coram te fidelissimum *aduocatum* haberemus, *pro nobis illum* in morte 1. Ioan. 2. tradidisti: quia licèt secundùm naturã impassibilis & immortalis fuit, Rom. 8. eò quòd passio vel mors est pœna peccati, ipse verò sine peccato venit, & sine peccato vixit: tamen secundùm potentiam ex amore passibilis esse voluit & mortalis, vt nobis daret mercedem suæ mortis, pro quibus omnia gratanter sustinuit. Dedit enim nobis pro passione im-

passibilitatem, pro morte immortalitatē, & pro peregrinatione æternam patriam.

Mors Christi.

Deniq; in Cruce Christus mortuus est, secundùm Richardum, ex violentia afflictionum sibi illatarum, concurrente vehementia doloris compassionis, quæ mortem accelerauit. Hic paululum siste anima mea Christi sanguine redempta, & vide, *si est dolor sicut dolor* eius, ac fixis oculis in illa vulnera dulcissimi Iesu, diligenter interna pietate considera corpus illud tenerrimum & immaculatum crudeli flagellatione & Crucis extensione, tam grauiter laceratum. Vide corpus eius doloribus innumeris quasi quibusdam amoris signaculis tam multipliciter consignatum, quòd in eo non inuenitur nec spacium vnius puncti, quod non dolore & amore singulari reluceat. Vide manus eius pulchras clauis acerrimè confossas, brachia tam crudeliter extensa, pedes perforatos, crura violenta quadam cancellatione constricta, & omnia delicata corporis membra tam arctæ conclusioni mancipata, & sanguine perfusa. Corpus eius iuuenili decore venustum à suo decore decidit & emarcuit. Asperrimum Crucis lignū fuit delicati dorsi reclinatorium: corpus eius ponderosum clauis cōfixum sua mole deorsum trahitur, & inde dolor vulnerum eius augetur. Quid plura? *A planta pedis vsque ad verticem* capitis, sæuissimis vulneribus, & amarissimis doloribus repleuerunt eum, deducētes in lacum mortis vitam eius. Et hæc omnia pro nobis cum magno desiderio cordis sustinuit, vt suo *liuore* peccatorum vulnera sanaret, & pro nobis miseris satisfaceret, ac omnes redire volentes talibus amoris sacrificijs Patri cælesti reconciliaret. Ideo licèt non ignores ô anima mea, quid illa passio boni conferat ad salutem, si qua tamen in te sunt viscera pietatis & charitatis, illi toto affectu compatere. Sic enim extensus est in Cruce dilectus tuus, vt *omnia ossa* eius dinumerari possent: & sic arctatus est vndique, quòd se mouere nullatenus posset. Nam in illo tempore flebili non habuit, *vbi caput* miserijs fessum reclinaret. Ecce Abel occisus est à fratre. Ecce serpens æneus exaltatus à Mose. Ecce agnus immolatus in lege. Ecce Deus crucifixus ab homine Ecce sponsus pro te condemnatus in morte. Ecce rex tuus suspensus in Cruce. Ecce mitis & innocens totus perfusus sanguine, totus nudus pendens in Cruce, & pallens in morte. Pendet quidem corpore nudus, sed patientia vestitus, & amoris incendijs inflammatus, intus & foris atrocissimè cruciatus. Nec solùm *morte* durissima condemnari voluit, sed etiam vt maledicti.

Thren. 1.

Isaiæ 1.

Thren. 3.

Isaiæ 53.

Psal. 21.
Matth. 8.
Gene. 4.
Num. 21.
Exod. 12.
Lucæ 23.

Sapien. 2.

ledictionem, quam incurreramus, amoueret, mortem Crucis maledictam accepit, factus pro nobis maledictum, vt nos à maledictione paterna liberaret: quia *maledictus qui pendet in ligno.* Nihil enim inter omnia genera mortis illa morte peius fuit. Extremum igitur & peßimum genus mortis elegit, qui mortem omnium ablaturus, morte peßima mortem occidit. Et congruè ßatis tale genus elegit paßionis, quod reatum abßolueret primæ præuaricationis: vt qui per lignum vetitum cecideramus, per lignũ ßanctæ Crucis reßurgeremus: & qui per ßignum præuaricationis mortui fueramus, per lignum reconciliationis ad vitam reuocaremur, vt ßic morbo cõuenienter medela reßponderet. Expandit innocens Ießus in cruce manus immaculatas pro manibus incontinenter extenßis, & pro ßuaui cibo ligni vetiti ßußcepit eßcam fellis & aceti, *quæ non* rapuit exßoluens, & mortem in ße ßußcipiẽs, noßtramque mortalitatem auferens. Quid commißiſti dulcißime Ießu? Quæ tua noxa? quæ caußa damnationis tuæ? Ego certè ßum caußa doloris tui. Quæ perpetrauit iniquus ßeruus, ßoluit pius Dominus. Ad illicita me concupißcentia traxit, ad Crucem te ßancta charitas pro me traxit. Ego peccati dulcedinem, tu gußtas fellis amaritudinem. O dulcißime Ießu, quò tua deßcendit humilitas, qui pro me factus es *obediens vßque ad mortem Crucis?* O quis mihi det, vt tecum totus carne pariter & ßpiritu, gladio compaßionis transfigar, Crucißque patibulo cum dilecto configar, nec aliud ßentiam niß Dominum *Ießum, & hunc crucißixum?* O quis mihi det Deus meus, vt moriar amore tui, qui tam affectanter mori dignatus es amore mei? Interim ßit mihi dulcis lectus lignum tuæ Crucis, in quo dulciter requießcam: ßit mihi corona tua ßpinea dulce ceruical, vt caput meum in ea ßuauiter reclinem, quia *ßi compatimur*, & conregnabimus.

Galat.3.

Pßal.68.

Contemplatio.

Philip.2.

1.Cor.2.

Rom.8.

Quomodo per paßionem Chriſti liberati ßumus à peccato, & à diabolica poteßtate. Cap. XXXI.

Erculum fecit ßibi rex Salomon de lignis Libani. Iam de effectibus Dominicæ paßionis ßuccinctus ßermo percurrat, quos tantùm ad numerum quinarium extendere placuit. Primus effectus eßt, quia per eius paßionem à peccato liberati ßumus, iuxta illud Apocalypßeos: *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noßtris in ßanguine ßuo.* Nam quia conueniens erat, quòd reparatio humanæ naturæ fieret per condignam ßatisfactionem, ideo

Effectus paßionis Chriſti quinq;.

Apoc.1.

per alium modum fieri non potuit, quàm per emendam factam ab illo, qui esset Deus & homo. Peccatum enim hominis erat contra bonitatem infinitam, (quæ Deus est) & infinito bono priuauit humanam naturam. Corrupit insuper rem in potentia infinitam, quia si Deo placeret, indiuidua humanæ naturæ, sine fine multiplicare posset. Ad rigorem igitur iustitiæ requiritur, quòd secundùm quantitatem culpæ sit quantitas emendæ, iuxta illud Deuteronomij: *Pro mensura peccati erit & plagarum modus.* Sed homo purus emendam infinitam facere non potuisset, nisi tantùm ille, qui Deus & homo esset.

1. Liberatio à peccatis.

Deut. 25.

Et quia Christus non solùm potestate, sed etiam iustitia genus humanum à peccatis liberare voluit, ideo non solum attendit, quantam virtutem eius dolor tam interior quàm exterior haberet ex adiuncta diuinitate, sed etiam quantus eius dolor sufficeret secundùm humanã naturã ad tantam satisfactionem, vt rectè de eo dici posset illud Isaiæ *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Hinc etiã, secundùm aliquos, Christus ex condigno pro nobis aliter satisfacere quàm moriendo non potuit, quia totum genus humanũ duplici morte fuerat obligatum, scilicet naturæ & dãnationis æternæ. Quapropter videtur aliquibus, quòd de illo peccato non potuit esse condigna satisfactio, nisi per mortem iusti venientem ex misericordiæ voluntate. Hinc dicit Bonauentura super 3. Lib Sententiarum, quòd ex parte Dei congruum fuit genus humanum reparari per mortem Christi: vtpote cuius omnes *viæ* sunt *misericordia & veritas*, sicut ipse summè iustus & misericors est. Et ideo in reparatione generis humani, quæ fuit excellentissima viarum Dei, congruum erat, vt simul concurrerent misericordia & veritas, siue iustitia. Hinc decens fuit, quòd ab homine Deus pro iniuria sibi facta satisfactionem exigeret: quam si homo facere non posset, tunc ei diuina misericordia subuenire, quæ mediatorem fidelissimũ cõstituit, vt pro eo satisfaceret. Et hic modus erat magis congruus, tam diuinæ iustitiæ, quàm misericordiæ. Quia si Deus culpam nõ dimisisset, eius misericordia non manifestaretur. Si verò sine satisfactione dimisisset, eius iustitia non manifestaretur. Nunc autẽ & seueram ostendit iustitiã, quia per passionẽ Filij sui secundùm rigorem iustitiæ, quantum ad sufficientiã, satisfactũ est pro peccatis totius generis humani: & sic homo per Christi iustitiam liberatus est, quamuis propriè loquendo, Deus contra iustitiã non fecisset, etiam si sine omni satisfactione hominem à peccato liberare voluisset. Iudex enim

Isaiæ 53.

Psal. 24.

salua-

sa lua iustitia sine pœna non potest dimittere culpam cõmissam in alium hominem, vel in totam Rempub. seu in superiorem principẽ. Sed Deus est supremum & cõmune bonum totius vniuersi: & ideo si peccatum in se commissum dimitteret, iniuriam nulli faceret. Hinc Dauid misericordiã petens, dicit: *Tibi soli peccaui.* Quasi diceret: Potes sine iniustitia mihi dimittere. Et etiam plenissimã exhibuit misericordiam, quia cum homo per se non potest satisfacere pro peccato totius humanæ naturæ, Deus illi satisfactorem dedit vnigenitum Filium suum, secundùm illud ad Romanos: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Et hoc fuit abundantioris misericordiæ, q̃ si peccata remisisset sine satisfactiõe. Hinc dicit Apostolus idem ad Ephesios: *Deus, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo.* Et si quæris, Quomodo mors Christi prodesse potuit toto humano generi? Ex eo vtique, quia Christus caput Ecclesiæ factus est, secundùm illud Ephesiorum: *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Et ideo per passionem suam, quam ex obedientia & charitate sustinuit, nos tanquam membra sua, quasi per pretium suæ passionis à peccatis liberauit. Sicut enim naturale corpus ex membrorum diuersitate consistens, vnum reputatur corpus; sic Ecclesia tota, tam militans, quàm triumphans, vnum Christi mysticum corpus existens, velut vna persona reputatur cum suo capite, quod est Christus. Hinc in sua passione instituit Christus causam nostræ liberationis, ex qua cuncta peccata nostra, tam præterita, q̃ præsentia & futura remitti possent, sicut medicus medicinã faciens, ex qua quicunque morbi sanari possent, etiam in futuro. Sed quia Christi passio quædam est vniuersalis causa remissionis peccatorũ, oportet quòd singulis adhibeatur ad deletionem propriorum peccatorum, quod fit per Baptismũ & Pœnitentiã, & alia Sacramenta, quæ virtutem habẽt ex passione Christi. Secundus autẽ effectus est, quia per eam liberati sumus à potestate diabuli. Dicit enim Augustinus, quòd Christus innocens occisus, diabolum æquissimo iure superauit, no-q; liberauit à captiuitate facta propter peccatum, suo iusto sanguine effuso iniustè. Decuit enim vt Christus sua prudentia diabolum superaret sicut hominem diabolus astutia sua deceperat. Et ideo, secũdum eundem Augustinũ, venit Redemptor, & victus est deceptor: qui tetẽdit illi muscipulam,

Rom. 3.

Ephes. 2.

Mors Christi quomodo toto humano generi valuerit.

Ephes. 1.

II. Liberatio à potestate diabuli.

Crucem suam, posuit quasi escam sanguinem suum, quem sitiuit infernalis sanguisuga, & captus est Crucis muscipula. Nam quia diabolus in passione Christi modum excessit à Deo sibi traditæ potestatis, scilicet in morte Christi machinando, qui non habebat meritũ mortis, cùm esset absque peccato. Ideo secundùm Augustinum 13. de Trinitate, iustitia Christi diabolus victus est eum occidendo, in quo nihil dignum morte inueniret. Iustum enim erat, vt debitores, quos tenebat, liberè dimitterentur, credentes in eum quem occidit sine vllo debito. Et hoc fuit ad maiorem hominis dignitatẽ, vt sicut à diabolo fuerat homo deceptus & victus, sic etiam esset homo, qui diabolum vinceret. Et sicut homo mortem meruit, sic moriendo mortem homo superaret. Vnde Apostolus ait: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum.* Vnde potestas detinendi iustorum animas, nihil purgabile habẽtes, à diabolo totaliter est ablata, sed potestas tentandi & nocẽdi sibi est restricta, & virtus nostra multipliciter adiuta: quia gratia nobis infunditur abundantius, & veritas patet euidentius, & Angeli nos custodiunt diligentius. Et licèt possibilis fuisset alius modus hominem liberandi à potestate diaboli, quàm per incarnationem & passionem Christi, non solùm potentia absoluta, sed etiam potentia ordinata secundùm rationem iustitiæ: tamen non fuit alius modus redemptionis possibilis, quia redemptio contractus est iustitiæ commutatiuæ, quæ consistit in æqualitate quantitatis: & ideo Christus hunc modum elegit ex obedientia summi Patris.

Iustitia Christi victus est diabolus.

2 Cor. 15.

Effectus reliqui passionis Christi, quomodo scilicet per passionem Christi liberati sumus à pœna peccati, & Deo reconciliati, ac apertaiana cœli. Cap. XXXII.

III. Liberatio à pœna peccati.

Cedrum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Præmissis duobus primis effectibus Dominicæ passionis, iam cæteros prosequamur. Tertius eius effectus est, quia per eam etiam à pœna peccati sumus liberati, tam directè, q̃ indirectè. Directè quidem, in quantum Christi passio fuit sufficiens & superabundans satisfactio pro peccatis totius generis humani. Exhibita enim sufficienti satisfactione, tollitur reatus pœnæ. Indirectè verò, in quãtum Christi passio est causa remissionis peccati, in quo fundatur reatus pœnæ. Et in hoc ostenditur diuina seueritas, quæ peccatum sine pœna quamuis potuit, tamen inultum dimittere

mittere noluit, sed pro illo expiando Deus Pater proprium Filium crucifigendum in carne tradidit, ei voluntatem patiendi pro nobis inspirando, & ad vindictam accinctus, proprio Filio suo non parcendo. Patet etiam in hoc diuina bonitas, quia cùm homo sufficienter satisfacere non posset per quamcunque pœnam ab eo sustinendam, Deus ei Filium proprium satisfactorem dedit, cùm (secundùm Apostolum) *pro nobis omnibus illum* crucifigendum *tradidit*. Nam ille propriè pro offensa satisfacit, qui illud exhibet offenso, quod æquè vel magis diligit, quàm offensam odit. Sed ex obedientia & charitate Christus patiendo, magis aliquid exhibuit Deo, quàm exigeret; tùm propter dignitatem vitæ suæ, quam ponebat pro satisfactione, quæ vita Dei & hominis erat; tum etiam propter generalitatem passionis, & magnitudinem assumpti doloris; tum denique propter magnitudinem charitatis, ex qua pro nobis patiebatur: propter quæ tria Christi passio fuit pro nobis superabundans satisfactio, iuxta illud Iohannis: *Ipse* enim *est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mũdi.* Et inde dicũtur *miserationes eius super omnia opera eius, quæ non* rapuit exsoluens, & inimicos proprio sanguine ad amicitiam reducens. Nam magna fuisset misericordia, si rigorem iustitiæ temperasset; maior verò, si reo pœnæ iudicium penitus remisisset. Sed ex misericordia voluit Deus humano generi bonitatem suam in summo cõmunicare, vt nihil esset quod pro eius salute non acceptaret, nec iniuriaretur suæ iustitiæ. Et ideo ad subueniendum nostræ miseriæ, ad satisfaciendum suæ iustitiæ, proprium Filium iudicare voluit, vt nos reos absolueret: & *in eo posuit iniquitatem omnium nostrum*, vt sic peccati vindictam sumeret, & peccator vindictæ dispendium nõ sentiret. Veruntamen vt hunc effectum felicissimum passionis Christi consequamur, oportet nos eidem Baptismo sacramentaliter configurari, & per conuersationem imitari, secundùm illud Apostoli: *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortẽ, vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Hinc baptizatis nulla imponitur pœna satisfactoria, quia per satisfactionem Christi totaliter liberati sunt Sed *quia Christus semel* tantùm *pro peccatis nostris mortuus est*, vt dicitur 1. Petri, ideo non potest homo per Sacramentum Baptismi secundariò configurari morti Christi. Oportet igitur quòd peccantes post Baptismum, Christo patienti configurentur per aliquod pœnale, quod in seipsis sustineant, Christi satisfactione

Rom. 8.

1. Ioan. 2.

Psalm. 144.

Psal. 68.

Isaiæ 53.

Rom. 6.

1. Pet. 3.

factione semper cooperante, licèt illud pœnale sit multò minus sufficiens, quàm exigeret digna pro peccatis satisfactio, quod dicitur Pœnitentia.

IIII. Reconciliatio hominis cum Deo.

Quartus autem effectus est, quia per eam Deo reconciliati sumus, sicut dicitur ad Romanos quinto: *Reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius.* Et hoc non solùm, quia Christi passio remouet peccatum, quo Dei inimici constituimur: (secundùm illud Sapientiæ: Simul *odio sunt Deo, impius & impietas eius:*) sed etiã, quia Deo Patri seipsum obtulit sacrificium acceptissimum: cuius proprium est placare Deum. Et iste modus reparandi & reconciliandi humanum genus fuit acceptissimus ad placandum Deum. Quia dicit Anselmus, quòd nihil asperius & difficilius homo pati potest ad honorem Dei, quàm sponte & sine debito mortem, nec potest seipsum magis dare, quàm cùm se morti tradit ad honorem Dei, sicut dicitur ad Ephesios 5. *Tradidit seipsum hostiam & oblationem Deo in odorem suauitatis.* Fuit etiam modus congruentissimus ad morbum curandũ: quia primus homo peccauit per superbiam, gulam & inobedientiã; sed quia contraria contrarijs curantur, ideo modus satisfaciendi congruentissimus fuit per abiectionis humiliationem, & per suppliciorum acerbitatem, ac per diuinæ voluntatis impletionem, quæ cuncta plenè relucent in eius passione. Et nostra reparatio ad hoc erat, vt à culpa nos reduceret ad iustitiam, à miseria ad gloriam. Sicut enim humanum genus per culpam cadens. Deum inhonorauit per præuaricationem & inordinatam delectationem: sicà culpa rediens ad iustitiam, decens est vt Deũ honoret sustinendo pœnam: & in hoc reparatur ad iustitiæ normam. Et rursus, sicut gloriosius est acquirere vitam æternam per merita, quàm sine meritis: sic gloriosius est reconciliari Deo per satisfactionẽ, quàm sine ea: ac in sua passione Christus vtrumque operatus est pro nobis. Et ideo Christus mediator noster & Redemptor dicitur, quia solus nos Deo reconciliare potuit secundùm diuersas proprietates, in quibus communicat cum Deo & cum homine. Habet enim iustitiam & innocentiam, cum qua cum Deo communicat. Habet mortem, in qua cum homine communicat. Et dum in Christo mors iustitiæ coniungitur, homo peccator & mortalis Deo iusto & immortali reconciliatur. Vnde quòd Christus ex obedientia & charitate voluntariè passus est, tantùm bonum fuit, quòd propter hoc bonum, in humana natura inuentum, Deus placatus est super omnem offensam humani generis, quan-

Sapien. 14.

Hebr. 2.

quantum ad eos, qui Christo passo coniunguntur per fidem charitate formatam, ac Sacramenta fidei. Vnde dicit Cælestinus: Cum sancto, id est, sanguine tincto, sancti, id est, sanguine tincti sunt, qui crucifixo cruci affixi sunt, dolori eius condolentes, amori eius congaudentes, sanguinem eius bibentes, carnem manducantes, crucem amplexantes, vulnera lingentes, & per latus apertum lancea, ad cor eius superdulcissimum intrantes, atque ei se clauo æterni amoris inseparabiliter conclauantes.

V.

Apertio regni cælorũ. Heb.10.

Quintus siquidem effectus est, quia per eum ianua cæli nobis aperitur, sicut dicit Apostolus ad Hebræos: Habemus *fiduciam in introitu sanctorum*, scilicet cælestium, *in sanguine Christi*. Duplex enim peccatum nos impediebat ab ingressu illius, scilicet originale, quod est totius humanæ naturæ, & actuale, quod per proprium actum vniuscuiusque hominis committitur. A primo quidem liberati sumus, Christo pretium pro nobis soluente, & hoc per Sacramentum Baptismi. Quamuis enim vnusquisque sanctorum in lege veteri purgabatur à peccato, quantum pertinet ad emundationem propriæ personæ, (secundùm illud Pauli ad Hebræos: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam:*) non tamen alicuius fides vel iustitia sufficiebat ad remouendum impedimentum, quod erat per reatum totius humanæ naturæ: quod remotum est in pretio sanguinis Christi. Hinc baptizato Christo, *aperti sunt cæli*, ad designandum, quòd cælum aperitur Baptismo Christi baptizatis, qui habet efficaciam à passione eius. A secundo verò, scilicet proprio peccato singulorum, liberantur ij, qui per fidem charitate formatam, & fidei Sacramenta cõmunicant eius passioni. Nam à peccato contracto ante Baptismũ, virtute Baptismi mundantur. Sed à peccato post Baptismũ contracto, virtute veræ Pœnitentiæ mundantur, tamen in virtute meritorũ & passionũ Christi. A peccatis deniq; perpetrandis, virtute passionis Christi misericorditer præseruantur, suffulti fideliter adiutorio multiplici. Primò, quia per eam nos non solùm à peccatis liberauit, sed etiam gratiã nobis promeruit iustificantem. Licèt enim nullus homo purus, nec sibi, nec alij (saltem merito condigni) primã gratiã gratum facientẽ mereri potest: Christus tamen ex maxima charitate passionem pro nobis gratanter acceptans, per eam nos liberauit ab omni culpa, tãquam per causam sufficienter & de condigno (quantum ost ex parte sua) nos disponentem ad hoc, vt ab omni culpa liberemur. Et etiã nobis sufficiẽter

Heb.11.

Matth.3.

Passio Christi vt præseruet hominem a peccatis.

Gratiã nobis promeruit Christus.

promeruit merito condigni primam gratiam gratum facientem, & ad cæli ingressum nos præparantem, quamuis non omnes propter indispositionem suam, istius meriti recipiant efficaciam. Quia Christus, secũdùm Damascenum, super hominem quæ sunt hominum agebat humana. Non enim homo erat solùm, sed & Deus. Vnde & huiusmodi passiones vinificatiuæ & salutares erant. Propter dignitatem enim patientis, sua passio fuit condigna satisfactio pro peccatis totius mundi. Condigna verò satisfactio meretur merito condigni remissionem peccatorum. Et quia peccatorum remissio non fit nisi per gratiam gratum facientẽ, rectè concluditur, quòd per suam passionem merito condigni, quantum ad sufficientiam, nobis omnibus meruit gratiam gratum facientem, qua deinceps peccatum cauere, & diabolo resistere, Deoq; perseueranter inhærere valeamus. Secundò, quia per eius passionem cognoscimus quantũ nos diligit Deus: & ideo modus ille redimendi genus humanum fuit efficacissimus ad trahendum genus humanũ ad amorẽ suum, sicut prædixerat, dicens: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Nimirum quia duntaxat ijs passio valet ad salutem, qui mera voluntate Deo per amorem adhærent: quia non decuit humanum genus saluari, nisi saluo libero voluntatis arbitrio. Nullo siquidẽ alio modo (saluo voluntatis arbitrio) Deus hominem magis attrahere potuit ad amorem suum, quàm pro eo sustinendo crucis supplicium. Vnde dicit Hugo de arrha sponsæ: Vt ostenderet tibi quantum te diligeret, non nisi moriendo te à morte liberauit, vt non tantùm pietatis impenderet beneficium, verùm etiam charitatis monstraret affectum. Nihil autem efficacius præseruat hominẽ à peccatis, quam amor Dei feruidus, qui maximè incenditur per iugem memoriã Dominicæ passionis. De qua dicit Origenes super Paulum ad Romanos: Tãta vis est mortis & crucis Christi, vt si ponatur ante oculos, & in mente fideliter habeatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare potest inuidia: sed continuò ad eius præsentiã totus ille peccati & carnis fugatur exercitus. Tertiò, quia per eam homini maior est indicta necessitas immunem à peccato se cõseruandi, iuxta illud primæ ad Corinthios: *Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deũ in corpore vestro.* Et etiã in perfectione omniũ virtutũ Christi vestigia imitandi, quæ summè necessaria sunt ad humanam salutem. Hinc ait Petrus: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.*

Charitas Dei trahit hominem. Ioan. 12.

Rom. 6

Necessitas homini indicta quæ. 1. Cor. 6.

1. Pet. 2.

Gemma

Gemmæ in Cruce Christi spirituales quatuor quæ? deq; Cruce spirituali multiplici, qua vincitur diabolus, mundus & caro, qua conjigitur cor & roboratur spiritus.

Cap. XXXIII.

FEreculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Iam de Cruce spirituali prosequamur, quam Apostolus cordibus Ephesiorum perfectius ingerere volés, scribit eisdem, dicens: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur, vt det vobis secũdùm diuitias gloriæ suæ, virtutem corroborari per Spiritum eius in interiori homine: Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit,* id est, quanta esse debet, *latitudo, longitudo, sublimitas & profundum.* Nam, secundùm Augustinum, in latitudine Crucis opera bona significantur in latitudine charitatis facta, quia charitatis opera sunt generaliter extendẽda etiam vsq; ad extremos inimicos: & hoc significatur in ligno transuerso, quo manus extendũtur, propter operum significationẽ, quæ fiunt in latitudine spiritualis hilaritatis, quia tristitia facit angustias. In longitudine perseuerantia boni operis, & sanctæ conuersationis significatur, quæ in tota longitudine temporis vsque in finem est habenda. In altitudine significatur intentio rectissima, ex sola spe cælestium, qua in Deum, tãquam in finem vltimum, sunt omnia regerenda. In profundo significatur inscrutabilia Dei iudicia: vnde venit in homines hæc maxima gratia, quia bona nostra de profunditate diuinæ gratiæ (quæ comprehendi non potest) vniuersa procedunt, eò quòd ex occulta Dei voluntate vocantur ad participationem tantæ gratiæ. Sequitur: *Scire etiam charitatem Christi,* qua nos dilexit, *supereminentem scientiæ* nostræ; quia charitas illa excedit omnem humanam scientiam: *vt* sic *impleamini in omnẽ plenitudinem Dei,* id est, vt sitis pleni Deo, tam plenitudine viæ, quàm patriæ. Et loquitur de intelligentia, vel infusa scientia, quæ est in experimẽtali gustu. Sunt autem quatuor gemmæ virtutum, quibus adornantur quatuor cornua Crucis, de quibus ait Bernardus: Christus in passione patientiam exhibet, humilitatem commendat, obedientiam adimplet, & charitatem perficit. His virtutum gemmis quatuor cornua Crucis ornantur, & est supereminens pars charitas, à dextris obedientia, à sinistris

Ephes. 3.

Latitudo.

Longitudo.

Altitudo.

Profundũ.

Gemmæ virtutũ in Cruce quatuor.

nistris patientia, in profundo radix omnium virtutum humilitas. Et his quatuor virtutibus Christus in Cruce vicit quatuor potentias nobis aduersantes, quas notat Psalmista, dicens: *Ibi*, scilicet in Cruce, *confregit potentias, arcum, scutum, gladium, & bellum.* Nam cum dextro cornu, scilicet obedientia, confregit potentiam diaboli, quæ figuratur in arcu. Arcus enim est Crux Christi, tensus à diabolo multipliciter in mortem Christi, cuius sagittæ fuerunt omnes contumeliæ & pœnæ Christo crudeliter inflictæ: quæ cuncta Christus valenter confregit, cùm ex obedientia Patris omnia patienter tolerauit, quia *vir obediens loquetur victoriam.* Et hoc est, quod dicit Psalmista: *Arcus eorum confringatur. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriã per Dominum nostrum Iesum Christum*, qui mortuus est pro nobis. Nam *sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi*, sic *per* obedientiam *vnius iusti* constituuntur *multi*, vt dicit Apostolus. Ex hac enim obedientia, vt idem testatur, deleuit Christus, *quod aduersus nos erat, chirographũ decreti, quod erat contrariũ nobis; & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci.* Alexãder de Hales dicit, quod decretũ dicitur diuinũ præceptum, quod Adæ fuit datum: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas.* Cuius precepti violati memoriam & inscriptionẽ Deus deleuit, quando peccatum primi parentis aboleuit. Cum sinistro verò cornu, scilicet patientia, confregit peccatum, quod figuratur per scutum, quia omnis culpa mortalis scutum quoddam est diaboli, quo se protegit, ne de mẽtibus hominum expellatur, & ne de cordibus mundanis per exteriores prædicationes, & interiores inspirationes eijciatur. Dicit enim Iob: *Corpus* eius, scilicet diaboli, quod est peccatum, *quasi scuta fusilia, compactum squamis se se prementibus. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.* Ideo, vt dicit Apostolus: *Vetus homo noster crucifixus est*, scilicet cum Christo, *vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato*, sed scutũ illud peccati comburatur per passionem & mortem Christi, sicut ait Psal. *Et scutum comburet igni*, id est, ignita charitate & feruida passione sua. Nam hoc igne cõbussit acediam, ad passionem properando: iram, mollia responsa dando: superbiam, contumelias & opprobria grauiter accipiendo: auaritiam, ab omnibus perfectè se denudando: inuidiam efficaciter & lachrymosè pro inimicis orando: gulam, fel & acetum potando: luxuriam, multas flagellationes & lacerationes sustinendo.

Psal. 75. Obedientia.

Arcus.

Prou. 21. Psalm. 36. 1. Cor. 15.

Rom. 5.

Colos. 2.

Genes. 2.

Patientia. Scutum diabo. i.

Iob 41.

Rom. 6.

Psal. 45.

Cum

Cum cornu proinde sublimi, scilicet charitate, deuicit & aperuit Paradisum, per gladium flammeum versatilem mysticè designatum. Per Paradisum autem cælum empyreum designatur, vbi fuerant tria impedientia, ne quis ingrederetur, ita quòd non sufficiebat humana intelligentia, neque voluntas, neque facultas ad ingrediendum. Nam ante Dominicam passionem aditum Paradisi nesciebat homo: ideo Cherubin, qui plenitudo scientiæ Dei interpretatur, aditum Paradisi præpedisse dicitur: Sed *Christus* per passionem & mortem, *assistens pontifex futurorum bonorum, per proprium sanguinem introiuit in Sancta, æterna redemptione inuenta*, nostrum intellectum illuminans, vt per fidem noscat quibus medijs introire debeat. Similiter ex parte voluntatis. Nam sufficienti charitate non ardebat, & ideo flammeus gladius à charitate voluntatem diuidens, præpedisse dicitur. Sed Christus tam originale, quàm actuale peccatum per mortem suam amore nostri valenter exterminans, quátum est in se, nostrum affectum inflammat, vt feruidè ad introitum regni laborare velit. *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram*, id est in terrena corda. *Et quid volo, nisi vt* ardeat? Ex parte denique facultatis cælum ascendere non valebat, quia gladius versatilis ab hac facultate lethaliter diuidens, præpedisse dicitur. Sed Christus facultatem roborans, nos cælum violenter rapere docuit, dicens: *A diebus Iohannis Baptistæ*, quo scilicet tempore passio Christi cœpit regnare, *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Charitas.
Gladius versatilis mysticè quid.
Paradisi ingressum præpedientia tria quæ.
Hebr. 9.
Lucæ 12.
Matth. 11.

Porrò cum infimo cornu, scilicet humilitate, confregit potentiam inferni, id est, mortem æternam, per bellum significatam. De quo bello dicit Dominus apud Lucam: *Cùm fortis armatus*, id est, diabolus, *custodit atrium suum*, id est, infernum, *in pace sunt* omnia, *quæ possidet*, id est, inferni spolia, quæ fuerat adeptus ante passionem Christi. Cùm *autem fortior* illo, scilicet Christus *superueniens vicerit eum*, scilicet per crucem & mortem, *vniuersa eius arma auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Christo igitur in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini*, cum Apostolo dicente: *De cætero nemo mihi molestus sit, Ego enim stigmata Domini IESV in corpore meo porto.* Nam eius passio tanta spiritus deuotione distillat, quòd mentes diligentium, & eam ruminantium *adipe & pinguedine* replere videatur. Nec solùm sedula cogitatione, sed etiam spirituali imitatione Dominicam

Humilitas.
Lucæ 11.
Bellum.
1. Pet. 4.
Galat. 6.
Psal. 62.

passionem complecti debemus, vt compatiendo in præsenti, conregnemus in futuro.

Crux spiritualis multiplex. Sap. 1.

Nam Crux, qua diabolum velut latronem in sinistro pendentem crucifigere debemus, erit syncera charitas in summo, contra suam inuidiam, qua *mors* intrauit *in orbem terrarum*. Erit humilitas in imo, contra suam superbiam, propter quam eiectus est à cælesti paradiso *in momento, in ictu oculi*, ita vt miraretur Isaias, dicens: *Quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris?* effectus insuper *rex super* omnes *filios superbiæ*. Erit à dextris obedientia prompta, contra suam inobedientiam, & rebellionem, qua vilis apostata effectus est: quia *vir obediens loquetur victoriam*. Erit à sinistris grata patientia, contra venenatam iram suam, de qua dicitur in libro Apocalyp. *Væ terræ & mari: quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam*. Crux verò, qua mundū calcabimus erit abiectio plena terrenæ possessionis, non solùm effectu, sed etiam affectu: erit abnegatio perfecta cuiuslibet mundanæ delectationis: erit refutatio firma mundani fauoris & honoris: erit despectio vera suijpsius, qua non solùm seipsum contemnit, sed etiam se contemni ab alijs appetit. Crux proinde propriæ carnis, erit abstinentiarū zelositas, non solùm ab omni superfluo, sed etiam ab omni gustabili delicioso & voluptuoso, quantum admittit corporis valetudo: erit vigiliarum studiositas, ne mens torpore dissoluatur, & ad illicita pertrahatur: erit asperitatum rigorositas, quia non decet sub spinato capite corpus gerere delicatum: erit laborum sedulitas, siue corporalium siue spiritualium, vt eum inimicus semper inueniat vtiliter occupatū. Crux autem cordis, erit timor Dei, dolor peccati, compassio proximi, & passio Christi. Crux denique mentis vel spiritus, erit iugis diuini amoris inhæsio, affectuosa suijpsius humiliatio, syncera inimicorum dilectio, & perfecta iniuriarum remissio: quæ breuiter tetigisse sufficiat.

Isaiæ 14.

Iob 41.

Prou. 21.

Apoc. 12.

Explicit pars prima.

D. HEN-

D. HENRICI HARPHII THEOLOGIÆ MYSTICÆ LIBRI PRIMI

PARS SECVNDA.

De animarum vulneribus, quæ eis ex peccato originali inflictæ sunt: de earundem creatione, pulchritudine, nobilitate, reformationeq; per Christiformes virtutes.

Quòd cæcitas mentis & ignorantia contingunt ex tribus, scilicet ex defectu intellectus, voluntatis, vel appetitus sensitiui. Cap. I.

Quadrigæ Aminadab quid mystice.

NESCIVI *anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* Canticorum sexto. Quasi diceret: Ad pernicioſam ignorantiam deueni, quia animalitas, id est, sensualitas mea, totam me turbauit, quòd non possum apprehendere lumen veritatis, & attingere amorem suauissimæ bonitatis. Et hæc *propter quadrigas Aminadab*, quod interpretatur, populus meus spontaneus, cursum scilicet propriæ voluntatis, & mundanæ vanitatis amplectens, cum his, qui apud Hieremiam, dicente Domino: *Reuertatur vnusquisque à via sua mala, & dirigite vias vestras*, scilicet in bonis vos exercendo, *& studia vestra*, scilicet de talibus meditando, protinus eidem responderunt: *Desperauimus*, contemnendo scilicet reuerti. *Post cogitationes nostras ibimus, & vnusquisque prauitatẽ cordis sui mali faciemus.* Vnde quia *nescierunt, neque intellexerunt* præterita, præsentia & futura, ideo *in tenebris ambulant. Excæcauit enim eos malitia eorum*, nolentes *intelligere, vt bene* agant. Et horum currus quatuor rotas habent, quibus vehuntur in profundum malorum, quæ sunt delectatio peccandi, spes diu viuendi, pudor confitendi, & timor satisfaciendi. Ad maiorem tamen euidentiam notandum, quòd cæcitas mentis ex originali peccato traxit originem. Nam ante peccatum homo clarum intellectum habuit: sed hoc lumen intellectus post lapsum

Hier. 18.

Psal. 81. Sapien. 2.

Cæcitas mentis.

sum in nobis est obfuscatum propter delectationem inferiorum, qua natura corrupta miserabiliter allicitur, & abducitur. Hæc enim delectatio intentionem applicat ad ea, in quibus quis delectatur: & sic hominis operatio circa intelligibilia debilitatur. Nã sicut cognitio sensitiua circa qualitates sensuales exteriores occupatur, sic intellectiua cognitio penetrat vsque ad essentiam rei, quia intelligere est quasi intus legere. In primo natura corrupta miserabiliter occupatur, sed obfuscatur in secundo. Vnde lamentatur Sapiens, dicens: *Solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectũ: & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus.* Vnde post casum humana natura retinuit intellectum obfuscatum, & affectum corruptũ, & ad omne malum procliuum. Hinc multi sunt, *qui*, secundùm Apostolum, *Veritatem Dei in iniustitia detinent*, quæ (quãtum in se est) semper est parata se manifestare: sed malitia hominum impedit in eis hanc manifestationẽ, & sic eam quodammodo detinent, sicut aquæ cursum impediens, dicitur eam detinere. Vnde dicit Alexander de Hales ibidem, quòd ille *veritatem in iniustitia* detinet, qui operatur contrarium eius, quod habet in cognitione. Nam veritas cognita manifestatur in opere. Qui ergo non solũ non operatur, quod cognitio suadet, sed etiam operatur cõtrarium illius, veritatem cognitam detinet, & quasi violentat, ne in opus prorumpat. Et de talibus prosequitur Apostolus, dicens: *Obscuratum est insipiens cor eorum*, iusto scilicet Dei iudicio. *Dicentes enim se esse sapientes*, scilicet temporaliter ad faciendum malum, *stulti facti sunt*, spiritualiter ad faciendum bonum, nimirum cùm eos iam actualis malitia eorum excæcat. Quæ cæcitas cõtingit ex voluntate auertente se voluntariè à consideratione primi principij. Cæcitas enim mentis est priuatio eius, quod est principiũ mentalis, seu intellectualis visionis, cuius est triplex principium. Vnum est lumen naturalis rationis, quod licèt non priuatur ab anima, quandoque tamen impeditur ab actu proprio per impedimenta virium inferiorum, quibus indiget intellectus humanus ad intelligendũ, vt patet in amẽtibus & furiosis. Aliud est lumen aliquod habituale, naturali lumini rationis superadditum, quod quandoque priuatur ab anima, cæcitatem causans, iuxta illud: *Excæcauit eos malitia eorum.* Tertium est aliquod intelligibile primũ, per quod intelligit alia, cui mens hominis intendere potest, vel non intendere. Et quòd ei non intendit, ex hoc contingit, quòd habet voluntatem se spontaneè auertentem à cõsideratione talis principij iuxta illud:

Ecclc. 7.

Rom. 1.

Ibidem.

Cæcitas mẽtis quid.

Principium intellectualis visionis triplex.

Sap. 2.

illud: *Noluit intelligere, vt bene ageret:* vel propter occupationē mentis circa alia, quæ magis diligit, quibus ab inſpectione huius mens auertitur, iuxta illud: *Supercecidit ignis,* ſcilicet concupiſcentiæ, *& nō viderunt ſolem* iuſtitiæ. Vnde quamuis homo naturaliter habeat appetitum boni, tamen econtra ſæpius eius appetitus declinat ad malum: & hoc contingit ex deordinatione in aliquo principiorum hominis. Pro quo nota, ſecundùm ſanctū Thomam prima ſecundæ, quòd principia humanorum actuum ſunt intellectus & appetitus: tam rationalis, (quæ dicitur voluntas,) quam ſenſitiuus. Peccatum igitur in humanis actibus quandoq; contingit ex defectu intellectus, cùm ſcilicet quis per ſolam ignorantiam peccat. Quandoq; verò ex defectu appetitus ſenſitiui, vt cùm quis ex paſſiōe peccat. Eſt autē paſſio quidā motus vehemēs appetitus ſenſitiui, quā nos infirmitatē animæ nominare poſſumus, ſicut Tullius animæ paſſiones vocat ægritudines, quib⁹ anima præpeditur ab ordinatione propria propter inordinationem partium eius: quia vis concupiſcibilis & iraſcibilis extra ordinem rationis afficiuntur aliqua paſſione, quib⁹ ipſa voluntas impediri ſeu inordinatè moueri poteſt, ſaltē indirectè in actu ſuo: & hoc dupliciter. Vno modo ſecundùm quandam abſtractionē. Cùm enim omnes potentiæ animæ radicentur in vna eſſentia animæ, neceſſe eſt quòd quādo vna potentia intenditur in actū, altera remittatur, vel totaliter impediatur in actu ſuo, quia omnis virtus ad plura diſperſa fit minor: & quādo intenditur circa vnū, minus poteſt ad alia diſpergi, quia in operationibus animalibus animæ, quædā intentio requiritur, quę dum vehemēter ad vnū applicatur, alteri vehemēter attendere non poteſt. Et ſecundùm hunc modū per quandā diſtractionē, quādo motus appetitus ſenſitiui fortificatur ſecūdùm quācunq; paſſionē, neceſſe eſt quòd remittatur, vel impediatur motus proprius appetitus rationalis, qui eſt voluntas. Alio modo ex parte obiecti voluntatis, quod eſt bonū rationis apprehenſum. Impeditur enim iudiciū, & apprehēſio rationis propter vehementē & inordinatā apprehenſionē imaginationis ſenſitiui, ſicut iudiciū guſtus ſequitur diſpoſitionē linguæ. Hinc videmus, quòd homines exiſtentes in aliqua paſſione, non faciliter auertunt imaginationem ab his, circa quæ afficiuntur: & per cōſequens, iudiciū rationis plurimùm ſequitur paſſionē appetitus ſenſitiui, quia talis paſſio cauſat quandā immutationem corporalem, ex qua ratio quodammodo ligatur, nè liberè in actum exeat, ſicut etiam ſomnus vel ebrietas,

Pſal. 35.

Pſal. 57.

Peccatum quomodo fiat.

Paſsiones animæ.

Vires quomodo impediantur, & ad peccatū trahantur.

facta quadam corporali transmutatione, ligant vsum rationis. Et quòd hæc contingant ex passionibus, patet ex hoc, quod aliquando passiones scilicet amoris, iræ, tristitiæ, & similiũ in tantum intenduntur, quòd homo totaliter vsum rationis amittit, & in insaniam vertitur. Cùm igitur iudicium rationis sequitur passionem appetitus sensitiui, consequens est, vt etiam motus voluntatis, qui natus est sequi iudicium rationis, sequatur etiam passionem appetitus sensitiui; sicut legitur apud Danielem de iudicibus inueteratis *dierum malorum: Concupiscentia subuertit cor tuum.* Cui propriè cõuenit illud Prouerb. cap. 11. *Circulus aureus in naribus suis, mulier,* id est, anima; *pulchra,* conditione naturæ; *& fatua,* perpetratione culpæ. Et talis anima & sus comparantur: quia sicut sus naribus suis nullam immunditiam præterit intactam; sic diabolus in ea nullum peccatum relinquit intactum, cogitatione, delectatione, consensu, verbo, vel opere. Tertiò denique, peccatum contingit ex defectu voluntatis, quæ est inordinatio ipsius, cùm scilicet minus bonum adeò diligit, quòd maius bonum contemnit. Vnde inordinatus amor sui, includens in se inordinatum appetitum boni, est causa omnis peccati. Et talis dicitur ex malitia peccare, id est, ex electione mali, non ex habitu vitioso, qui illum compellat, & ex praua cõsuetudine quodammodò cogat, sed ex spontanea quadam electione mali: quia *non est timor Dei ante oculos* eius, nec peccata ponderat, sed quasi vilipendit. Cui dicitur in Psalmo: *Dilexisti malitiam super bonitatem,* &c. Et sic accipitur hîc malitia pro quadam prauitate voluntatis ad malum.

Dan. 13.

Psal. 13. Psal. 51.

De ignorantia, quàm pernicioſa eſt, & vnde oritur: ac de otioſo, deſidioſo, & de macula animæ. Cap. II.

Animæ pulchritudo quid ſit.

SI ignoraste ô pulchra inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum. Cant. 1. Quasi diceret sponsus: O sponsa, cupis pastum & quietem, alioqui times discessum & euagationem. Sed *si ignoraste,* id est, tuam nobilitatem, cùm quæris vbi habitem, quia apud te habito per gratiæ infusionem, & Eucharistiæ communionem. Siquidem deliciosum est mihi esse cum filijs hominum, cùm sis *pulcherrima* omnium creaturarum. *Pulchra* quidem, peccata deserendo; *pulchrior,* mundum contemnendo; *pulcherrima,* mihi amorosè adhærendo. *Pulchra,* per honestam conuersationem; *pulchrior,* per conscientiæ purificationem; *pulcherrima,* per cælestium

cælestium contemplationem & amorem. *Si* ergo *ignoras te*, id est, tuam laboriosissimam acquisitionem, diligentissimam conseruationem, & prætiosissimam redemptionem, eò quòd aduersis probaris, non refutaris. *Si ignoras te*, per præsentem tribulationem magis in bonũ promoueri, & te mihi fortius coniungi, *egredere*, id est, egredieris & abibis, primò à secreto mentis, ad vitia carnis; sicut filius prodigus: à solitudine claustrali, ad tumultum sæculi; sicut egressa est Dina filia Iacob: & à quiete contemplationis, ad tumultum occupationis; sicut Semei egressus est Hierusalem. Nam in quolibet istorum amittit homo sui cognitionem. Egredieris ergo *post vestigia gregum*, id est, post multitudinem bestialium motuum tuorum. Quid est autem hæc egressio, nisi amoris sui pernitiosa quædam immutatio, & auersio ab incõmutabili bono ad bonum commutabile? De qua dicit Psalmista: *Ecce, qui elongant se à te, peribunt*. Nam elongatio prima à suo Creatore, est plus diligere creaturam, quàm Creatorem, licèt actualiter eadem creatura non abutatur, sicut cùm quis habet animum ita dispositum, quòd potius vellet transgredi aliquod Dei præceptum, quàm sustinere aliquod notabile damnum, incommodum, opprobrium, & sic de alijs: Vel, vt econtra consequeretur aliquod notabile lucrum, cõmodum, honorem, &c. Vnde dicit Glossa Brixien. de Pœniten. dist. 1. in paragrapho, Nunquid Cain, super illo: *Et scient omnes Ecclesiæ*, quoniam *ego* scrutator *sum* renum, & cordiũ: Dominus, inquit, inspicit voluntatem, antequam producatur ad actum, tam bonam, vt eam coronet; quàm malã, vt eam damnet. Quid autẽ est malitia, vel malignitas, nisi mala voluntas? Nam malitia est, secundùm Ambrosium, mentis & animi deprauatio, à tramite veritatis deuia. Et Richardus super illud Apostoli: *Non in fermento malitiæ*; dicit, quòd malitia est ex proposito, & deliberatione malo cognito prono animo consentire, quamuis necdum prodeat in effectum. Et quia omne peccatũ obtenebrationem inducit, meritò dicit. *Si ignoras te* Sic *adolescens* audiẽs de obseruatione mandatorũ, & seipsum ignorans, fiducialiter respondit: *Hæc omnia* seruaui *à iuuentute mea*. Sed audiens: *Vade, & vende omnia, tristis abijt*, quia terrena nimis amans, relinquere noluit; potius à Christo, quàm ab eis eligens separari. Captus enim inordinato amore, quamuis Dominica præcepta, quantum ad exteriorẽ actum, adimplere videbatur, non tamẽ intẽtione debita, quæ semper est ad seipsam incurua in Dei seruitio, proprio lucro tanquam mercenarius semper

Lucæ 15.
Genes. 34.
3. Reg. 2.
Psal. 72.
Apoc. 2.
Malitia quid sit.
1. Cor. 5.
Matth. 19.

intendens: imò plerumque mercedem iniquitatis exoptat, scilicet fauorem, laudem, complacentiam, & similia, ignoranter, vel inadvertenter à Deo reprobus, & auersus. Vnde quia transgressionem actualē non incidit, omnia sibi salua suspicatur, quousque Hierusalem scrutabitur *in lucernis*. Et inueniuntur nonnulli Babylonij, qui ciues Hierusalem fore putabantur, dicente Domino: *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo*. Quid ergo fiet de seruo otioso? cùm Augustinus lib. de vita Christiana dicat, quòd non solùm à Christiano requiritur, vt malo careat, sed vt bona exerceat, tam opere, quàm voluntate, & recta intentione. Quòd si nihil mali fecerit, nec tamen aliquid boni egerit, ad æternæ vitæ præmia non admittitur, sed gehēnæ ignibus mancipatur. Nec enim arbor viriditatē retinet, nisi pariter supercrescat: nec animæ vitam homo retinet, nisi in bonis operibus, & exercitijs proficiat. Insuper exigitur facere *fructum bonum*, alioqui *excidetur, & in ignē mittetur*. Fructus bonus est bonum opus, ex conscientia pura, charitate formata, voluntate libera, fide non ficta, intentione recta. O lignum aridum, & infructuosum, æternis ignibus deputatum, quod excidi iubetur, ne terram occupet. *Vtinam*, inquit, *calidus esses, aut frigidus: sed quia tepidus es, & nec calidus, nec frigidus, incipiam te euomere de ore meo*. Super quo verbo dicit Gregorius in Pastoralibus: Calidus est, qui bona studia & arripit & consummat. Frigidus verò, qui consummāda non inchoat. Et sicut à frigore per teporem transitur ad calorem: ita à calore per teporem reditur ad frigus. Et sequitur: Et sicut ante teporem frigus est sub spe, sic post frigus tepor est in desperatione. Qui enim adhuc in peccatis est, conuersionis fiduciam nō amittit: Qui verò post conuersionem tepuit, etiam spem, quæ esse potuit de peccatore, subtraxit. Hinc illud Lucæ: *Gaudium est Angelis super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigēt pœnitentia*. Gregorius exponit de iustis, qui sē gerunt desidiosè, & de peccatore ad pœnitentiā feruente. Omnis enim desidiosus cuilibet commutabili bono faciliter inordinatè per affectum inhæret. Vnde de Cōsecrat. dist. 5. cano. Nunquā de manu tua, super illo: In desiderijs est omnis otiosus, dicit Glossa:

Quæritur Aegysthus quare sit factus adulter,
In promptu causa est, desidiosus erat.

Hæc autem inordinata adhæsio deturpat & ream facit animam, ac per consequens Deo reddit detestabilem. Pro quo notandū, quòd ma-

Soph. 1. Psal. 74.

Matth. 25. Otium vt vitandum.

Opera bona ad salutē necessaria. Matth. 7.

Apoc. 3. Tepidus quis. Calidus quis, Frigidus quis.

Lucæ 15.

cula

cula propriè dicitur in corporalibus, quando corpus nitidum perdit suum nitorem ex contactu alterius corporis. Sic in anima fit quidam contactus, cum per amorem inordinatum aliquibus rebus inhæret. Quod quia facit contra lumen rationis, & diuinæ legis, ideo delinquit, & maculam animæ contrahit: quæ macula non est aliquid positiuè, sed significat priuationem quãdam nitoris in ordine ad causam suam, quæ est peccatũ, quod interponitur causans vmbram quandam & obtenebrationem in anima. Nam vmbra causata ex obiectu corporis alicuius ad speculum, non solùm causat priuationem luminis in speculo, sed etiam causat in eo similitudinem corporis vmbram causantis. Hinc diuersa peccata diuersas maculas causant in anima. Causat insuper in anima reatum pœnæ, in quantum transgreditur ordinem diuinæ iustitiæ. Nec solùm facit eam ream pœna æterna secundùm durationem, sed etiam pœna infinita secundùm quantitatẽ: quia duo sunt in peccato. Primum est auersio ab incõmutabili bono, quod est infinitum, & per consequens peccatum est infinitum. Cui peccato correspondet pœna damni, quæ est infinita secundùm quantitatem, quia est amissio boni infiniti. Secundùm est, inordinata conuersio ad bonum commutabile, cui correspondet pœna sensus, quæ erit infinita secundùm quantitatem, sed non secundùm durationem, quia correspondet durationi culpæ: non ex parte actus, sed ex parte maculæ, qua durante, manet reatus. Perseuerat autem macula quandiu perseuerat voluntas, id est, quoscque voluntas iterum conuertatur ad incommutabile bonum. Quæ voluntas in bonum de cætero mutari non potest in damnatis, cùm sit in malo firmata. Voluntas enim in auersione boni incommutabilis in morte perseuerans obstinata, æternaliter punitur. Iustum est enim, secundùm Gregorium, quòd qui in suo æterno peccauit, in æterno Dei puniatur. Ex hoc enim, quòd finẽ suum in peccato constituit, in æternum peccandi voluntatem habuit. Cui Chrysostomus: Dic inquit, quanta tempora luxuriæ, quæ deliciarum spacia, comparare vis pœnis æternis? Centum annos (si placet) delicijs demus, adde & alios centum, adde decies cẽtum: quæ erit ex his ad æternitatem comparatio?

Macula animæ.

Peccato duo inesse

Ignorantiæ malum quod, deque quatuor eius speciebus, & de septem gradibus recidiuationis in peccatum.

Cap. III.

Ignorantia & cæcitas animæ vide.

SI ignoras te ô pulchra inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum. Cant.1. Hanc ignorantiam & cæcitatem in homine causat elongatio à Deo. Sicut enim Deum accedimus amore bono, sic ab eo recedimus amore malo. Quare peccator longè abisse dicitur, non loco, sed dissimilitudine, scilicet mala vita, malis moribus, quò tendit per dilectionem malam. Et sicut accedentes illuminantur, iuxta illud Psalmistæ: *Accedite ad eum, & illuminamini:* sic recedentes excæcantur, iuxta illud libri Sapientiæ: *Excæcauit eos malitia eorum.* Vnde Gregorius de excæcatione Sampsonis dicit, quòd prius intellectus obtunditur, & postea animus ad exteriora vagatur, vt cæca mens, quò ducitur, nesciat, & carnis illecebris se libenter subdat: sicq; paulatim egreditur ad pascendum *hœdos* suos, id est concupiscentias & passiones inordinatas. Quas ad numerum quaternarium redigere placuit, tanquam quatuor filias diaboli, quas omnibus suis prostituit, quia quatuor capita sunt & initia omnium vitiorum.

Psalm. 33. Sapien. 2. Ignorantiæ profluxus.

Superbia. Eccli. 10. Inuidia.

Primum est superbia, quæ *est initium omnis peccati* in Deum commissi, vtpote quo Deo similis esse voluit. Secundum est inuidia, initium omnis peccati in proximum commissi, quo *mors* intrauit *in orbem terrarum.* Et hæc duo diabolo videntur indita, non natura, sed corruptione, quasi duæ filiæ genitæ ex tam pessimo patre. Vnde complectentes eadem, non immeritò filij diaboli nuncupantur, dicente Domino Iudæis elatis & inuidis: *Vos ex patre diabolo estis,* & opera *patris vestri facere vultis:* quia tanquam ex appropriatis sibi vitijs in damnationem æternam regenerati, eandem hæreditatem consequentur, quæ licet parata legitur *diabolo & angelis eius,* propter cõformitatem tamen spiritualis corruptionis conduiditur etiã maleuolis hominibus. Alia verò duo, scilicet cupiditas, quæ *est initium omnis peccati* in res exteriores: & voluptas, quæ *est initiũ omnis peccati* in seipsum, sunt capita & initia vitiorũ carnaliũ, sicut priora vitiorũ spiritualium. Quæ licèt extra diaboli naturã esse noscuntur, cùm nec voluptatibus, nec cupiditatibus fruitur, sunt tamen eius filiæ fœdæ, quas ipso suggerente sibi proh dolor, Eua mater infeliciter genuit, dum insipienter consensit, fructum vetitũ cupiditate ducta rapiendo, & voluptate victa degustando, de quibus filiabus dicitur in libro Prouerbiorum: *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes: Adfer, adfer;* quia nec corpus voluptate, nec cor cupiditate satiari potest. His igitur incautus lethali dispendio per gradus

Matth. 25.

Cupiditas. Voluptas.

Prouer. 30.

dus quosdam elongatur à Deo. Primò, plus diligendo creaturã, quàm Creatorem, quamuis actualiter eadem creatura nõ abutatur. Sicut paratum habens animum potiùs velle transgredi diuinum mandatum, quàm suscipere aliquod notabile incommodũ, aut dimittere aliquod notabile commodum, boni, vtilis, honesti, vel delectabilis. Sicut *adolescens* ille diues, qui Domino respondit, *à iuuentute* se seruasse *omnia* mandata. Sed audiens: *Vade, & vende omnia* tristis abscessit, quia bona nimis dilecta deserere noluit: potius eligens à Christo, quàm à bonis separari. Tales igitur licèt quantum ad actum exteriorẽ adimplere præcepta videantur, non tamen quantum ad debitam intentionem finis, quæ propter priuatam dilectionem ad seipsam semper est recurua, non filij, sed mercenarij effecti, quorũ *oculus* intẽtionis est *nequam*, & ideo *totum corpus* bonorũ operum est *tenebrosum*. Quamdiu namq; quis ex aliqua quantumcunque ardua suppositione se sentit velle peccare mortaliter, tamdiu semper in peccato mortali remanet, licèt tali suppositione non occurrente, actu mortaliter peccare nõ videatur. Secundò autẽ, abutendo creatura plus dilecta, quia miseri, postquã à Deo sunt auersi, faciliter incipiunt creaturis, id est, seipsis, vel etiam alijs abuti. Nam auersione facta à bono incommutabili, deperit in eis sapor spiritualis demerito peccati: quapropter ad sensualem gustum se conuertentes, sub mundana dulcedine veneni virus insumunt. Dicitur enim in Prouerbijs, quòd *sanguisugæ*, id est, diaboli, *duæ sunt filiæ*, quas velut meretrices auersis mentibus prostituit, scilicet voluptas, & cupiditas, quæ sunt in abusione creaturarum, *dicentes: Adfer, adfer*, quia nec corpus voluptate, nec cor cupiditate satiatur: &, vt dicitur in Prouerbijs, *omnes qui ingrediuntur ad eam*, id est, vnam ex duabus, *nõ reuertentur, nec apprehendent semitas vitæ*. Tertiò, non tantùm in criminibus delectando, sed etiam gloriando, ita quò plus superbit, quo plus peccat: sicut diabolus prius superbiens (de natura, quæ fuit opus Dei,) postea superbiuit de culpa quæ fuit opus suum. Similem lapsum sortiuntur, qui peccant ex malitia, quibus ipsa peccati malitia placet, *qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis*. Quibus improperatur in Psal. *Dilexisti malitiam*, id est, non tãtùm fecisti, sed etiã *dilexisti*, (quod est maioris peccati) *malitiã super benignitatem*, quia etsi benignitas quandoque tangit animum eius, statim tamen refugit ad malum: & tunc venit ad contemptũ, de quo dicitur in libro Prouerbiorum:

Gradus elõgationis à Deo septẽ.

I. Voluntas peccandi.

Matth. 19. Marc. 10.

Matth. 6. Lucæ 11.

II. Peccare actualiter.

Prouer. 30.

Prouer. 2.

III. Gloriatio in peccatis.

Prou. 2. Psal. 51.

biorum: *Impius cùm in profundum venerit* malorum, *contẽnit*, quì contemptus considerare non finit peccatorum enormitatem & grauitatem, nec futuram calamitatem. Vnde Augustinus in Enchiridio: Peccata quamuis, inquit, magna & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parua, aut nulla esse creduntur, vsque adeò, vt non solùm non occultanda, verùm etiam prædicanda, diffamandaq; videantur.

IIII. Studiositas peccandi. Psal. 80.

Quartò, proinde malè agendi studiositatem quandam exhibendo, de qualibus dicit Psalm. *Et non audiuit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi. Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum. Ibunt* igitur secundùm inclinationem fomitis ad malum, *in adinuentionibus suis*, id est, in peccatis enormibus ab ipsis adinuẽtis, quam adinuentionem causat illa studiositas, quæ tantas abominationes adinuenire solet, quòd eas nec nominare nec recolere fas est.

V. Obliuio Dei & salutis. Gene. 3. 2. Tim. 4.

Quintò, siquidem per hanc diutinã studiositatẽ subrepere solet obliuio Dei, & omniũ, quæ pertinẽt ad animæ salutẽ: quod notatur per illud Geneseos: *Super pectus tuum gradiêris*, eò quòd per reminiscentiam diuinarum miserationũ quasi nunquam talis esset erigẽdus. Vnde nec bonum audire dignatur, iuxta illud Apostoli: Multi *sanã doctrinam nõ sustinebunt, sed coacernabunt sibi magistros pruriẽtes auribus. Et à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.*

VI. Obstinatiõ. Eccles. 7.

Sextò, perueniendo in peccatorum obstinationem & defensionem, quæ frangi potest, sed ad pœnitentiam flecti non potest, quia, vt dicitur in Ecclesiaste, *nemo corrigere* potest, *quem ille*, scilicet Deus, *despexerit*. Et sic malitiam defendit agnitam, & veritatem impugnat agnitã, vt liberius peccet.

VII. Corrumpere alios.

Septimò, denique non contentus propria perditione, sẽ pro posse constituit auctorẽ perditionis alienæ, secum alios trahens in eandem damnationis voraginem. Gaudet enim inuenire sibi similes in malitia, virtuosis inuidens, persequens, deridens, & detrahens. Quod à nobis auertat Iesus.

Quòd iustificatio quatuor per ordinem requirit, & quomodo Deus pulsat ad ostium animæ. Cap. IIII.

Ioan. 8.

Reuertere reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te. Canticor. VI. Quasi diceret: O *Sunamitis*, id est, anima misèra, pro peccato captiuata, (nã *qui facit peccatum, seruus est peccati*) *reuertere* primò à contemptu: secundò, à consuetudine: tertiò, ab opere: quartò, à consensu

sensu peccatorũ: sicut econtrario peccata perpetrasti, procedẽdo à consensu in opus, ab opere in cõsuetudinem, à cõsuetudine in contemptũ. *Reuertere*, inquã, sicut ancilla ad dominũ, sicut filia profuga ad patrẽ, sicut ægra ad medicũ, sicut adultera ad sponsum. *Reuertere* deniq; per diuinæ gratiæ infusionem, per motum liberi arbitrij in Deum, scilicet per fidem charitate formatã, per motum liberi arbitrij in peccatũ, per detestationem, & per peccati expulsionem & remissionem. Quamuis enim impij iustificatio non est successiua, sed instantanea, tamen ordine naturæ primò requiritur infusio gratiæ, deinde motus liberi arbitrij in Deum per dilectionem, postea in peccatum per detestationẽ, eò quòd sit contra Deum, & tandem sequitur culpæ remissio, quæ est finis motus in iustificatione, ad quam sicut ad finem, illa transmutatio totaliter ordinatur. Vnde subdit: *Vt intueamur te*, scilicet oculo misericordiæ & veniæ, intuitu gratiæ in via, & gloriæ in patria.

Pro quo notandum, quòd iustificatio, secundùm D. Thomam, est transmutatio de statu culpę ad statum gratiæ. Vel, vt dicit Glossa super illud Pauli: *Quos prædestinauit, hos & iustificauit*: iustificatio est remissio peccatorum, & consummatio bonorum. Vbi tangitur recessus à termino à quo, & accessus ad terminum ad quem. Hæc ergo iustificatio quatuor requirit:

Iustificatio quid? Rom. 8.

Iustificationi quæ necessaria. I. Gratia.

Primò requirit infusionem diuinæ gratiæ, quamuis accidentaliter infusio gratiæ sẽ habet ad remissionem culpæ, ita quòd potest esse infusio gratiæ sine remissione culpæ, sicut in statu innocentiæ, & in homine Christo, quantum ad primum instans conceptionis suæ. Sed infusio gratiæ remissionẽ includit culpæ, eò quòd homo est in statu peccati, ad cuius iustificationem est remissio culpæ necessaria, & ante remissionẽ culpæ infusio gratiæ, sine qua non potest fieri remissio culpę, hoc est, ex parte Dei iustificantis, prior est infusio gratiæ, quàm remissio culpę, quia causa est prior suo effectu. Sed ex parte peccatoris iustificati, prior est remissio culpæ, quàm infusio gratiæ, quamuis hæc duo fiant in instanti, quia Deus infinitæ virtutis, in instanti mentẽ disponit, & gratiam infundit. Quòd autem primò requiratur gratia ad iustificationem, patet, dicente Apostolo: *Iustificati gratis per gratiam ipsius*. Nam quia culpa commissa in Deum est malum infinitum, & humana natura potentiã infinitã habere nõ potest, ideo requiritur diuina gratia. Nullum etiã peccatũ dimittitur sine charitate, quæ dicitur operire omnia *delicta*, sed sine gratia, charitas haberi non potest.

Rom. 3.

Prouer. 10. 1. Pet. 4.

Vnde quamuis dilectio Dei (quantũ est ex parte alicuius actus diuini) manet immutabilis & æterna; tamen quantum ad effectum, quẽ nobis imprimit, quandoque interrumpitur, prout ab ipso quandoq; deficimus, & quandoque iterum recuperamus: quia Dei dilectio nõ solùm consistit in actu voluntatis diuinæ, sed etiam importat quendam effectum gratiæ causantem, ne homini peccatum imputetur à Deo: qua scilicet gratia fit dignus vita æterna, à qua mortale peccatum excludit. Cùm enim charitas est quædam participatio diuinæ vitæ, ideo excludit omnem mortem animæ, id est, omne peccatum mortale: alioqui sequeretur illud inconueniẽs, quòd anima simul & semel esset digna vita æterna & morte æterna. Hæc autem iustificatio, & animæ viuificatio maximũ opus Dei est, quia in iustificatione peccatoris Deo iustificanti repugnat inordinata voluntas peccatoris, & tamẽ ibidem acquirit peccator esse gratiæ, quod multo nobilius est, quàm esse naturæ. In creatione verò nihil repugnat voluntati creantis. Et ideo dicit Augustinus, quòd maius opus est, vt ex impio iustus fiat, quàm creare cælum & terram. Hinc meritò dicit Psalmista: *Miserationes eius*, scilicet quibus iustificat impios, *super omnia opera eius*. Et iterum: *In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me.*

Iustificatio cur sit maximũ opus Dei.

Psal. 144.

Psal. 118.

II. Motus liberi arbitrij in Deum.

Secundo, requirit motum liberi arbitrij in Deum per fidem charitate formatam. Non enim sufficit ad iustificationem cognitio naturalis, quia per eam homo non conuertitur in Deum, in quantum est obiectum beatitudinis, & causa iustificationis. Fides quidẽ ostendit homini Deum esse summum bonum, sed oportet eam esse charitate formatam, vt fidem habens, gressu amoris & boni operis tendat in Deũ, affectanter acquiescẽs infusioni diuinæ gratiæ, ne talis inuoluntarius, & per consequens indispositus inueniatur: quia, secundùm Augustinum, qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te, id est, qui creauit te sine te præueniente, non iustificabit te sine te consentiente, peccata detestante, & quod in te est, faciente. Et ad hoc dilectã hortatur animam in Canticis, dicens: *Aperi mihi sõror mea, amica mea, colũba mea.* In quibus verbis Christus animæ sponsus valẽter pulsat tribus ictibus, sicut ait in Apocalypsi: *Ego sto ad ostium*, scilicet liberi arbitrij, eius expectando conuersionem: *& pulso* per internã inspirationem, exigendo voluntatis ad me conuersionem. Vnde generaliter facienti quod in se est, per gratiam gratis datam, concitò Deus per gratiam gratum facientem occurrit, & ad suam familiaritatem dulciter trahit. Sicut

Cant. 5.

Apoc. 3.

principi

principi publicanorum Zachæo Iesum videre cupienti quis esset, statim adfuit diuina clementia, quæ vocauit eum ad Christi familiaritatem, dicens: *Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Et hoc subdit in Apocalypsi, dicens: *Si quis mihi aperuerit ianuam,* scilicet voluntatis, introibo *ad illum,* scilicet gratiam gratũ facientem infundendo, *& cœnabo cum illo,* in eius fide, operibus, & virtutibus delectando, *& ipse mecum,* de mea gratia & spirituali consolatione delectando. Primus autem ictus est: *Aperi mihi soror mea.* Quasi diceret: Adiuro te per amorem, quo propter te naturam humanã assumendo, me fratrem tuum constitui, ac annis xxxiij pro tua liberatione & exaltatione tam laboriosè desudaui, vt cor tuum mihi aperias, & amorem reciprocum fideliter exhibeas. Sicut Augustinus, lib. de Catechizandis rudibus, dicit: Ama amorem illius, qui amore tui amoris descendit in vterum Virginis, & ibi amorem suum amori tuo copulauit, humiliando se, sublimando te, coniungendo lumen suæ æternitatis, limo tuæ mortalitatis. Et Sanctus Bernardus: Agnosce ô homo, quòd nihil tantum ad amorem illius inflammat, sicut beneficiorum eius immensa donatio. Ex hoc enim, quòd ipsum tam liberalem cogitas, ad largiendum non solùm sua, sed & seipsum secundùm omnẽ affectũ & modum, ipsum te nimium diligere cogitabis. Nihil autem ad amorem tantum excitat, sicut amari. Cõsidera quanta fuerit erga te dilectio Dei, quòd vellet Deũ hominẽ, & hominẽ quodammodo Deũ fieri: & sic te post lapsum quærere, & post offensam plus q̃ prius exaltare. Nunquid exaltationem culpa meruit? Certè non. Sed ne ab eo fugeremus amplius, naturam nostrã inseparabiliter sibi vnire voluit. Secundus ictus est: *Aperi mihi amica mea.* Quasi diceret: Adiuro te per dilectionem in passione mea tibi præostensam: qua *maiorem nemo habet,* vt tanta pœnalitate te redimerem, tanta humilitate te exaltarem, tanta sanguinis & aquæ effusione te mundarem, tanti Sacramenti præparatione te spiritu aliter saginarem & adornarem, vt huius beneficij memor, mihi cor tuum per dilectionem perfectam aperias. Vnde dicit S. Bernardus: O bone Iesu, quid tibi & morti? Nos debuimus, & tu soluis: peccauimus, & tollis. Opus sine exemplo, gratia sine merito, charitas sine modo. Si ergo te diligis ô homo, qui te destruxisti, quomodo non diligis illum, qui te redemit? Et si, qui nihil sumus, imò qui mali sumus, in tãtum diligit Deus, cur eum, qui summè bonus est, non diligimus? cùm in suo beneficio nihil quæsiuit, nisi vt

Lucæ 19.

Apoc. 3.

Pulsus diuinæ gratiæ ad animam.

Amor Dei quomodo maximè excitetur in homine.

Ioan. 15.

si vt amore suo nos inebriaret. Tertius ictus est: *Aperi mihi columba mea*, id est, adiuro te per Spiritum sanctum, quem in *specie* columbæ præostensum dedi tibi in Baptismo, & te mihi in sponsam consecraui, vt huius beneficij memor, continuum mihi aperias, & me charitate reciproca constringas: quia *deliciæ meæ, esse cum filijs hominum.* Hinc S. Bernardus: Habes dilectionis pignus Spiritum sanctum, habes & fidelem testem Iesum Christum & hunc crucifixum. O geminum, ipsumque firmissimum erga nos Dei amoris argumentum. Christus moritur, & amari meretur: Spiritus afficit, & amare facit. Ille facit cur ametur, iste vt ametur. Ille multam dilectionem suam in nobis commendat, iste dilectionem dat. In illo cernimus, quod amemus; ab isto sumimus, vnde amemus. Et *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum*, amati amemus, vt amantes amplius amari mereamur.

Luc. 3.

Prouer. 8.

Rom. 5.

De tertio necessario ad iustificationem impij, scilicet de perfecta pœnitentia, ad quam quatuor requiruntur, & de attritione, contritione, duplicique dolore contritionis. Cap. V.

III.

Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te. Reuertere, inquam, per plenum dolorem paratæ malitiæ, per veram amaritudinem perfectæ displicentiæ, per firmum propositum veræ pœnitentiæ, & per debitam mortificationem inordinatæ concupiscentiæ. Meritò namque dicit quater, *reuertere*, quia quatuor requiruntur ad perfectionem veræ pœnitentiæ. Primum est, peccata deplangere, vel saltem de eis dolere, & displicentiam habere, vt ad eorũ agnitionem valeat plenius deuenire. Quia (secundùm Gregorium) sæpe quod torpentibus latuit, flentibus innotescit. Et afflicta mens citius inuenit malum, quod fecerat: & reatum suum, cuius secura non meminit, hũc in se cõmota deprehendit. Et quò vberius culpa defletur, eò altior cognitio veritatis attingitur: quia ad videndum internum lumen, polluta dudum conscientia, lachrymis baptizata renouatur. Veruntamen non omnis dolor, & displicentia vel lachryma pro peccatis, delet peccata: quia dolor existens in voluntate (qui est displicentia peccati) quandoq; est informis, & tunc dicitur attritio: sicut cùm quis dolet de peccato propter sequens damnum & scandalũ, vel incommodum temporale, vel æternũ, & non propter diuinã offensam. Sed talis dolor non forma-

Pœnitentiæ act⁹ primus, peccata deplangere.

formatur de lege cõmuni, nisi sit maximus in cõparatione aliorũ dolorum: quia quantò quid debet magis placere, tantò oppositum eius debet magis displicere. Et quia maximè placere debet summum bonũ, à quo separatur homo per peccatum, ideo maior esse debet displicentia de mortali peccato, quàm de quocunq; alio malo. Ad maiorem autem etiidentiam sciendum, quòd sicut in materialibus durũ dicitur, quod non cedit tactui: frangi verò dicitur, secundùm Philosophum, quod in magnas partes diuiditur: cõminui verò, quòd redigitur in paruas partes: Sic etiã per quandã similitudinem in spiritualibus dicitur cor hominis durum, quamdiu diuinæ inspirationi se tangenti non cedit, sed obuiat, in affectu peccati persistendo. Frangi verò vel atteri dicitur, quando iam incipit à peccato recedere, sed ex timore seruili, quia nondum ad Deum plenè conuersus est. Conteri deniq; dicitur, quãdo totaliter in eo destruitur affectus peccati, quod est plenè à peccato resilire: quæ resilitio dolor quidem est, non passio sensibilis appetitus, sed secundùm quòd dolor accipitur pro displicentia voluntatis, qui dolor voluntariè assumitur, vt sic meritorius reddatur, quia nihil meritorũ, nisi fuerit voluntarium. Differunt igitur attritio & contritio Nam attritio oritur ex timore pœnæ. Contritio autẽ ex consideratione diuinæ offensæ. Hinc elicitur attritio sine gratia à voluntate. Cõtritio verò à gratia voluntatẽ mouente. Et ideo contritio redditur intentior q̃ attritio: quia fit à motore fortiori, scilicet à gratia. Quòd si quæritur: Vtrum attritionẽ facientis, quod in se est, necessarium sit fieri cõtritionem? Dicẽdum quòd aliquo modo necessarium est tali dari gratiã gratum facientẽ à Deo, non quidem necessitate coactionis, nec necessitate immutabilitatis absolutè, sed necessitate immutabiliratis ex præsuppositione ordinationis diuinæ, qua scilicet liberaliter & immutabiliter ordinauit, semper se daturum gratiam omni petenti & quod in se est, facienti. Hoc enim ex mera sua liberalitate & bonitate repromisit, sicut orauit Manasses 2 Paralip. vltimo, dicens: *Tu Domine secundùm* bonitatem tuam *promisisti pœnitentiam* remissionis peccatorum.

Coattritio quid.

Attritio quid.

Secundum quod requiritur, est etiam peccata veraciter odire: & hoc, quia Deo sunt contraria, & non solùm propter aliud quodcunquè damnum, incommodũ, vel scandalum exinde proueniẽs, sed ad ea verum sentiat odiũ, vt sicut amor verus in præsentia, vel memoria amati veram delectationem parit, sic etiam ecõuerso, verum odiũ inimici vel peccati, ex præsentia vel memoria, veram de ipso tristitiam pariat.

Peccata odire, pœnitentiæ actus secundus.

Hinc dicit Ambrosius: Quando sic pœnites, vt tibi amarũ in anima sapiat, quod ante dulce fuit in vita; & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in corde: iam nunc bene ingemuisti in Deum. Hæc ille. Vnde Chrysostomus ait: Contritio est humiliati cordis vera compunctio, magna agere, & humilia loqui, iustè operari & super peccatis timere & tremere. Vel, contritio est dolor voluntariè assumptus cum proposito cõfitendi, & satisfaciẽdi, si facultas adfuerit. Et si quæritur: Vtrum pro quocunq; peccato magno sufficiat quantacunq; parua contritio, præsertim cùm dicat Augustinus, quòd in amissione rerũ necesse est, quòd tantum vrat dolor, quãtum inhæserat amor; sed summum bonum, quod amittitur per mortale peccatum, est maximè diligendum. Hinc apud Hieremiam peccatori dicitur: *Luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum.* Ad hoc dicendum, secundùm Richardũ, quòd cùm contritio dicat actum pœnitẽdi charitate formatũ, & quantacunque modica charitas sufficit ad remissionem quantorumcunque peccatorum mortalium; ideo quantacunque parua contritio sufficit quantocunque magno peccato, quantum ad deletionem culpæ. Et hoc pro illis, qui naturaliter læti sunt, & ad sensibilem dolorem de facili peruenire non possunt. Econtra verò, quantacunque fuerit attritio, nullum peccatum delere potest, nec mortale, nec veniale, nisi prius formata charitate conuersã fuerit in contritionem. Pro quo notãdum, quòd duplex est dolor contritionis. Vnus consistit in voluntate, qui est displicentia quædam peccati, qua scilicet sibi displicet peccatum, in quantum est quædam transgressio legis diuinæ. Et ille dolor nõ potest esse nimis magnus, quia directè causatur ex charitatiua Dei dilectione, quæ nimis intendi non potest. Cuius perfectio consistit primò in plena auersione & habituali displicentia omnium peccatorũ tam venialium, quàm mortaliũ: ac etiã in actuali detestatione omnium, pro tempore memoriæ occurrentiũ. Oportet enim, quòd singula peccata commissa, quorum habet memoriam, detestetur: & sic subsequetur quidam motus vniuersalis detestationis omnium peccatorum, quæ commisit, vel etiam cõmittere potuit. Inter quæ etiam includuntur peccata obliuioni tradita, quia in illo statu sic est dispositus, vt etiam de his, quæ non meminit, si occurrerent memoriæ, cõtereretur, & ex illa dispositione remittuntur etiam peccata obliuioni tradita. Secũdus cõsistit in intentione deiformi displicendi sibi ipsi, cuius ratio totalis erit offensa diuina. Igitur dolor contritionis esse potest quandoq; tam in-

Hiere. 6.

Dolor contritionis duplex.

Peccata obliua quomodo remittantur.

tàm intensus, quòd, secundùm Richardum propter eius perfectionẽ & sensibilem dolorem, causatũ ex perfectione actus illius, mereretur pœnitens remissionem totius pœnæ peccato debitæ. Quod tamen nõ conuenit cuilibet contritioni, quia non semper cùm remittitur offensa, remittitur emenda satisfactoria. Et si obijcitur illud Sapientis: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Sapien. 11. Dicendum, quòd membra corporis nõ peccant nisi instrumentaliter, ità quòd (secundùm Anselmum de conceptu virginali) quicquid faciunt, totum imputandum est voluntati: & ideo verbum illud intelligitur secundùm congruitatem, non secũdùm necessitatem. Veruntamen post quantamcunque contritionem necessariò semper requiritur confessio, & alicuius operis pœnitentialis expletio, si facultas & opportunitas adfuerit. Nec etiam contritio quantacunque magna fuerit, pœnam vel culpam remittit, nisi sit cum proposito confitendi, & iudicium ecclesiæ subeundi, si facultas adfuerit. Alius autem dolor existit in sensualitate, qui est passio quædam sensualitatis ex displicentia peccati causata. Et hic dolor dùplex distinguitur, sicut quandóque causatur ex consideratione amissionis cuiusdam honestatis, seu gloriæ accidentalis per peccatũ, sicut fit in mulieribus integritatem corporis amittentibus. Et talis dolor potest esse nimis magnus, sicut etiam cùm quis pro peccatis nimis affligit corpus suum: quia neuter est ipsi pœnitentiæ essentialis. Quandoq; verò directè causatur per quãdam redundantiam ex displicentia voluntatis: & sic videtur quibusdã, quòd hic dolor non potest esse nimis magnus, etiam si corrumperet corporis harmoniam ad vitam necessariam, sicut de quibusdam legitur. Caueat tamen quis, ne ex intentione feratur ad procurandum talem passionem, sed in doloribus se temperet, ne ante tempus spiritualem profectum amittat.

Confessio & satisfactio necessaria.

De quarto necessario ad iustificationẽ impij, scilicet de remissione tam venialium, quàm mortalium peccatorum, quò ad culpam & pœnam æternam & purgatoriam, & cur contritioni specialiter adscribatur. Cap. VI.

REuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, vt intueamur te. Meritò dicit sponsa alibi in Canticis: *Vadam ad montem myrrhæ,* id est, doloris cordialis, & displicentiæ mentalis: quia secundùm Alexandrum de Hales in 4. lib. Sententiarum, Displicentia peccati est auersio mẽtalis ab omnibus peccatis: ideo semper est IIII. Cant. 4.

necessaria, quia nunquam peccatum veniale, vel mortale dimittitur, etiam quò ad culpam, affectu in illud remanente, cùm affectus potius reputatur in peccatum, quàm actus. Est enim affectus tanquam formale ipsius peccati, & actus materiale. Hinc sicut mortale nunquam in hac vita deletur manente voluntate, sic nec veniale, quod est maioris adhærentiæ respectu animæ, quia maior est pronitas animæ ad veniale quàm ad mortale. Nam sic adhærent animæ venialia, quòd nõ quacunque gratia gratum faciente tolluntur, quàm diu voluntas infixa remanet. Licèt enim gratia (simpliciter loquendo) potẽtior est quam natura, dicente Apostolo: *Omnia possum in eo, qui me confortat:* tamen quia ex prouidentia diuina, qua indita est humanæ voluntati volendi libertas hoc vel illud, prouisum est humanæ libertati, quòd in volũtate plenam efficaciam non habet, ipsa contradicẽte: licet habeat ipsa obediente. Hinc opus gratiæ non est ordinare voluntatem deordinatam, dũmodò persistat in pertinacia ne ordinetur. Nec etiam est opus gratiæ delere peccatum deordinans ipsam voluntatem. Et si quæritur: Quando tunc illud veniale peccatum dimittitur, cui scilicet affectus est infixus vsque ad mortem (Respondet in 4. lib. Sententiarum Bonauẽtura: quòd quædam venialia remitti possunt in purgatorio, quando quis transit cum venialibus, pro eo quòd gratia non fuit adiuta finaliter ad illa delenda: quia voluntas post hanc vitam, remoto iam fomite prohibẽte, potest esse cõformis gratiæ, quãuis non potest esse adiutrix, pro eo quòd cessauit tẽpus meriti: & ideo indiget adiutorio exteriori. Et cùm nõ sit locus Sacramẽto, habet adiutoriũ ignis punitiui, qui dicitur ideo purgatorius, quia purgatur anima à peccati scoria, & à veniali culpa. Et hoc innuere videtur Dominus in Euangelio, cùm ait: *Quicunque dixerit verbũ contra Filiũ hominis, remittetur ei: qui autẽ dixerit contra Spiritũ sanctum, nõ remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq; in futuro.* In quo videtur includere, q; aliqua peccata remittuntur in futuro seculo. Ex his patet, q; pœnitentia de venialibus etiã est necessaria, quia remitti non possunt sine pœnitentia, nec stare possunt cũ gloria, cùm voluntas per vnũ motũ obliquata, rectificari nõ potest, nisi per motũ contrariũ. Et hoc est verũ secũdùm Richardũ, q; quo ad eorum remissionem de lege communi pœnitentia de venialibus est necessaria implicitè & explicitè, in speciali vel in communi: quia quamdiu voluntas actualiter inhæret inordinationi, tamdiu oportet eam inordinatam esse. Sed ad remissionem venialis peccati necessarium est, quòd voluntas

Phil. 4.

Venialia stant simul cum gratia Dei.

Purgatoriũ quænam peccata purget.

Matth. 12.

Pœnitentiã etiã de venialibus necessariam esse.

Remissioni

voluntas inhærere desinat tali deordinationi. Nec tantùm hoc sufficit de lege communi, sed etiã requiritur, quòd inordinationem præteritam explicitè, vel implicitè detestetur actualiter, vt illa detestatio sit totius emendę solutio, vel radix & fundamentum totius solutionis. Licèt autem ad remissionẽ venialiũ exigatur eorũ detestatio, nõ tamẽ requiritur eorũ confessio, quia simul stare possunt cum gratia, nec seperant à regno militantis Ecclesiæ, nec triũphantis, & per solam contritionem deleri possunt, post hanc etiã vitã remitti possunt. Denique secundùm Bonauenturam, per ipsam gratiam, per sẽ loquẽdo, obediente tamẽ voluntate, dimittitur culpa: per gratiam verò cum dissensu perpetuo voluntatis, & detestatione peccati sine fine, dimittitur reatus æternæ pœnæ, non tamen ex vi ipsius volũtatis, sed ex gratia cum hac voluntate. Sed gratia secundùm quod adiungitur ei dolor sensibilis, delet pœnam purgatorij, sub conditione tamen, scilicet si dolor ille culpæ conuenienter correspondeat. Sed gratia, secundùm quod ei coniungitur dolor compassionis siue misericordiæ, qua pœnitens effunditur circa opera pietatis & satisfactionis, quæ consistunt in tribus, delet pœnam temporalem, etiam mortalibus debitam.

venialium peccatorũ necessaria quæ?

Veruntamen, licèt in contritione de mortalibus requiratur firmũ propositum nunquam peccandi mortaliter, tamen in contritione de venialibus non exigitur propositum non peccandi venialiter: sed sufficit, quòd ei peccatum præteritum displiceat, & infirmitas, qua ad veniale peccatum inclinatur, quamuis ab eo penitus immunis esse non potest, dicens cum Psalmista: *Tota die contristatus ingrediebar, quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea.* Et talis dolor contritionis præseruat infirmas mentes, ne defluant in peccata. Vnde oportet, quòd voluntas determinatè fixa non maneat in aliquo veniali, cùm illud sit retentum: nec dimitteretur in contritione generali, nec speciali. Nam licet omnia venialia vitari non possunt, eò quòd ex infirmitate naturæ contingunt, tamen singula vitari possunt. Omnia verò mortalia vitari possunt per medium salutiferæ pœnitentiæ, quæ dicitur secunda tabula post naufragium. Alioqui, *nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*, vt dicitur apud Lucam. Nam, secundùm Richardum super librum 4. Sententiarum, quamuis per pœnitentiã informem, siue accipiatur pro habitu, siue pro actu exteriori, vel interiori, siue pro omnibus simul, nõ potest remitti peccatũ, nisi dispositiuè, in quantum homo per ipsam disponitur ad suscipiẽdam Dei

Remissionẽ mortalis peccati necessaria quæ?

Psal. 37.

Lucæ 13.

gratiam: tamen specialius, & directius disponit hominem ad peccati remissionem, quam alia quæcunque virtus informis: quia omnia peccata in hoc conueniunt, quòd vnumquodque est quædam iniustitia contra iustitiam legis diuinæ. Pœnitentia verò specialiter & directè disponit hominẽ ad hoc, vt possit & velit pro illa iniuria debitã emendam facere. Et licèt informis pœnitentia per se digna non est formari per gratiam, tamen de congruo meretur suam informationem, & ex consequenti peccatorum remissionem: quæ duo Christus meruit de condigno vnicuiq; pœnitenti, & quod in se est, fideliter facienti. Et licèt bonitas nostræ pœnitentiæ sit finita, virtus tamen meriti Christi (sine qua per pœnitentiam mereri non possumus peccati remissionem) aliquo modo est infinita, in quantum scilicet fuit meritum illius, qui bonitatem habet infinitam: principaliter tamen in actibus pœnitentiæ remissio peccatorũ adscribitur actui cõtritionis: & hoc ex eo, secundùm Gulielmũ in suo Sacramentali quia dæmon est *initium omnis* Tobiæ 4. peccati, quod quidem peccatum, sequens naturam illius, à quo processit, possessorem suum, id est, peccatorem facit esse superbũ, rigidum, & durum, in diabolicam eum quodammodò transformans similitudinem. Hinc quamdiu quis est in peccato, reperitur contumax, durus Exod. 4. & 7. & elatus, sicut ait Dominꝰ de Pharaone: *Indurabo*, id est, indurari permittam, subtrahendo gratiã, quæ nata est cor hominis mollificare, *cor* Pharaonis, *& non dimittet populum*. Sed quia contraria contrarijs curantur, & contritio atq; humilitas quasi contraria sunt ipsi duritiæ & elationi, ideo huic actui deletio culpæ magis attribuitur, quia *sacrifi-* Psal. 50. *cium Deo spiritus contribulatus*. Ex hoc etiam apparet conueniens ratio, quare propter talem contumaciam & duritiem, tantùm quis excommunicari debet, & non aliàs. Bernardus in lib. de Consideratione: Cor durum quid sit. Quid est, inquit, cor durum? Ipsum est cor durum, quod nec cõpunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec precibus mouetur, nec minis cedit, sed flagellis induratur. Ingratum est ad beneficia, infidum ad consilia, sæuum ad iudicia, inuerecundum ad turpia, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, peccatorum præteritorum obliuiscens, præsentia negligens, futura non præuidens.

Confessio apud quos sit necessaria: quando possit differri: & quæ requirantur ad dignam satisfactionem: de signis quoque veræ pœnitentiæ. Cap. VII.

Reuer-

Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, vt intueamur te. Visis de duobus primis actibus veræ pœnitentiæ, duos vltimos iam prosequamur. Tertius igitur actus est laborare fideliter ad peccati destructionem per veram confessionem, & dignã satisfactionẽ. Vnde, quia Christus per resurrectionẽ discipulis potestatem dedit in foro conscientiæ iudicandi, dicens: *Quorum remiseritis,* & cætera, implicitè dedit eis potestatem cognoscendi de iudicandis: quia nullus bene iudicat de his quæ ignorat. Hinc peccatores tenẽtur confiteri peccata sacerdoti tanquam iudici. Pœnitentiæ actus tertius.

Sed Ecclesia confessionem circunstantionauit, quantum ad illum cui est confitendum, & quantum ad tempus confitendi, & quantum ad modum, extra de pœnitentia, & remissione, cap. Omnis vtriusque sexus. Veruntamen quamuis ibidem Ecclesia determinauit, quòd semel ad minus in anno debet fieri confessio, quòd tamẽ fallit in nigris Monachis, quia saltem singulis mensibus confiteri debent, vt patet in Clement. de statu Monachorum, cap. Ne in agro, §. Sanè: quam constitutionem quò ad hæc secundùm Iohannem Andream ibidem ad alios Religiosos dilatare satis honestum est. Quia tamen (secundùm Philosophum octauo Physicorum) voluntas non retardat facere opus volitum, nisi propter aliquam causam rationabilem, ideo cõfessionis dilatio, si non est ex causa rationabili, & meritoria, nõ videtur esse voluntas sufficiens ad deletionem peccati, quia tunc dilatio confessionis est ex causa periculosa, vel etiam vitiosa.

Nam eius dilatio primò est periculosa, propter incertitudinem vitæ, dicente Domino: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.* In Ecclesiastico quoque scriptum est: *Quasi à facie colubri fuge peccata.* Nam sicut veneno percussus, nisi citò quærat remedium, contẽptor est suæ corporalis salutis: sic incidens in mortale, si non citò quærit remediũ, videtur contemptor salutis animæ suæ. Secundò, propter criminũ accumulationem: quia quanto diutius remanet incõfessus, tanto plura & grauiora peccata committit. Peccatum enim (secũdùm Gregorium) quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. Plurimi namque desperant peccato posse resistere, donec dolorosa cõfessione iam perpetrata studuerint abluere. Tertiò, propter elongationem à Deo: quia quanto plus peccator tardat confiteri, tanto amplius à Deo communiter elongatur, & per consequens difficilius conuertitur, quia peccator *cùm* peruenerit *in profundum* malorum *contemnit,* Confessionis dilatio periculosa. Matth. 25. Eccli. 21. II. III. Prouer. 18.

Prou.18. Psal.72.

mnit, scilicet conuerti. Hinc dicit Ouidius: *Qui nõ est hodie, cras minus aptus erit.* Et Psalmista: *Ecce qui se elongant à te, peribunt.* Quartò, propter indignationem iudicis renouatam, quia per hoc magnam ingratitudinem ostendit reus. De qua dicit Petrus Rauen. in quadam epistola: Nihil est, quod adeò prouocat indignationem Altissimi, sicut ingratitudo. Ipsa est malorum prouocatio, beneficiorum exinanitio, meritorum exterminatio. Proinde satis timendum videtur, quòd in anno semel tantùm confitentes, non ex amore, sed ex timore, vel alia

IIII.

Confessio quando sit necessariò accelerandа.

siniſtra intentione potius hoc faciunt, quia si non rediret tempus ieiunij cum eis, etiã non rediret tempus confessionis peccati; ideo ex arida cõsuetudine potius, quàm ex vera pœnitudine illam perficiunt. Confessionis etiã dilatio potest esse vitiosa, cùm ex tepida negligẽtia quis protrahit confessionem, ad quã tamen accelerandã obligatur de necessitate salutis, ex certis circunstantijs. Primò, ex parte periculi mortis verisimiliter imminentis, vtpote in bello, in mari, vel in alio mortis periculo; vt si mulier est in partu, & similibus. In quibus quis in mortali existens, obligatur ad confessionem, alioqui committeret se diuersis diſcrimínibus animæ, in arbitrio suo cõstituens tempus vitæ suæ, & misérationis diuinæ, quod esset Deum tentare. Secundò, ex parte Sacramenti cuiuscunque sumendi, conficiendi, tractandi, ministrãdi, vel in actu aliquo vt ministrum Ecclesiæ se exhibendi, ad quos actus existens in mortali, nisi confessus accedere non debet, copia sacerdotis

I.

II.

III.

oblata, & necessitate non vrgente. Tertiò, ex parte stimuli cõscientiæ, cùm illa sibi dictat, quòd statim cõfiteri teneatur, ex eo quòd desperat se posse peccatis resistere, nisi prævia confessione. Quã si nihilominus differat, vt videtur, à mortali non excusatur, propter contemptum, quẽ potest incurrere duplici ratione. Primò, cùm cõfessio protrahatur, vt actus peccati sæpius iteretur. Secũdò, cùm actualiter cogitat dispendiũ peccati, & offensam Dei, ac similia ad confessionẽ incitantia efficaciter, nec tamen confitendo pœniteret, sed illi motioni potius resisteret: quod esset resistere inspirationi Spiritus sancti. Quartò, ex parte dubij, vt habens casum Papalem, habensq; copiam confessorũ domini Papæ, ac dubitare potest verisimiliter, si illum habebit in futuro. Hæc etiã tangit Alexander de Hales, & Thomas in 4. lib. Sententiarum.

IIII.

Satisfactioni vtilia.

Porrò ad dignam satisfactionem, primò requiruntur quædam vt fundamenta, sicut iniuriæ remissio, & alienæ rei restitutio. Secundò, quædam vt expedientia, sicut vitare proximas occasiones. Tertiò, quæ-

quædam vt satisfactoria, vt oratio, ieiunium, & eleemosyna. Quartò, quædam vt proficientia, sicut supererogationis opera. Quartus denique actus veræ pœnitentiæ est, quòd nullo honore vel scandalo, nullo lucro vel damno, nullo commodo vel incommodo, nulla pœna vel miseria, nulla passione vel affectione, velit iterum plangenda admittere. Cuius firmi propositi, quatuor signa possunt assignari. Primum est, sic dolere de præteritis, sic cauere de futuris, quòd potius subire vellet omnem pœnam, omnemque iacturam, quàm iterum scienter & deliberatè peccare mortaliter. Nam quamdiu ex quacunque suppositione quis paratus esset peccare mortaliter, semper in peccato mortali remaneret, licet actu mortaliter peccare non videretur. Secundum est, se semper inuenire paratũ ad satisfaciendum læsis & iniuriatis in anima, corpore, & fama, coniuncta persona, vel terrena substantia: & hoc iudicio proborum virorum. Quòd si pro tunc non potest, veraciter doleat, semperque paratum animum ad hoc habeat, vt offerente se possibilitate, liberaliter satisfaciat. Insuper paratum se inueniat, vt iniunctam pœnitentiam plenariè libera voluntate perficiat. Nam qui veraciter pœnitet, quicquid ei pro culpa destruenda (quam odit) iniungitur, cum omni celeritate gratanter amplectitur. Tertium est, se semper exhibere paratũ ad remittendum iniuriantibus, adhuc etiam actualiter iniustè persequentibus, ità quòd rancorem, ex appetitu vindictæ procedentem, deponere debet, prout latius videbitur inferius. Quia secundùm Augustinum, vnusquisq; talem indulgentiam accepturus est à Deo, qualem & ipse dederit proximo. Quartũ est, exhibere se paratum ad resignandũ officio, negotio & artificio, quod rarò vel nunquam exercere potest sine mortali peccato: ac generaliter pro posse subterfugiat omnes proximas peccatorum occasiones.

Pœnitentię actus quartus.

I. Propositi abstinendi à peccatis signa quatuor.

II.

III.

IIII.

De voluntate recta & propria, quomodo trahit ad se rationem, & trahitur à ratione in bonum, vel malum: & quid sit propria voluntas. Cap. VIII.

RECti *diligunt te.* Cant. 1. *Recti*, id est, illi qui fide & opere sunt iusti, quia *fides sine operibus mortua est*, Vel, *recti* sunt, qui propter Deum (qui finis est & principium) omnia faciunt. *Recti* sunt, qui ab extremis non recedunt, ita pauperes manentes in medio, sicut in morte & initio vitæ, tales propriè *diligunt te* solum. Vel, *recti* sunt corde, ore, opere, qui non declinant à veritate. Hi *dilt-*

Recti qui sint.

gunt te super omnia, voluntatem tuam implendo, & se voluntati tuæ co-formando. *Diligunt*, inquam, *te*, sicut amicus verus amicum, quorum est vnum velle, & nolle: omnes amici proprietates in te considerando, & fideles in dilectione tibi in omnibus acquiescendo. Vel, *recti diligunt te*, sicut sponsa sponsum; moribus tibi placere studendo. Cùm autem virtus sit quædam rectitudo voluntatis, & conformitas, seu reductio ad diuinum beneplacitum, de ipsâ voluntate primò reor esse prosequendum. Nam (vt dicit Hieronymus) voluit Deus rationalem creaturam voluntarij boni munere & liberi arbitrij potestate dotare, vt boni & mali capax, vtrumque vniuersaliter posset, & ad alterum voluntatem deflecteret. Licet quippe nobis eligere, refutare, probare, respuere, nec est quo magis rationalis creatura cæteris præfertur, nisi quòd cùm omnia alia conditionis tantùm & necessitatis bonum habent, hæc sola habet & voluntatis: quæ tamen voluntas debuit esse subiecta Creatori, quia, secundùm Anselmum, solius Dei est habere propriam voluntatem, quæ nulli subiecta sit. Quicunq; ergo propria voluntate vtitur, ad Dei similitudinem, erripinam vtitur; ac Deum propria dignitate, singularíq; excellentia (quantum in ipso est) priuare conuincitur. Hinc dicit Augustinus, quòd non potuit Deus perfectius demonstrare quantum bonum sit obedientia, nisi cùm prohibuit ab ea re, quæ non erat mala. Sola ibi obedientia tenet palmam, sola inobedientia inuenit pœnam. Nullam enim virturem sic exegit Deus à primis parentibus, sicut obedientiam. Quæ seruata, fuisset humana natura in gratia stabilita: qua contempta, multiplici miseria (diuina dictante iustitia) fuit condemnata.

Virtus quid sit.

Voluntatē propriam habere, solius Dei esse.

Voluntas quid.

Voluntas igitur est potētia tam passiua quàm actiua simul, in quātum est mouens & mota, sicut in 3. de Anima dicit Philosophus vniuersaliter de vi appetitiua. Monetur autē à suo obiecto, quòd est bonum ratione apprehensum. Impeditur verò quandoque iudicium & apprehensio rationis propter vehemētem, & inordinatam apprehensionem imaginationis, ac iudicium æstimatiuæ virtutis. Apprehensio proinde imaginationis, & iudicium æstimatiuæ virtutis, sequuntur passionem appetitus sensitiui, sicut dispositionē linguæ sequitur iudicium gustus. Hinc videmus, quòd homines existentes in aliqua passione, non faciliter auertunt imaginationem ab ijs, circa quæ sic afficiuntur: & per consequens, iudicium rationis plurimum sequitur passionem appetitus sensitiui. Talis enim passio causat quandam immutatio-

tationem corporalẽ, ex qua ratio quodammodo ligatur, ne liberè exeat in actum, sicut somnus, vel ebrietas facta quadam corporali transmutatione ligat vsum rationis. Cùm igitur iudicium rationis sequitur passionem appetitus sensitiui, consequens est, vt etiam motus voluntatis, qui natus est sequi iudicium rationis, sequatur etiam passionem appetitus sensitiui. Quod innuens Apostolus, dicit: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Rom. 7.

Voluntas mala vnde oriatur.

Voluntas enim cùm in peccato persistit, à recta consideratione etiam intellectum auertit. Quia mala voluntas eligens oppositum rectæ rationis dictamini, non permittit iudicium diu stare in illo recto dictamine, sed auertit ipsum ab hoc, & conuertit ad oppositũ, vel ad aliquod aliud impertinens, ita quòd tali malitia voluntatis excæcati, plerique non aduertunt se errare. Et hæc auersio contingit dupliciter. Primò, propter occupationem mentis circa alia, quæ magis diligit, quibus ab inspectione huiusmodi mẽs auertitur, secundùm illud Psalmistæ: *Supercecidit ignis, & non viderunt solem*, id est, *supercecidit* inordinata concupiscentia, & non considerauerunt veritatem. Secundò, ex eò, quòd voluntas corrupta, & in profundum malorum mersa, spontaneè reuocat intellectum à consideratione recta primæ veritatis, & omnium, quæ mentem ad illam reducunt, iuxta illud Psalmistæ: *Noluit intelligere, vt bene ageret. Impius* enim postquam peruenerit *in profundum* malorum, *contemnit:* & ex hoc intellectus auertitur à recta consideratione & ponderatione vitiorum, ita quòd maxima vitia reputat parua, vel prope nulla. Talis autem dicitur propria voluntas. De qua dicit Anselmus: Propria voluntas Angeli, vel hominis est, quæ contra voluntatem Dei est. Cùm enim vult aliquis, quod Deus velle prohibet, tunc nullum habet auctorem voluntatis suæ, nisi seipsum: & ideo nõ nisi propria sua est. Nam licèt huiusmodi voluntatẽ suam aliquando subdat voluntati alterius hominis, propria tamen est, si cõtra Deum est. Quoniam cùm non subdit nisi ad aliquod quod vult, attingat, ideo seipsum habet auctorem, cur eam alij subdat. Quapropter propria voluntas est, quæ nulli alij subdita est. Et sicut Deo nihil ditius, vel melius offertur bona voluntate; sic nihil execrabilius possidetur propria voluntate. Sola namque voluntas est, qua peccatur, & qua rectè viuitur. Nec est lepra detestabilior, quàm lepra propriæ voluntatis. Hinc dicit Bernardus: Cesset propria voluntas, & infernus nõ erit. In quẽ enim ignis inferni desæuiet, nisi in propriã voluntatem?

I. Excæcatio spiritualis vnde. Psal. 57.

II. Psal. 35. Prouer. 18.

Voluntas propria quid sit.

Quòd si quæris, quæ voluntas dicitur propria, respondet Augustinus super Psalmum trigesimumquintum, dicens: Iustitia Dei est, aliquando vt sis sanus, aliquando vt ægrotes. Si quando sanus es, dulcis est voluntas Dei; & quando ægrotas, amara est voluntas Dei, nõ recto corde es: quia non vis dirigere voluntatem tuam ad voluntatem Dei, sed Dei vis curuare ad tuam. Illa recta est, sed tu curuus: voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa ad te, & rectum habebis cor: alioqui, velis, nolis, in te voluntatem suam implebit Deus. Quod ostendit Anselmus libro primo, Cur Deus homo, dicens, quòd ea, quæ cæli ambitu continentur, si vellent non esse sub cælo, aut elongari à cælo, nullatenus possent non esse sub cælo, nec fugere cælum, nisi appropinquando cælo, scilicet in parte opposita. Ita quamuis malus diuinæ voluntati, & ordinationi subiacere nolit, non tamẽ effugere poterit. Quia si vult fugere de sub voluntate iubente, currit sub voluntate puniente. Et si quæris quà transit? Non nisi sub voluntate permittente. Et hoc ipsum, quod peruersum vult, aut agit, ad vniuersitatis potestatem, ordinem, & pulchritudinem summa sapientia conuertit. Hinc cõsulit Apostolus, dicens: *Nolite conformari huic seculo*, scilicet in peruersa voluntate; *sed* renouamini *in nouitate sensus vestri, vt probetis*, id est, experimentaliter cognoscatis, *quæ sit voluntas Dei bona*, scilicet in prohibitionib⁹ peccatorum; *& beneplacens*, in præceptis virtutum; *& perfecta*, in cõsilijs supererogationis.

Rom. 12.

Quòd voluntas bona sola est meritoria, si fuerit plena, quia prò facto reputatur: & quantum bonum est obedire diuinæ voluntati. Cap. IX.

Psal. 31.

RECTI dil'gũt te Glossa super illud Psalmi: *Gloriamini omnes recti corde*, ait: *Recti* sunt, qui dirigũt cor suum secundùm voluntatem Dei. Vir enim bonus (vt dicit Seneca) quicquid illi acciderit, æquo animo sustinebit. Sciet enim hoc eccidisse lege diuina, ex qua vniuersa procedunt. Gregorius uerò super illud Iob: *Erat vir simplex & rectus*, dicit: Quòd *rectus* est ille, qui in aduersis non frangitur, qui ad temporalia non inclinatur, qui ad superiora totus erigitur, qui diuinæ voluntati totus subijcitur. Nam, vt ait Sixtus Pythagoricus, qui tertio Christi anno floruit, libertatem arbitrij dedit Deus hominibus, vt purè sine peccato viuentes, similes fiant Deo. Templum Dei est mens pura, & altare optimum

Iob 1. Rectus 95.

optimum est ei cor mundum. Vir castus & sine peccato, potestate habet à Deo esse filius Dei. Thales autem Philosophus interrogatus: An facta hominũ Deos fallerent? Nec cogitata inquit, vt non solùm manus, sed etiam mentes puras habere vellemus, cùm secretis cogitationibus numen adesse crederemus. Hæc igitur rectitudo potissimè cõsistit in voluntate. Voluntas autem à volatu dicitur, quia per voluntatem animus quò vult, nimia velocitate transfertur. Voluntas, inquã, est motus rationalis, sensui præsidens & appetitui. Quæ quocunque se mouerẽ voluerit, habet rationem semper comitem, & quodammodo pedissequam, non quòd semper ex ratione, sed quòd nunquam absque ratione moueatur, ita vt multa faciat per ipsam, contra ipsam, hoc est, per eius quasi ministerium, contra eius consilium siue iudicium. Est autem ratio data voluntati, vt instruat illam, non destruat. Hæc Bernardus. Qui addit, quòd voluntati nec leges imperant, nec principes dominantur: libera est, & maximè si spiritu ducitur. Nihil peius mala voluntate, nihil melius bona voluntate. Hinc propriæ volũtatis renũtiatio tam excellẽtis virtutis est apud Deum, quòd alia quæcunq; virtutum opera ex ipsa solùm meritoria redduntur, eò quòd fiunt, vt diuinæ voluntati complaceant, & erga Deum obedientiã veram ostendant. Sic enim Dei timor est initium omniũ virtutum, sic bona voluntas est origo & mater omniũ bonorũ. Dicit enim Richardus, quòd inter omnia bona principale bonum in nobis est bona voluntas, per quam diuinæ similitudinis imago reparatur in nobis. Sine bona voluntate saluari non potes: cum bona voluntate perire non potes: quia bona voluntas, cui non adest facultas operis, sufficit sibi ipsi, sufficit etiam Deo. Si nihil dare habes, da bonam voluntatem quam habes, & totũ dedisti. Nihil enim tam facile est bonæ voluntati, quàm ipsa sibi: & hoc sufficit Deo. Quicquid vis, & non pores, factum Deus reputat. Bernardus autem hanc voluntatem offerre Deo contendens, ait: Non habeo nisi minuta duo, imò munitissima, corpus & animam, vel potius minutum vnum, voluntatem meã. Et non dabo illam ad voluntatem eius, qui tantus tantillum tantis præuenit beneficijs? qui toto se totum me comparauit? Alioqui si illam retinuero, qua fronte, quibꝰ oculis, qua mẽte, qua cõscientia vado ad misericordiæ Dei viscera? Totũ enim meritum hominis est in bona voluntate. Quantũ crescit voluntas tua, tantũ crescit & meritũ tuũ. Nam in eo redemptionem nostrã posuit omnipotens Deus, in quo nullus, nisi velit, egere potuit.

Voluntas vnde.

Voluntatis propriæ renuntiatio quàm grata Deo.

Voluntatis bonæ laus.

Amare namque & velle diuites & pauperes possunt, quamuis æqualiter pecuniam dare non possunt.

Voluntas bona quæ sit, & quando pro facto reputetur.

Veruntamen propriè dicitur voluntas bona, cùm fuerit plena. Non enim dicitur voluntas bona, si non operatur, quod potest. Sed voluntas dicitur bona, cùm affuerit intentio plena perficiendi, si facultas adesset: & illa pro facto reputatur, tam in præteritum, quàm in præsens & futurum. Verbi gratia: Si plenissimam in me reperio voluntatem in præteritum intrasse religionem, ad magis complacendum diuinæ bonitati, & adhuc eandem habeo voluntatem si facultas adesset, consideratis circunstantijs requisitis, tunc etiam habebo meritum, quia Deus potius præmiat voluntatem, quàm opus. Et est ratio, secundum Thomam prima secundæ, quia si desit possibilitas, existente charitate perfecta, sic quòd impleret & perficeret, si posset: tunc defectus perfectionis, qui est ex actu exteriori, simpliciter est inuoluntarius. Inuoluntarium autem sicut non meretur pœnam, vel præmium in operando malum vel bonum, sic non tollit aliquid de præmio vel de pœna, si quis inuoluntariè deficiat simpliciter ad faciendum bonũ vel malum; posset tamen voluntas per actum adiunctum melior & intensior fieri in bonis, & peior in malis. Concordat etiam illud Cypriani quod ponitur de Pœniten. distinct. prima, §. Nunquid Cain, cùm Domino munus offerret, peremerat fratrem suum: & tamẽ fratricidium mente conceptum, Deus prouidus ante damnauit, & illic cogitatio mala, & conceptio pernicioſa Deo prouidente prospecta est. Ita & in Dei seruis apud quos cogitatur & mente concipitur martyrium, animus ac' bonũ deditus, Deo iudice coronatur. Aliud est enim animum martyrio desse, & aliud animo defuisse martyrium. Qualem te Deus inuenit, cùm vocat, talem pariter & iudicat, quoniam ipse testatur & dicit: *Et scient omnes Ecclesiæ*, quoniam *ego* scrutator sum renum & cordium. Glossa Brixiensis ibidẽ: Deus inspicit voluntatem, antequam perducatur ad actum, tam bonam, vt eam coronet; quàm malam, vt eam damnet. De mala probat per Cain; de bona per eum, qui vult pati martyrium, quia remuneratur, licèt martyrium non sequatur. Vnde ait Augustinus: *Scrutans corda*, scilicet quid quisque cogitat, *& renes* id est, quid quemque delectat. Studeamus igitur diligentissimè voluntatem nostram per omnia diuinæ voluntati conformare & subijcere. Nam si amicitia vera facit vnum velle & nolle, multò magis vera Dei charitas in homine cum Deo faciet vnum velle & nolle,

Apoc. 2.

Voluntas nostra vt diuinæ cõfirmanda sit voluntati.

& nolle, vt liberè se penitus offerat diuinæ voluntati tam in volito, quàm in modo volendi, vt illius beneplacitum semper sit ei summũ desiderium, tam in aduersis quàm prosperis, sedulis precibus ac viscerosa quadam dulcedine replicans cum Dauid: *Paratum cor meũ Deus, paratum cor meum*, scilicet tam in aduersis, quàm in prosperis. Quod eleganter Abraham ostendit, iussus immolare filium, & sine retractatione cordis, sine mora temporis, media nocte consurgens, se præparauit ad perficiendum voluntatem præcipientis. O quicunq; es verus amicus Dei, vade, & fac tu similiter. Hortatur enim ad hoc nos omnes Apostolus, dicens: *Imitatores Dei estote, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis hostiam & oblationem Deo in odorem suauitatis.* Talis enim conformitas in dilectione cum Christo, maritat animam Verbo, vt dicit Bernardus, quando scilicet anima, cui similis est per naturam, etiam se similem exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est, vt sic vnum velle & nolle faciat vnum spiritum è duobus. Veruntamen (vt dicit Hugo) non secundùm momentaneos affectus æstimanda est talis vnio amoris & voluntatis cum Deo, sed potiùs secundùm continuam voluntatis humanæ qualitatẽ. Suam enim voluntatẽ Dei voluntati coniungere, vt quæ diuina voluntas præcipit, his voluntas humana inhæreat, vt nulla sit alia causa cur hoc vel illud velit, nisi quia hæc velle Deum cognoscit: hoc vtique Deum amare est.

Pſal. 107. Obedientia Abrahæ. Genes. 22.

Ephes. 5.

Quod voluntas bona quatuor gradus habet, & vt nos diuinæ voluntati conformare debeamus. Cap. X.

RECti diligunt te. Hugo in tractatu de amore: Voluntas, inquit, nihil aliud est, quàm amor: nec aliud dicendæ sunt bonæ vel malæ voluntates, quàm boni vel mali amores. Voluntas autẽ bona charitate formata, secundùm duo quidem est iudicanda, scilicet secundùm passionem & actionem, vt si ea, quæ Deus intulerit, vel inferri permiserit, patienter, imò libenter sustineat; & ea, quæ iusserit, feruenter impleat. Hinc sponsa in Canticis, præuidens oblationem propriæ voluntatis Deo quidem gratissimam, & homini vtilissimam, sed difficilem, vt vnus cum sponso spiritus fiat, sentiens cum eo vnum velle & nolle, diuinum petit adiutorium, dicens: *Trahe me post te.* Nam pauciſsimi sic trahuntur, quòd sponso perfectè coniungantur. Sed secundùm Bernardum, quatuor gradus, bonæ voluntatis

Voluntas quid.

Cant. 1.

Gradus vo-

luntatis quatuor. I.

distinguuntur. Primus enim gradus dicitur voluntas recta. In quo gradu ipsa anima mẽte quidẽ legi Dei consentit, sed adhuc carne repugnante, bono quod diligit, ipsum bonũ perficere nõ inuenit. Sed econtra sæpe malum, quod odit, per infirmitatem perficit, prout ad Romanos dicit Apostolus: *Condelector*, inquit, *legi Dei secũdùm interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantẽ legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Vbi rationabiliter quæri potest: Vtrum in homine cadere potest coactio voluntatis, sicut hæc verba sonare videntur, vbi & additur: *Non enim quod volo bonum, illud facio; sed quod nolo malum, hoc ago:* Ad quod respondet Alexander de Hales in secunda parte Summę, quòd duplex est coactio. Vna, secundùm quod pati vel agere dicimur aliquid, quarum passiua sit simpliciter absque voluntario consensu patientis. Est enim sic dictũ inuoluntariũ per violentiã, cuius principiũ est exterius eo nihil conferente qui patitur. Et hoc tam ad bonũ, q̃ ad malũ. Vnde hoc modo non potest esse meritoriũ ad bonũ, nec demeritoriũ ad malum. Alio modo coactio respicit agere vel pati mixtũ ex volũtario & inuoluntario. Et hoc modo potest esse coactio meritoria ad bonũ. De qua scilicet Dominus dicit apud Lucam: *Compelle intrare.* Hæc enim habet aliquid de voluntario ad bonum, ratione cuius dicitur meritoria. Vnde inquit Bernardus. Hoc intẽdit Deus, cùm terret aut percutit, vt faciat voluntarios, non vt saluet inuitos, quatenus dum de malo in bonum mutat voluntatem, transferat libertatem. Potest enim coactio talis esse demeritoria ad malum, sicut illa, qua Petrus Christũ negauit, habet aliquid de voluntario ad malum, ratione cuius dicitur demeritoria. Vnde denuo Bernardus: Est compulsio quædam actiua, sed non habet excusationem, cùm sit voluntaria. Cogebatur Christianus negare Christum, & dolens, sed tamẽ non nisi volens: Volebat enim gladium vitare ferientis, atque illa voluntas intus residens, os aperiebat, non gladius qui foris apparebat. Veruntamen illa coactio, qua dicitur aliquis *abstractus & illectus à concupiscẽtia sua*, & qua *corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam*, & qua quis facit quod nõ vult, sed quod odit, non est coactio, sed quædam inclinatio volũtatis per pondus corruptionis concupiscentialis, qua captiuatur illa voluntas recta, vt agat, quod odit. De qua tamẽ dicit Bernardus: Bonas dico animas non solũ perfectas, sed etiam incipientes, quæ licet vitium habeant, nõ tamen consentiunt, sed repugnant. Et tales animæ, licèt ex ignorantia vel infirmi-

Lucæ 14.

Matth. 26.

Iacob. 1.

Sapien. 9.

Rom. 7.

Coactio voluntatis duplex.

Rom. 7.

firmitate sæpe cadant, tamen per bonam voluntatem, quam habent, resurgunt. Hæc enim est quæ bonam facit animam. Hæc Bernardus.

II. Voluntas valida.

Secundus gradus dicitur voluntas valida, qua scilicet animus nō solùm malum quod odit nō facit, sed etiā bonum quod diligit, licèt cum grauedine, fortiter tamen facit, dicens cum Apostolo: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Vnde dicit Augustinus, quòd victoria, qua peccatū vincitur, nihil aliud est, quàm donum Dei, in isto certamine adiuuantis. Philip 4.

III. Voluntas deuota. Psal. 118.

Tertius gradus dicitur voluntas deuota, cùm scilicet iam corde dilatato per charitatem, currit *viam mandatorum* Dei, & delectatur in eis, *sicut in omnibus diuitijs.* Hæc enim voluntas non est tantum recta, volens bonum, & sancta, scilicet volens bonum propter bonum; sed etiam deuota, vtpote parata propterea subire omnia aduersa, vel incommoda. Vnde dicit Apostolus: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia?* Et iterum: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Rom. 8. 2. Cor. 7.

IV. Voluntas plena. Sapien. 9.

Quartus deniq; gradus dicitur voluntas plena & perfecta: in quo gradu sunt Angeli, & Beati, qui semper ea felicitate, qua bonum volunt, plenariè perficiunt. Quem gradum anima quidē desiderare potest, sed ascendere non potest in corpore mortali, eò quòd *corpus, quòd corrumpitur, aggrauat animam.* Qui igitur nondum rectam habet voluntatem, sciat, secundùm Bernardum, quòd impedit eum carnalis intentio. Qui autem habet rectam, & non validam, sciat quòd impedit eum mala consuetudo. Qui habet deuotam, & nondum plenam, sciat quòd impedit eum terrena inhabitatio. Hæc ille.

Voluntati Dei quomodo conformemur.

I.

Ad sciendum denique qualiter voluntatem nostram diuinæ volūtati conformare debemus, dicit Alexander de Hales, quòd illa cōformatio quadrupliciter attendi potest, secundùm quatuor genera causarum. Primò, in volendo quod Deus vult, quæ est conformitas materialis & imperfecta, quia sic mali & etiā dæmones velle possunt quod Deus vult, sed intentione peruersa: vtpote Deus voluit probare Iob ad coronandū, eum probatum voluit & diabolus, sed ad deijciendum & vincendum per impatientiam. Secundò verò, in volendo quod scimus Deū velle, quæ est conformitas in ratione causæ efficientis, & est etiam imperfecta, quia scimus quidem Deum velle quòd faciamus bonum & facimus, sed in peccato mortali, & sic in peccato existentes, voluntatem suam voluntati diuinæ conformare possunt, non solum

II.

Velle quid. in volendo quod Deus vult, sed etiam in volendo quod sciunt Deum velle. Pro quo nota quòd voluntate rationis tenemur velle quod scimus Deum velle, sed non voluntate sensualitatis. Sic enim Christus secundùm voluntatem rationis voluit mortem suam, sed nō secundùm sensualitatem. Et beata Virgo secundùm voluntatem rationis voluit mortem Filij sui, sed non secundùm voluntatem sensualitatis, secundùm quam plurimum doluit. Non enim ei congruebat non dolere de

I. morte Filij sui. Ratio tamen dupliciter considerari potest. Primò, vt

II. natura, & sic semper appetit bonum æternum, sicut Apostolus cupiebat *dissolui*, quod tamen Christus non voluit. Secundo modo, vt ratio,

Philip. 1. & sic semper appetere debet Dei voluntatem, & ei se cōformare, quia perfecta charitas semper vult voluntate deliberata rationis, quod scit Deum velle, si tamen congruit ei illud velle. Nam si ei non congruit, tunc nō tenetur, etiā secūdùm deliberatā voluntatē rationis, quia Deus hoc non iubet eum velle. Exempli gratia: Vult Deus mortē patris eius, non tamen vult Deus eum velle mortem patris sui. Nam motus charitatis secundùm perfectionem quæ erit in patria, & à pauciſsimis cōprehenditur in via, est non velle contrariū eius quod scimus Deum velle, quia in patria nihil volemus, nisi quod Deus volet. Sed charitas secundùm debitum & conuenientiam in via, & nō velit, quicquid

III. Deus vult, tamen vult quicquid scit nos Deū velle. Tertiò, in volendo vt Deus vult, quæ est conformitas formalis. Exempli causa: Deus vult quòd exerceantur opera pietatis cum pura conscientia, quod perficit in gratia constitutus, sed fortè ex compassione naturali tantùm: & sic

IIII. non meretur, nisi quartum addatur. Quartò, deniq; in volendo ad quod vult Deus, quæ est cōformitas in ratione finis, quæ perficit conformitatem formalem, quantū ad intentionem finalem, vt faciat propter amorem Dei totaliter, vel principaliter. Quæ duo vltima sufficiunt ad conformitatem voluntatis. Sed omnia hæc quatuor quando concurrunt, tunc est conformitas perfecta cum voluntate diuina.

Quòd recta voluntas omnia rectificat, & de perfecta conformitate voluntatis humanæ ad diuinam, tam in via, quàm in patria. Cap. X I.

RECti diligunt te. In omni creatura, quæ sub cælo mundanis vanitatibus occupatur, nihil humano corde sublimius, nihil nobilius, nihilque Deo similius reperitur. Quapropter summè Deus ab ho-

ab homine cor humanum requirit, dicens: *Præbe mihi fili mi cor tuum.* Prou.23.
Et Sapiens: *Omni custodia,* inquit, *serua cor tuum,* quoniam *ex ipso vita procedit.* In corde verò Deus requirit animam ad eius imaginem & similitudinem nobiliter decoratã, quia summo desiderio ad eius dulcifluum aspirat amplexum. In anima profectò requirit ipsam voluntatem, diuina charitate medullitus inflammatã. Ipsa enim est potior animæ portio & acceptior oblatio, dicẽte Gregorio, quòd nihil offertur Deo ditius bona voluntate. Dicit autem Augustinus, quòd recta voluntas est bonus amor, & peruersa voluntas malus amor. Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas est. Id autem habens, eoq; fruens, lætitia est. Fugiens autem quod ei aduersatur, timor est. Idq; si acciderit, tristitia est. Et mala sunt ista, si malus amor est. Bona verò, si bonus amor est. Vnde & qui secundùm Deum viuunt, cupiunt, metuunt, dolent & gaudent. Sed quia rectus est amor eorum, omnes istas affectiones habent rectas. Voluntas enim bona (vt idem dicit) est volũtas Deo fideliter subdita, voluntas sanctitate superni amoris accensa, voluntas quæ diligit Deum, & proximum propter Deum. Siue amore, de quo respondit Petrus Apostolus: *Tu scis Domine, quia amo te.* Ioan.21. Siue timore, de quo dicit Apostolus Paulus: In timore *& tremore vestram* ipsorum *salutem operamini.* Philip.2. Siue gaudio, de quo dicit idem: Semper *gaudentes, in tribulatione patientes.* Rom.12. Rom.9 Siue tristitia, qualem idem Apostolus dicit se habuisse magnam *pro fratribus* suis, quæcunque amara & aspera sufferat, charitatis Dei est. Hæc ille. Nam voluntas nostra, secundùm quam, vt dicit Damascenus, homo factus est ad imaginem Dei, ex sua natura conformis est ei, cuius imago est, scilicet voluntati diuinæ: quæ tamen conformitas perficitur per habitum iustitiæ acquisitæ. Nostrum (secundùm Augustinum) est velle? sed ipsa voluntas admonetur, vt surgat; sanatur, vt valeat; dilatatur, vt capiat; & impletur, vt habeat. Et tunc *regnum Dei* est intra nos. Quid est hoc regnum, nisi sana & libera voluntas hominis, ita se Dei voluntati conformans, vt nihil velit quod sciat Deo displicere? Nam rectà ordinatio, secundùm Bernardum, est omnimoda voluntatis ad Deum conuersio, & ex se tota voluntaria deuotaq; subiectio: & sic conformitas nostræ voluntatis perficitur per habitum iustitiæ acquisitæ. cõsummatur verò per similitudinem gratiæ in habitu charitatis, quæ est diuinæ bonitatis diuina similitudo. Vnde super illud Psalm: *Rectos decet collaudatio,* dicit Glossa: Recti sunt, qui dirigunt cordà sua secun-

Voluntas bona quæ.

Luc. 10.

Voluntas conformis.

dùm voluntatem Dei, quæ est regula voluntatis nostræ: quæ tamen conformitas aliter est in beatitudine, aliter in via. Ibi enim natura nostra imitatur modum Dei, & ideo est ibi perfecta conformitas secundùm omnia genera causarum. Est enim ibidem conformitas in materia vel obiecto voluntatis, id est, in volito: & in causa efficiente, scilicet, quia volunt quicquid Deus vult eos velle: & in forma, quia quicquid volunt, ex charitate volũt, sicut Deus; & in fine, quia omnia volunt ad gloriã Dei, sicut Deus. In via verò gratia non mutat, sed perficit naturã: & ideo voluntate materiali bona voluntas cõformari potest diuinæ voluntati, etiam oppositum eius volẽdo, quod Deus vult, dummodò in alijs tribus conformetur. Bonitas enim actus voluntatis, qua cõformatur diuinæ volũtati, est in quantũ exit ab humana volũtate, mota & acta à volũtate diuina, vt à causa efficiente & exẽplari.

Voluntatẽ moueri tripliciter.

Mouet autem tripliciter: Vno modo effectiuè, scilicet per infusionem charitatis, quæ vniuersaliter inclinat ad omne bonum: & sic est conformitas formalis, scilicet, quòd volumus aliquid ex charitate, ex qua vult Deus omnia quæ vult. Vnde dicit Richardus, Quòd sicut artifices liquefactis metallis, formam quamcunque voluerint, illis imprimunt: sic anima in illo statu diuini amoris constituta, ad omnem diuinæ voluntatis nutum facilè se applicat, imò spontaneo quodam desiderio ad omne eius arbitrium seipsam accommodat, & iuxta diuini beneplaciti modũ omnem voluntatẽ suã informat, vt cum Christo vsque ad mortẽ obediat. Secundo modo mouet per se, sicut desideratum mouet desideriũ; & sic est conformitas finalis, qua scilicet bonũ diuinum est finis nostræ voluntatis, sicut & suæ. Hinc (vt dicit Chrysostomus) bonæ voluntates sic apud Deum sunt suaues, quẽadmodum apud homines sunt odoriferi flores. Haud dubium, quin & apud Angelos. Et ideo, secundùm Bedam, cum illis Angelici spiritus societatẽ habere festinant, quorum mentibus puritatem bonæ voluntatis inesse considerant. Tertio modo mouet per obiectum. Et hoc non est per obiectum secundum illud quod est, sed in quantum bonum est, quia sic solùm est per se obiectum bonæ voluntatis. Bonitas autem obiecti est ex bonitate voluntatis summè bonæ, quæ sicut fecit voluntatem diuersarum rationum, sic etiam bonitates diuersarum rationũ indidit rebus, ita quòd illud quod secundùm vnam rationem est bonum, alia consideratione est malum, & è conuerso. Et propter hoc diuersis voluntatibus conuenit appetere diuersa. Et hæc est conformitas, quã

voca-

vocamus materialē, quæ est in volito, in quantū Deus proportionādo vnamquamq; voluntatem obiecto suo, vult hanc voluntatē velle obiectum sibi conueniens, & ad hoc mouet ipsam. Et hæc est illa conuenientia, qua volumus quod Deus vult nos velle, etiam si hoc Deus nō velit. Ideo bonitas & conformitas nostræ voluntatis ad diuinam non cōsistit in volito materialiter sumpto, sed formaliter. Est & alia bona voluntas erga proximū, de qua dicit Gregorius: Voluntas autē bona est sic aduersa proximi, sicut nostra pertimescere, sic de prosperitate proximi, sicut de nostro profectu gratulari. Aliena damna nostra credere, aliena lucra nostra deputare, amicum non propter mundum, sed propter Deum diligere: inimicū verò & amando tolerare: nulli quod pati nō vis, facere: nulli, quod iustè tibi impēdi desideras, denegare: necessitati proximi nō solùm iuxta vires succurrere, sed prodesse etiam vltra vires velle. Hæc ille. Quæ bona voluntas vsitatiori nomine beneuolentia vocatur. De qua dicit Hugo, quòd beneuolentia est bona erga aliquem voluntas. Vel secūdùm Philosophū, beneuolentia est, qua alicui bonum volumus & optamus Vnde per beneuolentiam sic aliquē amamus, vt ei bonum velimus, non propter bonū aliquod, quod inde nobis proueniat, sed propter bonū sūū, quod in eo exīstit, & nobis apparet. De qua dicit Ambrosius in libro de officijs: Beneuolentia quædam cōmunis parens est, quæ amicitiam annectit & copulat, in cōsilijs fidelis, in prosperis læta, in tristibus modesta. Tolle ex vsū hominum beneuolentiā, tanquam solem è medio tuleris, ita erit, quia sine ea vsus hominum esse non potest. Ipsa enim ex pluribus vnum facit, quia si plures amici sunt, vnum fiunt, & vnus spiritus, & vna anima.

Voluntas ad proximum.

Beneuolentia quid sit.

Quòd voluntas bona totum hominem rectificat, cuius vsus obedientia vocatur: & vt solus Deus vti debeat propria voluntate, quæ in homine peßima iudicatur: & quod obedientia vera quinque requirit. Cap. XII.

Pone me, vt signaculum super cor tuum; vt signaculum super brachium tuum. Cantic. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuum.* ne scilicet aliquid intret, quod illud inordinata passione vel affectione polluat, nec diabolus aliquid boni fraudulenter inde auferat, nec memoria meæ passionis exeat; sed sim *signaculum* sempiternæ recordationis, consignationis, adhæsionis, & omnimodæ conformationis, ad custodiendum cor tuum contra insultus inimicorum, ad claudendum contra pe-

era pestes vitiorum, & ad insigniendum conformitate affectionum, & voluntatum: imò *vt signaculum super brachium tuum*, ad imitãdum passionis meæ vestigium, ad recompensandum tam ineffabilis pietatis beneficium, & ad perficiendum opere voluntatis meæ beneplacitum, vt quicquid agendo, cauendo, sustinendo facias, amore mei facias, & me dirigẽte perficias: quia probatio dilectionis, exhibitio est operis. Dicit etenim Anselmus lib. 8. de Similitudinibus: Voluntas est illud animæ instrumentum, quo vult, vt affectio eiusdem instrumenti, scilicet volendi. Nam voluntas quæ dicitur affectio, est ad tẽpus quasi sopita. Est enim eorum, quæ mens non meminit, sed mox vt ea recolit, & instrumentum volendi appetit. Est autem hæc voluntas inter Deum & diabolum, sicut mulier inter virum legitimum & adulterũ. Nam Deus imperat voluntati, vt societur ei soli; diabolus autem, vt coniungatur ipsi. Si ergo soli Deo se coniunxerit, id est, sancti Spiritus suggestionem velut semen bonum receperit, fit ei sponsa legitima, filios legitimos, id est, virtutes & opera bona generãs. Mox enim aperiuntur omnes sensus animæ & corporis ad implendum quod præcipit Deus. Voluntas enim aperitur ad virtutum affectionem, & ad volendum optanda: memoria ad memorandum memorãda: cogitatio ad cogitandum cogitanda: intellectus ad discernendum quid sit volendum, memorandũ, vel cogitandum: animus ad charitatem erigitur, ad humilitatem disponitur, ad patientiã roboratur, & ad alias virtutes generandas aperitur. Sic corporis sensus aperiuntur. Oculi ad vigilandum & plorandũ: os ad confitendum, orandum, benedicendum: manus ad rectè operandum: pedes ad vtiliter ambulandum. Sicq; sola voluntas diuinæ coniuncta, tot virtutes generat & bona opera. Vsus autem huius voluntatis obedientia vocatur, quia diuinæ voluntati obediens, eam habet aduocatam: vt si dicatur, cur hoc vel illud velit, libere respondeat: Quia Deus velit sic velle nec sit alia causa volendi, nisi diuinum beneplacitum, vt fiat gratissimum sacrificiũ. Solus enim Deus quicquid vult, velle debet propria voluntate, ita vt aliam quam sequatur non habeat super se. Cùm igitur homo vult aliquid propria voluntate, Deo aufert quasi suam coronam, gloriam, & maiestatem, & propriæ voluntatis priuilegium, ac per cõsequens, multum Deum inhonorat. Quapropter in inferno maximè ardebit propria volũtas. Nam sicut propria voluntas Dei, est fons & origo omnis boni sicut ipsè summa bonitas est: ità propria voluntas hominis mali totius exordium

Voluntatis diuersitas.

Vsus voluntatis quis.

Voluntas propria.

dium est. Voluntas itaque bona est, quæ Dei volũtati subiecta est: quæ tunc voluntati Dei subiecta est, quando id vult, quod Deus vult eam velle debere. Et tunc iusta siue recta dicitur, quando id, quod vult eam Deus velle debere, amplectitur. Vnde qui voluntatem bene operandi veraciter habet, maxima ex parte bonitati appropinquat. Veruntamen sicut corpus sine frequenti ciborum vsu subsistere nequit; sic anima absque virtutum frequentatione & vsu viuere non potest. Nec sufficit bona voluntas, dum adest perficiendi facultas. Hæc Anselmus. Felix Paulus, quidiuina admonitione præuentus, statim respondebat: *Domine, quid vis me facere?* O verbum breue, sed plenum deuotione, sed viuum, sed efficax, sed dignum omni acceptione. Quàm pauci reperiuntur in hac forma perfectæ obedientiæ, qui suam ita abiecerunt voluntatem, quòd nec ipsum quidem cor proprium habeãt. Sic enim decet, sic omnino dignum est Domine, non nostram à te, sed à nobis tuam quæri & fieri voluntatẽ. *Et* ait *Dominus:* Vade in *ciuitatem & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* O vera sapientia, suauiter omnia disponens. Eum, cui tu loqueris, erudiendum de voluntate tua mittis ad hominem, vt homo discat hominem consulere, & homini subdi, exemplo Christi, qui *subditus erat illis*, scilicet, Mariæ & Ioseph: vt cõmendaret obedientiam etiam hominibus exhibendam propter eum, qui propter nos *obediens factus est vsque ad mortem crucis.* Est autem obedientia propriæ voluntatis subiectio, arbitrio superioris, ad licita & honesta. Cuius adimpletio tam necessaria est, quòd nec studium bonæ actionis, nec otium sanctæ contemplationis, nec lachrymæ pœnitentis sine obedientia Deo poterunt esse acceptæ: nec omnino, quod propria fuerit inquinatum voluntate, gustabit is, qui pascitur inter lilia. Hinc grande malum est propria voluntas, qua fit, vt bona tua tibi bona nõ sint. Ad obedientiam igitur meritoriam quinque requiruntur. Primò, requiritur operatio recta, quia non est obedientia contra Deum. Vnde ait Augustinus: Sic modus obedientiæ tenendus est, vt bonis in malo non consentias, nec malis in bonis cõtradicas. Secũdò, prompta voluntas, quia Deus nõ acceptat coacta seruitia. Vnde inquit Bernardus: Verus obediens, mandatum non procrastinat, sed parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & se totũ intus colligit, vt mandatum peragat imperantis. Nec attendit verus obediens, quale sit quod præcipitur, hoc solo contentus, quia præcipitur. Obedientia namque perfecta legem nescit, terminis nõ coarctatur: nec angustijs

Actor 9

Lucæ 2. Philip. 2.

Obedientia quid sit.

Obedientiæ necessaria quinque. I. II.

contenta professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne quod iniungitur, spontaneo vigore liberalis, alacrisq; animi modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur: quia dicit Gregorius, quòd obedientia nõ seruili metu, sed charitatis affectu seruanda est; non timore pœnæ, sed amore iustitiæ. Tertiò, intentio pura: quia *si oculus* intentionis *simplex* fuerit, *totum corpus* bonorum operum *lucidum erit*. Ideo, secundùm Gregorium, obedientia in aduersis debet aliquid habere de suo, & in prosperis ex suo aliquid non habere: quatenus & in aduersis tantò sit gloriosior, quantò diuino ordini etiam ex desiderio iungitur: & in prosperis tantò sit melior, quantò à præsenti gloria, quam diuinitus accipit, mente funditus separatur: alioqui cùm mũdi successus præcipitur, is, qui ad hæc obedit, obedientiæ sibi virtutẽ euacuat, si ad hæc etiã ex proprio desiderio anhelat. Non enim sub obedientia se dirigit, qui ad prospera percipiẽda libidini ambitionis proprię seruit. Rursum, cùm aduersa mundi iubentur, nisi hæc ex seipso animus appetat, obedientiæ sibi meritũ minuit, quia ad ea suscipienda nolens inuitusq; desecẽdit. Vnde, secundùm Richardum, duo sunt, quæ solent præpedire perfectionẽ obedientiæ, id est, ne cogamur vel amata deserere, vel aspera tolerare. Sed si semel amore abstinentiæ, vel patiẽtiæ perfectæ incaluerit animus, protinus ad omnem obedientiã absq; vlla contradictione se subdit. Qui enim tam aduersa perpeti, quàm in prosperis nõ delectari apud semetipsum statuit, quæ difficultas eius obedientiam vlterius minuere poterit? Hæc ille. Quartò, discretio vera: quia rectè offerens, & nõ rectè diuidens, peccat. Vnde, secundùm Bernardũ, omni virtuti discretio ordinem ponit, modum tribuit, decorem & perpetuitatem cõfert. Hinc, secundùm Gregorium, plerunq; cùm virtus indiscretè tenetur, amittitur, cùm discretè intermittitur, plus tenetur. Quintò, finalis perseuerantia, quia nullum est bonum sine perseuerantia. Vnde Bernard. In ipsa obedientiæ via tibi fortasis aliqua dura & aspera occurrere possunt, vt accipias interdum præcepta nonnulla, quæ licèt salubria sint, minus tamen suauia esse videntur. Hæc si molestè cœperis sustinere, si dijudicare prælatum, si murmurare in corde, si etiã exterius impleas quod iubetur, non est virtus obedientiæ, sed velamen malitiæ.

III. Obedientia in aduersis & prosperis qualis esse debeat.

IIII.

V.

De obedientia, & eius excellẽtia, quæ in tribus gradibus distinguitur.

Est enim obedientia professionis, cõfirmationis, & vnionis.

Cap. XIII.

Pone

Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. Bernardus: Mors Christi, crux, opprobria, sputa, flagella, quæ omnia caput nostrũ Christus pertransijt, quid aliud nobis, q̃ præclara obedientiæ documenta fuerunt? Christus enim *factus* est *obediens* Patri *vsque ad mortem:* vtique *nobis relinquens exemplum, vt* sequamur *vestigia eius*, id est, imitemur obedientiã eius. Et ex his, quæ passus est Christ⁹, discimus quanta nos, qui puri homines sumus, oporteat pro obedientia pati, pro qua & is, qui Deus erat, mori non dubitauerat. Disce ergo ô homo obedire, disce puluis obtemperare. Deus se hominibus subdidit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori? Si dedigneris ô homo hominis imitari exemplum, certè non erit tibi indignum sequi auctorem tuum. Subijce ergo te totum propter Christum voluntati superioris tui, non solùm verborum, sed & nutuum illius diligens obseruator & executor effectus, etiam si minus suaue, quod iniungitur, quandoque redolere videatur: quia *melior est obedientia quàm victimæ.* Nam post tres virtutes Theologicas, quibus inhæretur Deo, obedientia potissima virtutum est: quia tantò potior est aliqua virtus, quantò quis aliquod maius contemnit vt Deo inhæreat. Sunt ergo tria genera bonorum, quæ potest homo contemnere propter Deum: quorum infimum, sunt bona exteriora: medium, bona corporis: & supremum animæ bona, inter quæ voluntas est præcipua, in quantum homo per voluntatem omnibus alijs bonis vtitur. Et ideo per se loquendo, laudabilior est obedientiæ virtus, quę propter Deum contemnit propriam voluntatem, quàm aliæ virtutes morales, quæ propter Deum aliqua alia bona contemnunt. Nam alia quæcunque virtutum opera sunt etiam ex hoc apud Deum meritoria, quia fiunt vt obediatur diuinæ voluntati. Vnde si quis etiam martyrium sustineret, vel cuncta sua pauperibus erogaret, nisi hoc ad impletionem diuinæ voluntatis ordinaret, quod ad obedientiam directè pertinet, non possent esse meritoria, sicut nec si fierent sine charitate, quæ sine obedientia esse non potest. Hinc etiam obedientia tantò magis est meritoria, quantò minus habet de suo. & magis de obiecto: quia obedientia (sicut quælibet alia virtus) habere debet promptam voluntatem in suum proprium obiectum, id est, ipsius obedientiæ præceptum, quod scilicet procedit ex alterius voluntate, scilicet diuina vel humana, semper plus innitens præcepto, quàm proprio volito, licèt sit gratum & prosperum, quod iniungitur, alioqui

Philip. 2. 1. Pet. 2.

Obedientiæ exemplo Christi seruanda.

Obedientia potissima.

Genera bonorum tria.

qui obedientia vel minor esset, vel nulla: quia voluntas propria non videtur tẽdere principaliter ad implendum præceptũ, sed ad assequendum proprium volitum. In aduersis autem & difficilibus voluntas solùm intendere videtur in præceptum, secundùm quod exterius patet: & sic obedientia perfectior iudicatur, si saltem intentione recta perficiatur. Vnde si superior ex passione, vel peruersa intentione, dura præciperet aut grauia, dummodò non sint mala simpliciter, vel in aliquo casu obedire debet inferior, & coronam duplicem merebitur, reuoluens obedientiam Abrahæ, filium immolãtis, & Ezechielis pœnitentiam durissimam acceptantis. Sic sapiens subditus, prælatum habens pro nouerca, studeat nihilominus in omnibus etiam grauibus obedire, & obediendo superiorem patientia fatigare. Denique, triplex distinguitur gradus obedientiæ. Primus est, Christianæ religionis, quantum ad seculares; & regularis professionis, quantum ad Religiosos. Omnes enim homines suo modo, secundùm differentiam status, obligantur ad obedientiam Deo & suis superioribus exhibẽdam. Est enim de iure naturali, quòd inferior obediat superiori, & minor maiori. Nam superiora virtute naturali siue gratuita eis collata mouent & dirigunt inferiora, sicut Angeli superiores dirigunt inferiores, & corpora superiora dirigunt inferiora: sic natura spiritualis dirigit & mouet corporalem, & spiritus regunt corpora. Vnde ait Gregorius: Si obedientes fuerimus præpositis nostris, obediet Deus orationibus nostris. Citius enim exaudietur vna oratio obedientis, quàm decem millia cõtemnentis. Secundus gradus est, obedientia conformationis, cùm scilicet superioris voluntati se quis plenè conformare nititur, non solùm verborum, sed & nutuum illius diligens obseruator & executor effectus, in nullo prætendens excusationem, nec difficultatẽ causans, nec inuoluntarium se ostentans, etiam si minus suaue, quod iniungitur, aliquando redolere videatur. Sic Abraham ex operibus obedientiæ iustificatus, & amicus Dei appellatus. Primò, terram suam egrediens. Secundò, cum posteritate circuncisionem amplectens. Et tertiò, filium suum offerens. *Tolle*, inquit Dominus, *filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac*, &c. Considera præceptum quàm graue, & quàm prompta secuta est obedietia. Non replicauit, nõ excusauit, non murmurauit, non procrastinauit: nec quidem diem expectauit, sed eadem nocte consurgens, vsque in diem tertium ambulauit, nec tamen ad ictum oculi animum ab obedientiæ rigore relaxauit. Tandem à Deo demon-

Genes. 22. Ezech. 4.

I. Obedientia professiõis.

II. Obedientiæ conformationis.

Genes. 12. Obedientia Abrahæ. Genes. 17. Genes. 22.

demonstrato loco, ad illum concitò properauit cum filio, qui ait: *Pater mi, ecce ignis & ligna, vbi est victima holocausti?* Audiés autem se futurum holocaustum, tanquam verus obediens, ait patri (secundùm Chrysostomũ in opere imperfecto) Pater, liga manus meas, ne quando consurgam in impugnationem. O verè perfecta obedientia tam patris quàm filij. Ibidem.

Pro quo notandum, quòd duplex est præceptum Dei, secundùm Alexandrum de Hales in primo scripto, scilicet probationis, & executionis. Primum respicit voluntatem, secundùm opus. Voluit ergo Deus quod præcepit, non vt fieret, sed vt facere vellet. Non vt ipse Deus sciret eius voluntatem, sed vt manifestaret eius obedientiam, ad sui & aliorum vtilitatem. Præceptum Dei duplex.

Tertius gradus est, obedientia vnionis, qua scilicet quis voluntatem suam tam in volito, quàm in modo volendi, adeò diuinæ voluntati prælatorumque dispositioni libere subijcit, quòd illorum beneplacitum fit ei summum desiderium, siue prospera sint, siue aduersa, nihil in voluntate sibi reseruans, sed totum ordinationi diuinæ committens, sedulis precibus, ac viscerosa quadam dulcedine clamitans: *Fiat voluntas tua*, eò quòd infatigabiliter fertur ad amplectendum id, quod diuina disponente vel permittente prouidentia, circa se conspexerit actitari. In quo completur, quod scriptum est. *Qui adhæret* Deo, *vnus spiritus est* cum eo. Vnde (secundùm Bernardum) sic per amorosam vnionem voluntatis in Deum transfundi, est deificari. O quanta fruitur hic spiritus libertate, ac mentis tranquillitate altior cælo leuatus, ac super dilectum innixus. Cui profectò, si fideliter, si perseueranter innititur, ab eius dulcedine quandoque totus absorbetur. Obedientia enim, secundùm Hieronymum, est ordo, quo omnium fidelium vita ordinatur, genitrix omnium virtutum, cibus omnium Sanctorum, & virtus omnium virtutiũ. Quid enim est perfectæ obedientiæ exhibitio, nisi diuinæ similitudinis in nobis reparatio? à qua per inobedientiam protoparentes ceciderunt. Vnde dicit Richardus de sancto Victore, quòd inter omnia bona, quæ ad salutem hominis spectare videntur, primum & principale bonum diuina voluntas esse cognoscitur in nobis, per quam diuinæ similitudinis imago reparatur. III. Obedientia vnionis. 1. Cor. 6.

De animæ pulchritudine ex triplici imagine Dei, & de eius fontali origine, ad quam naturaliter aspirat. Cap. XIIII.

Pulchra es amica mea, suauis & decôra. Cãtic. 6. Quasi diceret sponsus: O *amica mea*, quam amo amore amicitiæ, non concupiscentię, quàm *pulchra es*, per naturam ad imaginem & similitudinem Dei condita, quàm *suauis* es per gratiam, vtpote per adoptionem diuinæ gratiæ, Spiritui sancto osculabilis iam effecta, & quàm *decora* per virtutem, quasi perfecta Dei similitudine venusta, quia deiformibus virtutibus decorata: vel, *pulchra*, in agendo; *suauis*, in contemplando; & *decora*, in patiendo. Primùm igitur videndum est de naturali pulchritudine ipsius animæ, de qua dicit Augustinus libro de diffinitione animæ, quòd anima est substãtia creata, inuisibilis, immortalis, Deo simillima, nullam habens imaginem nisi Creatoris sui. Triplicem autem in se gerit imaginem, scilicet naturæ, gratiæ, & gloriæ. Primò, gerit in se naturalem imaginem, secundùm quòd homo naturalem habet aptitudinem ad Deum intelligendum & amandum. Et hæc est imago creationis, quæ reperitur in omnibus hominib⁹, vt dicit Glossa super illud: *Signatũ est super nos lumen vultus tui Domine*. Secundùm hanc enim anima immediatè & ex nihilo à solo Deo creata, capax est ipsius Dei: & ideo quicquid Deo minus est, animam implere nõ potest. Secundò, gerit in se imaginem gratiæ, qua scilicet Deũ cognoscit & diligit, quæ dicitur imago recreationis, & reperitur tantum in iustis, in quantum scilicet per conformationem gratiæ Deum actu cognoscunt & diligunt, quamuis imperfectè, quia ex alio. Tertiò, gerit in se imaginem gloriæ, qua perfectè Deũ cognoscit & diligit immediatè, & ex seipso: quæ dicitur imago similitudinis, & solùm est in beatis per gloriæ conformitatem, in quantum Deum perfectè cognoscunt & diligunt in patria, quia immediatè & ex se, & in ipso. Nam ad hoc creata est, vt summum bonum intelligeret, intelligendo diligeret, diligendo possideret, possidendo frueretur. Vnde sicut anima vegetabilis appetit esse, & sensibilis appetit bene esse; sic rationalis appetit optimè esse, nec vnquam quiescit, donec optimo coniungatur: quapropter vi amoris in Deum tanquam in centrum proprium mouetur, vt in ipso summè delectetur. Prædictę verò tres animæ in homine vna sunt in essentia, sed differunt in potentijs: nec obstat, quòd in homine successiuè manifestantur. Hoc enim est à virtute formatiua, quæ rationabiliter prius ad vitam disponit, quàm ad sensum; & prius ad sensum, quàm ad rationem, cùm natura non simul, sed paulatim operatur. Sed hîc de anima rationali duntaxat dicendum est, quæ secun-

Imago animę triplex.

Psal. 4.

secundùm actus diuersos in scripturis multa sortitur nomina. Vocatur enim anima, quia corpus animat, id est, viuificat: vocatur animus, dū vult: mens, dum scit: memoria, dum recolit: ratio, dum rectum iudicat: spiritus, dum spirat: sēnsus, dum aliquid sentit, &c. Vnde Augustinus in lib. de spititu & anima dicit: quòd anima in quibusdam motibus, vel actibus suis tota simul adest: nam tota videt, tota audit, tota sapit, tota odorat, tota tangit. Cùm autē tota meminit, tota est memoria: cùm tota cogitat, tota est cogitatio: cùm tota vult, tota est voluntas: & cùm tota diligit, tota est dilectio. Per dilectionem enim sibi Deus rationalem creaturā copulauit, vt Deum semper haberet, & in eo semper maneret, de eo & in eo semper delectans, gaudens, & exultans. Per dilectionem namq; suo Creatori, & sibi inuicē rationalis creatura copulata est, solumq; dilectionis vinculū est, quod ligat vtrosq; in idipsum per amorē Dei. Omnes enim adhæremus Deo per amorē, & adinuicem, nimirum cùm sola charitas est via Dei ad homines, & hominis ad Deū, & per charitatē anima coniungitur Deo: siquidem est eius patria & habitatio, & fontalis origo, quia creata à Deo, vita à vita, simplex, immortalis, vt non longè sit à Creatore suo, cui appropiare videtur simplicitate essentiæ, & perpetuitate vitæ. Creata est enim anima, magna à magno, recta à recto, bona à bono: eò magna, quò capax est æternorum: eò recta, quò appetens est superiorum: eò bona, quò Deo vnita. Animam namq;, quā pietas Dei respicit, humilitas subijcit, pœnitentia reducit, iustitia deducit, obedientia conducit, perseuerantia perducit, deuotio introducit, puritas iungit, charitas vnit. Hæc Augustinus inter alia. Vnde anima ab omnibus libera & efficaciter inflammata, amoreq; diuino inebriata, tam viuaciter aspirat ad suam vnde profluxit semel degustatam originem, vt quasi violēter attracta, quadam auiditate mirabili inhiare cogatur in idipsum, sanguinem & medullas hominis illius sua vigorositate consumens. O anima mea, vnde profluxus tuus sumpsit exordiū? Nonne ex illa abyssō diuinitatis, velut essentia de essentia, vita de vita, intelligentia de intelligentia, lumen de lumine? sed creaturaliter, nō essentialiter, non dea de Deo, sed deificāda à Deo. Cuius tanta est cōnexio, tam excellens counio, quòd nunquam est abolenda, nunquam in æternū separanda. Sicut enim sol in sua rota, lux quædam est essentialis, radios suos dispergēs vbiq; sine sui diminutione: quæ licèt radijs essentiam suæ claritatis non communicat, æternam tamen contiguitatem præstat, qua radios suos in esse

Animæ nomina diuersa vnde.

Animæ cōditio quāresit dignitatis.

conſeruat, ita quòd eodem momento, quo contiguitas illa diſsipatur, etiam eſſe ipſius radij penitus euacuatur. Sic anima, profluxa ab ipſa diuinitatis abyſſo, quandam æternam contiguitatem, vnde conſeruatur & alitur, cum origine ſua retinet, quam ſuper omnia complecti & frui concupiſcit. Hunc (ſecundùm Auguſtinum lib. de ſpiritu & anima) tantæ dignitatis eſt humana conditio, quòd nullum bonũ præter ſummum ſibi ſufficere poſsit. Plenũ itaq; fuit miraculo, quòd tam diuerſa & diuiſa, vt corpus & anima adinuicem coniungi potuerunt; nec minus mirabile fuit, quòd Deus ſeipſum limo noſtro coniunxit, vt ſibi inuicem vnirentur Deus & limus, tanta ſublimitas & tanta vilitas. Nec minus mirabile erit, cùm homo & Angelus & Deus, vnus erit Spiritus. Cùm etiã & corpus iſtud, quod nunc eſt oneri, tunc glorificatum merebitur ad conſortium bonorum ſpirituum, qui in ſua puritate perſtiterunt, exaltari, atque ad ſupernæ gloriæ participationem ſublimari. Subijciatur ergo nunc corpus animo, & animus Deo, & vnus ſpiritus erit cum eo, ſi tamẽ in humilitate permanſerit, & gratiam ſui Creatoris per gratitudinem agnouerit. Hæc Auguſtinus. Qui etiam in perſona Dei loquens, dicit ad animam: O anima mirabilis creatura, quò te deijcis? terram amas? melior es: ſolem miraris? pulchrior es: cælum contemplaris? altior es: ſolo Creatore tuo inferior es. Si vis ergo progredi in me, exi totaliter de te, & introduc me in te, & traham te in me. Et ſic nec in te, nec in vlla creatura quicquam amabis, quicquam laudabis præter me.

Vt anima eſt creata ad Dei imaginem & ſimilitudinem, & quomodo reformatur ad illam virtutibus Theologicis. Cap. XV.

Geneſ. 1. Imago Dei in anima quæ.

PUlchra es amica mea, ſuauis & decora. Auguſtinus: Tanta dignitas humanæ conditionis eſſe dignoſcitur, quòd conſilio ſanctæ Trinitatis, & opere diuinæ maieſtatis creatus ſit homo: creatus, inquam, *ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, quod nulli alteri ex creaturis donauit. Nam licèt anima ſit vnius naturę, habet tamen in ſe tres vires, quæ deſignantur in illo præcepto: *Diliges Dominum Deum tuũ ex tuo corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua*, id eſt, ex tota voluntate, & ex toto intellectu, ex tota memoria. Sicut enim ex Patre generatur Filius, & ex vtroque procedit Spiritus ſanctus: ſic ex intellectu generatur volũtas, & ex his duobus procedit memoria. Nec anima poteſt eſſe perfecta ſine iſtis tribus. Et ſicut eſt Deus Pater, Deus Filius,

Deut 6. Mat h 22. Marc. 12. Luc. 10.

Filius, Deus Spiritus sanctus: non tamen tres dij sunt, sed vnus Deus, & tres personæ: sic anima intellectus, anima voluntas, anima memoria: non tamen tres animæ, sed vna anima, & tres vires, quibus diuinam imaginem gerit mirabiliter in sua natura. Et his iubemur diligere Creatorem, vt quantum diligimur, diligatur, & semper in memoria habeatur. Nec solùm *ad imaginem*, sed etiam *ad similitudinem* suã creauit illum: quia sicut Deus conditor, est charitas, bonus, iustus, patiens, mitis, mundus, misericors, & sic de alijs sanctarũ virtutum insignijs, quæ de Deo leguntur: sic homo creatus est, vt haberet charitatem, & esset bonus, iustus, patiens, &c. Quas virtutes, quantò plus in seipso quis habet, tantò propior est Deo, & maiorem sui Conditoris gerit similitudinẽ. Nec maior honor esse potuit homini, quàm quòd *ad imaginem* sui Creatoris conderetur, & ad eius *similitudinem*, eisdem virtutum ornamentis vestiretur. Sed *homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Respice igitur nunc ô anima, & diligentius attende tui Cõditoris excellentiam, & in teipsa cognosce venerandam sanctæ Trinitatis imaginẽ, ac in te diuinam honora similitudinem, ad quam creata es, nobilitate morum, exercitatione virtutum, dignitate meritorum: vt *cùm apparuerit* qualis sit, similis ei appareas *in gloria*, sicuti est, feliciter eum intuendo, amplexando, fruendo. Nam omnipotens Deus cuius beatitudo nec augeri potest, (quia perfecta) nec minui, (quia æterna:) sola charitate, nulla sui necessitate, creauit spiritus rationales, vt eos suæ bonitatis participes efficeret. Ideo charitas est causa efficiens creaturæ rationalis, & participatio diuinæ bonitatis est causa finalis. Et quia vita animæ duplex est: vna, qua viuit in carne: alia, qua viuit in Deo: ac duo sunt in homine sensus, ideo Deus homo factus est, vt vterq; sensus bonum suum haberet, in quo reficeretur. Vnus interior, qui reficitur in contemplatione diuinitatis: alius exterior, qui reficitur in contemplatione humanitatis, vt sic totum hominem in se beatificaret, & tota conuersatio hominis apud ipsum esset, & tota dilectio eius in ipso esset, cùm à sensu carnis videretur per carnem, & à sensu mentis videretur per diuinitatis contemplationem. Hoc enim erat totum bonum hominis, vt siue ingrederetur, siue egrederetur, in factore suo *pascua* inueniret. Anima quidem capax est omnium, quia per rationabilitatem ad cognitionem, per concupiscibilitatem ad dilectionem vniuersitatis capax inuenitur: (sunt enim in anima, & sunt id quod anima, ra-

Similitudo Dei in anima quæ sit.

Psal. 48.

Coloss. 3. 1. Ioan. 3.

Creaturæ rationalis, quæ causa.

Ioan. 10.

ma, ratio naturalis, sensus cognoscens omnia, & dijudicans inter omnia naturalis affectus, quo suo ordine & gradu diligat omnia:) verumtamen facultates, velut instrumenta, cognoscendi & diligendi habet ex natura: cognitionem tamen veritatis, & ordinem dilectionis nequaquam habet, nisi ex gratia. Siquidem facta à Deo mens rationalis, sicut eius imaginem suscipit, ita cognitionem & amorem. Vasa namque, quæ creatrix sapiētia format, vt sint, adiutrix gratia replet, ne vacua sint, si strenuum operarium inuenerint. Hæc Augustinus. Et hæc strenuitas exhibetur in tribus, sicut anima tres habet vires, prout comparatur ad finem suū. Habet enim primò vim rationalē, qua per fidem veram tendit in summè verū, credendo, & firmiter assentiendo, quia in rationali consistit cognitio veri. *Per fidem* enim *Sancti vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones*, &c. ex quibus liquet, quòd vera fides strenuum Christi militem efficit. Secundò, habet anima vim irascibilē, qua' per spem tendit in summè arduum & æternum, fideliter imitando & expectando. Nam vis irascibilis naturaliter est appetitiua boni, & fugitiua mali. Quamuis enim ex defectu liberi arbitrij quandoque malum eligat, nihilominus tamen ex natura malo remurmurat, vt dicit Augustinus, & hoc per synteresim. Adiuta tamen vera spe æternorum, malum fideliter deserit, & in arduum bonum viriliter tēdit: quia dicit Gregorius, quòd spes in æternitate animum erigit, & idcirco nulla mala exterius, quæ tolerat, sentit. Vnde Bernardus: Tu es, inquit, Domine spes mea. Quicquid agēdum, quicquid declinandum, quicquid tolerandum, quicquid optandum, tu es Domine spes mea. Hæc vna mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio expectationis meæ. Nam tria considero, in quibus tota spes mea consistit: scilicet charitatē adoptionis, veritatem promissionis, & potestatem redditionis. Veruntamen non est via ad regnum sine primitijs regni, nec quis potest sperare cæleste regnum, cui necdum super propria membra regnare donatur.

Animæ vires.

Rationalis.

Heb. 11.

Irascibilis.

Concupiscibilis.

Locus animæ.

Tertiò, habet anima vim concupiscibilem, qua per charitatem tendit in summè bonum deliderando & amando, sicut in concupiscibili consistit desiderium boni: quo fit, vt nunquam quiescat, donec cum optimo coniungatur. Locus enim proprius tanquam centrum animæ rationalis est Deus, ad quem naturaliter mouetur, vt in eo quiescat, non per distensionem, sed potius per desideriū & amorem, vtpote vbi perfectè consequitur suam puritatem & nobilitatem: Vnde dicit:

cit Augustinus libro de spiritu & anima, quòd anima rationalis inter eas res, quæ sunt à Deo conditæ, superat omnia: & ideo Deo proxima, quando pura est, eique in quantum charitate cohæserit, in tantum ab illo lumine intelligibili quodammodo illustrata, non per oculos corporeos, sed per sui ipsius principale, id est, intelligẽtiam, Deum cernit, in quo est perfectissima pulchritudo, & beatissima visio, qua visione fit beata. Qua nimirum visione priuatum adhuc se lamentabatur Anselmus in Prosologio, dicens: O summa & inaccessibilis lux, ô tota & beata veritas, quàm longè es à me, qui tam prope sum tibi; quàm remota es à conspectu meo, qui sic præsens sum conspectui tuo. Vbiq; es tota præsens, & non te video: in te moueor, & in te sum, & ad te non possum accedere: intra me, & circa me es, & non te sentio. Adhuc Domine lates animam meam in luce & beatitudine tua, & ideo versatur illa adhuc in miseria sua.

Quòd anima in iuuentute Deo est consecranda, sicut materialis Ecclesia, præsertim per quinque, vt Deo reddatur gratissima. Cap. XVI.

Pulchra es amica mea, suauis & decora. Christus in anima perfecta commendat duplicem decorem, vel pulchritudinem, quòd scilicet foris *pulchra* est per sanctam cõuersationem, & intus per simplicem intentionem & mẽtis humilitatem, cùm in omnibus, quæ gerit, simplicem habet intentionem, non quærens laudem humanam, sed diuinam tantùm: magna agens vel sustinens, & sibijpsi vilescens: quæ vilitas tantò pretiosior est, quanto de fonte amoris & feruoris radice procedit, quam habet anima perfecta, quę tantò est humilior, quãtò deuotior, quia vera gratia nõ extollit, sed humiliat. Animam enim purgatam terrenis delectationibus, quæ spiritualia tantùm desiderare nouit, quæ nouit, quæ tota in morem cælestium & affectum virtutum transit, humiliat amor Christi, qui pro ipsa humiliatus est. Humiliat etiã amor ipsius virtutis, quã à Deo amplectitur, quia Christus specialiter hanc amauit & habuit. Dicit Hieronymus in quadã epistola, quòd sic erudienda est anima, quæ futura est templum Dei, vt nihil discat audire vel loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet. Difficulter enim eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Rudis testa diu & saporem retinet & odorem, quo primùm imbuta est. Græca narrat historia, Alexandrum potẽtissimum regem, orbisque dominatorem, & in

moribus & in inceſſu, Leonidis pædagogi ſui non potuiſſe carere vitijs, quibus adhuc paruulus fuerat infectus. Procliuis eſt enim malorũ æmulatio. Et quorum virtutes aſſequi nequis, citò imitaris vitia. Sic in ætate tenera, facilius ſanctæ conuerſationis vſus inoleſcit, & ad inſtitutionem optimi, primi anni habent in ſe quiddam lentum ac molle, & quod facile formari queat, & ad arbitrium voluntatis trahi: penitus inhærere ſolet ſenſibus, quod prius ſederit, ſiue bonum ſiue malũ. Hæc ille. Hinc animæ ſanctæ Deo ſunt conſecrãdæ, etiã in primæuo iuuentutis flore, ſicut materiales Eccleſiæ, vtpote quæ propriè fiunt templũ Dei. Nam animæ ſunt ſanctæ per Spiritum inhabitantem, & corpora propter animas, Eccleſia verò materialis propter corpora. Sicut igitur templum materiale conſecrari ſolet per aſperſionem, inſcriptionem, inunctionem, illuminationem, & benedictionem: ſic etiam (ſecũdùm Bernardũm) *Chriſtus aſſiſtens pontifex futurorum bonorum* inuiſibiliter & ſpiritualiter, ſed experimentaliter operatur in anima, vt eam conſecret in habitationem ſibi. *Hæc*, inquit, *requies mea in ſeculum ſeculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.*

Anima cõſecranda Deo.

Eccleſiæ cõſecrandæ ratio.

Hebr. 9.

Pſalm. 131.

I. Aſperſio.

Primò namque templum iſtud materiale aſpergit hyſſopo, quæ eſt herba humilis, & purgatiua pectoris, id eſt, humili & vera contritione, ſpargens aquam ſapientiæ ſalutaris, quæ eſt timor Dei, initium ſapientiæ & fons vitæ, vtpote lachrymarum imbrem euomẽs, & ſudorem pœnitentiæ, per hæcque ſibi comparans aquam pretioſam & viuidam, de fonte pietatis, quæ fluit de latere Chriſti, ac condimentũ ſalis admiſcens, ne timor ſit inſipidus, ſine ſpe, ſine deuotione. Vnde per actum contritionis maximè mundatur hoc templum, id eſt, deletur peccatum: quia dicit Gulielmus in ſuo Sacramentali, quòd ex quo dæmon eſt initium omnis peccati, peccatum ſequens naturã illius, a quo proceſſit, facit poſſeſſorẽ ſuum, id eſt, peccatorem eſſe ſuperbum, rigidum & durum, in diabolicam eum quodammodo transformans ſimilitudinem. Hinc quàm diu quis eſt in peccato, reperitur cõtumax, durus, & elatus. Sed quia humilis contritio duritiei & elationi cõtrariatur, huic actui maximè deletio culpæ attribuitur, quia contraria contrarijs curantur, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus*, &c.

Pſal. 50. 11.

Inſcriptio.

Secundò, ſcribit in hoc templo Deus digito ſuo, in quo eijciebat dæmonia. Scribit, inquam, legem ſuam in tabulis cordis carnalibus, auferens *cor lapideum*, & conferens *cor carneum*, id eſt, pium, manſue-

Lucæ 11.

Ezech. 36.

tum,

tum, tractabile, flexibile deuotum & humile: quod vtique fit in plena conuersione, quæ principaliter & originaliter fit in corde, id est, voluntate. *Conuertimini*, inquit, *ad me*, sed *in toto corde vestro*. Nam corporis conuersio si sola fuerit, erit nulla. Forma siquidem conuersionis est, non veritas, vacuam virtutem gerens, & speciem pietatis, vt dicit Bernardus. Audi Psalmistã, in cuius corde scripta fuit lex diuina: *Lex*, inquit, *Domini immaculata, conuertens animas: testimoniũ Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidũ, illuminans oculos. Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi. Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa. Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum.*

Ioel. 2.

Psal. 18.

Tertiò, ne sit anima sicut terra arida, sine aqua spiritualis dulcedinis, confert Christus vnctionem gratiæ spiritualis, adiuuans infirmitatem ipsius, Cruces pœnitentiæ multiformis & obseruantiarum, tribulationumq; gratia dulcedinis suæ leniens, (quia nec sine Cruce Christũ sequi, nec sine Crucis vnctione asperitatẽ ferre posset) vt Cruce sic vncta per gratiam Spiritus adiuuantis, suauis fiat pœnitentia, & amaritudo ipsa dulcissima. Hãc igitur vnctione crux ipsa redditur pretiosa & amabilis, habens exultationem, si fuerit qui sapiat. *Est* enim *lignum vitæ* apprehendẽtibus *eam*, & vitis germinans iucunditatem, & fundans balsamum spiritualiũ charismatum. Sed quid mirum, si dat Cruci suauitatem, qui dedit & lapidi torrentis in Stephano, & igni in Laurentio? Sed cur nobis non sapit pro Christo tribulatio, nec *absconditum manna* degustare valemus, nisi quia gustum animæ nondũ perfectè adepti sumus? id est, charitatẽ perfectam, quæ propriè est gustus animæ, vtpote cui soli sapit omne bonũ, omne arduum, omne aduersum, omne laboriosum: mirũ cùm perfecta charitatis vnctio, mortẽ ipsam facit suauissimam. Nec mentitus est, qui dixit: *Spiritus meus super mel dulcis*, ita vt nec dulcedini eius amarissima mortis amaritudo prævalere queat.

III. Vnctio.

Gustus animæ.

Prouer. 3.

Eccli. 24.

Quartò, Christus illuminat lucernam suam, non dimittens eam sub modio, sed ponens super candelabrũ. Tempus enim est, *vt luceat lux* eius *coram hominibus, vt videant opera* eius *bona, & glorificent Patrem* eius, *qui in cælis est*; vt iam sanctificata Deo, luceat etiam mundo. Vnde ait Bernardus: Quis enim ambigit talem animam, iam sancti sanctorum spõsam effectam esse sanctã; erga quam appositum est cor diuinum?

IIII. Illuminatio.

Matth. 5.

Iob 7. uinum? ſicut infert Iob, dicens: Domine, *quid eſt homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Si enim nihil ſumus in cordibus noſtris, aliquid tamen magni latet de nobis in corde diuino. O Pater miſericordiarum, *quid apponis ergo* eos *cor tuum?* Scio, quia *vbi theſaurus tuus, ibi & cor tuum.* Etſi quaſi nihil ſunt in iudicio veritatis tuæ, tamen aliquid ſunt in affectu pietatis tuæ. Quid ergo ſunt? vtique templum Dei, imò ſponſa Chriſti ſunt in corde Dei, ſua dignatione, nõ recta dignitate. Si non fecit ille, quod ſponſus, ſi non tanquam ſponſus amauit, ſi non zelatus eſt tãquam ſponſus, noli acquieſcere te ſponſam arbitrari ô anima mea. Hæc Bernardus.

Matth. 6.

V. Benedictio.

Quintò, in fine anima ſancta fidenter à Chriſto benedictionem expectet, ingreſſura domum non manufactã æternam in cælis. Tũc enim perfectè eam Deus reddet ex omni parte perfectam habitationem ſibi, quàm ineffabiliter beatificabit inhabitans gloria maieſtatis.

Quòd animæ pulchritudo conſiſtit in gratia & virtutibus, quæ differunt, vt lumen & radius. Et de triplici gratia, & de libero arbitrio. Cap. XVII.

Anima quid ſit.

Pulchra es amica mea, ſuauis & decora. Anima eſt vita perpetua; per memoriam, intelligentiam, & voluntatem ad imaginẽ Dei facta; capax virtutis & gratiæ, vel vitij; ſuſceptiua pœnæ, vel præmij arbitrij libera; potẽtijs, habitibus, & affectionibus decorata; carens pondere, figura, & colore; paſsibilis, & mutabilis: eò magna, quò capax æternitatis: eò recta, quò eſt appetens bonitatis: eò beata, quò particeps diuinitatis. Vnde rationalis anima, quantùm ad eſſentiã ſuã, eſt imago diuinæ eſſentiæ. Et hæc imago eſt ſecundùm indiſtinctionem, cuius imaginis reformatiua eſt ipſa gratia diuina, ſecundùm quã anima ipſa dicitur eſſe ſuauis, quia in libro Sapientiæ Spiritus Domini ſuauis dicitur, vbi legitur: *O quàm ſuauis eſt Spiritus tuus Domine in nobis.* Gratia namque perficit animam ſecundùm indiſtinctionem, quantum ad eſſentiam imaginis, ſicut anima, quantum ad ſuas potentias, eſt imago Trinitatis, & illa eſt, quantum ad diſtinctionem imaginis. Vnde quantum ad potentias, & ſecundùm diſtinctionem potentiarum reformatiua huius imaginis eſt ipſa virtus, ſecundùm quã anima dicitur decora, & efficitur chariſsima, vt videbitur. Hinc etiã ſecundùm quoſdam, quæ eſt comparatio ipſius animæ ad ſuas potentias, eadem eſt comparatio ipſius gratiæ ad virtutes: cuius exemplum

Sapien. 12.

plum patet de lumine & radio in ipso aëre. Nam lumẽ & radius idem sunt secundùm substantiam, quia lumen est substantia radij, quamuis secundùm rationem esse differunt, quia lumen dicitur, quod perficit aërem indistinctè: radius verò dicitur illud, quod perficit per distinctionem in partibus, quia radius ducit directionem ipsius luminis ad hãc vel ad illam partem aëris, lumen autem non. Simili modo lumen in anima est gratia: radius verò virtus est, præsertim infusa; quia gratia, quæ est ipsa lux, perficit animam, quantum ad essentiam, & indistinctè, quantum ad omnes potentias. Virtus verò animam perficit, quantum ad partes, quæ sunt potentiæ vel vires eius: quia Fides in anima, radius quidem est dirigens vim rationalem in primam veritatẽ. Spes verò radius est, dirigens iracibilem in summam maiestatem. Charitas autem radius est, dirigens vim concupiscibilem in summam bonitatem. Sicut ergo radius substantialiter est in lumine, & sicut lumen est causa substantialis ipsius radij; sic virtus est in gratia substantialiter, & gratia est causa effectiua substantialis ipsius virtutis. Ideo, secundùm Bernardum, virtutes sunt ordinantes affectiones per gratiã. Et in his duobus consistit suauitas & decor ipsius animæ, vt non solùm dicatur *pulchra*, sed etiam *suauis & decora*. De gratia tamen primò persequendo sciendum est, quòd gratia triplex distinguitur. Prima dicitur gratia generalis: & sic gratia est diuinum adiutorium creaturæ gratis impensum, quæ datur indifferenter ad quemlibet actũ. Vnde sine gratiæ huius adiutorio nihil possumus facere, nec etiam in esse durare. Secunda dicitur gratia specialis, quæ dicitur gratia gratis data, quia datur ingrato & indigno, & est donum à Spiritu sancto, sed non cum Spiritu sancto, quo quis se præparat ad susci piendum donum Spiritus sancti. Nam gratia gratis data, donum est infusum rationali naturæ sine meritis, quantùm in se est, disponens ad salutem propriam, vel alterius ædificationem, sine qua nullum opus bonum à nobis perfici potest. Nam huius gratiæ est reuocare liberum arbitrium à malo, & excitare ad bonum, sine qua nullus sufficienter facit, quod in se est, vt præparet se ad salutem. Veruntamen, quamuis liberum arbitrium per se legem implere non potest, nec in se gratiam efficere: si tamen non facit, non est excusabile, quia gratia gratis data semper præsto est, cuius adminiculo facere potest, quod in se est, scilicet consentire gratiæ commonenti, quo facto, gratiam gratum facientem acquirat, qua adepta, diuinam legem & voluntatem

Gratia triplex. I.

II.

adimpleat. Facere verò quod in se est, tria complectitur. Primò, dimittere actum peccandi: secundò, deserere voluntatem peccandi: tertiò, conari in bonum, prout est sibi possibile. Nulli enim hæc tria facienti, gratia gratum faciens denegatur. Tertiò, dicitur gratia specialissima, quæ vocatur gratia gratum faciens, quia gratum facit hominem Deo. Et est à Deo efficiente, à gratia gratis data liberum excitante & mouente, ac à libero arbitrio consentiente: sine qua nullus mereri potest, nec in bono proficere, nec in bono perseuerare, nec ad gloriã peruenire. vnde summè necessaria est ipsi libero arbitrio, quia sine ea non potest esse sufficiens ad bonum operandum, & malũ cauendũ. Quamuis enim liberum arbitrium ex se potest in bonum naturæ, quod suæ facultati proportionatur, non tamen potest in bonum, quod excedit naturę suę facultatẽ sine gratia ista. Dicit enim Glossa super illud Apostoli: *Non enim, quod volo bonum, hoc ago* &c quòd homo naturaliter vult bonum, sed voluntas hæc semper caret effectu, nisi gratia Dei velle suum adiuuerit. Libertas autem arbitrij consistit in duobus, scilicet in libertate discretionis, vt possit iudicare, & in libertate electionis, vt possit eligere. *Deus* enim *ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui*, id est, in potestate liberi arbitrij. Et in eo, quòd incidit in peccatum, liberum arbitrium non est ablatum, quamuis in hoc sit debilitatum: quia quod prius ante peccatum sine difficultate facere poterat, post peccatum sine difficultate & pugna perficere non potest, scilicet facere bonum, & fugere malum. Cæterùm, secundùm Anselmum, gratia & liberum arbitrium sic se habent ad hominem, sicut pater & mater ad prolem: qui sicut sine patre & matre nasci non potest, sic sine gratia & libero arbitrio saluari non potest. Est autem liberum arbitrium, secundùm Augustinum, facultas volũtatis & rationis, qua bonum eligitur assistente gratia, & malum desistente gratia. Quæ gratia nos Deo gratificat, & per illam, & cum illa Deus seipsum nobis donat: quæ cuncta bona nostra reddit meritoria, liberat à potestate diaboli, adoptat in filium Dei, efficit sponsam Christi, constituit hæredẽ regni, & consecrat in templum Spiritus sancti. Cuius effectus est mouere liberum arbitrium duobus modis. Primo modo, quia gratia dispositio quædam est, ad quendam motum spiritualẽ. Nam sicut pondus in corporalibus disponit ad motum, sic suo modo pondus in spiritualibus disponit ad spiritualem motum. Gratia verò quoddam spirituale pondus est datum animæ, per quod habet sursum tẽdere. Liberum

Facere quod in se est. III.

Rom. 7

Libertas arbitrij. Eccli. 15.

Gratiam mouere liberum arbitrium.

rum autem arbitrium natum est seipsum mouere secundùm actus in quos de se potest: sed cùm adiutum est, & informatum gratia, tunc seipsum excellentius mouet: sicut pluma madefacta propter grauitatem aquæ citius descendit, quàm sicca. Et sic gratia mouere dicitur liberū arbitrium: per quem etiam modum amor mouere dicitur hominem ad opera ardua & magna, etiam delectabiliter facienda. Secundo modo dicitur gratia mouere liberum arbitrium, quia gratia est sicut quædam influentia procedens à luce superna, quæ semper habet coniunctionem cum origine sua, sicut lumen vel radius cum suo principio, id est, rota solari. Et quia semper origini suæ coniungitur, ideo non tantùm attribuitur eidem operatio ratione subiecti in quo, sed etiam ratione subiecti à quo. Nam sicut lumen solare non solùm operatur cum aëre, sed etiam operatur in ipsum aërem ratione continuationis à suo fonte: sic gratia non solùm operatur cum libero arbitrio, sed etiam ipsum liberum arbitrium mouet, ita quòd gratia proprium est instrumentum Spiritus sancti ad mouendum liberum arbitrium.

Quòd animæ salus pendet ex gratia & libero arbitrio: sed operæ meritoria principalius sunt ipsius gratiæ, cuius præsentia per tria potest cognosci. Cap. XVIII.

Pulchra es amica mea, suauis & decora. Bernardus libro de gratia & libero arbitrio: Sine gratia & libero arbitrio salus fieri nō potest. Deus enim auctor salutis est, & liberum arbitrium tantùm capax, nec dare illam nisi Deus, nec capere valet nisi liberum arbitriū: nec ergo salus fieri potest absque consensu tam gratiam accipientis, q̄ dantis, & sic gratiæ operanti salutem cooperari debet liberū arbitriū consentiendo. Consensus autem voluntarius, quo discernimur à bestijs, est habitus animi liber sui, qui nec cogitur, nec extorquetur. Non enim est consensus, nisi voluntarius. Vbi ergo consensus, ibi voluntas: & vbi voluntas, ibi libertas. Et hoc est liberum arbitrium, quod vtiq; nos beatos efficit, vel miseros per consensum boni vel mali. Nam ille consensus ob voluntatis inamissibilem libertatem, & rationis (quod secum semper & vbique portat) indeclinabile iudicium, non incongruè dicetur liberum arbitrium. Ipse liber sui propter volūtatem, ipse iudex sui propter rationē. Et meritò libertatem comitatur iudicium, vt vbi peccet, quod liberum sui est, ibi se iudicet. Sola ergo gratia fit in nobis bonum meritorium, quæ præuenit & sanat liberum arbitrium.

Consensus volūtarius.

Et ex ipso arbitrio procreatur in anima bonus affectus, siue bonus mētis motus. Hinc dicit Gregorius, quòd Deus cor humanum destruit, cùm derelinquit, ædificat autē, cùm implet. Vnde Iacobus vocat eam

Iacob. 1. Gratia donum est, sine quo nihil possumus.

datum optimum, & donum perfectum, in Canonica sua dicens: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.* Illud enim donum perfectū est gratia, per quam Deus omnipotens prædestinatos vocat ad salutem: quia necesse est, vt spiritus rationalis fiat particeps influentiæ spiritualis, si debeat fieri dignus æternæ beatitudinis. Ad influentiam autem gratiæ per se peruenire non potest, cùm hoc non sit secundùm limites naturæ, sed tantùm secundùm influentiam largitatis diuinæ. Nec homo sine gratia per propriā industriam Deum potest accedere, nec quicquam boni valet cogitare, quantò minus operari? Dicit enim Bernardus, quòd hæc

Deus quid, & quomodo operetur in homine.

tria, scilicet bonum cogitare, velle, perficere, Deus operatur in nobis. Primum sine nobis, secundùm nobiscum, tertium per nos facit. Nam immittendo bonam cogitationem nos præuenit, immutando malam voluntatem per consensum iungit ministrando consensui facultatem per apertum opus foris, intra nos opifex innotescit. Vnde bona voluntas est instrumentum, Spiritus sanctus est artifex. Artifex ergo primò instrumentum operatur, deinde per instrumentum operatur. Sic Spiritus sanctus primò bonam voluntatem operatur, secundò per voluntatem operatur bona voluntate consentiēte. Hinc est quòd opera meritoria principalius sunt ipsius gratiæ, tanquam artificis, & non bonæ voluntatis, tanquam instrumenti, vt in bonis operibus homo non in se, sed *in Domino* discat gloriari, qui dicit: *Sine me nihil potestis facere.* Sine eo namque pauperes sumus & miseri, multa quidem

1. Cor. 10. Ioan 15.

Negligētia nostra culpanda, non gratia.

desiderantes, sed modica perficientes. Siquidem ex propria negligentia frigida remanent corda multorum querulantium sibi deesse gratiam, cùm magis gratia ipsa conqueri habeat, se non habere factores bonorum operum. Vix enim est aliquis, vt dicit Bernardus, qui in his, quæ Dei sunt, experiri velit quid possit, etiam quod promptissimè potest secundùm carnem vel seculum. Multi namque desiderium sanctitatis habent, sed ea, quæ sanctitatem efficiunt, nullatenus habēt. Felices autem, qui peruenerūt ad humilitatem cordis, & strenuitatem boni operis: quibus peruenitur ad gratiam Spiritus sancti. Felices, qui ad singula dona gratiæ redeunt ad eum, in quo est plenitudo gratiarū: cui dum pro acceptis nos non ingratos exhibemus, locum in nobis gratiæ

gratiæ facimus, vt adhuc maiora percipere mereamur. Præsentia verò diuinæ gratiæ (præsertim in perfectis) per tria potest etiam experimentaliter coniecturari, quamuis *homo nesciat an amore vel odio dignus sit* certitudinaliter & finaliter. Quæ tria tanguntur in Psalmo: *Cùm inuocarem*, vbi dum in persona ignorantium quæritur: *Quis ostendet nobis bona?* id est, quis nobis dicet, vnde coniecturare possumus, quòd ex bonis operibus, quæ facimus, accepti sumus Deo? Protinus respondens denotat tria esse, per quæ coniecturare possumus nos esse in gratia, quando veraciter sunt in anima. Primum ponit in vi rationali dicens: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, quod scilicet lumen perficit vim rationalem luce Sapientiæ, sic vt nihil penitus desit in vlla scientia ad salutem necessaria. Sentit enim anima sancta & perfecta lumen quoddam veritatis radiantis super vim rationalem, in quo ratio mirabiliter delectatur, quia tribuit illi quandam experimentalem discretionem virtutum, & omnium agendorum, quæ discretio conuenit per omnia sanctorum Patrum dictis & exemplis. Secundum verò ponit in vi concupiscibili, cùm subiungit: *Dedisti lætitiam in corde meo.* Quæ lætitia spiritualis est, perficiens vim concupiscibilem, & degustare faciens cibum spiritualem. Tribuens, inquam, saporem omnis boni in agendo, cauendo, & etiam in sustinendo. Nam sicut gustus bene dispositus, nescire non potest dulcedinem sibi coniunctam: sic & anima bene disposita, non potest non sentire diuinam dulcedinem sibi coniunctam. Sed sensus diuinæ dulcedinis est per gratiam, & sic potest coniecturare quòd habeat gratiam. Et si quæris: Quis sit ille cibus spiritualis? breuiter respondeo, quòd multiplex est, sed prout sufficit præsenti speculationi, tunc est iustitia, prout est virtus communis, scilicet declinare à malo, & facere bonum. *Beati* enim *qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

Præsentiam gratiæ Dei cognoscimus. Eccles. 9. Psal. 4.

Rationalis.

Ibidem.

Concupiscibilis.

Iustitiæ cibus. Matth. 5.

Cùm enim sic impletur nostrum concupiscibile fonte iustitiæ, quòd eam omnino ardentissimè desideremus, & ea penitus repleamur, quòd propter illam consequendam omnia facienda, omnia cauenda, & etiam omnia sustinenda, redduntur pretiosa *super aurum & topazion, & dulciora super mel & fauum*, signum est vtique præsentis diuinæ gratiæ. *Beati* namque *qui sic esuriunt & sitiunt iustitiam*, quia *ipsi saturabuntur*, cùm nullares alia præter huiusmodi iustitiam animæ desiderium potest implere, vel animam beatificare. Tertiò denique ponit

Psal. 18. Psal. 118. Matth. 5.

Irascibilis. Psal. 4. in vi irascibili, cùm dicit: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Quæ nimirum pax perficit irascibilem, dùm perducit ad affectatã patientiam. Quietat enim animam in omnibus etiam aduersis, ea complectens summo desiderio, quasi prospera, cum Apostolo dicente: 2. Cor. 7. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione* mea. Et hæc est gratia omniũ perfectè contemplantium, ac præcipuè perfectã charitatem habentium, quorum est etiam sustinere martyrium delectabiliter. Nam summo bono perfectissimè & syncerissimè per amorem inhærentes, perfecta fruuntur cordis tranquillitate, & pace diuina replentur cum summa iucunditate.

Quòd gratia gratum faciens est duplex, scilicet increata & creata: & qualiter vtraque animæ coniungitur, & in ea mira operatur. Cap. XIX.

Spiritꝰ sancti operatio in anima. PVlchra es amica mea, suauis & decora. Spiritus sanctus secundùm Bernardum, cor quod per gratiam intrat, si peccatis pollutum fuerit, ad pœnitendum & confitendum inducit, nec quicquam maculosum residere patitur in conscientia, vt eò expeditius affectum erigere valeat ad diuina: deinde vires administrat ad bona prosequenda. Mouet enim memoriam, bona suggerendo in cogitationibus sanctis,

Memoria. quibus ignauiam nostram torporemq; repellit. Quoties igitur cogitationem huiusmodi in corde senseris, da honorem Deo, & age reuerẽtiam Spiritui sancto, cuius *vox* sonat *in auribus tuis*. Ipse enim loquitur *iustitiam*, operatur peccatorum remissionem, & *ambulare* facit sollicitè *cum Deo* suo. Docet etiam rationem, scrutans abdita peccato-

Cant. 2. Isaiæ 75. Mich. 6. Ratio. rum & intentionum cordis, nec minimam paleam intra cordis habitaculum residere patitur, quin statim igne subtilissimæ circumspectionis exurat Spiritus ille dulcis & suauis. Mouet deniq; volũtatem,

Voluntas. eam erigens & dirigens, vt ipsam veritatem intelligere, & feruenter diligere, ac efficaciter adimplere possimus. Nam quæ per naturã difficilia nobis vel impossibilia videntur, per suam præsentiam leuia facit, ac prope nulla. Spiritus enim sanctus est spiritus dulcis, amara dulcorans, infirma roborans, aspera planans, corda purificans, & quicquid in seculo nequam difficile videtur & angustum, leue facit & latum: vt quod impossibile tibi videtur per naturã, facile videatur per gratiam, in laboribus, vigilijs, maledictione & persecutione hominũ,

Psal. 118. & vt in omnibus obseruãtijs regularibꝰ hilariter incedas, *sicut in omnibus di-*

bus diuitijs. Deinde secundùm Gregorium, mentem humanam contingendo subleuat, & temporales cogitationes deprimens, æternis hanc desiderijs inflammat, vt ei nihil iam nisi quę supernæ sunt, libeat. Nimirum cùm dicat Orosius super Cantica, quòd nullus in hac vita poterit excogitare felicitatem veriorem, suauitatem dulciorem, quàm dum mens sibi per gratiam Spiritus sancti aduenisse senserit Creatorē. Hæc est enim sola in hac vita requies deuotarum animarum, diuina gratia & dilectione feruere, ac per spem futuræ gloriæ prospera mundi simul & aduersa cōtemnere. Dicit enim Chrysostomus, quòd Spiritus sanctus per gratiam ingrediens animā, amplectitur eam, & quasi muro quodā inexpugnabili circumit eam, & non permittit vt carnales concupiscentiæ prævaleant contra eam. Non quidem facit vt caro non concupiscat, sed tenet animā, vt ei non consentiat. Mentem enim Spiritus sanctus quam replet, obumbrat, & omnē tentationum furorem temperat, & quicquid noxij caloris sustinet, protinus exufflat.

Quies animarū sanctarum sola quæ sit.

Pro quo notandum, quòd duplex distinguitur gratia gratum faciens, scilicet increata & creata. Nam increata gratia Spiritus sanctus est, qui datur omni peccatum mortale non habenti. Et dicitur gratia secundùm quod dicitur donum. Dicitur autem donum secundùm quod dicitur amor, quia secundùm suam proprietatem est amor, & vt amor procedit à Patre & Filio. Nihil autem est donū propriè loquendo, nisi ratione amoris: quia propriè donum est quod datur ex amore & liberalitate sine omni coactione, sic quòd in omni dono primò datur amor. Et hoc donum Spiritus sancti eo nos facit gratos, quo nos facit deiformes, quia amor est qui transfert amantem in amatum. Hinc dicit Richardus de sancto Victore, loquens ad animam suam: Scio anima mea, quòd dilectio tua, vita tua est: & quicquid diligis, ipsa vi dilectionis in eius similitudinem transformaris. Cùm ergo Spiritus sanctus amor est, imò prima virtus amoris, hinc est, quòd cùm nobis Spiritus sanctus datur, in diuinam speciem nos transformat, vt sit anima Deo assimilata. Porrò ex illa parte debemus intelligere gratiā creatam, quasi similitudinem & dispositionē ex parte animæ rationalis, ex qua habet quòd accepta sit Deo & assimilata, quia ibidem est forma transformans, & hæc est gratia increata: & ibi est forma transformata, quę derelinquitur in trāsformato, scilicet in anima ex ipsa transformatione, & hæc est gratia creata. Nam licèt Spiritus sanctus æqualiter se habet ad omnia, & omnia sufficienter facere potest, quantum

Gratia gratum faciēs duplex.

est de se, nec in eius parte gratia creata sit necessaria: tamen ipsa est necessaria ex parte animæ recipientis: quia non potest se habere per immediationem ad gratiam increatã, nisi prius disponatur, & defectus est ex parte ipsius, quapropter gratia disponens ipsam, est ei necessaria. Sicut in naturalibus anima secũdùm se, est vita corporis sine medio, quia anima sine medio vnitur corpori, eò quòd non est medium ex parte sua, ad hoc vt vniatur corpori, cùm ipsa sit forma corporis; & forma se vnit per suam essentiam: nihilominus tamen vnitur corpori per aliquod medium, quia est ibi quædã dispositio media ex parte corporis, ad hoc vt anima illi vniatur: sic increata gratia sine medio vnitur animæ, nec requiritur medium ex parte ipsius informantis, sed ex parte recipientis animæ requiritur medium, per quod vniatur, & hoc medium est gratia creata, quæ dicitur gratia gratum faciens, qua scilicet quis Deo gratus efficitur. Ponit enim aliquod donum in gratificato, quo sit gratus Deo, Illud autem quo sit Deo gratus, est illud quo deiformis, vel Deo assimilatus efficitur. Gratia namq; gratum faciens, nihil aliud est, quàm Dei similitudo in creatura rationali: quæ assimilatio est effectus Dei & nõ alterius. Hinc dicit Apostolus: *Gratia Dei sum id quod sum*, eò quòd illa sola nos efficit deiformes & beatos, sine qua nihil sumus, etiam *si linguis hominum* loquamur *& Angelorum*, & cætera, quæ ibidem prosequitur Apostolus. Et Dominus in Euangelio: *Qui manet*, (inquit) *in me*, scilicet per gratitudinem & amorem, *& ego in eo*, scilicet per gratiam gratum facientem: *hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere*. Felix ergo qui dicere potest cum Apostolo: *Et gratia eius in me vacua non fuit*, sed semper in me manet. Ex his patet, quòd homo tunc dicitur Deo esse gratus, quando per gratiam & virtutes est ei similis: sicut econtra Deo dicitur odiosus, quando per peccatum Deo est dissimilis, quia peccatum est dissimilitudo ad summam bonitatem. Vnde sicut odiosum esse Deo, ponit dissimilitudinem ad diuinam bonitatem, & aliquid ponit per modum defectus & priuationis, quo fit illa dissimilitudo, scilicet peccatũ: sic gratia gratũ faciens ponit similitudinem gratificati ad Deũ, & ponit aliquid in ipso, quo dicitur assimilatus Deo, per quam assimilationẽ est dignus vita æterna, quæ est impleta assimilatione creaturæ rationalis ad Deũ, sicut dicit Iohannes: *Charissimi, nunc filij Dei sumus: sed nõdum apparuit quid erimus. Cùm* autem *apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. Et hæc similitudo ad Deum opera nostra bona Deo facit grata

Gratia gratum faciẽs quid sit.

1.Cor.15.

3.Cor.13.

Ioan.15.

1.Cor.15.

Gratus Deo vel odiosus quãdo quis dicatur.

1.Ioan.3.

grata & meritoria, ſicut econtra diſsimilitudo ea facit ingrata & infructuoſa. Igitur gratia gratum faciens eſt nobis neceſſaria: quia cùm gratia Dei ſit vita æterna, eò quòd opera noſtra diuinæ beatitudini nõ ſunt proportionata, niſi per gratiam fiant opera diuina, & per conſequens ſecundùm rationem iuſtitiæ non ſunt aliàs meritoria: ideo homo in perfectionibus naturalibus conſtitutus, indiget etiam gratia, qua per meritũ perueniat ad perfectionem diuinæ beatitudinis. Porrò gratia gratum faciens duplex diſtingui poteſt, ſcilicet operans & cooperans, ſecundùm quòd iſti ſunt actus ipſius gratiæ. Nam per ſe loquendo, gratia operans facit hominem formaliter iuſtum & Deo gratum, eò quòd meritoriè velit bonum. Gratia verò cooperans voluntatem coadiuuat in duobus: quorum vnum eſt, vt magis habilis & facilis ſit ad bonum, quàm ſit ex ſola ſua natura. Secundum eſt, quòd ipſis operibus merendi virtutem tribuat.

Gratia gratum faciens duplex.

Quòd gratia, comparatur ad animam vt vita, quæ eſt charitas: vt lux, quæ eſt prima veritas: vt motrix, quæ eſt prima poteſtas. Cap. XX.

Pulchra es amica mea, ſuauis & decora. D. Auguſtinus de Baptiſmo paruulorum: Gratia cur ad iſtum veniat, & ad illum non veniat, occulta poteſt eſſe cauſa, iniuſta eſſe non poteſt. Nam qui peccator eſt, ſua malitia peccator eſt. Et cùm vult non poteſt, quia quando potuit noluit; id eſt, per malum velle, perdidit bonum poſſe. Qui verò bonus eſt, gratia Dei bonus eſt. Vnde gratia Dei ſe habet ad cor humanum, ſicut ſolis radius ad feneſtram domus, qui quocunque momento feneſtram apertam inuenerit, ſtatim intrat, & illam illuſtrat. Sic gratia quocunque momento cor paratum inuenerit, ſubintrat, & hoſpitiolum ſua præſentia nobilitat & illuſtrat. *Ego ſto,* inquit, *ad oſtium,* ſcilicet cordis: *& pulſo,* ſcilicet per inſpirationes, vel prædicationes, aut ſimilia. *Vocaui,* inquit, *& renuiſtis,* ſcilicet audire. *Extendi manum meã,* ſcilicet offerendo gratiã, *& non* erat, *qui* reſpiceret. *Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Ad agnoſcendum igitur lucidius ea, quæ Deus in nobis operatur per gratiam ſuam, ſciendum eſt, quòd in effectibus eius ordo triplex attenditur, ſecundùm quod ad ipſam animam gratia tripliciter comparatur: ſcilicet vt vita, vt lux, vt motor. Nam gratia gratum faciens, quæ nihil aliud eſt quàm ſimilitudo quædam animæ ad Deum,

Gratiæ cõparatio ad ſolis radiũ.

Apoc. 3.

Prouer. 1.

Gratia vt vita. I.

primò comparatur ad animam, vt vita. Quia prior est configuratio, vel conformatio animæ, ad summam bonitatem, quæ est Spiritus sanctus. Spiritus enim sanctus primò nos configurat sibi, & deinde ex illa configuratione est nobis communicatio, vel communio totius Trinitatis. Sed ex illa cõformatione, vel configuratione ad diuinam bonitatem, id est, Spiritum sanctum, qui est amor, sumitur vita, quia per illam cõconformationẽ vel configurationẽ, quam dicimus gratiã, viuit anima Deo, sicut dicit Augustinus. Sic enim cõparatur ad animam vt amor: & iste amor impressus animæ, vita est, qua Deo viuit, sicut dicit Richardus: Scio, inquit, anima mea, quòd dilectio tua vita est.

Gratiæ effectus.

Et ita secundùm hunc modum, gratia tres habet effectus, quorum primus est viuificare, quia protinus cùm attingit animam, confert illi spiritualem vitam. Nam secundùm Augustinum, gratia Spiritus sancti, si tristitiam inuenit in anima, dissoluit eam; si desiderium pernicioſum consumit illud, si trepidationem, abijcit illam; si desperationem inuenit, calcat illam: ac animam reducit ad veram fiduciam & internam lætitiam. Ad dictum autem effectum vel actum consequitur anima secundùm actum vel effectum, qui est transformare, quia protinus fit transformatio vel assimilatio ad Deum. Hæc est enim vis amoris, quòd transfert amantem in amatum. Vnde Richardus de arrha sponsi ad sponsam dicit: Scio anima mea, quòd cùm aliquid diligis, ipsa vi dilectionis in eius similitudinem transformaris. Et sic sumitur ille effectus gratiæ, qui est animam ad Deum assimilare & transformare. Gratia enim secundùm Augustinum, est quædam similitudo diuinitatis participata in homine vel Angelo. Ex hoc autem, quòd anima est assimilata Deo, efficitur etiam grata Deo: & secundùm hoc sumitur tertius effectus gratiæ, qui est gratificare, & ideo vocatur gratia gratum faciens, quia nos Deo gratos efficit, imò quodammodo Deos efficit, quia gratia, secundùm Augustinum, est quædam participatio diuinitatis in creatura rationali.

II. Gratia vt lux.

Secundò verò, gratia comparatur ad animam, vt lux, quæ est media comparatio eius ad animam, quia hæc comparatio vel configuratio est ad primam veritatem, quæ est Filius Dei. Dicit enim Chrysostomus, quòd gratia rectas mentes diligit, & peruersas deserit. Similiter sol radium dirigit rectum, & veritas non quærit angulũ. Pro quo notandum, quòd gratia, secundùm quod est similitudo summæ veritatis, quæ Filio appropriatur, non inconuenienter ad animã comparatur,

tur, vt lux, quia sicut lux in aëre tria facit: Primò, purgans ipsum aërē à dispositione sibi contraria: Secundò, disponens ipsum aërem dispositione sibi consimili, (& tunc dicitur illum illuminare:) Tertiò, seipsa informans ipsum aërem, (& tunc dicitur illum perficere:) Sic etiam gratia, in quantum vt lux comparatur ad animam, quam increatæ lucis nititur assimilare, tres illos effectus in anima perficit. Nam assimilare non est aliud, quàm à dissimili ad simile mouere, ita quòd anima Deo assimilari dicitur, quando mouetur à dissimilitudine ad similitudinem, vel à similitudine ad maiorem similitudinē, secundùm Dionysium. Ergo purgare respicit ipsam dissimilitudinem eam ab anima removendam, & sic sumitur primus eius effectus, qui est purgare, id est, ab anima dissimilitudinem lucis æternæ removere. Quæ dissimilitudo maximè consistit originaliter in inordinatis affectionibus & passionibus: sed gratia, quæ est sanitas mentis, & delectatio cordis, ipsam mentem rectificat & purgat. Vnde secundùm Gregorium, rectæ mentis est Deum non solùm in prosperis benedicere, sed etiam in aduersitatibus collaudare. Secūdus actus est illuminare. Nam gratia cùm disponit animam simili dispositione, vt esse possit simul in actu, tunc dicitur eam illuminare, quia iam incipit actus deiformes educere. Vnde dicit Bernardus, quòd anima spiritu sapientiæ illustrata, & Dei perfusa gratia, omnibus placet, ab omnibus adamatur. Sensus enim sanctorum virorum nouam quandam percipiunt, & penè quasi gratiam spiritualem. Oculi enim eorum simplices, & aures obtemperātes, vultus corporis lætus, compositio vitæ honestæ morum & actuum, decor gratiarum, ita vt vniuersa corporis eorum substantia, nō sit eis nisi verum & sanctum bonorum operum instrumentum. Tertius actus est perficere. Cùm enim anima seipsam informat, tunc dicitur eam perficere, sicut forma naturalis primò remouet à natura dispositiones dissimiles, & tunc eam purgat: secundò, introducit dispositiones similes, & tunc eam illuminare dicitur: tertiò, in materia seipsam introducit.

Gratia purgans.

Gratia illuminans.

Gratia perficiens.

Tertiò deniq; gratia comparatur ad animam, vt motrix, quæ est vltima comparatio eius, quæ est ad diuinam potentiam, quæ est ipsius Patris: & hoc propriè per comparationem gratiæ ad liberum arbitrium. Dicit enim Augustinus, quòd voluntas humana non libertate consequitur gratiā, sed ex gratia potius consequitur libertatem, & (vt perseueret) delectabilem perpetuitatem & insuperabilem fortitudinem. Vnde secūdùm hanc comparationem gratia perficit tres effectus

III. Gratia vt motrix.

circa liberum arbitrium, quod est facultas rationis & voluntatis. Primus effectus gratiæ est, excitare liberum arbitrium, quò ad rationem. Secundus effectus eius est, iustificare liberum arbitrium, quò ad voluntatem, quia iustitia est rectitudo voluntatis, secundùm Anselmum. De quibus effectibus dicit Augustinus: Nemo nisi Dei gratia erigitur, nemo nisi Dei gratia stabilitur. Dei est ergo voluntas, vt in bona voluntate quis maneat. Qui etiam Deus priusquam deseratur, neminem deserit, sed & multos desertores suos ipse conuertit. Vnde Deus recessurum à se non deserit antequam ipse deseratur, & plerunque facit ne quis eum deserat: & si discesserit, sæpe facit vt redeat. Tertius effectus gratiæ est, motus meritorios elicere, qui est effectus circa liberum arbitriũ, quò ad facultatem. De quo effectu dicit Diuus Bernardus de gratia & libero arbitrio, quòd gratia immittendo bonam cogitationẽ nos præuenit, quæ mutando malam voluntatem, nos sibi per affectũ iungit; & ministrando consensui facultatem, foris per opus apertum internus opifex innotescit.

Gratiæ effectus circa liberum arbitrium.

Quòd animæ pulchritudo consistit principaliter in decore virtutum: & quid est virtus, & quomodo plenè reformat animam ad diuinam similitudinem. Cap. XXI.

PVlchra es amica mea, suauis & decora. Anima sancta sicut dicitur *pulchra*, per naturam; & *suauis*, per gratiam; sic *decora* dicitur, per virtutes: quia virtutibus decorata, & maximè ipsa charitate à qua omnis virtus suam formam & decorem consequitur. Vnde dicit Hugo de Scriptura sacra: Ethicam scripserunt gentium Philosophi, in qua quasi membra quædam virtutum de corpore bonitatis truncata pinxerunt. Sed membra virtutum viua esse non possunt sine corpore charitatis Dei. Hæcille. Ex hoc igitur decore virtutum anima vocatur in Canticis *charissima*, vbi dicitur: *Quàm pulchra es, & quàm decora charissima, in delicijs.* Quasi diceret: *O charissima* quia chara in creatione, charior in recreatione, sed charissima in virtutum omniũ perfectione, *quàm pulchra es*, interius omnium virtutum merito; *& decora*, exterius totius perfectionis exemplo. Vel, chara, propter operationem vitæ actiuæ; charior, propter quietem contemplatiuæ vitæ; *charissima*, propter perfectionem vtriusque: & hoc *in delicijs* spiritualium charismatum, quia secundùm Basilium: Multæ virtuti hominis multa debetur suauitas gaudij cælestis & dulcoris. De quo dicit Hieronymus:

Charitas ad animam. Cant. 7.

mus: Tutè asſero, nunquam maiorem fore corporis & animæ voluptatem, quàm dum Spiritus ſanctus per ſuam dulciſsimam menti aduenerit charitatem. O quàm inæſtimabile gaudium in ſe conſpicit cor humanum, Chriſtiformibus virtutibus adornatum, per Spiritus ſancti intra ſe dulciſsimum feliciſsimumq; aduentum. Intrat enim animam eius omni voluptate dulcior, omni luce clarior, omni honore ſublimior, & omni amore ſecreto interior. Quod affectans beatus Auguſtinus ait: Quis mihi det, vt venias in cor meum ô Ieſu dulciſsime, & inebries illud, & obliuiſcar omnia mala mea, & amplectar te vnum bonum Deus meus? Deus enim (qui ſecundùm D. Bernardum virtutum dominus dicitur) nequaquam thalamum mentis ingreditur, ſi non fuerit conſciétiæ lectulus virtutibus adornatus. Quantumcunque te affligas, quantumcunque te crucies, non ſui copiam tibi tribuit, niſi fueris virtutibus adornatus. Certum eſt enim Deo nihil acceptius eſſe ſua imagine, ſi proprio fuerit reſtituta decori. Nam ſolæ virtutes gratuitæ animã promouent ad Dei perfectã aſsimilationẽ. Aſsimilatio verò Dei perficit vnionem. Vnio proinde dat homini Dei denominationẽ, vt dij dicantur, ſicut ipſe Deus eſt: non quidẽ naturaliter, ſed adoptiuè. Nam ſola virtus nos inhærere facit incõmutabili bono. Ideo dicit Tullius: Si quid optimũ volumꝰ adipiſci, virtuti operadanda eſt. Nihil enim virtute amabilius, nihilq; quod magis alliciat ad diligendum, cùm propter virtutẽ & probitatem, etiam quos nunquam vidimus diligamus. Virtus autẽ à natura nobis nõ ineſt, ſaltem perfectè & completè, ſed tantùm ſecundùm aliquam inchoationem vel aptitudinem. Vnde cõtingit, quòd ex complexione bona vel mala, ſunt homines magis vel minus apti, vel diſpoſiti ad virtutes. Et ideo quòd vnus eſt maior in virtute naturali quàm alius, vel in vna virtute quàm in alia, contingit in quantum vnus naturali cõplexione melius eſt diſpoſitus ad virtutem quàm alius, vel ad vnã virtutem, quàm ad aliam. Veruntamen vt illa virtutum imperfectio perficiatur, vult ipſa virtus doceri cum humilitate, quæri cum labore, & poſsideri cum amore: quia ſecundùm Bernardum, non natura virtutes, ſed vſus, id eſt, exercitiũ facit. Primùm tibi importabile videbitur aliquid facere virtuoſum: ſi aſſueſcas, nõ iudicabis adeò graue, paulò plus minus ſenties, paulò plus nec ſenties, paulò plus etiã delectabit. Sũma verò nobilitas apud Deum, eſt clarere virtutibus. Quia animarum pulchritudo vel deformitas, qualitate virtutũ ſeu vitiorum gignitur.

Virtutes quàm ſint neceſſariæ.

Nobilitas ſumma quæ ſit.

Psalm. 44. Ex quibus color attractus, aut ita splendidam eam reddit, vt audire mereatur: *Concupiscet rex decorem tuum*: aut ita terram fœtidam & deformem, vt fœtorem propriæ turpitudinis confiteatur, dicens: *Corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.* Virtus ergo (secundùm

Psal. 37.

Virtus q. d? Augustinum) est bona qualitas mentis, qua bene viuitur, qua nullus malè vtitur, quâ in homine solus Deus operatur. Est enim virtus quasi vis intus, & consistit in aggressione arduorum, in toleranda aduersorum, & in abstinentia placitorum. Dicit quoque idem Augustinus in epistola quadam, quòd in hac vita, virtus non est, nisi diligere quod diligendum est. Id solum diligere, prudentia est: nullis inde molestijs auerti, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est: nulla superbia, iustitia est. Ex quo nimirum humana natura per originale peccatum à sua rectitudine cecidit, diuinam vilipendens similitudinem,

Psal. 38. adeò quòd *in imagine* sola pertransijt *homo*, necessarium est, vt ad recuperandam primam dignitatem & rectitudinem, insistat homo virtutibus adipiscendis, quæ lapsam naturam iterum rectificent, nobilitet, & mirabiliter adornent, vt decorem illius rex regum concupiscat.

Virtutes Theologicæ. Per virtutes igitur Theologicas rectificare debet partem animæ superiorem, vt debitè dirigatur in Deum, tanquam in vltimum finem. In ea enim parte consistit imago summæ Trinitatis. Quia sicut imago Creatoris consistit in Trinitate personarum, & vnitate essentiæ; sic imago recreationis consistit in Trinitate habituum cum vnitate gratiæ: per quos tres habitus virtutum anima fertur in summam Trinitatem, secundùm tria appropriata tribus personis. Fides enim dirigit in summè verum, credendo & assentiendo: spes in summè arduum, innitendo & expectando: charitas in summè bonum, desiderando & amando.

Virtutes Cardinales. Porrò, sicut virtutes Theologicæ directè mouent in finem ipsum, qui Deus est, ordinando vires animæ superiores: sic etiam virtutes Cardinales mouent ad ea, quæ sunt ad finem, ordinando vires inferiores ipsius animæ, vt debitè parti superiori subijciantur. Nam prudentia rectificat vim rationalem, in eligendis & præcauendis: fortitudo irascibilem, in tolerandis & perferendis molestijs: temperantia concupiscibilem, in vtendis scilicet, in coërcendis à delectationibus prauis. Iustitia verò, prout est virtus communis, rectificat omnes vires, scilicet prout actus eius pertinet ad debitum obedientiæ præceptorum, declinando à malo, & faciendo bonum. Similiter, prout est virtus legalis,

quæ

quæ est omnis virtus, prout actus eius ordinatur ad proximũ. Dicuntur autem Cardinales, quia sicut ostium vertitur in cardine, sic in his tota conuersatio moralis vitæ (quæ tota est circa passiones hominis) vertitur. Vocantur etiam istæ virtutes quandoque principales, quia principaliter & essentialiter faciunt ad felicitatem ciuilem. Hinc dicitur in libro Sapientiæ: *Sobrietatem enim*, id est, temperantiam, *& prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem*, id est, fortitudinem, *quibus vtilius nihil est in vita hominibus*. Quandoq; vocantur generales, quia virtutes alias includunt in se, quæ vocantur ab aliquibus virtutes adiunctæ, seu comites principalium virtutum; aut partes virtutum integrales, vel subiectiuæ. Quandoque vocantur morales, quia mores hominum informant. Quandoq; dicuntur humanæ, quia humano studio conquiruntur. Dicuntur etiam consuetudinales, quia nõ ex vno actu, sed ex consuetudine innascuntur. Veruntamẽ, omnes huiusmodi virtutes, quocunq; nomine censeantur, in se nudæ cõsideratæ sunt informes, & à fructu vitæ æternæ steriles, ac infimum gradũ virtutum habentes, donec formentur & perficiantur ipsa charitate: & sic vocantur politicæ vel ciuiles, quia poliunt siue ornant hominem in vita ciuili. In secundo gradu, scilicet in donis Spiritus sancti, per gratiam & charitatem hę virtutes viuificantur, & meritoriæ nobis gratæque Deo redduntur, ac per eas animæ purgantur, sicq; e purgatoriæ vocantur. In tertio verò gradu, scilicet in beatitudinibus perficiũtur, & animam deducunt ad perfectionem virtutum siue primæ rectitudinis, velut ad primum statum innocẽtiæ: & sic vocantur virtutes purgati animi. In quarto deniq; gradu, id est, in fructibus spiritus, in quodam transcensu ducunt ipsam animam & omnimodam approximationem, & assimilationem diuinam, ac per consequens in quandam earundem virtutum syncerissimam, & suauissimam fruitionem: & sic quodammodo vocantur virtutes exemplares, non solùm prout consistunt in mente diuina, sed etiam in rationali creatura Deo coniuncta, præsertim in vita beata.

Virtutum Cardinaliũ nomina varia.

Sapien. 8.

Virtutum gradus.

Virtutes, quæ sunt multiplices, quomodo acquiruntur, in medioq; consistunt: & quòd virtutes gratuitæ sunt omnes connexæ. Cap. XXII.

PVlchra es amica mea, suauis & decora. Seneca: Nulli præclusa est virtus; omnibus patet, omnes admittit, omnes inuitat, non colligit dominium, non censum, homine nudo contenta est. Sed, vt

dicit Cassianus in Collationibus Patrum: Quidam sic quærunt à passionibus temperari carnalibus, vt nequaquam velint dolores sustinere martyrij, sine quibus desideria spiritus possideri nequeunt. Absq; carnis castigatione, obtinere desiderant castimoniam; sine labore vigiliarum, acquirere puritatem, cum requie carnis, spiritualibus exuberare virtutibus; absque conuicij vllius exasperatione, gratiam possidere patientiæ; humilitatem Christi, sine mundani honoris exercere iactura, religionis simplicitatem, cum ambitione seculi seruare; Christo cum hominũ laude & fauore seruire. Postremò, sic volunt futura consequi bona, vt non amittant præsentia. Quibus respondet Augustinus: Via nostra Christus est. Christum attẽde: pati venit, sed & glorificari: contemni, sed & exaltari. Opus te terret, mercedem expecta. Quare vis peruenire delicatus ad eam rem, ad quam nemo perducit nisi labor? Nihil mirum si miseri homines non adipiscuntur quod volunt, id est, beatã vitam. Id enim cui comes est, & sine quo nemo ea dignus est, rectè scilicet viuere, non itidem volunt. Hæc æterna lex incommutabili stabilitate firmauit, vt in voluntate meritũ sit, in bonitate autẽ & malitia præmium atq; supplicium. Sic autem homo ab humanis in diuina dirigitur, cùm humanæ voluntati diuina voluntas præponitur. Hæc Augustinus. Quisquis ergo, secũdùm Gregorium, aliqua virtute pollere creditur, tunc veraciter pollet, cùm vitijs ex alia parte nõ subiacet. Nam si ex alia parte vitijs subditur, nec hoc est solidũ, vbi stare putabatur. Vna namq; virtus sine alia, aut omnino nulla est, aut imperfecta: nec quidem meritoriè bonũ agitur, nisi prius malum deseratur. Pro quo notandum, quòd multæ & variæ sunt virtutes acquisitæ vel natæ, quæ non includunt necessariò charitatem, nec tolluntur per actum peccati mortalis, quamuis sint informes & steriles, & sine merito vitæ æternæ, quæ tamen per charitatem formari possunt, & iterum informes fieri: & illæ quidem non habent connexionem adinuicem, sed haberi potest vna sine alia. Virtutes autẽ infusæ & gratuitæ semper sunt per charitatẽ formatæ, & sibi inuicẽ cõnexæ, sic quòd vna nõ potest haberi sine alia, sed qui vnam habet, omnes habet, quãuis omnes non appareant æqualiter in homine. Crescente etiam vna virtute, crescunt omnes aliæ, licèt aliquis vsũ vnius virtutis amplius polleat, q̃ alterius. Hoc enim contingit vel ex natura complexionis, quæ magis est cõsona operibus vnius virtutis q̃ alterius; vel ex vsitatione, qua magis vsitat se circa vnam virtutẽ quàm circa aliam; vel quia minus impu-

Virtutes diuersæ.

Virtutes gratuitæ & infusæ.

impugnatur à vitio contrario illi virtuti; siue quia maiorem habet discretionem in operibus vnius virtutis quàm alterius; vel deniq; quia Deo (qui dator est virtutis) sic placet. Virtus autem acquisita perfectè per continuatam exercitationem, excludit tandem in operatione sua difficultatem & pœnã, & fit delectabilis. Nec verus virtuosus in operatione sua contristatur, quamuis moderatè quandoque tristetur de ijs, quæ quocunque modo virtuti repugnant. Cæterùm virtus consistere dicitur in medio. Sed illud medium intelligitur in tribus. Nam in agẽdis illud mediũ est inter supra & citra modum; Apostolo dicẽte: *Rationabile obsequium vestrum.* In habendis antè vel vtendis consistit inter superfluum & diminutũ. Hinc dicit Sapiens: *Diuitias & paupertates ne dederis mihi, sed tantùm tribue victui meo necessaria.* In sustinẽdis deniq; consistit inter eleuari in prosperis, & deijci in aduersis, iuxta illud Psalmographi: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Beata verò & benedicta à Domino illa anima, cuius humilitas alterius superbiam confundit, cuius mansuetudo alterius iram extinguit, cuius obedientia tacitè pigritiam alterius increpat, cuius feruor alterius inertiam excitat; quæ fratris sui interiorem oculum turbatũ, gratia ædificationis & consolationis illuminat. Nam inter homines quæ sublimior & Deo gratior esse conuersatio potest, quàm eorum, qui se penitus vitijs abdicant, qui virtutum studijs animum efficaciter dedicant? Qui cæteros exercitio quotidiano & exemplo ad gratiam auctoris sui conuertere studeant, qui crebra fideliũ acquisitione per doctrinã lachrymas, orationes & exemplaritates patriæ cælestis gaudium semper multiplicãt, vt egressuri de hoc mundo feliciter audiant: *Euge serue bone quia in paucis fuisti fidelis*, &c. Is itaque dicere potest: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*: non vtique quod perhibet cõscientia, sed quod loquitur Spiritus veritatis in ipsa, *testimonium* perhibens, *quòd filij Dei sumus.* Cùm enim veritas applaudit, cùm attestatur iustitia Dei, sine dubio commendantis vox est. In quo testimonio gloriatur probatus & strenuus miles, non tamen quiescit, sed tantò virilius fideliusq; decertat, sciens illud Apostoli: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Vocat enim ibidem legitimum certamẽ, continuũ nostri profectus incrementũ. Nã verus & efficax spiritualis vitæ processus in suis exercitijs semper augeri debet & proficere, nec vlla hora Dei seruũ inueniat otiosum sine spiritualis exercitij labore. Operetur enim bona si potest; sin autem, contemplationi insistat, vel saltẽ

Mediũ virtutum.

Rom. 12.

Prouer. 30.

Psal. 90.

Matth. 25.
2. Cor. 1.

Rom. 8.

2. Tim. 2.

meditando suam deuotionem accendat. Quòd si nec hoc facere potest, saltem diuinam bonitatem, seu propriam vilitatem recogitet, quod nulli est impossibile: quia nostræ voluntati subiacet, & in omnibus rectam intentionem habeat. Denique, virtutes quædam dicuntur morales, quibus scilicet inferiores animæ vires perficiuntur ad obediendum rationi. Quædam verò dicuntur intellectuales, quibus scilicet ipsa ratio perficitur, quæ est motiua virtutum moralium: & sic virtutes intellectuales præferuntur virtutibus moralibus simpliciter. Dona proinde Spiritus sancti sunt, quibus omnes vires animæ disponũtur ad hoc, quòd motioni diuinæ subdantur. Virtutes autem Theologicæ sunt, quibus mens humana Deo cõiungitur: & sic virtutes Theologicæ præferendæ sunt donis. Dona verò potiora sunt virtutibus intellectualibus. Beatitudines autem dicuntur solùm opera perfecta, quæ ratione suæ perfectionis magis attribuuntur donis quàm virtutibus. Fructus itaque ministrant quandam ineffabilem & syncerissimam dulcedinem, fruibilem virtutibus & earum exercitijs.

Virtutes morales.

De virtutibus informibus & formatis: ac de quatuor gradibus virtutum Cardinalium, & earum operationibus. Cap. XXIII.

Pulchra es amica mea, suauis & decora. Virtus secundùm Augustinum, est habitus mentis bene institutæ, scilicet ad modum regni quod tunc bene dicitur institutum, si in eo rectè consulatur, imperetur, & obediatur. Sic etiam ratio si rectè consulit, voluntas rectè imperat, & vires rectè obediunt, tunc virtus per hanc institutionem in mente totam perficit animam, secundùm tres potentias eam ordinans & disponens. Rectum autem, secundùm Augustinum est, quando voluntas in nullo dissentit ab eo quòd ratio rectè sentit. Vnde virtus est thesaurus *in agro* cordis absconditus, & *datum optimum* quod descendit *à Patre luminum*. De quo dicit Augustinus lib. de moribus Ecclesiæ: Erit, inquit, hominis optimum quod animam optimam facit: hoc enim est virtus charitate formata. Nam omnia alia bona communiter dantur tam bonis quàm malis: sed bonis tantùm datur virtus & gratia. Quamuis enim virtus homini naturalis est, secundùm Bernardum: cui etiam concordat Philosophus, dicens: Virtus est habitus animi, modo naturæ consentaneus rationi: Et ideo virtutes dicũtur naturales, quia sunt innatæ quodãmodo ipsi naturæ, sicut naturalis mansuetu-

Matth. 13. Iacob. 1.

ſuetudo, magnanimitas, verecundia, pietas, & ſic de alijs: quæ tamen virtutes malitia vel bonitate complexionis impediuntur, vel adiuuantur quandoque omnes, quandoque aliquæ, quandoque vna ſola: & hoc in toto vel in parte. Multum enim læſæ ſunt & ſopitæ in auerſione corruptionis originalis, ideo tardius exeunt in opus, niſi frequenter exercitijs congruentibus adiuuentur. Vnde quamuis huiuſmodi virtutes naturales ſint ipſius naturæ perfectiones, ita quòd natura non habeat quod eis adijciat, tamen reſpectu diuinarum virtutum vel infuſarum, ſunt naturales, & fundamentum, à quo perfectio ſumit initium: quorum perfectio & complementum eſt decus virtutũ gratuitarum, quæ ſunt in fine perfectionis ſecundùm ſpeciem. Appellantur tamen virtutes naturales, & earum operationes eiſdem nominibus, quibus virtutes conſuetudinales & diuinales, ac earum operationes. Hæ tamen virtutes ſunt informes & ſteriles, nec hominem Deo gratificant, niſi perficiantur virtutibus & donis infuſis; ſicut & virtutes conſuetudinales, quæ ſcilicet ex operis frequentia cõquiruntur, ita quòd virtutes naturales per exercitiorũ conſuetudinẽ augmentantur, vtpote per quam exercitationem potentia liberatur, & quaſi detumulatur ac detegitur velut ab emerſione quadam: & ita erumpit in opera maiora, vt quod prius erat anguſtum & graue, iam per exercitationẽ incipiat fieri latum & leue: necdum tamen huiuſmodi virtutes ſunt Deo gratæ, niſi addantur virtutes diuinales, vel Theologicæ. De quibus dicitur prima Corinthiorum: *Nunc manẽt fides, ſpes, charitas, tria hæc: maior autem horum eſt charitas.* 1. Cor. 13. Quæ virtutes ſunt alæ ſpirituales ipſius animæ diuinæ bonitatis artificio ordinatæ. Veruntamen (vt dicit Seneca) initium eundi ad virtutes arduũ eſt, quia hoc primum imbecillæ mentis & ægræ eſt, formidare inexperta. Itaque cogenda eſt vt incipiat. Deinde non eſt acerba medicina, protinus enim delectat, dum ſanat: Virtus autem in pace acquiritur, in preſſura probatur, approbatur in victoria. Et ſecundùm Auguſtinum, in tribus conſiſtit ordinatio bonorum vel virtutũ: ſcilicet in æſtimando bonum de quolibet, in exhibendo bonum cuilibet, & in ſuſtinẽdo patienter pro quolibet. Primum ordinat affectiones, ſecundùm actiones, tertium inducit vltimas & ſupremas perfectiones. Cum igitur à principio fecit *Deus hominem rectum* imagine, ac etiam ſimilitudine ſua, ſcilicet originali iuſtitia illum nobilitans, vt pars ſuperior liberè tenderet in Deum, & inferiores partes ſenſualitatis penitus eſſent ſubiectæ, nec in eis

Virtus acquiritur.

Eccleſ. 7.

aliquid accidere posset, quod mentem à contemplatione diuinorum impediret, sed ab illa rectitudine cecidit per peccatum ad inferiora curuatus: oportet igitur vt totus homo denuo rectificetur, & ad inhærendum liberè summo bono penitus erigatur. Septem sunt ergo virtutes principales, quibus totus homo tam inferior quàm superior ad pristinam rectitudinem reducitur. Quarum tres, scilicet fides, spes, charitas, sunt Theologicæ, quæ scilicet mouent in finem & obiectum, quod Deus est. Et quatuor cardinales, prudentia, fortitudo, temperantia, iustitia, mouent ad ea, quæ sunt ad finem. Et licèt hæ virtutes sint gratuitæ per gratiam informantem, possunt tamen informes esse, vel fieri per culpam: & iterum formari per pœnitentiam, aduenientе gratia, quæ est habituum virtus, origo, finis, & forma. De hac tamen lege charitas excipitur, quæ, sicut cæteræ virtutes, non potest informis esse, cùm ipsa sit forma virtutum omnium. Nam cùm habitus aliarum virtutum habentur sine gratia & charitate, in quibus consistit vita virtutum & meritum, tunc dicuntur informes, sicut carbones extincti, rami aridi, vel aurum obscuratum, seu mẽbra mortua. Cùm verò gratia superuenerit, & charitas, tunc viuificantur, formantur, & decorantur, vt Deo gratæ, nobis autem meritoriæ reddantur. Virtutibus ergo bonum operamur, gratia verò bene & meritoriè operamur, donis expeditè operamur, beatitudinibus perfectè operamur, & fructibus Deo & virtutibus fruimur. Quatuor sunt ergo virtutes cardinales & principales, per quas ad honestatem vitæ quis peruenire potest: quæ, secundùm Gregorium, solidum nostræ mentis ædificium sustinent, vtpote ex quibus tota boni operis structura consurgit, quibus anima secundùm partem inferiorem regitur, & in suis viribus rectificatur. Quia prudentia est in intellectu, iustitia in affectu, fortitudo in effectu, & temperantia in vsu: habent tamen gradus perfectionis in se. Nam aliter possident eas incipientes, in quibus regunt vitam quò ad opera exteriora, prout scilicet pugnant principaliter contra vitia, & instruunt hominem in agendis. Nam per prudentiam instruitur quò ad seipsum, & per iustitiam quò ad proximũ, per temperantiam autem armatur contra vitia in prosperis, & per fortitudinem in aduersis. Et sic vocantur virtutes politicæ, quia poliunt hominem, vel ornant in vita ciuili. Aliter autem eas possident proficientes, qui sunt iam in victoria vitiorum, & partim consistunt intus, & partim extra: tunc enim dicuntur virtutes purgatoriæ. In gradu

Virtutes principales quot.

Virtutes cardinales vt diuersimodè possideantur.

Politicæ.

Purgatoriæ.

gradu Prudentia valet in præcauendis insidijs: Iustitia in subueniendis aliorum miserijs: Fortitudo in perferendis molestijs: & Temperantia in coërcendis prauis delectationibus. Aliter verò possident eas perfecti, qui iam deuictis vitijs & sopitis concupiscentijs, dulciter quiescunt in sponsi brachijs, ita quòd rarò iam insurgunt primi motus: & sic dicuntur virtutes purgati animi. In quo gradu, secundùm Augustinum, prudentiæ succedit contemplatio, fortitudini firmitas adhærentiæ, temperantiæ mensura dilectionis: iustitiæ verò debita ordinatio ad Deum, & ad proximum. Aliter denique consistunt in mente diuina: & sic vocantur virtutes exemplares, quia sicut rerum omnium exemplar est Deus, sic & ideæ virtutũ, quæ in Deo consistunt.

Purgati animi.

Exẽplares.

Hoc autem maximè mouere debet hominem ad amorem bonitatis & virtutum, quòd sicut ipse quando bonus est, melior est omnibus creaturis visibilibus; sic etiam quando malus est, peior est omnibus illis: quia non solùm malus est malitia pœnæ, sed etiam culpæ: vnde fit debitor mortis tam temporalis quàm æternæ. Et tamen adeò cæcitas inualuit, adeò homo interior obsurduit, vt omnia velit habere bona præter seipsum: quia *cùm in honore esset, non intellexit, cõparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Virtus autẽ in cõspectu Domini tam pretiosa est, vt morti potius succũberet, quàm veritati contrairet, vt virtutes nobis æstimatione sua faceret pretiosas Nimirum, cùm anima, quamuis nobilissima creatura, vtpote diuina imagine insignita, quicquid pulchritudinis & decoris habebit, ab ipsa virtute tam excellenter relucebit, vt concupiscat rex decorem eius.

Virtutũ ad amorẽ quid maximè mouear.

Psal. 48.

De commendatione virtutum, & de virtutibus cardinalibus, prout sunt politicæ, purgatoriæ, purgati animi, & exemplares. Cap. XXIIII.

Pulchra es amica mea, suauis & decora. Ars bene rectèque viuendi, virtus à veteribꝰ definitur. Diffinitio verò breuis & vera virtutis est ordo amoris. Nam in hac vita virtus est diligere, quod diligendũ est. Id solùm diligere, prudentia est: nullis inde molestijs auerti, fortitudo est: nullis illecebris auerti, temperantia est: nulla superbia iustitia est. Nihil igitur aliud virtutem affirmauerim, nisi summum amorem Dei. Vnde temperantia, est amor integrum se præbens ei quod amatur. Fortitudo, est amor omnia facilè tolerans, propter

Virtus qd.

id quod amatur. Iustitia, est amor soli amato seruiens, & propterea rectè dominans, & bene imperans cæteris, quæ sunt homini subiecta. Prudentia est amor bene discernens ea, quibus adiuuatur, ab his, à quibus impeditur, & ea sagaciter eligens. Non autem est virtus non posse peccare, sed nolle: & sic perseuerantiâ tenere voluntatis per iustitiam, consuetudinis, vt imitetur naturam, vel vt mutetur in naturam. Virtutes enim, quibus rectè viuitur, magna bona sunt; Sed animæ potentiæ, sine quibus rectè viuere nemo potest: media bona sunt: Minima verò bona sunt, bona corporalia. Medijs igitur & minimis bonis potest quis malè vti, non autē magnis bonis: quia virtutibus nullus male vtitur, sicut nec recta ratione. Vnde omnis ordinatio, quæ etiā virtus nominatur, est fruendis frui, & vtendis vti. Cæterùm, omnibus thesauris pretiosiores sunt opes virtutum, quia felicitatis origo de virtute procedit. Dicit enim Socrates: Bonorum omnium & totius prosperitatis causam penes virtutem consistere, ipsamq; solam esse, quæ res impossibiles ad possibilem redigit facilitatem. Hinc sola virtus potest fortunatissimum facere. Nam absque virtute ex alijs prosperis nō potest felicitas inueniri.

Veruntamen de virtutibus cardinalibus hîc agendum est, quas solas multi Philosophorum suspicabantur esse virtutes, & nullas alias. De quibus etiam dicit Hieronymus: Vis scire quales quærat Dominus ornatus? Habeto iustitiam, temperantiam, prudentiam, fortitudinē; nihil his ornamentis pretiosius, nihil hac gemmarum varietate distinctius. Macrobius autem super somnium Scipionis refert, quòd Plotinus Philosophus, inter professores philosophiæ princeps & imitator Platonis, in libro de virtutibus, gradus virtutū digerit, & distinguit, dicens: Quatuor sunt genera virtutum. Primæ politicæ, secundæ purgatoriæ, tertiæ sunt animi iam purgati, quartæ verò dicuntur exemplares. Et sunt politicæ quidem hominis, quia sociale animal est homo, secundùm quas homo operatur inter ciues, & secundùm quas homo politicum animal, id est, moribus ornatum, nuncupatur. Prudentiæ igitur politicæ virtutis est, ad rationis normam quæcunque cogitat, vel agit, vniuersa dirigere, ac nihil præter rectum facere, siue velle, hunc aut illa actibus tanquam diuinis arbitris prouidere. Fortitudinis autem politicæ virtutis est, animum supra periculi metum agere, nihilque nisi turpia timere, tolerareque fortiter prospera & aduersa. Temperantiæ verò politicæ est, nihil appetere pœnitendum, in nullo

Genera virtutum.

Virtutes Politicæ.

legem

legem & modum rationis excedere; sub iugo quoque rationis cupiditatem corporis edomare. Iustitiæ autem politicæ est, vnicuiq; quod suum est seruare.

Virtutes purgatoriæ.

Secundum verò genus virtutum, sunt virtutes purgatoriæ, scilicet quæ sunt otiosorum, vel contemplatiuorum, qui se sequestrant ab actibus rerum publicarum. Quorum officia Plotinus philosophus sic dispensauit: Prudentiæ est, mundum, & omnia quæ in mundo sunt, diuinorum contemplatione despicere, omnemque animi cogitationem in sola diuina dirigere, & ad illa cuncta corporis opera regulare. Temperantiæ est, derelinquere quæ corporis vsus requirit, in quantum natura patitur. Fortitudinis autem est, nõ terreri propter recessum animæ de corpore, vel propter aliquod periculum mortis, vt anima habeat liberum ascensum ad superna. Iustitiæ verò est, ad vniuscuiusque virtutis obsequium consentire, vnicuique quod suum est, tribuendo.

Virtutes purgati animi.

Tertium verò genus virtutum sunt virtutes purgati animi, quas prædictus Plotinus Philosophus appellabat purgati animi, quia in suis actibus iam quasi diuinam similitudinem assequuntur: ita videlicet, quòd illic prudẽtiæ sit, diuina non quasi in electione præferre, sed hæc sola noscere & iugiter speculari, & tanquam nihil aliud sic delectabiliter intueri. Temperantiæ verò sit, terrenas cupiditates nõ reprimere, sed penitus obliuisci. Fortitudinis autem sit, passiones ignorare, non vincere, vt irasci nesciat, nihilq; cupiat. Iustitiæ verò sit, ita cum superna & diuina mente sociari, vt iam seruet cum ea perpetuum fœdus, illam inseparabiliter imitando.

Virtutes exẽplares.

Quartum denique genus virtutum vocat Plotinus exemplares, quas in mente diuina constituit. De quarum exemplo reliquæ virtutes omnes per ordines defluunt, secundùm id quod perfectionis, & nobilitatis in cæteris virtutibus inuenitur. Motus est itaque Plotinus ex ideis Platonis, quas omnium rerum creatarum causas & rationes esse voluit Plato. Si enim rerum creatarum, multò magis virtutum ideas esse in mente diuina credendũ est, ita scilicet, quòd ipsa mens diuina in Deo sit prudentia. Temperantia verò in Deo est, si quòd ipsa mens eius in semetipsa perpetua intentione conuersa est: sicut in nobis temperantia dicitur per hoc, quòd concupiscibilis rationi conformatur. Fortitudo verò Dei est immutabilitas, qua semper idem est, nec aliquando aliqualiter immutatur. Iustitia verò Dei est, quòd perenni lege à sempiterni operis sui continuatione nõ flectitur: quod est idem quod obseruatio legis æternæ in opẽ-

ribus suis. Denique, secundùm Gregorium, prudentia, temperantia, fortitudo, atque iustitia tanto perfectæ sunt singulæ, quantum vicissim sibi sunt coniunctæ. Nam vnusquisque tantum prudens est, quantum temperans, fortis, & iustus. Et tantum temperans est, quantum fortis, iustus, & prudens. Et tantum fortis est, quantum iustus, prudens, & temperans. Et tantum iustus est, quantum prudens, temperans, & fortis. Propriè tamen prudentia est in præcauendis insidijs, fortitudo in perferendis molestijs, temperantia in coërcendis delectationibus prauis, & iustitia in subueniendis miseris. Et sunt quasi quatuor scuta virtutum, quibus non solùm regimur, sed etiam tegimur & luctamur contra hostes malignos. Sed, vt dicit Augustinus de Ciuitate Dei, virtutes, quas sibi mens hominis habere videtur, per quas imperet corpori & vitijs, ad quodlibet adipiscendum vel tenendum, nisi retulerit ad Deum, etiam vitia potius sunt quàm virtutes. Nam qui de bono opere gloriatur, de virtute vitium facit, nec conscientiam serenat, sed obnubilat: quia secundùm Chrysostomum, malitia etiam ante gehénam eos, qui hic eam percipiunt, cruciare consueuit. Et virtus etiam ante regnum cælorum eos, qui hic eam operantur non fictè, cum optima spe & perpetua delectatione viuere facit.

Virtus quãdo vertatur in vitium.

De intentione bona, & praua, ex qua semper opus qualitatem consequitur, & hypocrisi: & quòd ad triplex velle sequitur triplex intentio. Cap. XXV.

VVlneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum. Cant. IIII: *Vulneraſti* inquit, *cor meum*, vulnere amoris, in incarnatione; & compaſsionis, in paſsione: *ſoror mea*, per naturæ identitatẽ, per voluntatis conformitatem, & per regni cohæreditatem: *ſponſa*, per fidei ſubarrhationem, per lectuli communicationem, & per intimæ charitatis vnionem: *in vno oculorum tuorum*, id eſt, in vnica intentione & affectione æternorum. Quaſi dicat: O anima, quæ *ſoror mea* dici meruiſti, ex quo carnem ſumendo me fratrẽ tibi feci, & quam ſponſam elegi, cùm te mihi in amore & voluntatis vnitate coniunxi, in eo quòd æterna potius, quàm terrena cordis oculis vides & quæris, tantum me lætificas, & grata efficeris, vt amor tuus cor meum vulneret, & nimietate ſua penetret. Salus tua eſt contemplatio mei amoris, meæque fruitionis. Hunc ſpiritualem viſum, & ſalutis tuę deſiderium vehemen-

lementer diligo. Hoc vno oculo, id est, vnica & singulari contemplatione salutis meæ, & mei amoris, meæque fruitionis cor meum vulneras. Vocat autem sponsus animam rectè intendentem, tam sponsam quam sororem: sponsam, inquam, non vxorem, quia sponsæ solent ardentius amari, coniugio adhuc recenti. Nam in posterum amor sæpe lentescit. Vt ergo sponsus amoris sui magnitudinem insinuet, qui tempore non decrescit, eam sponsam appellat, vtpote cuius amor semper nouus est: & manet in amore sponsi nihil carnale sapias, sponsam suam sororem vocat, quia sorores nequaquam carnaliter adamantur. *Vulnerasti* ergo *cor meum*: quasi diceret, quia summè te diligo vt sponsam, & castè vt sororem, vulneratum est cor meū propter te: magnitudinem amoris erga dilectam commemoratione vulnerati cordis exprimere volens. Hinc igitur videndum est de intentione, quæ necessariò sequitur qualificationem ipsius voluntatis. Sicut enim qualitas radicis ad ramos deriuatur, sic ex dispositione cordis & voluntatis intentio suam qualificationem consequitur. Vnde cor conuersum ad commutabile bonum, finaliter intentionem in omnibus deprauat & inficit, ac per cōsequens intētio singulis imponit rationē principalē meriti, vel demeriti. Bonitas enim vel malitia operum, locutionū, & sic de cæteris, principaliter ex intētione dependet. Hinc dicit Matthæus. *Si oculus tuus*, id est, intētio tua, *simplex fuerit, totum corpus tuum*, id est, cōgeries operum, locutionum, & exercitiorum virtuosorum, *lucidum erit: si autem nequam fuerit*, etiam *totum corpus tenebrosum erit*. Nam si sit opus de genere bonorum, illud potiorem suam virtutem ab intentione sortietur: quæ est tanquam formale illius. Exēpli gratia: Dare elæmosynā est opus bonum, quo scilicet datur alicui indigenti ex compassione: sed propter Deum, vnde intentio illa in Deum directa, dat illi operi rationem merendi. Nam si ex alio moueretur principaliter intentio, scilicet ex importunitate petentis, aut verecundia, seu vana gloria, vel similibus, totam meriti rationē euacuaret. Aut etiam si principaliter moueretur ex compassione, propter amorem tamen naturalem, vel acquisitum, per intentionem principaliter complectens aliquod humanum, non diuinum, scilicet quòd ad imaginem Dei factus, sanguine Christi redemptus, hæres regni constitutus, aut aliâs propter Deum, non fieret Deo grata, nec danti meritoria ex intentione non debita. Nam intentio principiū est operis & principale. Finis enim operis, licèt vltimū sit in opere, primum tamē

Sponsa & soror cur vocetur anima.

Intentio facit omnia opera, vt sint bona aut mala.

Matth. 6.

est in intentione: quia finis mouet agentem, vt dicit Philosophus, & finis dicitur esse causa causarum. Hinc dicit Hieronymus, quòd opus commensuratur intentioni. Quantum intendis, tantum faci: & quicquid facere voluisti, sed non potuisti, coram Deo scias esse factum. Cor enim pensat Deus, non substantiam. Et si in facto non intendis principaliter aliquod diuinum, *amen dico tibi*, recepisti *mercedem* tuam. Quòd si sit opus bonum intentione praua, tunc illud ab intentione sua prauitatem sortietur. Vnde dicit Ambrosius, & habetur 1. quæst. 1. cap. Vide quantum bonum est charitas: Si ita martyrium fecerimus, quòd nostras ab omnibus velimus honorari reliquias, & si opinionem vulgi sectantes, intrepidi sanguinem fuderimus, & substantiam nostram vsque ad mendicitatem propria dederimus, huic operi non tam præmium, quàm pœna debetur, & perfidiæ magis tormenta sunt, quàm corona victoriæ. Dicit etiam Gregorius, quòd si semel cor intentione praua corrumpitur, sequentis actionis medietas & terminus ab hoste securè possidetur, quoniam totam arborem sibi fructus ferre conspicit, quam veneni dente in radice vitiauit. Vnde summa cura vigilandum est, ne bonis operibus seruiés mens, intentione reproba polluatur. Alioquin dicit Augustinus: Simulata æquitas, non est æquitas, sed duplex iniquitas: quia iniquitas est, & simulatio. Simulat enim se iustum, nec exhibet, quia totum fructum in laude hominum, vel alio commutabili bono ponit: & ideo vocatur ὑποκριτής, quod Latinè dicitur simulator, qui raptor pernicioſus iudicatur: quia dum iniquè agens desiderat de sanctitate venerari, laudem vitæ rapit alienæ. Veruntamen (vt dicit Cicero lib. 2. de Officijs) omnia ficta celeriter tãquam flosculi decidunt, nec simulatum quicquam potest esse diuturnum. Bonus autem vir non modò non facere, sed nec cogitare quidem audebit quicquã, quod non audebit prædicare. Nimirum cùm (vt refert Valerius libro 7.) Socrates expedita & compendiaria via eos ad cælum venire docebat, qui id agerent, vt quales videri vellent, tales & essent. Qua quidem demonstratione aptè demõstrabat, vt homines potius ipsam virtutem haurirent, quàm eius vmbram sectarẽtur. Porrò, si sit opus indifferens, & ad bonum referibile, tunc opus illud ex intentione bonitatem, vel malitiam sortietur. Vnde super illud Apostoli: *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod* odi *malum, hoc facio*, dicit Glossa, quòd triplex est velle, scilicet naturæ, gratiæ, & vitij. Velle naturæ per se impotens est, nec palmam meretur, sed vincitur & trahitur ad velle vitij, ni-

Matth. 6.

Hypocrisis quanta iniquitas.

Rom 7.

Velle triplex.

tij, nisi ad velle gratiæ subueniat, quod velle vitij vincat, & velle naturæ perficiat.

Hoc autem triplex velle, sequitur & triplex intentio, prout Alexander de Hales in 3. parte Summæ ponit exemplum, dicens: Velle comedere, vel aliquid aliud facere solùm ad sustentationem naturæ, est velle naturæ, siue naturale, ex illa scilicet intentione. Velle verò comedere propter voluptatem, est velle culpæ, & per consequens, vitu- perabile. Velle autem comedere ad hoc, quòd in seruitio Dei sustentetur, est velle gratiæ, & per consequens laudabile & præmiabile. Vides ergò, quòd *bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona.* Et sic est in his, quæ videntur esse indifferentia. Itaque thesaurus cordis bonus vel malus, est intentio bona vel mala, ex qua Deus iudicat opera esse bona vel mala. Ideo consulit Apostolus, dicens: *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriã Dei facite.* Si enim hæc rectè fiunt, laudes Dei sunt. Nam (secundùm Gregorium) somnus Sanctorum non vacat à mysterio. Ideo enim dormiunt, vt ad laudandum Deum fortiores existant. Denique si malum sit opus, nec ad bonum referibile, ad excusandum tamen vel minuendum illud maximè valet simplicitas intentionis.

Intentio triplex.

Thesaurus cordis duplex. Matth 12. Lucæ 6.

1. Cor. 10.

De pedibus animæ, & quòd voluntas per charitatem se & omnia tam interiora, quàm exteriora mouet, ac intentionem rectificat, cuius signa interiora & exteriora sunt multa.

Cap. XXVI.

Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, &c. Augustinus libro de spiritu & anima: Animus inuisibilis est: neque enim aliter inuisibilia cernere valeret. Visibilia per corpus videt, & inuisibilia per se, & in eo se videt, quòd inuisibilẽ se videt. Videtur tamen in corpore per corpus, sicut sensus in litera manet, & per literã videtur. Animus in momento sensus suos per totius orbis fines & mundi secreta circumfert, descendit ad inferna, ascendẽs inde, versatur in cælo, adhæret Christo, iungitur Deo. Ipse siquidem est eius patria & habitatio, ad cuius similitudinẽ factus est. Quisquis ergo se talẽ reddi desiderat, qualis à Deo factus est, id est, similis Deo, redeat ad se cõstet in se, & sic intra semetipsũ, apud semetipsum quærat & videat, vnde cõstet homo, & ex qua parte factus sit ad imaginẽ Dei, vt illi soli inhæreat, illi iugiter deseruiat, illiq; synceriter

Ad Deum tendere quid.

intendat. Nam illi intendere, est ad Deum tendere. Hoc autem, secundùm Hugonem, est ad Deum tendere, & ad ipsum pertingere, semper eum per desiderium quærere, & per cognitionem inuenire, & per gustum tangere. Nam, secũdùm Dionysiũ, spiritus rationales ad interiora tendentes, cognitione & dilectione accedunt & proximi fiunt secundùm excellentissimam collationem, quem habent iuxta Deum.

Pedum animæ inquinatio.

Sed oportet huiusmodi pedes cognitionis & dilectionis esse mundos, præsertim recta intẽtione. Quamuis autem impossibile est hominem aliquando non peccare venialiter, & non habere aliquam inordinationem in sua sensualitate, propter continuam conuersationem in terris, ex qua contrahitur aliqua macula impuritatis in affectu, & ex hoc ruga obscuritatis in intellectu: tamẽ qui legitimi discipuli Domini sunt, non indigent lotione capitis, quod est intelligentia, quæ in viris sanctis immediatè coniungitur Deo saporosa contemplatione, & deifica intentione: nec lotione manuum, quia opera eorum munda sunt propter munditiam capitis, ea in Deum ordinantis: sed tantùm lotione pedum, quia dicit Origenes: Impossibile puto nõ contaminari extrema animę & infima eius, quanquam quis quo ad homines perfectus reputetur. Hos pedes lotos inquinari timuit sponsa, dicens: *Laui pedes*

Cant. 5.

meos, id est, cogitationes, quibus quandoque terram tangere solebã, & hoc fletibus compunctionis. Pedes in Scriptura, secundùm Dionysium, significant virtutem motiuã, & acutè penetrantẽ, & velocem, id

Pedes mysticè quid.

est, semper tendentem in diuina. Non enim solùm ad ambulandum debent esse expediti, sed etiam per feruorem ad penetrandum acuti,

Psal. 17.

cum Psalmista dicente: *Et in Deo meo transgrediar murum.* Murus est omne quod itineri nostro obijcitur, ne ad dilectum perueniatur: quem tunc transgredimur, cùm præ amore dilecti cuncta mundi huius obiecta calcamus, vt *ibi* sit *cor, vbi thesaurus*, eius. Vnde ait Eusebius: Qui

Matth. 6.

mentem applicauit ad cælestia, sic mentem ibi habebit, vt solo corpore conuersari videatur cum hominibus, animo verò sit aggressus mansiones cælestes. Quia habet anima amorem in se, quo cum Deo semper stare potest, nec aliqua creatura potest eã à charitate, quæ Deus est, separarare, iuxta illud Pauli ad Romanos: *Quis nos separabit à charita-*

Rom. 8.

te Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio? &c. Et infrà: *Neq; Angeli:* quia secundùm Augustinum, cùm Deo inhæremus, non sunt Angeli mente nostra potentiores, imò toti mundo superior est mens Deo

1. Cor. 13.

inhærens. Cùm igitur charitas omnia potest, *omnia sustinet*, & *nunquã excidit*,

excidit, spiritus noster in fonte charitatis permanere potest, maximè cùm charitas voluntates nostras ad Deum, quasi ad cẽtrum proprium inclinet, & nos sibi incorporet, ac voluntates concordet, quæ maximè cohabitationem amantium conseruant & perpetuant. Hinc Augustini consilio. Veniamus ad eum recta intentione, intremus ad eum dilectione ignita, & incorporemur ei voluntate deifica, vt nos non faciamus voluntatem nostram, sed voluntatem Dei, & non ejiciet nos foras in exilium tenebrarum, & pœnarum.

Voluntas se & omnia mouet.

Voluntas enim, secundùm Anselmum, est instrumentum seipsum mouens, & omnia alia instrumenta, quibus sponte vtitur, & quæ sunt in nobis, vt manum, linguã, oculos, pedes, & sic de alijs: & etiam quæ sunt extra nos, vt securim, malleum, & alia quæcunq; instrumenta, faciens omnes voluntarios motus. Ipsa verò se suis affectionibus mouet in finem desideratum. Et ideo sola voluntas elicit actum intentionis propriè dictæ principaliter, quamuis etiam est à ratione, vel intellectu, vt à dirigente & dictante. Hinc est, quòd quanto maior amor finis, tantò vehementior est motus intentionis in finem, ita quòd amor mouet ad finem desideratum, sed intentio mouet omnia, per quæ amor potest consequi finem desideratum, & disponit ad illius finis consecutionem. Nam intentio priusquam in actione se exercet, hoc, quod iam appetit, contemplatur, & vnaquæq; actio suam intentionem, quasi intuentem oculũ sequitur. Et sicut fabrica columnis, columnæ basibus fulciuntur, sic vita nostra virtutibus, virtutes autem intentione recta subsistunt: alioqui etiam opera summa inaniter fiunt, si cordiũ intentiones extra rectitudinẽ æternitatis deflectuntur. Econtra, si rectè intendimus, opus bonum efficitur, etiam si minus bonum extra videatur, vt dicit Gregorius. Hæc igitur intentio, prout est à voluntate, per gratiam formata, non solùm actualis, sed etiam habitualis facit opus vel actum meritoriũ, si tamen ille actus ad bonum est referibilis, quamuis etiam in se sit actus indifferens. Veruntamen actualis intentio perfectior est habituali, magisque meritoria, quia nimirũ addit aliquam bonitatem super habitualem intentionem.

Intentionis rectæ signa exteriora quinque. Matth 6. Lucæ 17.

Denique, rectæ intentionis quinque sunt signa exteriora, quorum primum est, detestatio laudis humanæ, & promotio laudis diuinæ, ne contingat audire: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Et hoc docet Dominus in Euangelio, dicens: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite,* quia *serui inutiles sumus.* Secundum est, cõtinua

& sobria mentis exultatio. De quo dicit Origenes: Non inueni veritatis signum boni cordis, quàm si inter ærumnas feras dulcedinem mentis ex frequentia sobriæ exultationis. Tertium est, ordo correctionis, vt scilicet à teipso primò correptionem incipias, & alios postea corripias, ne tibi dicatur: *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non consideras?* Quartum est, benignitas fraternæ compassionis, quia, secundùm Gregorium, vera iustitiæ compassionem habet, falsa dedignationem. Et quia bonus est corde, benignus est compassione. Quintum est, immobilitas mentis in omni euentu, tam aduerso, quàm prospero. Semper enim *diligit qui amicus est.* Et signa hæc breuiter Origenes tangit super illud Canticorum: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis,* dicés: Si in operibus, quæ agis, laudem humanam vitas, si sobriè exultas, si prior te corripias, si alijs benignitatem exhibeas, si patientiam in aduersis ostendas. Interiora verò signa rectè intentionis sunt duo, scilicet charitas in intentione, & veritas in electione. Charitas intentionem ad omnia, quæ sunt ad finé principaliter intentum, dirigit & extẽdit, ac per hoc arctius vnit; cùm in omnibus vnum intendit, & ad vnum tendit, & omnia, quàtum potest, cum illo vnire quærit. Veritas in electione non sinit eam circa finem errare intentum: ideo talis intentio meritò dicitur recta sine obliquitate, & simplex sine admixtione: quæ per charitatem & veritatem adiuta, cuncta temporalia derelinquit, vt ad æterna perseueranter assurgat; donec intentio tentio fiat. Si enim, secundùm Gregorium, semel in appetitione cælestis patriæ forti stabilitate animus per intentionem figitur, minus rerum temporalium perturbatione vexatur. A cunctis quippe externis motibus eandem intentionem suam quasi quendàm secretissimum secessum petit, ibique incommutabili bono inhærens, & cuncta mutabilia transcendens, ipsa iam tranquillitate quietis suæ in mundo, extra mundum est. Excedit enim omnia ima intentione summorum. Et cunctis rebus, quas non appetit, libertate quadam supereſſe se sentit, nec tempestatem rerum temporalium intus sustinet, quàm intuetur foris: quia terrena cuncta, quæ concupita mentem opprimere poterant, despecta subteriacent.

Lucæ 6.

Prouer. 17.

Cant. 7.

Intentionis rectæ signa interiora duo.

Quòd intentionis bonæ tres sunt gradus, scilicet intentio rectificata, simplificata, & deificata.

Cap. XXVII.

Vulnt.

Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, &c. Per oculum in scripturis intentio designatur, quæ præsertim est diuini cordis vulneratiua, dummodò fuerit per omnimodam conformitatem deificata. Dicit autem Ambrosius super illud ad Romanos: *Si radix sancta, & rami*: Intentio tua operi tuo nomen imponit, quia bonum opus ex intentione approbatur vel reprobatur, dicente Gregorio super illud Euangelij: *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Lucernam appellat intentionem, & corpus actionem. *Lucerna* ergo *corporis est oculus*, quia per radium bonæ intentionis merita illustrantur actionis. *Vnge* ergo *caput tuum*, in eum refundens, qui supra te est, quicquid est in te deuotionis, dilectionis, affectionis, operationis, locutionis, vel cogitationis. *Vnge caput tuum*, vt si qua in te est gratia, referatur ad ipsum, nec tuam, sed ipsius quæras gloriam. Dicit enim Augustinus, quòd magna virtus est contemnere gloriam, quia contemptus eius in conspectu Dei est. Nam rectè viuere & nolle laudari, quid aliud est, quàm inimicum esse rebus humanis? pertinet autem ad oculum mundum, in rectè faciendo laudes hominum non intueri, sed illum solum, cui rectè viuit, qui conscientiæ solus inspector est. Hæcille.

Rom. 11.

Matth 6.

Ibidem.

Intentio recta.

Notandũ autem ad maiorem euidentiam, quòd tres gradus intentionis bonæ distingui possunt. Primus dicitur intentio recta, vel rectificata quæ scilicet principaliter ad Deum propter Deum dirigitur: & procedit ex volũtate affectiua; æstu diuini amoris calefacta, quæ voluntas sic æstuans, intentionem ad consecutionem æterni finis desiderati, operando impellit, liquefaciendo in Deum dirigit, nec eam sistere nisi in æterno Deo finit. Dicit autem Gregorius: Intentio, priusquam se in actione exerceat, hoc iam, quod appetit, contemplatur, & vnaquæque actio suam intentionem quasi oculum intuentem sequitur. Ideo vigilanti cura per opera cuncta nobis intentio nostra pensanda, vt nihil temporale in his, quæ agit, apperat, sed totum se in soliditatem æternitatis figat, ne si extra fundamentum actionis nostræ fabrica ponitur, totũ opus in nihilum soluatur: quia summa etiam opera inaniter fiunt, si intentione cordis extra æternitatis rectificatæ, est sobria lætitia & exultatio mentis, etiam in aduersis. Dicit enim Origenes super Cantica: Non inueni verius signum boni hominis, quàm si inter ærumnas fert dulcedinem mentis, ex frequentia sobriæ exultationis & lætitiæ. Hoc enim signum denotat immobilitatem

tem mentis in aduersis & prosperis: quod est signum intrinsecum rectæ intentionis. Secundus gradus dicitur intentio simplex, vel simplificata, quæ nimirum est Deo magis immediata, & odore finis dulcius allecta. Et est contemplatiuorum, sicut intentio rectificata est actiuorum, procedens experimentaliter ex affectiua volũtate. Experimentalis enim odor vltimi finis, alia cuncta postponit, nec intentionem in aliquo alio quiescere finit, sed eam vltimo fini, quantum potest, immediatè vnit, eò quòd in tali experientia intentio non ambulat, sed currit, dicens cum spõsa: *In odorem vnguentorum tuorum curremus.* Ad hoc autem, secundùm Bernardum, vt interior oculus, scilicet intentionis, sit verè simplex, duo sunt illi necessaria scilicet charitas in intentione, & veritas in electione. Cuius ratio est, quia charitas intentionem ad omnia, quæ sunt ad finem intentum, dirigit & extendit, ac per hoc arctius vnit, cùm in omnibus vnum intendit, & ad vnum tendit, & omnia, quantum potest, cum illo vno vniri quærit. Veritas autem non finit errare circa finem. Hæc ergo duo faciunt oculum simplicẽ, amor boni, & cognitio veri: quia charitas non finit intentionem ante finem intentum stare, nec veritas finit eam circa finem errare, quia nõ quærit angulos, nec ei diuersoria placent. Simplex intentio, decor, initium, & finis est omnium virtutum, quas Deo sẽmper offert in sacrificiũ laudis & gratiarum actionis. Illa simplex est intentio, quæ, nisi in ordine ad Deum, nihil complectitur extra Deum, omnem simulationem & cordis duplicitatẽ expellens. Est etiam interni spiritus amatoria quædam inclinatio, diuino lumine luminosa, spem, fidem, & charitatem complectens, & totius vitæ spiritualis intimũ fundamentum existens. Tertius gradus dicitur intentio deiformis, vel deificata, vtpote amore finis æterni totaliter attracta. Et est propriè beatorũ in patria, quia iam intentio fit tentio æterna, & elicitur à voluntate affectata deiformiter: quam intentionem quidam inebriati feruore spiritus, etiam in statu viæ cupientes attingere, quotidie laborare non cessant, vt hanc felicem deificationem & perfectam diuinam assimilationem assequi mereantur. Deificatio verò, secundùm Bernardum, in volũtate nihil relinquit admixtum, nihil proprium, sed totum per intentionem dirigit in Deum. O pura, inquit, & deifica intentio voluntatis: eò certè deificatior & purior, quò in ea de proprio iam nihil admixtum relinquitur: eò suauior & dulcior, quò totum diuinum est, quod sentitur. Sic enim affici est deificari: quæ deificatio suam perfectionem

Intentio simplex.

Cant. 1. Oculo simplici duo necessaria.

Intentio deiformis.

ctionem consequitur in futura vita, vbi omnem in Sanctis humanam affectionem, quodam ineffabili modo necesse erit à semetipsa liquescere & deficere, ac in Dei penitus voluntatē trāsformari. Alioqui, quomodo *Deus* erit *omnia in omnibus*, si in homine aliquid de homine supererit? Vnde dicit beatus Thomas, quòd in æterna beatitudine anima frueretur Deo propter Deum. Hoc enim est propriè frui Dei amore, ei inhærere propter seipsum, non propter aliquod commodum. Nam delectatio, qua Deum anima comprehendit, accendit eam ad desiderandum multo vehementius diuinæ gloriæ manifestationē, quàm propriam beatitudinem. Valde enim manifestatur diuina gloria, cùm se fideli animæ Deus exhibet ad fruendum. Et tanta puritate afficitur anima circa Deum, quòd multo vellet libentius æterna felicitate priuari, quàm Dei volūtatem in aliquo retardari. Magnā quippe reputaret beatitudinem, cum proprio detrimento diuinā in omnibus implere voluntatem. Et illius intentionis deificæ sequelam petit ab anima sponsus æternus, in signum fidelissimi amoris. Et prosequitur in eodem libro de Beatitudine beatus Thomas: dicens: Eia, quanta iucunditas animæ nascitur, quando Creatori suo vicem rependit in amoris sinceritate, quem nulla sanctitas, nulla bonitas in anima, vel vtilitas, traxit ad amorem animæ: sed innata bonitas, vt communicaret animæ beatitudinem æternam in seipso, pro qua conferenda maxima laborauit diligentia. Nam hoc est proprium bonitatis eius, vt vbiq; ad fruitionem sui aliquos associet, & se eorū malis portādis atq; delēdis omnino exponat. Tanta, inquā, bonitas Dei, cui non est mensura, vel numerus, tantam requirebat societatis coniunctionem, vt de omnibus bonis suis nullum incommunicatum retineret, & de malis suorū nullū insuscepturn relinqueret. Immēsa quoq; bonitas eius pro ipsā fontis abyssali copiositate fluxus habere debuit vsque ad vltimū & supremum, vt essent opera misericordiæ & beneuolētiæ ab ipso fluentia, vltra quæ, & supra quæ; quò se extenderet, non haberet. Et hoc erat indubitater sui ipsius largitio, quo nihil maius in bonis habeat, vt conferat: & mortis amicorum susceptio, quo nihil amici in malis maius habent, vt ipse suscipiat. Hæc Thomas. O felix anima, intentione deifica dilecto coniuncta, quæ iugiter horum memoria ex omni virtute summæ Trinitatis se sentit amari, & Deum toto amore circa eam occupari, quasi omnium creaturarum sit oblitus, in quo tanta est iucunditas, & amabilitas, quòd cognitus ab anima, statim ipsam ad se

1. Cor. 15.

Bonitas Dei quanta.

trahit, eamque vehementer in amorem suum absorbet; more adamantis, qui virtute sua fortiter ad se ferrum trahit.

De contemptu sui & mundi, exemplo Philosophorum, vt perfectè comprehendat Christi vestigia. Cap. XXVIII.

IN *lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea.* Cantic. III. Sponsa loquitur hæc verba, perfectè nondum ab omnibus expropriata, ac propterea mentaliter adhuc obnubilata, diuersisque impugnationibus agitata. *In lectulo*, inquit, *meo* tanquam proprium amplectens, quem cum sponso communem habere debuerat, cum illa perfecta, quæ dicebat: *Lectulus noster floridus*, de qualibus ait & Diuus Augustinus: Illi non amant Christum, qui plus aliquid amant quàm Christum. Si vis ergo tenere, quod non habes; dimitte quod habes, vt amor Christi sit in corde tuo. Ecce petis à Deo, & dicis: Domine da mihi. Quid dabit tibi, qui videt aliunde manus tuas occupitas? Ecce Dominus vult dare quæ sua sunt, & non habet vbi ponat. Dimitte ergo quod tenes, & accipies quod quæris. Dimitte temporalia & caduca, & accipies æterna. Quòd si habitat in te amor mundi, nõ est quo intret amor Dei. Vas es, sed plenum es. Funde quod habes, vt accipias quod non habes. Funde amorem seculi, vt implearis amore Dei: quia pariter in vno corpore habitare non possunt. Cœpisti Deum diligere, cœpit Deus in te habitare. Quantum in te crescit amor Dei, tantum crescit & pulchritudo. Et ipsa charitas est pulchritudo animæ. Nec solùm requiritur contemptus mundi, sed etiam contemptus sui, vt Deo iungatur, & ei fideliter seruiat. Vnde de se dicit Fortunatus: Ad hoc, vt Christo dignè seruiã, dignè viuam, necesse est, vt pro Christo me viuaciter totaliterq; contemnam: quia nemo Christum sequitur, nisi *carnem suam* crucifigat. Nemo autem hominum se crucifigit, nisi per sui ipsius felicem probabilemque contemptum. Quòd si (vt dicit Chrysostomus de compunctione cordis) principibus seculi famulantes tantum requirunt, si quid lucri temporalis habeat vsus eius militiæ, quod si solùm cognouerint, iam nullus refugitur labor, nullum periculum vitatur, officia seruilia non negabit, peregrinationes, contumelias, mutationes temporum, & omnem laborem sustinebit spe lucri: coniugis & liberorum absentiam tolerabiliter patitur, non patriæ, non charorum mollitur affectu, sed cupiditate pecuniæ velut amens effectus, nil labo-

ris

Cant. 1. Cõemptus seculi.

Galat. 5. Cõemptus sui.

ris sentit. Quid dicis ô homo, qui regnum cæli paras inuadere, & interrogas, ne qua tibi difficultas occurrat, ne quid sperni tibi accidat? Si enim tibi omnia mala occurrerẽt, pericula, conuicia, gladius, ignis, ferrum, bestiæ, & omnia, quæ excogitari possunt, mala super te irruerent, nonne tibi pro tantis causis ridenda potius quàm spernenda viderentur? Sic (vt refert Hieronymus ad Paulinum) Socrates quondam ditissimus, cùm ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit, quia non putauit diuitias simul & virtutes possideri posse.

Tu ergo propter virtutes & gloriam æternam possidendas, te & omnia contemnere, aduersaque cuncta sustinere recusas? Vtique tibi testis es, quòd non es adeò cupidus virtutum, sicut & Socrates, qui diligenter in Philosophia desudans, & hominem probans posse fieri beatum: insuper considerans neminem, nisi summi boni participatione beatitudinem obtinere posse: similiter etiam intelligens, quòd Deus non nisi purgatissimis mentibus videri valeat, quæ non nisi optimis moribus mundari possunt, omnem Philosophiã suam traxit ad mores: quibus mundatus in se summum bonum cernere posset. Quorum in tantum se studio dedicauit, quòd (vt refert Aulus Gellius in lib. Noctium Atticarum) ita cogitabundus quandoque stare solebat, vt per diem vnum naturalem à summo lucis ortu vsque ad solẽ alterum orientem immobilis perseueraret. Sic Plato quondam ditissimus, non solùm reliquit patrimonium, sed etiam patriam, eligens villam Academiam desertam & pestilentem, vt cura & assiduitate morborum impetus in eo libidinis frangeretur, & aptior Philosophiæ studio redderetur. Sic & Democritus ditissimus (vt refert idem Aulus Gellius) omne patrimonium relinquens, Athenas profectus est, & ibidem sibi oculos eruit, vt vegetatiores cogitationes haberet. Et Carneades laboriosus & diuturnus sapiens (vt refert Valerius Maximus) cùm ad mensam sedebat, tantùm cogitationibus inhærebat, vt ponere manum ad cibum obliuisceretur. Sed eius vxor Melissa nomine (quam magis vitæ necessitate, quàm carnali copula sibi iunxerat) temperato inter studia & inediam succurrendi officio, dexteram eius necessitatibus aptabat, ne vir nobilis & sapiens periret. Vnde expletis nonaginta annis, illi viuendi & philosophandi finis fuit; qui animæ tantùm vita fruebatur: corpore verò quasi alieno circundatus erat. Ecce quantam diligentiam adhibuerunt ij, quantamque iacturam pro Philosophia adipi-

Socrates. Plato. Democrit⁹. Carneades.

Philoso-phia.

scenda voluntariè passi sunt.

Est autem Philosophia (secundùm Alphraganum) humanarum, & diuinarum rerum cognitio, cum studio bene viuendi. Quid ergo tu agis ô Christiane, qui Dei Filium incarnatum, & pro salute tua collaborantem accepisti, qui laboriosam eius redemptionem profluentibus vulneribus agnouisti? Quales amoris vices rependis? quales gratiarum actiones, quales denique solicitudines exhibes pro salute animæ tuæ, tam prætioso sanguine redemptæ? Meritò ergo dicit Bernardus ad Dominũ loquẽs: Ignosce Domine, ignosce. Excusamus, tergiuersamur, vix est aliquis, qui in his, quæ ad te sunt, experiri velit quid possit, etiã quod promptissimè potest secundùm carnem, vel seculum; siue timor impulerit, siue cupido traxerit. Delectat quidem cælestis patria, sed perueniendi labórem refugimus. Cupimus quidem verbo, cupimus affectu, sed operibus nos excusamus. In quorum persona dicit Apostolus: *Velle* quidem *adiacet mihi*, sed *perficere non inuenio.* Quia *militia* quidem *est vitæ hominis super terram*, quam pauci legitimè prosequuntur. *Non* tamen *coronabitur, nisi* qui *legitimè certauerit*, sicut Paulus, qui cum omni fiducia & patientia militauit, vt etiã omnem tribulationem gaudium æstimaret, & diceret: *Non sunt condigna passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Nam (secundùm Augustinum libro de moribus Ecclesiæ) tanta est pulchritudo iustitiæ, tanta est iucunditas lucis æternæ, vt etiam si non liceret in ea amplius manere, quàm vnius diei mora, propter hoc solùm innumerabiles animi huius vitæ, pleni delitijs & circumfluentia bonorum temporaliũ, rectè meritoque contemnerentur. Audi perfectam militiam Christianam in figura, in libro Iudicũ, dicente Domino ad Gedeonem: *Qui manu & lingua lambuerint* aquam vt canis, duc eos tecum in prælium. Et inuenti sunt apti in prælium tantum *trecenti viri* de triginta duobus millibus. Vbi dicit Glossa, quòd similitudinem canis lambentis inducit, quia super omnia alia animalia canis dicitur amorem proprio domino seruare, nec terrore, nec iniurijs in eo fertur talis affectus obliterari, id est, simul deleri, vel obliuioni tradi, quod vtique necessarium est, in aduersis vt in prosperis perseuerare cupienti. Si enim cani venatico via, per quam fera præcesserit, complacet, tanquam grata & amœna, adeò vt illam etiam per aspera & spinosa velocissimè sequatur, vestigiorum suorum ódore delectatus, ita quòd præ nimia auiditate nullas declinat asperitates viarum, sed

Excitatio ad Christianum.

Rom. 7.
Iob 7.
2. Tim. 2.
Rom. 8.
Iudicum 7.
Canis fidelitas.

prosequens tramite rectissimo, foueas transilit, pelleque propria contempta, medias spinas, vepres & tribulos ingreditur, vbique lustrans & perquirens, ac præcurrentis feræ tactus odore tenui gaudens, vociferatur, vt vel sic tandem feram optatam comprehendat: quantò magis veri Christiani, Christi vestigia roseo sanguine respersa, per infinitas tribulationes, persecutiones, & tentationes sequi debent, pro nihilo ducentes, quicquid triste vel pœnale poterit euenire, dummodò Christum valeant apprehendere, exemplo eius, qui dixit: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an nuditas, an periculum, an gladius?* Rom. 8.

De mundo corde, quod solum est templum Dei, & de recto corde, ac de gaudio, & suauitate spirituali.
Cap. XXIX.

IN lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea. Anima, quæ Deum quærit, & ad Dei dilectionẽ & cognitionem plenius pertingere cupit, *in lectulo*, id est, in quiete mentis hunc quærere debet. Nisi enim ab exteriorum cura & occupatione quieuerit, Deum quærere non potest, nec inuenire meretur. *Per noctes* etiam quærendus est sponsus *in lectulo* conscientiæ, id est, per aduersitates tam exteriores, quàm interiores, in quibus etiam sponsa amore sponsi quiescere debet, omnia gratãter cõplectendo. Lectulus enim est, pax & tranquillitas cordis, sedatis angustijs etiã in omnibus aduersis, quia iam sponsa fertur latitudine charitatis. *In* quo *lectulo* sponsa quiescit, & sponsum quærit, etiã *per noctes*, quando non solùm sopita sunt carnis desideria, sed etiam corde quieto & grato suscipiuntur omnia impugnantia aduersa. Siquidem in die laboratur, & in nocte quiescitur. Prudentia igitur, secundùm Plotinũ, pront est virtus purgati animi, est diuina, non quasi in electione præferre, sed hæc sola noscere, iugiter speculari, & tanquam nihil aliud sit, delectabiliter intueri. Et hæc inter beatitudines conuenit cum mundis *corde*, qui *beati* dicuntur, *quoniam ipsi Deum videbunt*. Dicit enim Compendium, quòd mũditia cordis est, qua cor clarificatur & mundatur ad Deum videndum, & ardentissimè diligendum. Non enim accipitur hic pro virtute, sed pro statu quodam, qui est purgati animi. Mundi corde sunt, quos non arguit conscientia peccatorum, qui declinant à quolibet malo, & omne bonum faciũt quod possunt, bono fine, & re- Matth 5. Mundi corde qui.

& recta intentione. Cor enim mundum, ex quo malæ cogitationes nõ procedunt, Dei templum est, quia tunc totus homo mũdus erit. Nam in corde peccata oriuntur, & radices figunt: quæ si succisæ fuerint, nõ est vbi crescant. Dicit autem Augustinus lib. de perfectione iustitiæ: Distat inter mundum corde, & rectum corde. Nam rectus corde inea, quæ ante sunt, extenditur, ea *quaretrò sunt, obliuiscens*, vt recto cursu, id est, recta fide & intentione perueniat, vbi habitat mundus corde.

Rectus corde. Philip. 3.

Psalm. 23.

Quis enim *ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde.* Ecce, quia rectus & innocens corde ascendet, sed mundus corde stabit. Nec est maior iucunditas, quàm conscientiæ puritas, quia gaudium & exultatio deuotorum, ex bona conscientia procedit, Apostolo dicente: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Dicit etiam Cæsarius, quòd dulcedo, pax & securitas, sunt tres sorores germanæ, & frater earum est gaudium spirituale. Vis ergo nunquã esse tristis, bene viue, quia vita bona semper gaudium habet. Quia, secundùm Bernardum, magnæ diuitiæ sunt bona conscientia. Et reuera, quid dulcius in rebus creatis? aut quid ditius? Titulus religionis, ager benedictionis, hortus deliciarũ, arca Dei, gaudium Angelorum, thesaurus regni, habitaculum Spiritus sancti, speculum animæ purum & clarum, quo se cognoscit & Deum, est pura conscientia. Splendorem enim veri luminis, vt dicit Leo Papa, sordes aciem videre non poterit. Et, quod erit iucunditas mentibus nitidis, hoc erit pœna maculosis. Declinentur ergo terrenarum caligines vanitatum, & ab omni squalore iniquitatis interiores oculi tergãtur, vt sereno intuitu tanta Dei visione pascatur. Mundus enim Deus mundo corde conspicitur, & templum Dei nõ potest esse pollutum. Mundemus ergo corda ab omni ignorantia, per inquisitionem veritatis: & ab omni mala concupiscentia, per amorem virtutis, vt Deum videre mereamur hîc & in futuro. Nam, secundùm Chrysostomũ, qui omnẽ iustitiam facit & excogitat, mente sua Deum videt: quia iustitia figura Dei est. Deus enim iustitia est. Sic & bona actio, & humilitas hominem Deũ faciunt super terram, vt dicit Abbas Isaac. Secundùm igitur Augustinum, magna virtus est actio bona cum humilitate, quia reddunt hominem quodammodo diuinum. Vnde summa perfectio videtur esse cordis munditia, & *incorruptio*, quæ *proximum facit esse Deo*: quia ad veram beatitudinem (quæ cõsistit in visione Dei) est immediata dispositio. Dicit enim Aegesippus, quòd omnis, qui voluerit esse

Gaudiũ cõscientiæ bonæ. 2. Cor. 1.

Sapien. 6. Cor mundũ quàm sit gratũ Deo.

ēsse maiestati essentiæq; diuinæ familiaris, in mentis se exerceat puritate. Semper nimirū ab æterno extitit amica diuinitatis excelsæ munditia ac puritas mentis nostræ. Sola namque munditia mentis, secundùm Ambrosium, in se Deum recipere, eo frui, in eo quiescere & gaudere potest, quia mens munditia pollens & virtute, sola templum est maiestatis excellens. Ideo cum summa suauitatis dulcedine Christus applicatur animæ mundæ, sed in infinitum elongatur à fœda mente, in damnatione corporis & animæ: quia nisi mens munda fuerit à scelere, nunquam ei degustare datur suauitas dulcedinis internæ. Vnde S. Bernardus: Impossibile est, quòd nisi mundata fuerit domus animæ, liquor aliquis infundatur cælestis roris & gratiæ. Hinc consulit Augustinus dicens: Tu qui veram requiem, quæ post hanc vitam Christianis promittitur, desideras, etiam hìc eam inter amarissimas huius vitæ molestias dulcem & suauē gustabis, si eius, qui eam promisit, præcepta dilexeris. Citò enim senties dulciores esse fructus iustitiæ, quàm iniquitatis; & verius atque iucundius gaudebis de bona cōscientia inter angustias; quàm de mala inter delitias. Nam etiā in homine mortali, lætitia conscientiæ quædam Dei paradisus est, quia suauissima & saluberrima requies est animæ conscientia munda, secura & quieta. Et Ambrosius: Dico, inquit, beatam consistere vitam in altitudine sapientiæ, & suauitate conscientiæ, & in virtutis sublimitate. Denique, illa conscientia pura dicitur, secundùm Hugonem, quæ de præterito non habet iustam accusationem, & de præsenti iniustam delectationē, ac de futuro falsam voluntatem. Econtra (secundùm Richardum) quamdiu conscientia in nobis aliquid imperfectionis inuenire poterit, eius nos respectus confundit & cruciat: cuius stimulus nūquam finitur, donec omnis imperfectio de medio tollatur, & ad integritatis plenitudinem homo reformetur. Puritas etiam cordis in hoc consistit, quòd quis purè quærit gloriam & voluntatem Dei, ac vtilitatem & salutem proximi, vt in omnibus corde, ore, opere, nihil aliud quærat, quàm honorē Dei, vel proximi salutem, aut vtrumq;. Cor enim, secundùm Augustinum, nisi simplex fuerit, mundum non erit. Vna verò intentio æternorū purificat animum. Mutabilium autem amor obnubilat mentis aciem. Nihil autem sic inclinat Deum ad pietatem & misericordiam, sicut mūdus, & purus mentis affectus ad ipsum. Denique munditia cordis consistit in vtriusque hominis integritate, diuini amoris intuitu obseruata, quæ cōsistit in purificatione intellectus

Conscientia pura quæ.

Puritas cordis.

Munditia cordis in quibus cōsistat.

& affectus. Intellectus, vt sciamus quid agere debeamus: affectus, vt ea, quæ diligimus, agere valeamus. Vnde omnis cogitationis origo, omnis delectationis scaturigo, & omnis linguæ operisq; propago, consistit in corde. Si ergo fons cordis purus est & mundus, tunc & fluuius exiens ab eo. Quã puritatem Bernardus affectans, ait: O Domine, cur intermisi vllo tempore versari te in toto corde meo, te tota mente amplecti, in tua dulcedine delectari? Omnia interiora mea tunc vbi erant, quando tecũ non erant? cùm habeat in te omnis creatura, quicquid habet desiderabile, laudabile & delectabile. Nimirum cùm omnia casta consilia, & alta suspiria, ac cælestia desideria de fonte puritatis emanant, sic & omnia suauia, dicente Ambrosio: si non amas cordis puritatem, non gustabis Dei suauitatem. Vbi enim puritas, ibi Dei suauitas degustatur.

De prudentia, quæ est & sustentatrix, directrix, & moderatrix aliarum virtutum, rationem rectificans. Cap. XXX.

EQuitatui meo in curribus Pharaõis assimilaui te amica mea. Cant. 1. Quasi dicat: Exercitui meo, scilicet, Israelitico populo, ab exercitibus *Pharaonis* persecutionem passõ, sed à me liberato, *assimilaui te amica mea:* quia sic te liberare paratus sum à diabolicis impugnationibus, & humanis persecutionibus, tanquam amicam meam. Pro quo notandum, quòd currus *Pharaonis* & exercitus, sunt omnia vitia & peccata, quæ vocantur etiam in Euangelio dæmonia, quibus vtiq; deducit omnes impios ad inferos. Vnde dicit alibi sponsa: *Anima mea* conturbata est, *propter quadrigas Aminadab.* Econtra verò, currus Dei sunt virtutes, quibus animæ prouehũtur ad superos: nimirũ cùm *currus Dei* dicatur, *decem millibus multiplex, millia lætantium*, scilicet Angelorum. Rotæ verò currus Dei, sunt quatuor virtutes cardinales, quæ sunt quasi quædam fundamenta primaria omnium virtutum moralium & intellectualium, etiam donorum & beatitudinum ac fructuum Spiritus sancti. His ergo rotis in curru Dei vehuntur animæ iustorum ad regna cælorum. Nam sicut populus Israeliticus currus Pharaonis fugiens & euadens, in deserto postmodum annis quadraginta multas sustinuit tentationes & persecutiones, ac tandem multos reges impugnans & deuincens, glorioso triumpho terram promissionis ingressus est: sic anima sancta peccatis omnibus fideliter renuntians, postmodum tamen

Lucæ 11.

Cant. 6.

Psal. 97.

Currus Dei, rotæq; eius.

men inter homines velut inter serpentes habitans, tentationes ac persecutiones multiplices patitur: tandem verò feliciter de omnibus triumphans, promissam vitam æternam ad amplexum sponsi victoriosa conscendit. Inter has tamen virtutes cardinales, prudentia principatum obtinet: quia, vt dicitur 4. Regum; non solùm est *currus Israel*, sed etiam *auriga eius*. 4. Reg. 2.

Hæc enim virtus prudentia, non solùm est sustentatrix, præsertim aliarum virtutum intellectualium; sed etiam est directrix & moderatrix omnium aliarum virtutum, quia rectificat vim rationalem, conferens in omnibus veram discretionem: quæ nō tam virtus est, quàm auriga virtutum. Nam prudentia, secundùm Philosophum, est recta ratio agibilium. Dicitur enim prudens, quasi procul videns. Perspicax est enim, & incertorū præuidet casus. Hinc prudentia non solùm est virtus, sed etiam quædam libra virtutum. Sicut enim actus & sermones suos, ita & mentis iram, ac omnes animi motus prudens examinat: nec solùm, quod ante oculos situm est, sed etiam rerum exitus prudentia metituæ. Magni profectò ingenij est futura cogitare, & ante cōstituere quid posset euenire, & quid agēdum sit cùm occurrerit. Veruntamen, secundùm Tullium, nemo iustus ac prudens esse potest, qui mortem, vel dolorem, aut egestatē timet, aut ea; quæ his contraria sunt, æquitati anteponit. Nam si callidi rerū æstimatores, prata quædam & areas quasdā tam magni æstimāt, quia huic generi possessionum aliquis nocere non potest; quanti æstimanda est virtus, quæ nec eripi, nec surripi potest, quæ nec incendio, nec naufragio amittitur, qua qui præditi sunt, soli diuites sunt. Soli enim possident fructuosas & sempiternas diuitias, soliq́ue (quod est propriū diuitiarum, vel diuitum) rebus suis contenti sunt. Hinc dicit Horatius: *Non possidentem multa, vocabis rectè beatum: rectius occupat nomē beati, qui deorum muneribus scit sapienter vti, duramq́; paupertem pati.* Et Seneca ad Lucilium: Nemo (inquit) illorum, quos dititiæ & honores in fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus videtur? Quia cum bali- sua illum metiris & ponderas. Omnes enim hoc errore laboramus, quòd neminem æstimamus id, quod est. Si vis ergo veram hominis æstimationem metiri, inspice nudum: deponat patrimonium, deponat honores, & alia fortunæ mendacia, corpus etiam ipsum exuat, & animum intuere, qualis sit & quantus, alieno an suo magnus. Ad maiorē autem euidentiā virtutis prudētiæ sciendū secundùm sanctum Thomam 2.2. quòd tres sunt actus prudentiæ. Primus

Prudentia vt sit virtus politica.

Prudentiæ actus tres.

est bene consiliari. Consilium autem est de his, quæ sunt per nos agenda propter finem. Vnde dicit Seneca: Tunc aduoca tibi consilia salutaria, cum vitæ prosperitas tibi arridet. Tunc enim te quasi in lubrico retinebis & sistes. Secundus actus est bene iudicare de inuentis, & eligere: quæ electio præsupponit consilium: Est enim appetitus præconsiliati, vt dicitur lib. 3. Ethicorum. Et Seneca. Propone animo tuo bona & mala; illa, vt sustinere possis; ista, vt moderari. Prudens homo nunquam marcet otio: aliquando quidem animum remissum habet, sed solutum nunquam. Tertius actus eius est præcipere: qui scilicet actus consistit in applicatione consiliatorum & iudicatorum ad opus. De quo dicit Isidorus: Nihil iuuat, quòd inter bonum & malum sensu prudentiori discernimus, nisi opere & mala cognita caueamus, & bona neglecta efficaciter impleamus. Verus enim prudens tarda accelerat, perplexa expedit, dura mollit, aspera lenit, ardua exæquat. Scit enim prudens, quid qua via debet aggredi. Et quia tertius actus prudentiæ fini rationis practicæ propinquior est, ideo principalior actus est rationis practicæ, ac per consequens ipsius prudentiæ. Nam & mali bene consiliantur, & rectè iudicant, etiam de his, quæ pertinent ad totam vitam, sed non perfectè, quia consilium non perducunt ad effectum. Vera autem & perfecta prudentia ad bonum finem totius vitæ bene consiliatur, & rectè iudicat, efficaciterque deduci præcipit ad effectum. Quæ sicut in peccatoribus esse non potest, sic nec iustis deesse potest, licèt sint simplices & iuuenes. Quamuis enim alieno cõsilio dirigi indigent in hoc tamen sibi ipsis consulere sciunt, si gratiam habẽt quòd aliorum consilia requirant, & à malis consilia bona discernant. Vnde omnibus gratiam habentibus, industria sufficiens tribuitur ad ea, quæ sunt de necessitate salutis, vtpote quos *vnctio docet de omnibus.*

1. Ioan. 2. Docilitas.

Hinc etiam Macrobius inter partes prudentiæ ponit docilitatem, quia prudentia cõsistit circa particularia operabilia: in quibus cùm sint quasi infinitæ diuersitates, non possunt ab vno homine sufficienter omnia considerari, nec etiam per modicum tempus, sed per temporis diuturnitatem, & ideo in his maximè, quæ pertinent ad prudentiam, quis indiget ab alijs erudiri, & præcipuè à senibus, qui consilia circa fines operabilium adepti sunt. Hinc dicitur in lib. Prouerbiorum: *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Sed, vt dicit Ecclesiasticus, *in multitudine presbyterorum*, id est, seniorum, *prudentium sta, & sapientiæ illorum coniungere.* Nullus enim in his, quæ subsunt prudentiæ, quantumcũque capax fuerit,

Prouer. 3. Eccles. 6

fuerit, sibi ipsi sufficit, quãtum ad omnia. Et loquimur hic de prudentia, prout est virtus politica, cuius est ad rationis normam, quæ cogitat & egit, vniuersa dirigere, ac nihil præter rectum velle vel facere. Facit enim hominem in omnibus rationabiliter operari, & cum hominibus conuersari. De qua dicit Seneca: Quisquis prudentiam sequi desideras, tunc per rationem rectè viues, si omnia prius æstimes & perpenses, nihil tibi subitum fit, sed totum ante prospicies. Nam qui prudens est, nunquam dicit: Non putaui id fieri, quia non dubitat, sed expectat: non suspicatur, sed cauet.

Denique, triplex distinguitur prudentia. Prima dicitur cordis, quæ consistit in recognitione præteritorum, dispositione præsentium, & prouisione futurorum. De qua dicitur in Deuteronomio: *Gens absque consilio est, & sine prudentia: vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent.* Secunda dicitur prudentia oris, quæ consistit in moderatione sermonum, iuxta illud Prouerbiorum: *Qui moderatur labia sua, prudentissimis est.* Prudentia namque, secundùm Augustinũ, est amor, ea quibus adiuuatur, ab eis, quibus impeditur, sagaciter eligens. Tertia dicitur prudentia operis, quæ consistit, secundùm Tullium, in fuga mali, & in electione boni: Quia, secũdùm Isidorum, prudentia est docta à gratia, vitare studens contraria iustitiæ propter iustitiam. Et cautior est in discretione vitiorum, speciem virtutum præferentium.

Prudentia triplex.

Deut. 32.

Prouer. 10.

Prudentiæ partes sunt, Memoria, Intelligentia, Prouidentia: & de Discretione, quæ summè necessaria est in agendis, cauendis, sustinendis, & discernendis.

Cap. XXXI.

EQuitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea. Prosequendo de prudentia, prout est virtus politica, sciendum quòd ipsa regere habet cæteras virtutes in actionibus suis, secũdùm omnes partes Philosophiæ moralis, quæ sunt Ethica, quæ scilicet mores instruit, quò ad seipsum: & monastica vel œconomica, quæ familiam disponit: ac politica, quæ vrbes & regna disponit, & regit. Et de his tribus dicit Seneca inter alia: Si prudentiam amplecteris, vbique idem eris, & prout rerum & temporum varietas exigit, te accommodes tempori, nec te in aliquibus mutes, sed potius aptes: sicut est manus eadem, & cùm in palmam

mam extenditur,& cùm inpugnũ adſtringitur. Cogitationes vagas, & velut ſomno ſimiles non recipies. Quibus ſi animum tuum oblectaueris,cùm omnia diſpoſueris,triſtis remanebis. Sermo tuus non ſit inanis,ſed aut ſuadeat,aut moneat, aut conſoletur, aut præcipiat. De dubijs non diffinias, ſuſpenſam tene ſententiam, & opiniones tuæ iudicia ſint. Prudentis enim proprium eſt examinare conſilia, & non de facili credulitate ad falſa prolabi. Prudens enim fallere nõ vult, & falli non poterit. Ideo nihil inexpertum affirmes, quia non omne veriſimile ſtatim verum eſt: ſicut & ſæpius, quod primùm incredibile videbatur,non continuò falſum eſt. Crebrò ſiquidem faciem mendacij veritas retinet: crebrò mendacium facie veritatis occultatur. Nam ſicut aliquando triſtem faciem amicus, & blandam adulator oſtendit, ſic veriſimile coloratur vt fallat. Cæterùm ipſius prudentiæ tres partes diſtinguuntur, de quibus dicit idem Seneca: Si prudens eſt animus tuus,tribus temporibus diſpenſetur. Præſentia ordina, futura præuide, præterita recordare. Nec ſis ſemper in actu,ſed interdum requiem animo tuo dato:ſed & ipſa requies plena ſit ſapientiæ ſtudijs & cogitationibus bonis. Prima pars prudentiæ vocatur memoria,per quam, ſecundùm Tullium, repetit quis ea quæ fuerunt. Vnde per memoriã plurimorum præteritorum reminiſcitur, quæ neceſſaria ſunt ad bene conſiliandum de futuris, dum ex præteritis ſumit argumentum de futuris. Secunda vocatur intelligentia,per quam, ſecundùm eundem, perſpicit animus ea, quæ ſunt. Tertia vocatur prouidentia, per quam, ſecundùm eundem, videtur aliquid futurum, antequam ſit factum. Eſt enim prouidentia præſens notio, futurorum tractans euentum. Nam,vt dicit Seneca, qui de futuro non præmeditatur, in omnia incautus incedit.

Prudentiæ partes.

Memoria.

Intelligentia.

Prouidentia.

Ex his igitur liquidò patet, quòd prudentia (cuius officium eſt actus aliarum virtutum dirigere) diſcretionem veram debet habere comitem, quæ non tam virtus eſt,quàm auriga virtutum. De qua dicit Auinguſtinus, quòd gemma lucẽs & fulgida eſt anima virtute diſcretionis ornata. Quæ ſi diſcretione caruerit,eſſe pulchra non poterit. Nam perfecta virtus diſcretionis eſt, ſplendor & decus omnis virtutis: & qui opera ſua cum diſcretioue facit, perſeueranter ad regnum current. Pro quo notandum, quòd primò diſcretio neceſſaria eſt in exercendis virtutibus: quia dicit Bernardus, quòd hoſtis callidus non habet efficacius machinamentum ad tollendam de corde dilectionem, quàm

Diſcretio auriga virtutum.

Diſcretio neceſſaria in tribus.

quàm si efficere posit, vt in ea incautè, & nõ cum ratione ambuletur. Vbi enim vehemens feruor & æmulatio, ibi maxima necessaria discretio, quæ est charitatis ordinatio. Sicut enim virtus discretionis absque charitatis feruore iacet, sic vehemens feruor absque discretionis temperamento præcipitat. Hinc sanctorum Patrum sententia diffinitum est, discretionem esse, quæ cæteras virtutes conseruat illæsas, cum qua ad plenæ perfectionis excelsa fastigia, minori quis possit fatigatione conscendere: & sine qua multi etiam propensius laborantes, perfectionis nequiuerunt culmé attingere. Vnde dicit Richardus de sancto Victore, quòd tunc virtutes veraciter creduntur esse bonæ, quando sunt nõ solùm ordinatæ, sed etiá moderatæ: quia dum virtutes discretionis moderamen excedũt, virtutis nomen amittunt. Ex quibus patet, quòd vera bona animæ, nec acquiri possunt, nec conseruari sine discretione, quia feruens zelus amoris vertitur in arma furoris, nisi temperetur virtute discretionis. Tene ergo in omnibus discretionem, si non vis perdere religionem. Nam si verè discretus fueris, etiam perfectè religiosus eris. Hinc meritò dicit Bernardus, quòd discretio omni virtuti ordinem ponit, modum tribuit, decorem & perpetuitatem confert. Est ergo discretio non tam virtus, quàm moderatrix virtutum, ordinatrix affectuum, & doctrix morum. Tolle hãc, & virtus vitium erit, ipsáq; affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur, exterminiaque naturæ, vt dicit Petrus Rauennẽsis. Nam si adsit timor, & non discretio, transit in desperationem: si dolor, in amaritudinem: si amor, in adulationẽ: si spes, in præsumptionem: si lætitia, in dissolutionem: si ira, in furorem. Cunctam ergo disciplinam regularis ordinis moderet æqualitas discretionis, ne vel nimia remissio nutritiua sit criminum, vel nimia indiscretio patricida virtutũ. Secundò, discretio necessaria est in exercẽdis bonis operibus. Dicit enim Hieronymus, & habetur de Consecratione distin. quinta, canon. Non mediocriter errat, qui magno bono præfert mediocre bonum. Nonne rationabilis hominis dignitatem omittit, qui vel ieiunium charitati, aut vigilias præfert sensus integritati, vt propter immoderatam atque indiscretam Psalmorum vel officiorum decãtationem, aut amentiæ, aut tristitiæ, id est, melancholiæ incurrit notã? quæ scilicet tristitiam inducit. Nunquid verborum multitudine flecti potest Deus vt homo? Non enim verbis tantùm, sed corde orandus est Deus. Quapropter melior est cantatio quinque Psalmorum

cum cordis puritate, ac serenitate, & spirituali hilaritate, quàm totius Psalterij modulatio cum anxietate cordis atq; tristitia. Hinc etiam dicit Gregorius: Nolo vos orare vsque ad tædium, ieiunare vsque ad defectum, flectere genua vsque ad debilitatem. Bona enim opera non tam indigent deuotione, quàm discretione. Sicut enim nullum terminum vel finem habere debet deuotio amantis, sic suos terminos, & fines ac regulas habere debet actio operantis. Hinc dicit Abbas Moses in Collationibus, quòd omni conatu debet discretionis bonum, virtute humilitatis acquiri, quæ nos illæsos ab vtraque potest nimietate seruare. Vetus namque sententia est, quòd nimietates sunt æquales. Ad vnum enim fine nimietas ieiunij ac voracitas peruenit, eodemq; dispendio vigiliarum immoderata continuatio monachum, quo grauissimi somni torpor, inuoluit. Nam per excessum continentiæ debilitatum quemq; ad illum statũ reuocari necesse est, in quo negligens quisque per incuriam detinetur. Hinc dicit Gregorius, quòd plerunq; virtus, cùm indiscretè tenetur, amittitur: cùm discretè intermittitur, plus tenetur: sicut arcus ex studio distenditur, vt in suo tempore cum vtilitate tendatur, alioqui audiat Dominum dicentem: *Ego Dominus odiens rapinam* holocaustorum. Nam holocaustum offert de rapina, qui nimia ciborum egestate, vel somni penuria immoderatè corpus suum affligit. Cùm igitur huiusmodi exercitia corporalia ex indiscretionis vitio sic aguntur, vt vel deficiente spiritu, vel langueſcente corpore, spiritualia impediantur, qui sic est, corpori sui tulit boni operis effectum, spiritui affectum, proximo bonum exemplum, Deo honorem: & ideo sacrilegus est, & in Deum omnium bonorum reus. Vnde ait sanctus Bernardus: Dæmonium meridianum suggerit anticipare vigilias, vt ad solẽnia fratrũ illudat dormitanti; multiplicare ieiunia, vt diuinis obsequijs inutilem reddat & imbecillem; nimium prosequi corporales exercitationes, quæ *ad modicum* vtiles sunt, vt obruat pietatem. Tertiò, discretio necessaria est in discernendo, etiam aliena. Dicit enim Isidorus, quòd discretio est in dijudicandis rerum causis, prouidà humanarum metium ratio moderatrix. Hinc ait Bernardus: In cunctis nobis semper debet præesse discretio, & quasi moderando discernere voluntates, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne quod bonum est, malum; neque quod malũ est, bonum esse credamus.

Contraria discretioni.

Esaiæ 61.

1. Tim. 4.

Discretio quid.

De sci-

De scientia & consilio, prout sunt virtutes & dona: & de eorum actibus in speciali. Cap. XXXII.

QVeram quem diligit anima mea. Canticorum tertio. In dilectione animæ notatur spiritualis & affectuosa dilectio, vt dicit Richardus super Cantica. Veruntamen talis affectuosa dilectio quandoque plus afficit minus diligentem, & minus perfectum. Non enim tantum quisque diligit, quantum hanc dilectionem sentit, & quantum in illo statu sibi diligere videtur: sed quantum in virtutibus & charitate fundatus fuerit. Dulcis enim in Deum affectus, quodammodo carnalis est, & fallax; & humanitatis interdum potius, quàm gratiæ; cordis, quàm spiritus; sensualitatis, quàm rationis: ita vt magis accendatur aliquando ad minus bonum, & minus ad maius bonum, & ad aliquid quod sapit amplius, quàm quod expedit. Vnde quandoque minus perfectus ad Deum magis afficitur, non quòd valde diligit, sed quia dulcedine gratiæ deguſtat. Viso igitur de primo gradu prudentiæ, prout est virtus politica, iam de secundo prosequamur, prout est virtus purgatoria. Tunc enim (secundùm Plotinum, quem recitat Macrobius) prudentia est mundum, & omnia quæ in mundo sunt, diuinorum contemplatione despicere, omnemque animæ cognitionem in sola diuina dirigere, & ad illa cuncta corporis opera regulare. Et sic scientia & consilium, prout sunt dona sancti Spiritus, similem actum habent cum prudentia, quamuis in agendi ratione differant: quia prudentia procedit ex principijs iuris naturalis, hæc autem ex principijs fidei. Pro quo notandum, quòd scientiæ proprius actus est rectè docere, conuersari in medio rationis pravæ: & etiam cautè, ne sub specie boni malum lateat, omnia opera dirigens ad normam rationis, & ad conformitatem diuinæ voluntatis, & habet regere pietatem. Nam scientiæ donum, est scientia faciendorum: & ideo ratione scientiæ, quæ consistit in cognitione, tunc non est virtus, sed ratione faciendorum, quæ consistit etiam in imperio, tunc est virtus. Vnde quia scientia est circa bonum & malum, bonum eligendo, & malum reprobando, felices sunt, quibus exterior scientia fit scala ascensionis, non ruina deiectionis: & felices, quibus illa scientia, quæ inflat, non est ad inflationem eius quæ ædificat. Nam scientia quæ ædificat (quod primum est) in homine mores purgat, (quod secundum est) verborum gratiam subministrat, & ita vtroq;

Dilectio vera quæ.

Prudentia vt sit purgatoria virtus.

Scientiæ actus.

beneficio mirabiliter ornat tacitos & loquentes: cuius est facere de irato benevolum, de suspecto placatum, de austero mitem, & de aduersante propitium. Est enim donum scientiæ habitus infusus, quo certum habetur iudicium circa credenda & agenda, ita quòd in nullo deuiat à rectitudine iustitiæ: & sacras Scripturas, Sanctorum vitas, operationesque diuinas ea plenitudine scientiæ supernaturalis aspicit, ac de singulis vtiliter intelligit, ad proprium profectum omnia *regens, rationabiliterque conuersari & operari faciens, cunctaque spiritualiter intelligere docens. Est enim lumen quoddam supernaturale, infusum homini supra vim animæ rationalem, quo vitam moralem, secundùm omnem perfectionem, exerceat: ex quo vera discretio profluit, quæ est ornamentum & perfectio vitæ moralis, sine qua nulla virtus perseuerantiam consequi potest: ex quo etiam procedit vera cognitio & despectio suiipsius & operum suorum, in quibus proprio iudicio tam parum proficit, & parum diligit. De qua scientia dicit Bernardus: Quòd sol iustitiæ Iesus, tanquam cereus immensi luminis *venit in mundum*, vt *omnem hominem* illuminet. Qui ergo voluerit illuminari, accedat ad illum, illiq; iungatur, vt nihil medium sit inter illum & ipsum. Nam peccata separant inter nos & Deum: quibus sublatis vero lumine illuminandi, & quasi incorporandi connectimur in ádipsum. Sic lumen extinctum lumini lucenti & ardenti, sine medio coniungitur vt illuminetur, quatenus per exemplum visibilium, effectus rerum inuisibilium cognoscamus. Ad hoc ergo lumen præfulgidum illuminemus nobis lumen scientiæ, præsertim illius, quia venit et Dominus, scilicet ad iudicium. Quæ primò pœnitudinem operatur peccatorum, vt qui addit scientiam, addat & dolorem, vt dolor subsequens argumenrum sit veracis & sanctæ scientiæ. Secundò, correptionem operatur, ne scilicet amplius exhibeas *membra* tua *arma iniquitatis peccato*. Tertiò, solicitudinem operatur, qua discat *ambulare* solicitè coram *Deo* suo, fiatque *lucerna ardens, & lucens:* deinde similis esse discat *expectantibus Dominum suum*. Et custodiendæ sunt vigiliæ noctis supra gregem cogitationum, affectionum, locutionum, & actionum: vt *si venerit in vigilia* prima, *secunda*, vel *tertia*, paratos nos inueniat. Prima vigilia est rectitudo operis, vt ad hanc viam lucis æternæ nos itinere recto perducat. Secunda puritas intentionis, vt *simplex oculus* Intentionis, *lucidum* reddat *totum corpus* bonæ actionis, quatenus quicquid fecerimus, purè propter Deũ faciamus, in omnibus soli

Deo

Scientiæ donum.

*Al. retinẽs.

Ioan. 1.

Isaiæ 59.

Actus scientiæ.

Rom. 6.
Mich. 6.
Ioan. 5.
Lucæ 12.

Vigilia triplex custodiẽda quæ.

Matth. 6.

Deo gratias agentes. Vnde Bernardus: Tanta tribuit Deus, & tanta retribuit, quòd prorsus deficit spiritus meus in tantorum beneficiorum consideratione. Et licet dignas non sufficiam agere gratias, tamen ingratitudinem prorsus odit anima mea. Nihil ita displicet Deo, præsertim in filijs grætiæ, in hominibus conuersionis, quemadmodum ingratitudo. Vias enim obstruit gratiæ: & vbi fuerit illa, iam non inuenit accessum gratia: cùm iure perditum reputatur, quod ingrato donatum est. Tertia est custodia vnitatis, vt non solùm sine querela, sed etã cum gratia ambuletis inter fratres. Dicit enim Cicero libro de officijs, quòd omnium societatum nulla præstantior est, nullaque firmior, quàm cùm boni viri moribus similes, familiaritate sunt coniuncti. Consilium autem, prout est donum, est prudentia valde exercitata, consistens in medio donorum pertinentium ad vitam actiuam & contemplatiuam: & deliberatio quædam tutissima de operibus arduis, an ad ea teneamur, an non. Et sicut scientia est circa bonum eligendum, & malum reprobandum, sic cõsilium est circa difficile & arduum, cauere, docens pericula, quæ sunt in hoc exilio: & habet regere fortitudinẽ. Est enim donũ consilij lumen quoddam supernaturale, infusum homini supra vim animæ rationalem, exigens ab anima vitare tumultus & occupationes extrinsecas, docés etiam declinare multiplicitates intrinsecas, & adamare spiritus vnitatẽ. Denique, duplex in amatore verò distinguitur spiritus consilij. Primus, quo sequés ordinem diuini consilij, via regia se & omnia citra Deũ nititur deferre, ac in solo summo bono quiescere, ingeminans cum Psalmista: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* Secũdus, quo diuino consilio perfectius innitens, propriæ voluntati penitus abrenuntiare studet, cum eodem Psalmista dicens: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*, scilicet tam in aduersis, quàm in prosperis; tam in agendo, quàm in cauendo & sustinendo. Hac enim conclusione Christus *in agonia* consilio sancti Spiritus orationẽ suam terminauit: quod super omnia dilecto Patri complacuit. Tunc enim humana natura summè supprimitur, & summè Deus exaltatur, cùm diuinum beneplacitũ summè amplectitur, tam in aduersis, q̃ in prosperis. Sicq; spiritum dupliceé anima consequitur, scilicet agendi grandia actione strenua bonorum operum, & patiendi grania mortificatione propria malorum impugnatum. Sicut enim donum scientiæ est bene iudicare secundùm regulas legis æternæ nobis præscriptas, sic donum consilij

Ingratitudo.

Consilium donum.

Spiritus cõsilij duplex. Psal. 76. Psal. 107.

Luc. 22.

est bene inuenire, quæ ardua per nos sunt agenda vel fugienda, quorum non est determinata regula præscripta, quia non vniformiter sunt fienda vel fugienda. Per hoc ergo donum consilij erudimur ad rectè discernendum quid vtile, decens & licitum: ac subleuamur ad eligendum quod licet, decet & expedit ad animæ salutem: & etiam expedimur ad prosequendum illud ad operationem virtuosam.

De intellectu & sapientia, prout sunt virtutes, & dona: & quomodo sapientia differt à virtute. Cap. XXXIII.

QVeram quem diligit anima mea. Hæc tria anima Christiana nõ cesset inquirere. Iustitiam, tanquam viam, in qua ambulet: & iudicium, quasi cautelam, qua ambulet: & locum habitationis gloriæ tuæ sponsi, ad quem ambulet. Et pulchrè in sponsæ prærogatiuam omnia concurrunt pariter ad consummationẽ virtutum, vt de forma iustitiæ sit formosa, de notitia iudiciorũ sit cauta, de desiderio præsentiæ vel gloriæ sponsi casta. Talem enim decet esse sponsam Christi. Cæterùm aduerte quàm eleganter amorem spiritus discernit ab affectu carnis, dum dilectum exprimere magis ipsa affectione quàm nomine volens, non simpliciter quem diligo, sed *quẽ*, inquit, *diligit anima mea*, spiritualem designans dilectionem. Viso igitur de secundo gradu prudentiæ, quem currere diximus cum dono scientiæ & consilij, iam tertium gradum prosequamur, prout scilicet prudentia est virtus purgati animi, quando scilicet virtus prudentiæ, est diuina, non quasi in electione præferre, sed hæc sola nosse & iugiter speculari, & tanquam nihil aliud sit delectabiliter intueri, quod propriè fit per dona intellectus & sapientiæ. Pro quo notandum, quòd ex quo homo sit ordinatus ad beatitudinem tanquam ad finem supernaturalem, oportet ponere intellectum, & lumen aliquod intellectui superadditum, vt est virtus habitus supernaturalis principiorum supernaturalium, quæ sunt articuli fidei, & ex consequenti, quarundam operationum, quæ ordinantur ad fidem, *quæ per* dilectionem *operatur*. Et hoc lumen vocatur donum intellectus, & notat quandam excellentiam cognitionis penetrantis vsque ad intimas rerum intelligendarũ essentias & veritates, quod non fit ita completè ex virtute naturalis intellectus. Hinc dicitur in libro de Spiritu & anima, quòd intellectus est ea vis animæ, qua de diuinis) quantum homini possibile est) cognoscitur ad arcana cælestia penetranda: quæ penetrari nõ possunt, nisi

Prudentia vt sit virtus purgati animi.

Galat. 5.

Intellectus donum.

per

per Spiritum eius, *qui scrutatur etiam profunda Dei.* Intellectus quidem, prout est virtus, inest homini naturaliter ex beneficio Creatoris: sed obtenebratus per peccatū, reformatur, adiuuatur, & perficitur ad lympidius intelligendum per quandam virtutem & gratiam, quæ dicitur spiritus intelligentiæ, & est donum Spiritus sancti, quod per gratiam mentibus fidelium infunditur. Vnde donum intellectus ipsum intellectum perficit ad penetrandum spiritualia ad salutem necessaria, ad quæ lumen naturale intellectus attingere non potest: & se consequenter extendit ad quædam agibilia, in quantum in agendis æternis rationibus regulatur. Sicut enim sub accidentibus latet natura substantialis, & sub vmbris latent signata, & sub similitudinibus & figuris latet veritas figurata: sic sub corporalibus latent spiritualia & diuina: ad quæ inspicienda & cognoscenda mens introducitur, & eleuatur supra modum humanum per donū intellectus. Nam sicut Spiritus sanctus per donum charitatis ordinat voluntatem hominis, vt moueatur in quoddam bonū supernaturale: sic per donum intellectus mentem hominis illustrat, vt cognoscat quandam veritatem supernaturalem, in quam oportet tendere per voluntatem rectam. Veruntamen tria sunt quæ confundunt oculum intelligentiæ, & excludunt à veri luminis contemplatione, scilicet tenebræ peccatorum, quæ debent eijci per confessionem: complacentia peccatorum, quæ debet eijci per puram orationem: & cura terrenorū, quæ debet eijci per elongationē & mentis quietem. Secundum verò donum pro nunc prosequendū, supremum omniū donorum, vocatur sapiētia. Quo habito, iam animus pacatus, tranquillusq; perfruitur & delectatur in Deo, quia quod in dono intellectus rectè intelligit, fit ei sapidum & dulcissimum in dono sapientiæ, solo rectitudinis amore sequens, quod intelligit esse sequendum. Est autem duplex sapientia creata. Vna per humanū studium acquisita: & est virtus intellectualis, quæ dici potest aliqualiter sapientia, quia quidam in ea sapor inuenitur. Habet enim Philosophia mirabiles delectationes, vt patet quarto Ethicorum, licèt iste sapor nō sit oleo gratiæ conditus. De qua dicit Bernardus. Quòd sicut sol non omnes, quibus lucet, etiam calefacit: sic sapientia multos, quos docet quid sit faciendum, non continuò etiam accendit ad faciendum. Sed frustra in nobis diuinæ cognitionis abundātia crescit, nisi in nobis diuinæ dilectionis flamma augescat: quia vera sapientia causaliter præsupponit dilectionē, in quantū amor Dei & causa veræ sapientiæ, quia

1. Cor. 2.

Sapientia creata duplex.

sapientia cognitionis diuinorum, habet eminentiam per quandam vnionem ad diuina. Sed diuinis non vnimur, nisi per amorem. Et solus qui per amorem *adhæret* Deo, fit *vnus spiritus* cum eo. Requirit etiam vera sapientia iustitiam præuiam; quia, secundùm Gregorium, prima Sapientia est vita laudabilis, & apud Deum mens pura, per quã puri puro iunguntur, & sancti sancto sociãtur. Hinc est quòd sapientes homines esse volunt, pauci tamen sapientes esse possunt. Iusti autem omnes potuissent, si esse iusti perfectè voluissent. Sapientiam & multum diligere potes, & ipsa carere potes: sed quantò amplius, iustiusque dilexeris, tanto iustior eris, & sapientiæ propinquabis. Alia est sapientia *desursum descendens à Patre luminum*, quæ *donum* dicitur sancti Spiritus, vtpote veri splendoris & boni saporis, cuius splendor dirigit intellectum ad veri cognitionem, & sapor erigit affectũ ad boni saporosam delectationem. Obiectum enim doni sapientiæ Deus est, prout est exercitatiuum voluntatis ad saporosam delectationem. Actus autem sapientiæ est contemplari Deum, non quocunque modo, sed ex dilectione, cum quadam experimentali suauitate in affectu. Nam ille verè sapiens est, cuius anima amorosa adhæsione semper in Deo est, cuius interior oculus ad supera erigitur. Quia nemo beatus esse potest, nisi summo bono: quod in ea veritate, quam sapientiam vocamus, cernitur & tenetur. Donum enim sapientiæ est habitus animæ supernaturalis à Spiritu sancto infusus, ad Deum cognoscendum & saporosè diligendum. Habet enim in se spiritualem dulcedinem inclusam, & hoc ex vnione, quia sapiẽtia dicitur à sapore, quasi sapore virtutum condita sapientia. Nam in sapore fit gustus, id est, experientia sapientiæ, quæ magistra est intelligentiæ, & consummatio. Vnde si dicant omnes quòd hoc gustabile dulce est, per hoc tamen non habetur experimentalis cognitio de illo, nisi prius attingat gustabile, vel attingatur ab illo. Sic. si gustus spiritualis attingatur à dulcedine diuina, dicere potest cum sponsa: *Fructus eius dulcis gutturi meo.* Veruntamen ista notitia spiritualis duntaxat perfectissimorum est, dicente Bernardo: Quicquid dẽtuis occultis scimus, ô Domine Iesu, aut Scriptura docente, aut reuelante; aut certè (quod perfectissimorũ est) gustando didicimus, id est, experientia. Nec secundùm Hugonem, perfectum facit cognitio virtutis, nisi etiam habitus virtutis in experiẽtia subsequatur, quæ magistra est intelligẽdi. Nam virtutis cognitio in sola illuminatione intelligẽdi inchoatur, sed in experiẽtia & habitu virtutis

1. Cor 6.

Iacob. 3.

Sapientiæ donũ quid.

Cant. 2.

Sapien. 7.

aut̃ perficitur. Vnde ait S. Bernardus: Fortè sapiẽtia à sapore denomi-
natur. Nec dixerim reprehendendum, si quis sapientiam, saporẽ boni
diffiniat. Vnde sapientia *vincit* malitiam in mentibus, ad quas intra-
uerit, sanans & reparans cordis palatum: quo sanato, sapit iam bonũ,
sapit & ipsa sapientia, qua in bonis nullũ melius. Quàm multa fi-
unt bona, quæ non sapiunt facientibus? Siquidem nõ sapore boni ad
illa, sed aut ratione, aut quacunq; occasione seu necessitate impelluntur. Beata mens, quam sibi totam vendicat sapor boni, & odium ma-
li. Nam in quo euidentius sapientia malitiã vincere comprobatur, q̃
cùm excluso sapore mali, quæ non aliud quàm ipsa malitia est, boni
quidem intimus sapor, mẽtis intima occupare tota suauitate sentitur?
Itaq; ad virtutẽ spectat, tribulationes fortiter sustinere: Ad sapientiam
autem, in tribulationibus gaudere. Non enim est idem virtute agi, &
virtute frui. Nam quicquid virtus elaborat, sapientia fruitur. Vnde
virtus est quoddam stabile fundamentũ, super quod sapientia sibi ædi-
ficat domum Hinc ait Sapiens: *Sapientiã scribe* in otio. Ergo sapientiæ
negotia sunt otia: & quo otiosior sapientia, eo exercitatior in genere
suo. Econuerso, virtus exercitata clarior est, eoq; probatior, quo effici-
osior. Aliud est igitur animã virtute agi, & aliud sapientia regi. Aliud
virtute dominari, aliud in suauitate deliciari. Hæc Bernardus. Hanc
igitur sapientiam omnes adamare studeamus, tanquã impressionem
quandam diuinæ similitudinis, & emanationem à diuina sapientia.
Qui nanq; familiariter eam adamare didicerit, & ei sæpius vacare vo-
luerit, iucundam valdè reddet vitam, & maximam in tribulatione cõ-
solationem. Est enim pluuia sapientiæ salutaris, & manna spirituale,
quod ingeniosis, & eam quærentibus de cælo infunditur, & irrigat
mentes piorum hominum, & obdulcat fauces animæ illorum.

Sapientiæ quomodo differat à virtute.

Eccliast.

Quod perseuerantia est discretionis filia: ad cuius debitam conseruationem quatuor requiruntur. Cap. XXXIIII.

INueni quem diligit anima mea. Tenui eum nec dimittam. Cãtic. III. In dilectione animæ notare possumus amorem spiritualem & affectuosum. Cùm enim aliquem affectuosè diligimus, hunc quasi animam nostram diligere dicimur. Quasi dicatur: Quem affectuosè diligo & spiritualiter diligo, scilicet ad salutem animæ, non ad commodum temporale, vel corporale. *Inueni*, inquit, sed beneficio, sed exemplo, sed in Euan-

gelio, quem inuenire non poteram, nec creaturarum vestigio, nec naturali ingenio, nec scientiarum adminiculo. *Inueni* inquam, eum dicentem in Euangelio: *Ego sum via, veritas, & vita.* *Via* secundùm humanitatem, sequendi præbens exemplum. *Veritas* secundùm diuinitatem, illuminans intellectum: *& vita*, reficiens affectum. Hinc *tenni eum, nec dimittam*, sed eidem adhærebo fideliter, firmiter & perseueranter: quia *lignum vitæ est* ijs, *qui apprehēderint* eum: *& qui tenuerit* eum perseueranter, *beatus* erit. Solus enim *qui perseuerauerit, hic saluus erit.* Nam perseuerantia, secundùm Bernardum, est vnica filia regis æterni, quam ei peperit vera discretio. Est, inquam, omnium virtutū finis, earumque consummatio, totiusque boni repositorium; & virtus sine qua nemo videbit Deum, (quia absque perseuerantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur) vigor est virium, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, filia constantiæ, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, sanctitatis propugnaculum. Tolle perseuerātiam, nec obsequium meretur habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Sola est cui æternitas redditur, vel quæ potius hominem reddit æternitati, dicente Domino: *Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Pro quo notandum, quòd ad consequendum finalem perseuerantiam, sine qua nemo coronabitur: primò considerandum est, quòd perseuerantia non solùm est virtus specialis, sed etiam singulare donum Dei. Dicit enim Augustinus libro de Perseuerantia: Asserimus donum Dei esse perseuerantiam, qua vsque in finem perseueratur in Christo. Quod vtique donum nec protoplasti receperant in paradiso. Nam primo homini datum non erat vt perseueraret, sed vt perseuerare posset per liberum arbitrium: quia tunc nulla corruptio fuit in humana natura, quæ perseuerandi difficultatem præberet. Sed prædestinatis per gratiam Christi non solùm datur vt perseuerare possint, sed vt perseuerent. Vnde duplex perseuerantia distingui potest. Accipitur enim quandoque perseuerantia pro habitu perseuerantiæ, secundùm quod est virtus. Et contingere potest, quòd habens habitū perseuerantiæ, eligit quidem perseuerare, & incipit exequi, aliquādiu persistendo, non tamen complendo actum, nec perseuerando vsque in finem operis virtuosi, vel vsque in finem humanæ vitæ. Et hoc modo perseuerantia indiget dono habitualis gratiæ, sicut & cæteræ virtutes infusæ, nec est necessarium, quòd habens habitum virtutis, immobi-

Ioan. 14.

Perseuerantia. Prouer. 3. Matth. 10.

Ibidem. Perseuerantia donum Dei.

liter

liceat vtatur eo vsque ad mortem. Accipitur etiam quandoque perseuerantia pro actu perseuerantiæ durante vsque ad mortem, & secundùm hoc nō solùm indiget gratia habituali, sed etiam gratuito Dei auxilio, hominem in bono conseruātis vsque in finem vitæ: quia cùm liberum arbitrium de se vertibile sit, & hoc ei non tollatur per habitualem gratiam vitæ præsentis, non subest potestati liberi arbitrij, etiam per gratiam reparati, vt se immobiliter in bono statuat; licet in eius potestate sit quod hoc eligat. Nam plerunque in nostra potestate cadit electio, non autem executio. Perseuerantia igitur, secundùm Tullium in Rhetorica, est in ratione bene considerata, stabilis & perpetua permansio. Et sola perseuerantia est quæ meretur palmam. Nam etsi bona inchoantibus præmium permittitur, solis tamen perseuerantibus redditur: quia perseuerantiæ virtus in bonō æternitatis similitudinē habet, per quam tanquam per nostrum æternum, merebimur æternū Dei; quia vita æterna perseueranti in bono penetrabilis est, vt dicit Seneca. In huius etiā argumentum tradunt antiquæ Romanorum historiæ, quòd nullus Romanus Romam exiens, pro pugna contra inimicos Reipublicæ exercēda, Romam reintrare poterat, nisi prius victoriam de inimicis reportaret. Deuicti verò semper exules remanserūt. Victores igitur redeuntes, scuto rotundo coronabantur, quæ exeuntes ad bella in brachijs portabant. Ex qua consuetudine mater Ecclesia Sanctos victores ad æternam ciuitatē redeuntes, coronis ad modū rotundi scuti factis, honorat, iuxta illud Psalmistæ: *Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Cæterùm, ad virtutē perseuerantiæ conseruandam quatuor ex parte nostra requiruntur. Primum est, bonarum operationum frequēs exercitatio. De qua dicit Bernardus: Nulla vnquam seruum Dei, non dico dies, sed nec hora inueniet sine exercitij labore. Nequaquam enim sufficit semel vel secundò quod bonum est operari, nisi incessanter addas noua prioribus: alioqui iacet & marcescit flos primi operis, atq; ex eo omnis virtus in breui terminatur, si nō alijs & alijs subiectis pieratis operibus cōtinuò reparetur. *Nō* enim *coronabitur*, secundum Apostolum, *nisi qui legitimè certauerit:* vocans certamen legitimum, continuum nostri profectus incrementū. Veranamque & efficax perseuerantia semper in suis exercitijs augeri debet, & proficere: quia si vel affectus deuotionis, vel effectus operis remittitur, seu ex negligentia attenuatur, incipit paulatim deficere, donec penitus extinguatur. *Corporalis* tamen *exercitatio* (quæ dicitur *ad*

Perseuerātia quid. Psal. 5. Perseuerantiæ conseruandæ quatuor necessaria esse. Exercitatio. 2. Tim. 2. 1. Tim. 4.

modicum vtile) fieri debet cum debito moderamine discretionis, iuxta valetudinem corporis. Nam corpus infirmum, si supra virtutem ad opera coëgeris, obtenebrationem semper imponit animæ, & confusionem magis inducit. Corpus verò fortè, si otiositati & requiei dederis, omnis malitia perficitur in anima habitante in eo.

Deuotio. Secundum verò est, interna deuotio. Nam si bona operari quandoque non potest, saltem meditando deuotionem suam accendat: quia meditatio parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio deuotionem, & deuotio facit orationem.

Meditatio. Meditatio est frequens cogitatio, curiosa & sagax, occulta inuestigare, & obscura ad notitiam trahere: quæ deseruire possunt ad salutem animæ, cuius sunt tria genera. Vnum in creaturis, & surgit ex admiratione. Secundum in Scripturis, & surgit ex lectione. Tertium in moribus, & surgit ex circumspectione.

Circumspectio. Circunspectio in moribus duplici consideratione discurrit: intus ad conscientiam, & foris ad famam, vt quid expediat nobis ad meritum, & quid deceat proximis ad exemplum. Veruntamen vera meditatio semper solitudinem saltem mentalem requirit, etiamsi corpore inter homines conuersari cogitur. Et tunc secundùm Gregorium, etiam qui rebus temporalibus occupantur, exteriora bene disponũt, cùm solicitè ad interiora refugiunt, cùm nequaquam foris perturbationum strepitus diligunt: sed apud semetipsos intus in tranquillitatis sinu requiescunt. Requirit etiam meditatio silentium, iuxta illud: *Sedebit solitarius & tacebit*, & leuabit *se super se*. Dicit enim Esaias: *Erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium.* Quasi diceret: Tantæ virtutis est silentium, quòd in homine conseruat Dei iustitiam, & inter proximos nutrit & custodit pacem. Tertium autem est, sancta cogitatio. Nam si per meditationes deuotionem suam accendere non potest, saltem Dominum suum recogitet, vt sic eum diabolus occupatum licitè interius inueniat: quod nulli est impossibile, quia nostræ subiacet voluntati. Internas autem animæ cogitationes, secundùm Augustinum, diabolum non videre certi sumus, sed motu eas corporis ab illo affectionum indicijs colligi, & experimento didicimus. Secreta autem cordis solus ille nouit, ad quem dicitur: *Tu solus nosti* corda *filiorum hominum.* Quartum est, quòd in omnibus rectam intentionem habere debeamus. Qui enim rectè intendit, rectè tendit ad eum quem quærit. De qua intentione dictum est supra.

Thren. 3. Silentium. Isaiæ 32.

Cogitatio.

3. Reg. 8.

Intentio.

De de-

De detestabili otio operis, oris, & cordis cauendo, ac labore triplici contrario amplexando. Cap. XXXV.

Inuenj quem diligit anima mea. Tenui eum, nec dimittam. Tenetur sponsus deuotione orationum, importunitate desideriorum, memoria beneficiorum, & expectatione exauditionum: nec dimittitur, si ab intentione nō cessetur, nec vultus amplius in diuersa mittetur. Sequitur: *Donec introducam illum in domum matris meæ.* Mater nostra est Spiritus sancti gratia, quæ nos spiritualiter regenerat, cuius domus est humana mens, in qua suscipitur eadem gratia. Acceptam autem gratiam desiderat in se retinere, & in mores transfundere, ac in conuersationē transformare, sicque Christum introducere, iuxta illud Apostoli: *Induimini Dominum Iesum Christum.* Manet enim in anima illa Christus, quæ virtutes eius possidet, scilicet humilitatem, mansuetudinem, patientiam, obedientiam, charitatem, &c. Ne sit domus vacans, quam ingrediens diabolus, *assumit septem spiritus nequiores se.* Et ad hoc multum iuuat diligens euitatio a triplici otio, scilicet operis, oris, & cordis. De primo otio dicit Chrysostomus: Qui habent Spiritum Dei, non sunt contenti sedere otiosi: sed ipse Spiritus, qui in eis est, vrget eos bonum aliquod operari: quia grauius libido vrit, si quem otiosum inuenerit. Cedit autem labori bono voluptas, & animam otio vacantem citò præcipitat. Ideo seruus Dei nunquam sit otiosus, quamuis ad Deum sit feriatio diei. Et Isidorus: Fatiga, inquit, corpus tuum in laboribus tuis, & exerce cuiuslibet operis studiū. Si enim tempestates pelagi nautis, vulnera militibus, glacies & frigora agricolis leuia sunt & portabilia propter spem præmij temporalis, multo magis cui cælum placet, nullum debet sentire periculum. Hinc Hieronymus scribit ad Rusticum monachum, & habetur de Consecrat. dist. quinta, cap. Nunquam de manu tua, aut oculis tuis liber Psalterij decedat. Et infra: Fiscellam texe iunco, canistrum lentis, plecte viminibus, seratur humus, areolæ æquo limite diuidantur, in quibus cùm olerum iactata fuerint semina, vel plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ. Et infra: Inserentur fructuosæ arbores, vel gemmis vel surculis, vt paruo post tempore laboris tui dulcia poma decerpas. Apum discas fabricare alueria, ad quas remittunt nos Salomonis Prouerbia. Monasteriorum regularem disciplinam in paruis discę corporibus. Texantur & lina

Cant 3. Gratia.

Rom. 13.

Lucæ 11.

Otium triplex detestabile.

Otiū operis quantopere vitandum.

capiendis piscibus. Scribantur & libri, vt & manus operetur cibos & anima lectione saturetur. In desiderijs enim est omnis otiosus. Sequitur: Aegyptiorum monasteria hunc morem tenent, vt nullum absq; opere & labore suscipiant: non tam propter victus necessaria, quàm propter animæ salutē, ne vagentur perniciosis cogitationibus, & ad instar fornicantis Hierusalem, *omnis transiens* diuaricet *pedes suos*. Quotidianus tamen labor, & conatus spiritualis profectus maximè est nobis vtilis, & Deo gratus. De quo dicit Augustinus: Semper tibi displiceat quod es, si vis peruenire ad id quod nondum es. Nam vbi tibi placuisti, ibi deuiasti. Si autem dixeris, Sufficit, & peristi. Semper adde, semper ambula, semper profice. Noli in via remanere, noli retrocedere, noli deuiare. Remanet qui non proficit: retrocedit, qui ad ea iterum vadit vnde recesserat: deuiat, qui apostatat. Ne ergo retrocedamus, continuè nos ad bonum conari oportet. Qui conatus pro perfectione reputabitur, quia talis conatus ad perfectionem consequendam maximi desiderij indicium est. Qui autem vehementi desiderio ad habendum aliquid æstuat, hoc iam habere probatur, dicente Augustino: Non quid sis, sed quid esse desideras attendit Deus: si tamen, in quantum potes, satagis, vt quod nondum es, esse merearis. Hinc dicit Bernardus: Sunt multi, qui tota vita sua tendunt ad perfectionem, sed nunquam pertingunt. Quibus tamen, si piè perseuerauerint, statim cùm de corpore exeunt, redditur quod in hac vita dispensatorie est negatum, illuc perducente eos sola gratia, quò prius tendebant cùm gratia.

Ezech. 16.

Profectus continuus.

De secundo otio, scilicet oris, dicit Augustinus ad fratres in eremo: Omne quod non ædificat, in periculum vertitur dicentium & audientium. *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij.* *Otiosum* autem *verbum* est, quod aut ratione iustæ necessitatis, aut intentione piæ vtilitatis caret. Dicit autē Sapiens, quod *sicut vrbs patens, & absque murorū ambitu, sic vir qui nō potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Nam secundùm Gregorium: Quia murum silentij non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis: & cùm per verba extra semetipsam eijcit, apertam se aduersario ostēdit: quam tantò citius sine labore superat, quantò & cōtra semetipsam per multiloquium pugnat. Multiloquium enim est argumentum insipientiæ, minister mendacij, manuductor scurrilitatis & leuitatis, potator detractionis, extinctor compunctionis, cōditor acediæ, dissipatio deuotionis,

Otium oris.

Matth. 12.
Lucæ 6.

Prouer. 25.

Multiloquium.

tionis, obscuratio orationis, frigefactio caloris & feruoris, extinctor pacis, & euersor totius rectitudinis. Ideo cum magna diligentia lingua refrenanda est. Amicus enim silentij Deo propinquat, & latenter colloquens illuminatur à Deo. Nam qui quietem animæ possidet, quasi ignem fugit multiloquium: & quietem solitudinis diliges, recludit os suum. Et qui nouit odorem ignis altissimi, fugit homines quasi apis fumum. Vnde dicit Ambrosius, quòd silendi patientia, & loquendi opportunitas, & contemptus diuitiarum, sunt maxima fundamenta virtutum. Et iterum: Plures, inquit, vidi, loquendo peccatum incidisse, vix quenquam tacendo. Ideoque tacere nosse difficilius est, quàm loqui. Rarum est tacere quenquam, cùm sibi loqui nihil prosit. Hinc, vt dicit Hieronymus, Socrates adiurabat discipulos, antequam eos docebat, & in verbis suis iurare compellebat, sacramentoque extorquebat silentium: sermonem, incessum, mansuetudinem, moresq; describebat, & vniuersam Philosophiam suam ad mores componendos reuocabat. De tertio otio, scilicet cordis, dicit rursus Hieronymus ad Rusticum monachum: Sine intermissione vigilet sensus tuus, nec vagis cogitationibus patēs sit. Corpus pariter & animus tendat ad Dominū, nec vacet mens tua varijs perturbationibus: quæ si in pectore insederint, dominabuntur tui, & te deducent ad delictum maximum. Hinc consulit Seneca, dicens: Cogitationes vagas, & velut somno similes, non recipies: quibus si animum tuum oblectaueris, cùm omnia disposueris, tristis remanebis. Sed cogitatio tua stabilis, & certa sit. Ad quam stabilitatē maximè iuuat solitudo mentis. *Ducam*, inquit Osee, *eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius.* Ad quam hortatur Bernardus, dicens: O sancta anima, sola esto, vt soli Creatori omnium serues teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, & ipsos domesticos. Secede, sed mente, sed intentione, sed deuotione, sed spiritu. Deus enim requirit cordis nō corporis solitudinem. Solus es, si diuiua cogites, si præsentia non affectes, si despicias quod multi suspiciūt, si fastidias quod omnes desiderant, si iurgia deuites, si damna non sentias, si non recorderis iniuriarum: alioqui nec si solus es corpore, solus es mente. *Sedebit* etiā *solitarius, & tacebit, quia leuabit se super se.* Solitudinem enim quærit (vt dicit Seneca) qui vult viuere cum innocentibus. Veruntamen corporalis solitudo, vt sit salutifera, duos comites habere debet, scilicet pudicitiam, & verecundiam. Pudicitia, secundùm Augustinum, res est animi, sicut virginitas cor-

Otium cordis.

Oseæ 2.

Solitudo mentis vera, quæ.

Thren. 3.

Solitudo corporalis.

Pudicitia.

tas corporis. Nam animæ pudicitia magis est propter oculos Dei, quàm hominum, omnia bona facere, omnia mala deserere. Est enim augmentum omnis interioris pulchritudinis, decus religionis, & arrha futuræ beatitudinis, quæ conscientiam purificat, affectum inflammat, intellectum illuminat, & pium propositum in animo roborat.

Verecũdia. Verecundia autem, secundùm Gilbertum, est optimum in sponsa Christi decoramentum: vtpote qua plus verecundàmur coram Deo de malis, quàm coram hominibus. Cùm scilicet verecundamur inutilibus occupari per rationem, inordinatis affici per concupiscibilem, & passionibus agitari per irascibilem, sicut Esdras confundebatur coram Deo etiam de peccatis aliorum.

1. Esd. 9.

Quomodo anima non impedita inordinato amore, attrahitur à summa Trinitate, scilicet potentia, sapientia, & bonitate.
Cap. XXXVI.

Trahe me post te, curremus in odorem vnguẽtorum tuorum. Cantic. primo. Vox est animæ, mundanum amplexum fastidientis, & ad diuinum suspirantis. Nouit enim quia vim patitur humana mens visibilibus assueta delicijs, dũ se salubriter ad inuisibilium fruitionem transferre voluerit. Petit ergo trahi: qui tractus designat quandam violentiam sibi ipsi secundùm naturam inferendam, ideo petit adiutorium, quod Deus exhibet per terroris incussionem, per fomitis repressionem, & abundantioris gratiæ infusionem. Quasi diceret: Si opus est *trahe me post te*, aut terrendo minis, aut exercendo flagellis, aut alliciendo beneficijs, & promissis; nunc illuminando, nunc reficiendo, nũc terrendo. Nouit enim quòd nihil ascendere potest ad id quod est supra naturam, nisi per alium trahatur. Sicut enim lapis non potest ascendere sursum nisi per alterius motum, sic anima, quæ grauatur à corpore, sursum agi non potest, nisi à summo motore: quia voluntas inuenitur impotens ad subleuandum humanum affectum in diuina, nisi à superiori motore fuerit per gratiam adiuta. Et hic tractus fit à tota Trinitate, cuius opera sunt indiuisa, ita quòd tractus iste fit ad ipsam à tota specie. Sicut enim magnes à tota specie ferrũ attrahit, nisi præpediatur ab alio aliquo contrario, vtpote ab adamante, qui iuxta ferrũ positus, illud à magnete non patitur attrahi, imò iam attractũ per violentiã retrahit, & ad ignẽ applicatus non incalescit: sic Deus Trinitas per amorem su-

Tractus animæ.

rem sibi cor humanum attrahit, nisi violenter ab amore mundi, & sibi retractum fuerit. Qui scilicet amor, cor humanum pōderosum, & frigidum reddit. Ipsa igitur summa Trinitas omnem animam non præpeditam attrahit per amorem, ita quòd principium huius tractus est amor increatus. Traxit enim Pater per amorem, cùm *propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, in Christo nos vivificauit.* Traxit & Filius, cùm *oblatus est, quia* ex charitate *voluit.* Traxit Spiritus sanctus, amor Patris & Filij, quia *charitas* increata Spiritui sancto specialiter appropriata, principium huius tractus fuit. Ephes. 2. Isaiæ 53. Rom. 5.

Possumus tamen vnicuiq; in Trinitate personæ proprium assignare tractum. De Patre namque dicit Filius: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Trahit ergo Pater sua potentia, qui tractus dici potest violentus, vtpote in spiritu timoris fundatus. Hinc ingeminat in lege veteri: *Ego Deus, ego Dominus.* In qua traxit funiculo triplici. In malitia quidem obstinatos seueritate damnationis, vt patet in Dathan, & Abiron, & Core, cum suis complicibus. Præuaricatores verò, sed corrigibiles seriositate correctionis. Nam vsque ad incarnationem Filij, Pater mundum in virga ferrea gubernans, nec parua reliquit in suis etiam electis inulta, vt patet in Mose, Aaron & Maria. *Quis* ergo *non timebit te, ô rex gentium,* cùm tantam exerces in præuaricatores vindictam, vt omnes cautos reddas & timoratos? *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.* Perseuerantes autem in bono, aut fortiter certantes, & vincentes, trahit fidelitate promissionis: iuxta illud Psalmistæ: *Et quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita.* Tractus Patris. Ioan. 6. Exod. 20. Leuit. 19. & 20. Funiculus Patris. Num. 16. Num. 12. Ierem. 10. Psal. 88. Tractus Filij.

Trahit proinde Filius sua sapientia. Qui tractus dici potest ex violento & voluntario mixtus. Habet enim aliquid timoris & horroris, & aliquid amoris. Et hoc funiculo triplici. Primo, veritate instructionis, ad ambulandum in vijs mandatorū, & in semitis consiliorū Dei, prout Euangelia nobis luce clarius demonstrant. Vbi in summa perfectione depinxit virtutes, vt eas æstimatione sua redderet nobis pretiosas & appetibiles, quò iam perfectio virtutū sapere nobis incipiat, ac paulatim alliciat. Est enim quædam cordis voluptas, cui dulcis est panis ille doctrinæ cælestis, secundùm Augustinum. Porrò si poëtæ dicere licuit, *Trahit sua quemque voluptas,* sic ramum viridem ostendis oui & trahis illam, puero nuces ostenduntur & trahitur, & quò currit trahitur, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, vinculo cordis trahitur. Si igitur hæc, quæ inter delicias & voluptates terrenas reue- Funiculus Filij.

lantur amantibus, trahunt, quomodo non potius trahit Christus reuelatus, qui est veritas? Quid enim fortius anima desiderat gustare, q̃ sapientiam, iustitiam, veritatem, æternitatem, quorum desiderio fauces auidas habere debet? Sic tractus fuit Petrus, cùm respondit: *Domine, quò ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Secundo verò, exemplaritate conuersationis, dicens: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis:* ne scilicet hominem vilem pudeat vel pigeat. sequi Dominum suum, dicentem: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Plus enim mouent exempla, quàm verba, præsertim Filij Dei pro nobis incarnati. Hinc dicitur in libro Iob: *Si direxerit* homo *ad* Deum *cor suum, spiritum illius & flatum ad se trahet.* Curuum enim est cor hominis, cùm ima appetit: dirigitur autem, cùm ad superna subleuatur. Spiritum autem pro internis cogitationibus, & flatum, qui per corpus trahitur, pro externis actionibus ponit. Ergo Deum hominis spiritum & flatum ad se trahere, est ad conuersionem sui desiderij interiora nostra & exteriora commutare, vt omne quod est homo ad Deum interius ferueat, & exterius se edomando constringat. Tertio denique, charitate redemptionis. Hierem. 31. *In charitate perpetua dilexi te; ideo attraxi te, miserans* tui. Et hoc vtiq; *in funiculis Adam.* De quibus dicitur in Osee: *In funiculis Adam* (vel, vt alia habet translatio) *in funiculis hominum trahã eos, in vinculis charitatis,* id est, ea charitate, qua mihi astrinxi Abraham, Isaac, & Iacob, & cæteros electos coniungam & istos mihi pietate & mansuetudine conuersationis, charitate & solicitudine saluationis. O quem non traherent tanta charitatis indicia? vt meritò diceret: Cùm *exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum,* id est, totum hominem ad redemptionem, reconciliationem, glorificationem, & intimum amorem.

Iohan. 6. Iohan. 13. Iohan. 8. Iob 34. Osee 11. Ioan. 12.

Tractus Spiritus sancti.

Sanctus autem Spiritus trahit sua bonitate: qui tractus est amoris, & ideo voluntarius. Trahit enim Spiritus sanctus funiculo triplici, quo chordà quædam amoris diuini conficitur: qui scilicet amor Spiritui sancto appropriatur. Et hac chorda genus humanum ad amorem reciprocum allicitur & trahitur. Nam cùm omnis amor virtutem vnitiuam habeat, (vt dicit Dionys. 7. Angel. Hierarch.) multò fortius tamen amor spiritualis, qui trahit efficacius amãtem, vt vniatur amato. Vnio verò tractum amantis ad amatum præsupponit: ideo Spiritus sanctus, qui dicitur amor Patris & Filij, trahit hominẽ ad Deum, vel Christum per impressionem gratiæ spiritualis, quæ est diuina sapiẽtia,

vel

vel interior illuminatio. E cõtra verò, trahit Deum, vel Christum ad hominem, vt sui participio, profectu virtutum homo perficiatur. Et præcipuè Christum trahit ad hominem, vt sui participio per vitalis alimoniæ prouisionem incorporetur, quæ est ipsa Eucharistia, per cuius sumptionem homo recipere meretur augmentum virtutis, & præcipuè charitatis. Primus igitur funiculus est donatio veniæ ad sperãdum, quia Spiritus sanctus, secũdùm Apostolum, *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, donec veniam impetrauerit, & plenam fiduciam inculcauerit, id est, postulare nos facit. Secundus est exhibitio diuinæ gratiæ ad proficiẽdum, quia sua bonitate promptior inuenitur ad augmentum gratiæ tribuendum, quàm nos ad recipiendum. Stat enim semper *ad ostium, &* pulsat, vt affectum alliciat, & gratiam conferat. Sed vbi vasa vacua non fuerint, *oleum* stare necesse est. Hinc hortatur dicens: *Petite, & accipietis*, Tertius est promissio gloriæ ad perseuerandum. Solus enim *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*.

Funiculus Spiritus sancti. Rom. 8.

Apoc. 3. 4. Reg. 4. Ioan. 16. Matth. 10.

Quòd Iesus sapientia Patris multipliciter trahit animam ab oblectatione sensualitatis ad sapidam degustationem spiritus.

Cap. XXXVII.

Trahe me post te, curremus in odorem vnguẽtorum tuorum. In hoc sponsa suam ostendit humilitatem, & feruentem charitatem; exprimens desiderij sui feruidum affectum, recognoscens suum proprium defectum, & petens consilij diuini salubrem effectum; & hoc per Christi prædicationem quæ illuminat intellectũ, ac eius conuersationẽ, quæ inflãmat affectum, eiusq; miraculorum operationẽ, quæ corroborat vtrunque. Primum enim est sanatiuum errorum: secũdum informatiuũ morũ: tertium cõpletiuum omnium bonorum. Sic ergo sponsa trahi petit, vt currat in via pœnitẽtiæ, quam odoriferã Christus reddidit in sua passione; sicut canis venaticus feram insequitur recto tramite. Vt, inquã, currat sic tracta in odorem operum bonorum; quæ velut vnguenta redolent: quia per hæc *Christi bonus odor sumus Deo* in omni loco & hominibus. Vt denique currat tracta per vitam actiuam in odorem vitæ contemplatiuæ, id est, donec per contemplationem saporosam liberis alis affectuum omnia creata supergredi valeat, adulterinas consolatiunculas, vberiori consolationis spiritu inebriata, penitus fastidiendo.

2. Cor. 2.

Nam, vt dicit Hugo de Arca Noë, Deus rationalem spiritum creauit sola charitate, nulla necessitate, vt eum suæ beatitudinis participē efficeret: vt & idem aptus esset tanta beatitudine perfrui, fecit in eo dilectionem spiritualem, palatum quodammodo per hanc illum sensificans ad gustum internæ dulcedinis, quatenus per ipsam dilectionem ei infatigabili desiderio inhæreret. Per dilectionem ergo copulauit sibi Deus rationalē creaturam, vt illi semper inhærendo, ipsum, quo beatificanda erat bonū, & ex ipso quodammodo per affectum sugeret, & de ipso per desiderium biberet, & ipsum per gaudium possideret. Veruntamē secundùm Bernardum, interiorem saporem perdidimus ab ipso penè exordio generis nostri. Ex quo namque cordis palatum, sensu carnis prævalente, virus infecit serpētis antiqui, cœpit non sapere bonum, ac saporem noxius subintrare, & insipientia mulieris, id est, sensualitatis, boni saporē excluſit: quia serpentis malitia & astutia, mulieris insipientiam circumuenit: & ideo nūc visus spiritualis interior tenebrescit, auditus surdescit, olfactus tabescit, gustus amarescit, & tactus crassescit, vt meritò clamet Psalmista, dicens: *Oculos habent, & non videbunt; aures habent, & non audient; nares habent, & non odorabūt*, &c. Psal. 113. Hocergo magnum bonum, quod homo habuit ex sensu tam interiori, quàm exteriori bene ordinato, secutum est magnum malum: quia perdito bono quod intus erat, ingressa est anima ad aliena bona, & pactum fecit cum delectationibus, requiescens in illis. Et quando sensus carnalis exterior bono suo vtitur, interior sensus quasi obdormit, quia non cognoscit bona sensus interioris, qui iucunditate bonorum exteriorum capitur: Intrans autem sapientia dum sensum carnis infirmat, intellectum purificat, & cordis palatum sanat & reparat, quia paulatim vincit malitiam, id est, concupiscentiam in mentibus, ad quas intrauerit, saporem mali, quem illa inuexit, sapore meliore exterminans, ita quod sanato palato, iam sapit bonum, sapit & ipsa sapientia, qua in bonis nullum melius. Nam cùm à delectatione carnis abstrahitur, necesse est vt statim iam aliquid spiritualis gaudij prægustare incipiat, ne si penitus à delectatione remanserit alienus, quasi semen aridū sine humore, ad germen sapientiæ non conualescat. Illas tamen mentes singulariter internæ dulcedinis desiderium trahit, quas nullius concupiscentiæ carnalis affectus foris religauit.

Gustus animæ excitari à Christo.

Quòd si quæris, qualiter ad istā gustus experientiā pertingere possis breuiter respondeo, quòd Iesus Christus, qui est sapida sapientia Patris,

tris, vtpote in qua est sapor omnis suauitatis, & & delectamenti, nobis efficaciter ingerit hunc gustum. Et hoc multipliciter. Primò, se manifestando in operibus suis, vt sic visibiliter videri possit inuisibilis per effectum suũ visibilẽ, iuxta illud Psalmistæ: *Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Quia cũcta, quæ creasti bona valde, dicunt mihi, vt amem te. Illa tamen delectatio nõ fit semper ex gustu sapientiali oleo gratiæ condito, nec illa notitia est experimentalis, sed discursiua. Secundò, in incarnata natura se manifestando, in qua se exinaniuit incuruatus, & vt lumẽ in testa factus, vt sic nos illuminaret, & ad Patrẽ reduceret. Quæ manifestatio meritò causat in sensibus nostris interioribus notitiã quandã æternorum credibilem supernaturalẽ: quæ nobilior est manifestatione præcedenti: quia dona supernaturalia perficiunt naturã, vt dicit Dionysius. Nec tamen ista notitia experimentalis est, quia experiẽtia repugnat fidei. Verumtamen ex firma fidei notitia multiplex habetur cõsolatio. Tertiò, sẽ quotidie manifestando, factus amoris cibus, & refectio. Nam ideò carnem assumptã in eduliũ nobis proposuit in Sacramento, vt per cibũ carnis nos inuitaret ad gustũ diuinitatis. Hinc incarnata sapientia videtur quasi panis, ita vt veraciter dicere posset. *Ego sum panis vitæ*, factus in sacramento verus cibus, & verè gustabilis, vt per gustum corporis suos duceret ad gustũ diuinitatis, quia secundùm humanitatem est via ad diuinitatẽ. Hinc se dicit *ostium*, & hoc primò sensui corporali per signa sensibilia monstratũ in Sacramento, scilicet per sensibiles species panis & vini. Secundò, se dicit *ostium* intellectui per fidẽ perfectam reseratum. Fides enim, secundùm Chrysostomum, est lumen animæ, ostium vitæ, fundamẽtum salutis æternæ. Nam intellectus humanus sine radio fidei, circa diuina quasi cæcus est: sed per fidem intellectus illuminatus & confortatus, hanc veritatem indubitanter attingit, quòd Christus veraciter est in Sacramẽto, & deitas veraciter est in Christo. Tertiò, se dicit *ostium* voluntati per charitatẽ feruidã apertum, gustatũ, & inhabitatum: quia *qui manducat*, inquit, *carnem meã, & bibit meũ sanguinẽ in me manet, & ego in eo.* Dicit ergo Iesus. *Ego sum ostium* scilicet sensui per corpus assumptũ ei obiectum, intellectui per fidem reseratũ, ac voluntati per charitatẽ apertum: quia charitas inter se & dilectum non vult scire medium, sed acumine suo cuncta penetrat, donec ad dilectum & in dilectũ veniat. Sequitur: *Per me si quis ad meam intrinsecam diuinitatem introierit* fide & charitate, *saluabitur.*

Psal. 91.

Christum dici ostium. Ioan. 10.

Ioan. 6.

Ioan. 10.

Ioan. 10.

bitur: Et ingrediendo ad contemplandam meam diuinitatẽ, ac egrediendo ad imitandam meam humanitatem, vtrobiq; pascua æternæ viriditatis & salutis *inuenies.* Vnde dicit Hugo, quòd propterea Iesus carnem in edulium nobis proposuit, vt per cibum carnis nos inuitaret ad gustum diuinitatis. Quem cibum sponsa degustauit, dicens: *Comedi fauum meum, cum melle meo.* Fauus est cera virginea, loculis & cellulis distincta, quæ sunt melle repleta. Fauus igitur est Christi humanitas, & mel eius diuinitas. Quasi diceret: Gustaui dulcissimam diuinitatem in cera virgineæ humanitatis absconditam. Veruntamẽ si hęc non gustantur, non intelliguntur: & si non intelliguntur, vanè audiuntur. In amore autem fit talis gustus experimentalis, qui est magistra intelligentiæ, & consummatio. Hinc dictum esse reor: *Gustate, & videte,* quia in gustu *mellis oculi* Ionathæ *sunt illuminati.*

Cant. 5. Fauus.

Psal. 33. 1. Reg. 14.

De tractu voluntatis, quæ secum trahit totum hominem, & de sensibus tam interioribus, quàm exterioribus: ac de renouatione spiritus secundùm amorem, scientiam, & operationem.

Cap. XXXVIII.

Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.

Diuini amoris attractiuam virtutem alloquitur anima, voluntatem suam attrahi petens in vnionem diuinæ voluntatis, vt vnus spiritus cum Deo fiat, sentiens vnum velle, & vnum nolle. Nam iste tractus principaliter in voluntate fit, & hoc per inhabitantem charitatem. Voluntas autem vi quadam secum totum hominem trahit, id est, omnes vires, tam intellectiuas, quàm affectiuas; tam inferiores, quàm superiores.

Pro quo notandum, quòd (vt dicitur in libro de spiritu & anima) duo sunt in homine sensus, & vterque bonum suum habet, in quo reficitur. Vnus exterior, qui reficitur in contemplatione humanitatis Christi. Alius interior, qui reficitur in contemplatione diuinitatis. Ideo nanque Deus factus est homo, vt totum hominem beatificaret, & tota conuersio hominis ad ipsum esset, & tota dilectio eius in illo esset, cùm à sensu carnis videtur per carnem; & à sensu mentis per diuinitatis contemplationem. Et hoc totum erat bonum hominis, vt siue ingrederetur, siue egrederetur, in factore suo *pascua* dulcissima inueniret. Sicut enim in carne sunt quinque sensus, quos tamen diuinitas non mouet absqua animæ societate: sic anima quinque sensus habet

Sensus exterior.

Sensus interior.

Ioan. 10.

Sensus animæ quinq.

bet suo modo, quia res spirituales non corporalibus sensibus, sed spiritualibus rimandæ sunt. Exempli gratia: Dicit Dominus in Deuteronomio: *Videte, quia ego sum Deus.* Ecce spiritualis visus. Et in Apocalypsi: *Qui habet* aures audiēdi, *audiat, quid spiritus dicat Ecclesijs.* Ecce spiritualis auditus. Et in Psalm. *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Ecce spiritualis gustus. Et Apostolus quoque dicit, quòd *Christi bonus odor sumus.* Ecce spiritualis olfactus. In Euangelio denique Dominus, fide mulierem se magis tetigisse, quàm corpore demonstrauit, dicens: *Quis me tetigit?* Ecce spiritualis tactus. Deut.32. Apoc.2. Psal.33. 2.Cor.2. Lucæ 8.

Hinc obseruandum est cum omni cautela, quid ad corporis sensus, & quid ad animæ dignitatem pertineat. Vnde, secundùm Bernardum, sicut corpus quinque sensus habet, quibus animæ iungitur mediante sensualitate: sic anima suos qinque sensus habet, quibus æternis, siue Deo coniungitur, mediante charitate. Per sensus corporis veterascimus, & huic seculo conformamur: per sensus mentis renouamur in agnitionem Dei, siue æternorum. Et sicut alij sensus corporales sine gustus sensu infirmantur, & hebetantur in operationibus suis: sic alij sensus spirituales langueſcunt propter absentiam gustus sapiētialis. A cuius gustu quanto diutius abstinemus, tanto sensus interiores magis infirmantur, & deficiunt in actibus suis circa æterna. Adueniente autem gustu sapientiæ, dulcedo quædam saporis sequitur, quam in interiori suo sentiens anima, quodam singulari modo cuncta, quæ suscipit, discernit, & dijudicat, seque & omnes sensus vegetat & confirmat. Pro quo sciendum, quòd secūdùm Alexandrum de Hales in secunda parte Sūmæ, sensus spiritualis fundatur in natura spirituali, secundùm quòd anima secundùm intelligentiam dicitur spiritus. Et, secundùm Bonauenturam, sensus spiritualis dicitur vsus interior gratiæ, respectu ipsius Dei, secūdùm proportionem ad quinque sensus corporales. Et sic accipiunt sensus Origenes, & Bernardus, qui distinguunt quinque sensus interiores: quorum quilibet (vt vult Bernardus) radicem habet in intellectu & affectu, pro eo quòd cognitionem dicant experimentalem, cùm tamen secundùm rem ponere necesse est vnum sensum interiorem, licet per modum comprehendendi plures esse dicantur, quia vna erit potentia, secūndùm quam erit videre & gustare: & ita vnum erit insubstantia videre & gustare. Dicit enim Augustinus in libro Confessionum: Cùm amo Deum meum, amo lucem, vocem, odorem, cibum, amplexū interioris hominis mei, vbi fulget animæ

mæ quod non capit locus, vbi ſonat quod non capit tempus, vbi olet quod non ſpargit flatus, vbi ſapit quod non minuit edacitas, vbi habet quod non euellit ſatietas. Dicit tamen Bernardus, quòd Deus non vniformiter ſapit omnibus. Oportet namque pro varijs animæ deſiderijs, diuinæ præſentiæ guſtum variari, & infuſum ſaporem ſupernæ dulcedinis, animi diuerſa appetentis aliter atque aliter oblectare palatum. Multum enim differenter ſapit panis æternæ vitæ reprobis & electis: quia verba ſapientiæ reprobi ſolùm audiunt, ſed electi etiam guſtant; & vnuſquiſque pro vitæ ſuæ merito guſtat. Ideo dicit Auguſtinus, quòd voluntas habet vnum actum proprium, qui eſt actus tenendi ſeu amplexandi, & quaſi poſſidendi, quod actus intellectus habere non poteſt. Nam poſſeſsio non eſt intellectus cognoſcentis, ſed voluntatis habentis, ſicut ſanitas ſani non eſt medici cognoſcentis, ſed ſani habentis. Sic & actum guſtandi non habet intellectus, ſed voluntas: quia guſtus eſt in charitate. Charitas autem, vel dilectio eſt actus voluntatis. Nam ſicut Deus per memoriam auditur, iuxta illud: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, & per intelligentiam videtur: ſic etiam per affectum tangitur, amplexatur, & adſtringitur: quem tactum ſpiritualem experta fuit anima, cùm dixit: *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Vnde læuæ nomen, ſecundùm Richardum, intelliguntur ſplendores intellectus ſpeculatiui, qui pertinent ad ſtatum viatoris; ſed dexteræ nomine, quæ patriam ſignificat, intelligitur vnitio ſuperintellectualis ad Deum, quæ ſpeculum neſcit, ſed quaſi præmium inchoat, tanquam arrha & pignus ſpiritus. Nihil autem eſt, quod tam gratam mentibus præſtat refectionem, ſicut panis ſuperſubſtantialis: quia talis refectio non fit per ſpeculum, ſed per diuinæ dulcedinis experientiam, iuxta quod guſtus & tactus non exercentur per ſpeculum, ſicut viſus. Et in hac Dei participatione fundatur portio Mariæ, *quæ non* auferetur *ab ea*. Et cùm, ſecundùm Dionyſium, Ieſus Chriſtus vera ſapientia Patris, ſit fontana copia ſuſceptionum diuinarum ſuauitatum, & refundat de plenitudine ſua diuiniſsimas fragrantias ſiue odores, ac deiformes intelligentias: in quibus mentes ſuauiter delectatæ, & ſanctis ac odoriferis ſuſceptionibus adimpletæ, vtuntur intelligibili alimento, penetrante ad infimos ſuos intellectuales ſinus, ſecundùm diuinam participationem beneuolentium diſtributionum, planum eſt quod hi, quos ſapida ſapientia inhabi-

Pſal. 84.

Cant. 2.

Lucæ 10.

habitat, sacris susceptionibus fœcundantur, habitibus virtutum, & fructibus bonorum operum perficiuntur, quibus deiformiter adornantur. Nam deiformis adornatio, secundùm Linconiensem, est renouatio spiritus rationalis, & conformitas ipsius, prout est possibile, secundùm amorem, scientiam, & operationem ad DEVM, ad quam deiformem adornationem attinget nostra possibilis assimilatio, vt amor referatur ad Spiritum sanctum, scientia ad Filium, & operatio ad Patrem. Est enim in nobis primò amor boni in genere, deinde scientia bonorum in specie, ex quibus proceditur in operationem singularium bonorum scitorum, & amatorum: sicque rationalis creatura, quantum est possibile. Deo debet assimilari, secundùm amorem, scientiam & operationem, & ad eius imitationem reduci deiformiter. Quod totum operatur in nobis gustus ille verus sapientiæ salutaris, qui cognitionem experimentalem nobis administrat. Et quia in amore fit huiusmodi gustus, constat, secundùm Hugonem, quòd qui ardentius diligunt, profundius prospiciunt, & subtilius discernunt. Et quia magis è vicino respiciunt, euidentius procul dubio cognoscunt. Ergo rectissimè, quanto magis amantur æterna, tanto plenius gustantur, & perfectius cognoscuntur. Hinc super illud: *Ego sum qui sum*, dicit Vercellensis, id est, *ego sum* esse in se reflexum, vel entitas, quale nomen non percipitur, nisi ab apice principalis affectionis, quæ vnitur æternitati. Quasi diceret: Nemo me potest cognoscere, nisi per memetipsum. Nemo enim scit, nisi qui accipit per reuelationem, secundùm Augustinum: Vel, vt dicit Haymo, qui ad hoc prædestinatus est vt cognoscat. Quod fit per vnitionem dilectionis, quæ est effectiua veræ cognitionis, qua vnitur Deo intellectualiter ignoto, & tamen cognito multo melius, quàm sit cognitio, in eo, quòd intellectualis est: quia eo quòd cognitionem intellectualem derelinquit, supra intellectum & mentem Deum cognoscit. Ex quo patet, quòd reuelatio superintellectualis non fit per intellectualem cognitionem, sed per ardentissimam, & superferuidam dilectionis cognitionem. Exod. 3.

Quòd contemplationis sex sunt gradus: & de duobus primis, ac de duplici imaginatione & cogitatione, scilicet speculatiua & practica. Cap. XXXIX.

Rahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.

In libro Augustini de spiritu & anima tanguntur sex gradus, quibus ascenditur ad apicē contemplationis, quibus etiā feliciter ascenditur in Deum: Ad quos etiam reduci possunt gradus, quos Bernardus breuiter super Cantica enumerat, dicens: Contemplatorem verum & iubilatorem certum te iudico, si primùm te perfecerit actio, si sensus ab exterioribus reuocas, si imaginabilia felici motu pertranseas, si rationabilia celeri motu percurras, si intelligibilia illuminata fide cognoscas, si in primo, vero, & summo bono, intelligentias & voluntatem tuam totā ponas, sugas vnde teneritudinem tuam enutrias, bibas vnde gaudeas, haurias vnde nunquam deficias. Vnde gradus istos in libro de spiritu & anima prosequens Augustinus, primum gradum ascendendi per contemplationē in Deum ponit in operatione sensuū, per quam percipiuntur res corporales. Sensus autem est ea vis animæ, qua rerum corporearum corporeas percipit formas præsentes, quæ multipliciter & variè suum demonstrant Creatorem, eò quòd *inuisibilia* Dei *à creatura mūdi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, & *sempiterna virtus eius & diuinitas*. Et hæc est, secundùm Augustinum, à temporalibus ad æterna regressio, & ex vita veteris hominis in nouum hominem reformatio, in creaturis scilicet quærere & considerare omnium Creatorem. Vnde Bernardus ait: Quid enim hæc tanta formarum varietas, atque numerositas specierum in rebus conditis sunt, nisi quidam radij, solem deitatis demonstrantes quidem, quia verè est, à quo sunt, non tamen prorsus quid est, diffinientes? Itaque de ipso vides, sed non ipsum. Verùm hoc genus videndi commune est. In promptu est enim omni vtenti ratione secundùm Apostolum, *inuisibilia* Dei *per ea quæ facta sunt, intellecta* cōspicere. Et pertinet ad vitam actiuam, cuius perfectio propriè non est gradus contemplationis, sed necessariò præcedens, tanquam disponens potentias contemplatiuas ad actus suos non impeditos & perfectos. Dicit enim Gregorius, quòd qui contemplationis arcem ascendere desiderant, prius necesse est, vt in opere actionis perfectè se exerceant. Vnde Bernardus: Cùm anima in actione sua in aliud tendit, quàm in Deum, quamuis hoc faciat propter Deum, non est tamen Mariæ otium, sed Marthæ negotium: quæ adhuc *sollicita* est, & turbatur *erga plurima*. Et non potest terrenorum actuum saltem tenui puluere non respergi: quem tamen citò facilèque detergit in hora san-

Gradus cōtemplationis sex.

Sensus.

Rom. 1.

Ibidem.

Lucæ 10.

ra sanctæ orationis, vel deuotionis casta intentio, quæ est intendere, & quærere solum Deum, & propter ipsum solum, quod fidelis sponsæ proprium est, de qua intentione sufficienter præmissum est. Secūdum verò gradum contemplationis ponit in imaginatione, quæ est ea vis animæ, quæ rerum corporearum incorporeas sūscipit formas, absentium, & præsentium; præteritorum, & futurorum: vt sic ipsa inter sensum & rationem, velut ancilla inter seruum & dominam discurrat, & quicquid exterius per sensum carnis haurit, intus per obsequiū rationi repræsentet. Imaginatio namq; simplicior & nobilior est potētijs sensitiuis, cùm ipsa solas similitudines obiectorum sensuum in se recolligat, & quo ad aliquid ab hoc loco, & ab hoc tempore abstrahat; & ideo naturam humanam magis appropinquare facit æternis, quàm sensus exteriores. Hinc dicit Richardus: Ad inuisibilium cognitionē ratio nunquam adsurgeret, nisi ei ancilla sua, scilicet imaginatio, visibilium formas repræsentaret: sine quarum cognitione ad cælestium contemplationem nunquam ascēderet. Quapropter efficaciter ad contemplationem disponit, exteriores sensus ad interiora reducens, quod est greges, id est, sensus bestiales, minare cum Moyse *ad interiora deserti*. Hunc etiam gradum Origenes ponit secundum gradum contēplationis. Vbi enim actiua vita terminatur, ibidē ordinatè contemplatiua vita inchoatur, & gradatim sursum ascendit, donec in visionē intuitiuam consummatur. Hic tamen notandū, quòd duplex distinguitur imaginatio. Et quia cogitatio oritur ex imaginatione, ideo & per consequens duplex cogitatio distinguitur. Quædam enim imaginatio dicitur bestialis, qua scilicet circa ea, quæ ante vidimus vel fecimus, sine vtilitate & absque deliberatione versamur, vaga mente discurrendo. Nec pertinet ad contemplationem, quia in illo gradu tantùm res imaginamur. Sic quædam est cogitatio bestialis, de qua dicit Richardus: Cogitatio est improuidus animi respectus ad euagationē pronus, iuxta illud Genes. *Sensus enim & cogitatio humani cordis, in malum prona sunt ab adolescentia sua*. Et sic per diuersa quæque lento pede sine respectu peruentionis, passim huc illucq; vagatur, motu vago de vno in aliud transiens. Et de omni verbo otioso rationem reddituri sumus, multo magis tamen de omni cogitatione otiosa: qualis tamen cogitatio minima iudicatur in genere cogitationum, nihil vtilitatis conferens, sed animum tristem relinquens, & animam puluere venialium maculans. Hinc dicit Seneca: Cogitationes vagas & inu-

Imaginatio. Exod. 3. Imaginatio duplex. Imaginatio bestialis. Cogitatio. Genes. 8. Matth. 12. Lucæ 6.

tiles ac velut somno similes non recipies: quibus si animũ tuum obiectaueris, cum omnia disposueris, tristis remanebis. Insuper addit Cassiodorus super Psalm. Quocunq; tempore non cogitaueris Deum, puta tempus illud amisisse. Quòd si quæritur: Vtrum in cogitatione prauа sit peccatum? Respondet Alexander de Hales in secundo, quòd quædam est cogitatio speculatiua, & hæc nõ est peccatũ, sed est occasio peccati. Quædam autẽ est practica, quæ scilicet procedit vsq; ad delectationem vel consensum, & illa est peccatum. Cùm enim cogitatio prauа pulsauerit animũ, si mens renititur, non est peccatũ: si verò per desiderium ducitur, est peccatum, propter ipsam delectationem annexam. Et sic cogitatio iacere dicitur in anima, iuxta illud Isidori: Non est arbitrij nostri cogitationis prauæ suggestionibus præuenire: iacere autẽ in aliqua cogitationũ, nostræ attinet volũtati. Id ad culpam non redigitur: istud culpæ propriæ imputatur. Et si quidem est cogitatio de veniali, procedẽs ad delectationẽ vel cõsensum, est veniale peccatũ. Si verò de mortali est, & procedit ad cõsensum operis vel delectationis, est mortale, nõ propter cogitationẽ principaliter, sed propter consensum.

Cogitatio mala vtrũ sit peccatũ.

Quædam autẽ imaginatio dicitur rationalis, qua scilicet aliqua rationabiliter imaginamur ex ijs, quæ videmus: & illa sæpius vtimur in conteplatione, quia tunc rationi famulatur. Nec solùm res imaginamur in hoc gradu, sed etiam rerum vtilitatem, rationem, ordinem, & cæteras conditiones rimamur, speculamur, & miramur: Quæ contemplatio consistit in imaginatione secundùm rationem. Quamuis enim imaginatio ad rationẽ non ascẽdit, tamen (vt dicitur in lib. de spiritu & anima) remanens infra rationem, potest eam aliqualiter & quasi à longè deducere, & quædam ostendere, ad quæ non potest ipsa peruenire. Nam ratio multa cõcludit, ex imaginatione occasione accepta, quæ continuè adsistit rationi famulando, sensu absẽte vel quiescente. Sic quædam est cogitatio rationis ex hac imaginatione procedens, de qua dicit Psalmista: *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi.* Et sic cogitatio tantùm accipitur in bonum, vtpote à ratione directa. Vnde dicit Gregorius, quòd cogitationes ad modum ancillarum rationi subijciuntur: quòd si à domo mentis ad momentum ratio discedat, quasi absente domina, cogitationum se clamor velut garrula ancillarum turba multiplicat. Vt autem ratio ad mentem redierit, mox se confusio tumultuosa compescit, & quasi ancillæ ad iniunctũ opus se tacitè reprimunt. Sic cogitationes

Imaginatio rationalis.

Cogitatio rationalis. Psal. 75.

proti-

protinus causis se proprijs ad vtilitatem subdunt. Deniq;, si cogitatio sic ratione moueatur, vt ad cognoscendum aliquid ambiat, & ad hoc vehementer & fortiter insistat, iam non est cogitatio, sed modum cogitationis cogitando excedit, & cogitatio in meditationem transit. Meditatio vnde oriatur.

De tertio gradu contemplationis, & de meditatione, qualiter terminatur in speculationem, & perficitur per diuinam inspirationem. Cap. XL.

NVm, quem diligit anima mea, vidistis? Cantic. 3. Vigiles in operibus & exercitijs spiritualibus, studioſaque sedulitate fideliter aspirantes ad veram virtutum perfectionem, & cælestium contemplationem, anima sancta desiderijs veri profectus flagrans alloquitur, dicens: *Num quem diligit anima mea vidistis?* oculo metali in creaturis, in scripturis, in flammigeris meditationibus & orationibus, seu in ignitis sursum actionibus, & internis inspirationibus. Vnde tertius gradus contemplationis in ratione consistit, quæ est ea vis animæ, quæ rerum corporearum naturas, formas, differentias, proprietates & accidentia cuncta percipit incorporea, sed non extra corpora. Abstrahit enim à corporibus illa, quæ fundantur in corporibus, non actione, sed consideratione. Et hæc ratio sensum mentis acuit, vera à falsis distinguit, & imaginem Dei in se conseruat: quia per rationem anima non solùm Deum esse cognoscit, sed etiam eius capax fit: & ideo incorporabiliter tam sensum, q̃ imaginationem excellit dignitate, & excedit operatione. Per rationem enim anima de Deo meditatur, meditando contemplatur. Deus contemplatus amatur, & amatus habetur. Hæc est enim vis naturæ diuinitatis, secundùm Augustinum, quòd creaturæ rationali iam ratione vtenti, non omnino ac penitus possit abscondi. Vertus ergo contemplator es, secundùm Origenem, si est in te transitus omnium imaginabilium, vt cum Psalmista dicas: *Elongaui fugiens*, scilicet omnem sensum & imaginationem, *& mansi in solitudine*. Super quo dicit Bernardus: Non fuit contentus exire, nisi longè se faceret, vt quiescere posset. Et si transilisti oblectamenta carnis, vt minimè iam obedias concupiscentijs eius, nec tenearis illecebris eius, profecisti, & tu superasti; sed nondum te elongasti, nisi & irruentia vndique phantasmata corporearum similitudinum transuolare mentis puritate prævaleas: hucusque noli tibi promittere requiem. Erras si citra te inuenire æstimas Ratio. Psal. 54.

locum quietis, secretum solitudinis, solium luminis, habitaculum pacis. Nam secundùm Richardum, quando ex rerum visibilium similitudine, in rerum inuisibilium speculatione subleuamur, prima speculatio consistit in ratione, quæ solùm his per intentionem & inuestigationem insistit, quæ imaginationem excedunt, quæ sunt inuisibilia. Formantur tamen in ratione secundùm imaginationem, quia ex rerum visibilium imaginatione similitudo trahitur in huiusmodi speculatione, vnde animus adiuuetur in rerum inuisibiliũ inuestigatione. Ad cognitionem enim inuisibilium ratio nũquam assurgeret, nisi ea anciila tũa, scilicet imaginatio rationi per visibilium formas repræsentaret: quamuis aliquæ contemplationes formatur in ratione, & secundùm rationem, ita quòd semoto omni officio imaginationis, illis solùm animus intendit, quæ imaginatio non nouit, sed quæ mens ex ratiocinatione colligit, vel per rationem deprehẽdit, ita quòd sensibilibus semotis, solùm intelligibilibus intendit. Hic igitur videndum est de meditatione, quæ, secundùm eundem Richardũ, est quidam animi intuitus, cum inquisitione veritatis occupatus, scilicet eorum, quæ Deus fecit, pertulit, promisit, præcepit, prohibuit, consuluit, &c. Meditationis studium, secundùm eundem, est indrustriosæ cognitionis labore, qualibet animi difficultate ardua quæque apprehendere, obscura irrumpere, occulta penetrare, donec veritatem diu quæsitam inueniat, & spiritum ad veritatis contemplationem cum admiratione & exultatione adducat. Vnde duo intentioni rectæ necessaria, meditatio sancta suo feruore cõfortat & augmentat. Hinc dicit Psalmista: *In meditatione mea exardescit ignis*, scilicet feruoris, quo scilicet intentionem ad Dei cognitionem illuminat, & quo ad desiderium finis inflammat. Fit igitur meditatio cum labore & fructu circa vnum aliquod quod inceſſanter incedens. Dicit enim Hugo: Quòd si per studium meditationis assiduæ cor nostrũ inhabitare cœperimus, iam temporales quodammodo esse destitimus, & quasi mortui mundo facti, intus cum eo viuimus. Et tunc quicquid fortuna extra molitur, facilè contẽnimus, quia ibi fixum est nostrum desideriũ, vbi mutabilitati non subiacemus. Ecce iam studiosa meditatio in tantum se exercuit & profecit, quòd in contemplationem transiuit, tanquam in quod perfectius est, id est, in aliquem gradum contemplãtionis, qui dicitur speculatio, quæ non est perfectus gradus contemplationis, licet vnum pro alio quandoque positum inueniatur, quia dicit Richardus,

Meditatio quid sit.

Psal. 38.

Meditatio transit in speculationem.

Quòd

Quòd sic veritatem per meditationem diu quæsitam, & tãdem inuentam, memoria solet cum auiditate susc ipere, mirari cum exultatione, & eiusdem admirationi diutius inhærere. Et hoc est iam meditationem meditando excedere, & meditationem in cõtemplationẽ transire: sicut cogitatio quandoque transit in meditationẽ. Cùm enim æternorum meditatio sit quædam inuestigatio & inquisitio veritatis æternorum, quæ fit cum magna animi industria, nec ab inquisitione desistit, donec, quod quærit, inueniat, quãtum potest: ideo spiritus humanus per meditationem in æternis non figitur, nec quietatur, donec ei per contemplationem ostendatur, quod per meditationem quærebatur. Quàm citò verò quæsitum inuenitur, & ille spiritus velut acquiescendo cum admiratione cœpit inhærere, tam citò meditatio desinit esse, & incipit in contemplationem transire: quia proprium est meditationi cum sua promotione semper ad vlteriora tendere, contemplationi verò iucunditatis suæ spectaculo cum admiratione inhærere.

Inspiratio diuina perficit meditationem.

Cæterùm, allocutio diuina differt à meditatione humana: quia diuina quædam inspiratio mentibus nostris suam veritatem & voluntatẽ inuisibiliter ostendit, quam humana meditatio studiosa mentis intẽtione diligenter inquirit. Nam adueniente diuina allocutione in interiori aspiratione, tota meditatio instruitur, & verificatur, quia in inspiratione idem est dicere, & illuminare, & audire, & videre: sicq; diuina allocutio meditationem humanam perficit & consummat, secũdùm Dionysium, bona naturalia, per dona supernaturalia perficiuntur. Dicit enim Gregorius super illud Iob: *Dictum est ad me verbum* Iob 4.
abscónditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurrij eius, quòd per *verbum abscónditum*, allocutio intimæ inspirationis intelligitur, Verbũ absconditum.
quæ mentem siue spiritum contingens subleuat, & temporales cogitationes deprimẽs, hanc æternis desiderijs inflãmat, vt nihil nisi superna iam cogitare ei libeat. *Abscónditum* ergo *verbum* audire est, locutionem Spiritus sancti corde cõcipere, quam mundus audire non potest, quia Spiritum sanctum accipere non potest, eò quòd ad diligẽda inuisibilia nõ adsurgit. *Venas etiam* superni *susurrij auris* cordis *furtiuè* Susurrium.
suscipit, quando subtilitatem locutionis intimæ, mens afflata raptim & occultè cognoscit. Vnde quandoque huiusmodi verba sunt adeò occulta, vt in intimis audita, extra dici non possint. Nam riuuli donorum spiritualium in amantis mente sic de cælestibus subtiliter currunt, vt per os carnis explicari non possint. Et *nemo scit, nisi qui accipit*, Apoc. 2.

pit, scilicet per probabilem degustationem, vel per reuelationem. Vnde Psalmographus ait: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo* Cæterùm, animarum verba, sunt inflammata desideria. Et magnus clamor, est magnum desiderium. Quoties igitur, secundùm Bernardum, legis vel audis, æternum Verbum & animam pariter alloqui, & se inuicé intueri, noli corporeas voces imaginari, vel ibi corporeas imagines apparere: quia hæc locutio Verbi est infusio doni, & animæ responsio, est cum actione gratiarum admiratio.

Psal. 118.

Verba animæ.

De deuotione, & oratione tam vocali, quàm mentali, quæ sunt ipsius meditationis collectaneæ. Cap. XLI.

Deuotio.

Oratio.

NVm quem diligit anima mea vidistis? Iam ordine congruo videndum est de collectaneis ipsius meditationis, quæ sunt deuotio & oratio. Nam deuotio (secundùm Anselmum) est pius & humilis affectus in Deum. Humilis quidem, ex conscientia propriæ infirmitatis: pius autem, ex consideratione diuinæ clementiæ. Oratio verò, secundùm Raymundum & Hostiensem, est pius affectus mentis in Deum tendens, & plerumque, ne pigritetur animus, in vocem prorumpens. Nihil autem Deum in tantùm inclinat ad pietatem & misericordiam, quemadmodũ pius mentis affectus. Ex quibus liquet, quòd deuotio est quædam mentalis oratio. Pro quo sciendum, quòd duplex est oratio, scilicet, vocalis & mentalis, iuxta illud Apostoli: *Orabo spiritu, orabo & mente.* Vocalis oratio præcipuè fieri debet per ministros Ecclesiæ, qui in persona totius populi fidelis, Deo munera labiorum suorum habet offerre. Cõueniens est enim, quòd talis oratio toti populo, pro quo profertur, innotescat. Et ideo rationabiliter institutum est, vt Ecclesiæ ministri huiusmodi orationes alta voce pronuntient, vt sic ad omnium notitiam peruenire possint. De quali oratione dicit Apostolus prima ad Timotheum: *Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones.* Hæc enim requiruntur ad completam orationem. Primò, vt orans accedat ad Deum, quem orat: quod significatur nomine orationis. Quia, secundùm Damascenum, oratio est ascensus intellectus in Deum. Secundò, quòd aliquid petat, quod significatur nomine postulationis. Tertiò, quòd rationem impetrãdi inducat, quæ quandoque sumitur ex parte Dei: vt est eius sanctitas, bonitas, charitas, & sic de alijs, per quã petimus exaudiri: ad quod pertinet obsecratio,

1. Cor. 14. Oratio vocalis.

1. Tim. 2. Orationi necessaria.

tio, quæ est per sacra contestatio, vt cùm dicimus: *Per natiuitatẽ tuam libera nos Domine.* Quandoque sumitur ex parte petentis, & sic est gratiarũ actio, quia de beneficijs acceptis gratias agentes, potiora meremur accipere. Et hæc quatuor in Collecta Trinitatis attendi possunt. Veruntamen oratio, quæ offertur à singulari persona, in priuato, siue pro se, siue pro alij, non est necesse quòd sit vocalis, dicente Domino: *Orantes nolite multum loqui:* ni mirum cum oratio potius sit actus cordis, q̃ oris. Nec enim verba deprecantis Deus attendit, sed cor orantis aspicit: quamuis orationi mentali frequẽter vox adiungitur, triplici ratione. Primò, ad interiorem mẽtis deuotionem magis excitandã, qua scilicet mens orantis facilius in Deum eleuetur, quia per exteriora signa vocũ, vel aliquorũ factorũ, mouetur mens hominis secundùm apprehensionem, & per consequens secundùm affectionem. Hinc dicit Augustinus ad Probam, quòd verbis & alijs signis ad augendũ desiderium sanctũ nos ipsos aliquoties excitamus. Sed quia quantitas cuiusq; rei debet esse proportionata fini, sicut quantitas potionis sanitati, ideo tantum est vocibus & huiusmodi signis vtendum, quantum interius proficit ad excitandam mentem, ad interioris desiderij feruorẽ. Si verò per hoc mens distrahitur, vel aliter quomodolibet impeditur, tunc à talibus cessandum est. Quod præsertim in illis contingit, quorũ mens sine signis huiusmodi sufficienter est ad deuotionẽ præparata, vt dicant cum Psalmista: *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea.* Et iterum: *Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te nõ est absconditus.* Tunc enim orationis negotium plus gemitibus, quàm orationibus agitur; plus fletu, quàm affatu: quia talis oratio ponit lachrymas in conspectu Dei, & gemitus illius non est absconditus ab eo. Tunc enim veraciter orare, est amaros in compunctione gemitus, nõ verba composita resonare. Secundò verò vocalis oratio adiungitur, quasi pro redditione debiti, vt sic homo seruiat Deo secundùm totum id, quod ex Deo habet, id est, non solùm mente, sed etiam corpore, quod præcipuè competit orationi vocali. Non autem oportet, quòd talis oratio vocalis assidua sit secundùm Augustinum, vbi supra, sed per certa interualla temporum & horarum Deum verbis rogemus, vt vel rerum signis nosipsos admoneamus, quantumque profecimus in hoc nobisipsis innotescamus, & ad hoc agendum nosipsos acrius excitemus. Et iterum Augustinus ait: Dicũtur fratres in Aegypto crebrò quidem habere orationes, sed eas tamen breuissimas,

Matth. 6.

Vox iuncta orationi quid.

Psal. 26.

Psal. 37.

& raptim quodammodo iaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimũ necessaria est, per productiores moras euanescat, atque hebetetur intentio. Tertiò denique vox adiungitur ex quadam redundantia ab anima in corpus ex affectione vehementi, iuxta illud Psalmistæ: *Lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea.* Dicit enim Bernardus, quòd oratio est hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam ac pia allocutio, & statio mentis illuminatæ, ad fruẽdum Deo quamdiu licet. Nam orare, est Deum quærere. Nec rectè oras, si in oratione præter Deum aliquid quæras, quia in ipso sunt omnia. Ibi remedia vulnerum, ibi subsidia necessitatum, ibi resartio defectuum, ibi copiæ profectuum. Ibi est quicquid accipere expedit, quicquid decet, quicquid oportet. Orando bibitur vinum spirituale, lætificãs cor hominis, vinum sancti Spiritus, quod inebriat mentem, & carnalium voluptatũ infundit obliuionem, humectans & confortans interiora arentis conscientiæ, escasque bonorum actuum digerit & deducit per quædam animæ membra, fidem roborans, spem confortans, charitatẽ ordinans & vegetans, a comnes mores impinguans. Tanta ergo sit fides in oratione, vt firmiter speret: tanta deuotio, vt Deum cogere videatur: tantus amor, vt ea, quæ petit in oratione, se sentiat obtinere. Hæc Bernardus. Mentalis autem oratio, secundùm Augustinum, est ascensus animæ de terrestribus ad cælestia, inquisitio supernorum, desideriũ inuisibilium. Vel, oratio est pius mentis affectus in Deũ directus. Hæc est enim velut vnica colũba Spiritus sancti, referens *ramum olivæ*, dum veram pacem renuntiat depuratæ conscientiæ: quia *Spiritus* sanctus *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* O verè salubris huius orationis frequentia, cùm in vnum familia mentis congregata ad laudem Dei sui, dulci affectu profluit in eius amorem, Hæc enim oratio fit merito fructuosior, conscientia serenior, & actu suauior, affectu amorosior, & omni perfectione plenior. Vnde de hac præcipuè dicitur apud Lucam: *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Nam oratio semper durare debet secundùm virtutem & effectum suũ: cuius virtus, quantum ad suum initium, manet in omnibus operibus bonis, quæ ordinatè facimus: quia cuncta ad æternam vitam ordinare debemus. Et huiusmodi non cessat orare, cùm ex pietate nõ cessat benefacere. Pietas enim, secundùm Richardum, est dulce condimentum humanorũ actuum, ità quòd omnes actus & intentiones, affectione dulciflua diuini amoris regerit in Deum, omniaque dulcescunt, quæ propter Deum fiunt,

Psalm. 15.

Oratio q̃d valeat.

Mentalis oratio.

Genes. 8.

Rom. 8.

Lucæ 18.

Orare semper quis dicatur.

fiunt, in agendo, cauendo, & sustinendo, sola complens illud propheticum: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Veruntamen, quia (vt dicit Augustinus) à curis vitæ desiderium quodammodo tepescit, ideo certis horis orandi studio mentem reuocamus, ne desiderium, quod intepescere cœperat, omninò frigescat. Denique tres gradus in orationis exercitio distinguuntur. Quidam enim orando cogitant, permittêtes euagare cor ad quæcunque inutilia, quibus improperat Dominus, dicens: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Quidam verò meditantur, cor duntaxat ad bona meditanda restringentes, quod fit cum labore, quia cor ab affectionibus & passionibus inordinatis nondum est purgatum. Quidam autem orando, contemplantur, ad spiritualia perspicienda subleuati cum magna delectatione gustus interioris, eò quòd cor eorũ igne diuino veraciter inflammatum, sine labore resistentium cogitationum, affectionum vel passionum, in dulcedine diuina conquiescit. Et tales adorant *Patrem in Spiritu & veritate.*

Psal. 36.

Gradus orationis.

Isa 29. Matth. 15. Marc. 7.

Ioan. 4.

Quòd oratio perfecta quinque requirit, quæ Christus in agone positus, & orans exemplò plenius edocuit. Cap. XLII.

Vm, quem diligit anima mea, vidistis? Dicit Augustinus, super illud: *Petite,* & accipietis: Non tantùm hortaretur nos Deus vt peteremus, nisi dare vellet, quod iustè peteremus. Erubescat igitur humana pigritia. Plus enim vult Dominus Deus dare, quàm nos velimꝰ accipere. Plus vult ille misereri, quàm nos à miseria liberari. Rogat te Deus vt tui misereris, & non vis. Quid igitur te Deus exaudiet in tempore necessitatis supplicantem, cùm tu eum non audis pro te ipso rogantem? Et qui tuam orationem non attendis, qualiter eam Deus intendet? Et quid mirum, si postulantes à Domino non exaudimur, qui Dominũ præcipientem non audimus? cùm citius exauditur vna oratio obedientis, quàm decem millia contemnentis.

Matth 7.

Notandum ergo, quòd orans *in agonia* Christus, exemplo suo quinque nobis imitãda reliquit. Primum est vt oraturi, penitus separemur ab omni creato, saltem mentaliter, & inhæreamus Deo affectualiter: quia Christus etiam *auulsus est* à tribus electis discipulis, *quantum est iactus lapidis.* Sicut etiam de anima fideliter orante, & Deo adhærente

Oratio abstracta. Lucæ 22.

dicit Dominus apud Oſee *Ducam eam in ſolitudinem, & ibi loquar ad cor eius.* Vbi dicit Albertus Magnus, quòd locutio Domini in corde eſt de arduis gratijs menti ſecuritatem præſtare. Vnde dicit Abbas Iohánes montis Sinai, quòd oratio ſecundùm qualitatem, eſt coniunctio & vnio hominis & Dei: ſecundùm verò operationem, eſt Dei reconciliatio, lachrymarum mater, peccatorum propitiatio, tentationũ pons, tribulationum murus, Angelorum opus, futura iucunditas, virtutum fons, deliciæ animæ, mẽtis illuminatio, deſperationis ſecurita-, ſpei demonſtratio, triſtitiæ ſolutio, diuitiæ Monachorum, theſaurus quieſcẽtium. Quid ergo, ſecundùm Bernardũ, oratione pretioſius? quæ Deo eſt ſacrificium, Angelis organũ, Sanctis conuiuiũ, orantibus præſidiũ, contritis vnguentum, pœnitentibus remedium, hoſtibus iaculum, & omnibus tentatis fundamentum. Illa tamẽ eſt oratio Deo gratiſsima, quæ offertur cum cãdore puritatis internæ: quia *ſi cor noſtrũ non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deũ*, quod *quicquid petierimus abeo, accipiemus.* Quaſi dicat: Si id, quod Deus præcepit facimus, tunc id, quod à Deo petimus, obtinebimus. Hæc enim apud Deum vtraque ſibi neceſſariò conueniunt, vt oratione operatio, & operatione fulciatur oratio. Ea quoque oratio, quæ fit cum odore exemplaritatis externæ, & cum feruore charitatis ſupernæ, Deo eſt gratiſsima. Virtus enim veræ orationis eſt celſitudo charitatis: & tunc quiſque, quod rectè petit, adipiſcitur, cùm eius animus in petitiõe necinimici odio defulcatur. Secundum eſt, vt in oratione nos humiliemus, ſicut Chriſtus oraturus *in faciem ſuam procidit*, Deus & homo. Cuius exemplo Iacobus Minor, frater Domini dictus, oraturus *in faciem ſuam procidit*, vt, ſecundùm Chryſoſtomum, ex frequenti genuflectione quaſi callum camelorum obduxerit genibus ſuis, pariter & fronti. Et tu *quanto magnus es, humilia te in omnibus*, præſertim in oratione, *& coram Deo inuenies gratiam*, cui *humilium & manſuetorum ſemper placuit deprecatio*, vtpote qui *ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam.* Vnde ait Gregorius: Magna vis orationis eſt, quæ fuſa in terris, operatur in cælis. Sed humilis oratio ſola diuinum promeretur auxilium. Sic illa ſingularis oratrix, diuinum inuocans auxilium, per humilitatem ſe inuenieſſe gratiam gratulabatur, dicens: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* Nimirum, quia ſola humilitas eſt, quæ charitati locum parat, & à vanitate mentem euacuat. Et quanto tumore ſuperbia ſumus inaniores, tantò ſumus diuina dilectione pleniores: quantumque humiliamur

Oratio cuiuſmodi ſit Deo gratiſsima. 1. Iohan. 3.

Oratio humilis. Matth. 26.

Eccli. 3.

Iudith 9
1. Pet. 5.
Iacob. 4.

Lucæ 1.

liamur mente propria, tantum exaltamur æstimatione diuinâ. Hinc meritò Esther regina, petitura Dominum Deum, exteriora superbiæ signa verebatur, quæ tamen necessitate compulsa, vtpote ad regem ingressura, sibi solebat assumere. Ad Dominum enim orationem fundere deliberans, excusationem suam præmisit, dicens: *Tu scis Domine necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ & gloriæ, quod est super caput meũ in* die ostẽsionis *meæ*. Nimirũ cum omnes obsecrationes arduæ legis veteris, cum humiliatione cineris & cilicij factæ legũtur, eò quòd humilitas sola misericordiã diuinã meretur & gratiã. Esther 14.

Tertium est, vt orationem frequentare studeamus, sicut Christus legitur frequenter in oratione pernoctasse. Et antequã caperetur, tribus vicibus inuenitur orasse, vt nobis orationum frequentiã commendaret. Orat misericordia, & non miseria? Orat charitas, & non humiliatur iniquitas? In terra prostratus orat medicus, & nec inclinatur ægrotus? Orat iudex, & desiderat parcere; & non orat reus, vt indulgentiam mereatur accipere? Vnde rarò pro peccatoribus orasse creditur, nisi cum abundãtia lachrymarum, miserias eorum amplissimo quodam miseratus affectu. Cuius exemplo nos *oportet semper orare*, & nunquam *deficere*, vt dicitur apud Lucam, quod exponens Thomas in 4. libro Sententiarum dicit, quòd per hoc non intelligitur, quòd orationis actus non interrumpatur, sed quòd oratio semper durare debet secundùm virtutem & effectum suum. Non enim cessat orare, qui non cessat bene facere vel cogitare. Sicut à simili, virtus motionis lapidis manet, dum lapis ex vi impulsionis primæ mouetur, quamuis motio manus tantùm durat per essentiam dum iactat lapidem. Et sicut virtus motionis lapidis paulatim deficit, nisi iterum impellatur, sic, secundùm Augustinum, à curis vitæ huius desideriũ quodammodo tepescit, nisi orãdo mentẽ iterum excitemus. Nihil autẽ sic efficax est ad impetrandum, sicut oratio frequens, præsertim quæ fit per aspirationes, quas Augustinus iaculatorias nominat, quia sua virtute penetrant intima cordis, tam diuini, quàm orantis. Ideo quod Apostoli non potuerunt, hoc mulier Chananæa, tam frequenter & confusiuè repulsa, precum suarũ instantijs & importunitatibus feliciter impetrauit, tam magnum quid est oratio frequens & pura. Quartũ est, vt intentè & feruenter oremus, exemplo Christi, qui tam viuaciter & attentè Patrẽ cælestem exorauit, quòd efficacia sua sudorẽ sanguineũ sudauit. Cuius sudoris causa potuit esse ardor amoris excessiui, redundans in totum Oratio frequens. Lucæ 6. Matth. 26. Lucæ 18. Orare semper quis dicatur. Matth. 15. Oratio feruens. Lucæ 22.

corpus de Christi corde, qui soluébat illud humidũ vaporosum. Nam diuinus amor in corde Christi dum timorem humanum euicit, totus eius sanguis exhilaratus commouébatur quasi pronus effluere ex vi amoris impellentis, ac si nõ posset expectare tempus, quo effunderetur. Sic tu fidelis Christi seruus, stude cor tuum in oratione tanto deuotionis spiritu & ardore succendere, quòd pro eius amore sanguinem tuum non verearis effundere, sed affectes, vt calescente spiritu totus sanguis in corpore quasi spiritui dulciter alludens, se promptũ exhibeat ad exudãdum. Sed proh pudor, sunt nonnulli, secundùm Gregorium, qui prolixas preces ad Dominum habẽt, sed mores & vitam dæprecantium nõ habent. Nam cælestia promissa petitionibus sequuntur, operibus fugiunt: nec oratio pondus virtutis habet, quam nequaquam perseuerantia continui amoris tenet. Quintum est, vt voluntatem nostram liberè diuinæ volũtati subijciamus, exemplo Christi, qui sudans *in agonia* carnis & spiritus præ horrore pœnarum & dolorum, cùm non fuerat exauditus, liberè voluntatem suam paternæ voluntati submisit, dicens: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et quod cœperat, deuotè perfecit, vt & nos in omni pressura doloris, paupertatis, aduersitatis, infirmitatis, tentationis, persecutionis, & desolationis, ad tutissimũ orationis refugiũ recurrẽtes, diuino beneplacito nos per omnia submittamus. In volũtatis enim libera subiectione totum consistit meritum, sine qua nihil offertur Deo gratum: quia est quasi quoddam spirituale tributum, sponte Deo de nostris visceribus offerendum.

Oratio resignata. Lucæ 22. Matth. 26.

Quòd oratio Dominica est excellẽtissima, in septem petitionibus comprehendens quicquid est congruum peti, & necessarium ad impetrandum. Cap. XLIII.

VM, quem diligit anima mea, vidistis? Inter omnes orationes vocales oratio Dominica primatum obtinet, & excellentissima iudicatur dignitate, breuitate, & fœcunditate, vtpote ab ipso, cui oratur, prouidè cõposita, vt sic illi adhibeatur maior reuerentia, diligentia, & confidentia, præsertim cùm paucis verbis in septem petitionibus comprehendit quicquid est petibile & necessarium ad impetrandum. Et, secundùm Thomam in Secunda Secundæ, non solùm in oratione Dominica petuntur omnia, quæ rectè desiderare possumus, sed etiam eo ordine, quo desideranda sunt, vt non

Orationis Dominicæ quanta sit excellentia Matth. 6.

non solùm nos instruat postulare, sed etiam vt sit informatiua totius nostri appetitus. Et primò docet nos captare beneuolentiã illius, quẽ rogamus, dicens: (*Pater noster qui es in cœlis,*) vt etiam ipsum fidelissimum, verissimum, & pijssimum Patrem nostrum esse recolamus, tum ratione creationis, qua nobis impressit imaginẽ & similitudinẽ suam: (de ratione autem filij est, quòd ei patris imago & similitudo sit impressa:) tum ratione redemptiõis, vt sicut in creatione suscepimus esse naturæ, sic in recreatione reciperemus esse gratiæ, incorporati Christo per Sacramentorũ susceptionem: tum ratione glorificationis, qua feliciter renascimur in gloria. Beatorum enim omnium Pater erit per gloriam, quia *quicunque Spiritu Dei aguntur, ij filij Dei sunt.* Quòd *si filij, & hæredes Dei,* quia Deum pro hæreditate habituri, *cohæredes autem Christi:* quia sicut Christus in fruitione paternæ hæreditatis continuè nascitur filius naturalis, sic & nos in illa fruitione continuè renascimur filij adoptionis. Delectatur igitur à nobis vocari Pater, vt amorem suum ad nos certius agnoscamus, & per hoc amorem nostrum ad eum efficacius excitemus, ac malum diligentius cauentes, quod bonũ est diligentius perficiamus, ne tanto Patre tanquam filij degeneres indigni iudicemur. Prima igitur petitio est: (*Sanctificetur nomen tuum,*) id est, da Domine intelligere per lumen fidei sanctitatem tuam, vt per hoc te summum bonum toto affectu iam cognitũ diligamus, ac omni conatu honoremus & colamus. Intellectus enim humanus primò per fidem ordinatur ad Deũ, & hoc in prima postulatione Dominus petere nos docet, cùm dicit: *Sanctificetur nomen tuum,* id est secundùm Augustinum, ita Deus innotescat hominibus, vt non æstimetur ab eis aliquid sanctius, vel magis sanctum. Nam secundùm Bernardum, omnia nomina de Deo dicta, aut sonant potentiam maiestatis, aut gratiã pietatis, vt sic ingerant aut timorem reuerentialem, aut amorem paternum. Illud tamen nomen, quod sonat gratiam pietatis, vt est *Iesus,* miseris sapit dulcius, reficit vberius, consolatur plenius. Quod tunc in nobis sanctificatur, cùm sanctitatem per nos in eo cognitã imitamur, vt sicut Christiani vocamur nomine, sic veritatem Christianitatis demonstremus in opere: alioqui *fides sine operibus mortua* iudicatur, nec in nobis Dei nomen sanctificatur, sed potius blasphematur.

Pater noster. Deus triplici ratione dicitur. Rom. 8. Petitio prima. Nomẽ Dei quãdo sanctificetur in nobis. Iacob. 2.

Secunda est: (*Adueniat regnum tuum,*) scilicet nobis promissum, & Christi sanguine conquisitum. Proprium enim est filiorum petere regnum & hæreditatem eis debitam: & ideo statim eos docet tanquam

Secunda. Regnum.

veros filios, petere regni & hæreditatis possessionem: quamuis primò
potest intelligi de regnò animę pœnitentis, in quo regnat Deus, expul-
sis vitijs per virtutum bonam fragrantiam. Secundò, de regno animæ
Lucæ 17. sapientis, quod aduenit per augmentationem gratiæ. *Regnum* enim
Rom. 14. *Dei intra* nos *est*, quod, secundùm Apostolum, *est iustitia pax, & gau-
dium in Spiritu sancto*. Tertiò, de regno Ecclesiæ militantis, vt illud
adueniat per sanctã operationẽ, sicut aduenit per fidem, ac ita regnum
Ecclesiæ militantis veniat ad regnum Ecclesiæ triumphantis, vt vnũ
Ioan. 10. regnum fiat, velut *vnum ouile & vnus pastor*. Hoc enim frequenter
petimus,, vt desiderium nostrum ad illud regnum excitemus, in quo
Tertia. Christus regnat cum omnibus Sanctis. Tertia est, de voluntate diui-
na in omnibus adimplenda, cùm dicit: *(Fiat voluntas tua.)* Quia no-
men Dei sanctificare non valemus, nisi sanctè viuamus: nec Dei re-
gnum obtinere possumus, nisi per merita bonæ actionis: nec ista adi-
pisci valemus, nisi per impletionem diuinæ voluntatis, quam impleri
petimus à nobis, *(in terra)* existentibus *(sicut in cælo)* id est, Angelis &
Sanctis. In qua petitione summa omnis meriti & sanctitatis, breuis-
simè & excellentissimè exprimitur. Cùm enim Deus fieri velit om-
ne bonũ, & deuitari omne malũ, ideo voluntas nostra tunc solùm est
bona, cùm innititur diuinæ voluntati vt principio mouenti & exem-
plari regulanti. Et dicit Abbas Isaac in Collationibus Patrum, quòd
non potest esse maior oratio, quàm optare, vt terrena cælestibus ad-
æquari mereantur in perficiẽdo diuinũ beneplacitũ. De talibus enim
Matth. 12. ait Christus: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse
meus frater, soror, & mater est*. *Mater*, inquam, quia Christus in eo spi-
ritualiter operatione Spiritus sancti concipitur: *soror* autem *& frater*,
quia regni cohæres efficitur. Nam vtrumque nominat, ne sexum con-
Quarta. Panis. temnere videatur. Quarta est: *(Panem nostrum quotidianum da nobis
hodie.)* Quod primò intelligitur de pane quotidiano, sine quo ad præ-
dictas tres petitiones consequendas peruenire non possumus, quia
per illum ad Dei seruitium secundùm Dei volũtatem peragendum,
necessarium est nobis robur sustentamenti corporis & animæ: vt pote
in quo pane intelligitur omne necessarium ad victum corporis & spi-
ritus. Includit enim trinam petitionem, secundùm quod triplex pa-
nis distinguitur. Prima petitio dicitur casta, postulans quicquid neces-
sarium est humano corpori, vt *habentes* victum & vestitum, *his contenti
1. Tim. 6. simus*. Secunda castior, postulans spirituale nutrimentum animæ, sine

ne sit panis doctrinæ siue gratiæ, siue spiritualis lætitiæ, vel Eucharistiæ, quem licèt non teneamur quotidie sumere sacramentaliter, tamen spiritualiter debemus recipere, quod est ipsi Christo per fidem & charitatem incorporari. Tertia castissima, postulans Deum fruitione felicissima possidere. Et ideo dicitur apud Matthæum: *Panem nostrum supersubstantialem*, quia Deus est panis super omnem substantiã creatã sustẽtans, & mentẽ nostram vitificans, sine defectu satians, sine fastidio delectans, & æternaliter sine morte vitificans. Quinta est, dimissio debitorum. Quasi diceremus: Tu Pater, *cui proprium est misereri semper & parcere: dimitte nobis debita nostra*, miserando & indulgendo, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Per hoc enim Deum cõpellimus ad misserendum, qui repromisit dicens: *Dimittite, & dimittetur vobis*: quia *eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis*. De qua remissione plenius videbitur infra. Sexta petitio est: *Et ne nos inducas in tentationem*, qua scilicet oramus, ne inducamur in tentationem, eoq; diuinum adiutorium cooperatiuum ad bonum, & à malo defensiuum est nobis necessarium. Inducimur in tentationem, secundùm Augustinum, quando tales sustinemus, quas ferre non possumus. Sed consolatur nos Apostolus, dicẽs: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*, scilicet sustinere: *sed faciet cum tentatione prouentum*, id est, virtutis incrementũ, *vt possitis sustinere*, quod fit per humilitatem. Vnde dicit Augustinus: Illi non crepunt in fornace, qui non habent ventum superbiæ. Septima est, qua ab omni malo pœnæ & miseriæ mundi huius liberari petimus, dicentes: *Sed libera nos à malo*. Vel malũ hic vocat, secundùm Chrysostomum, diabolũ antonomaticè, propter excellentiam suæ malitiæ, non quæ ex natura est, sed quæ ex electione, qua in omnibus, quæ possunt irretire vim animæ concupiscibilem, vel irritare irascibilem, vel obscurare rationalem, nos aggreditur ad deceptionem & supplantationem. Denique beatus Augustinus has septem petitiones adaptat septem donis Spiritus sancti, & septem beatitudinibus, dicens: Si timor Dei est, quo beati fiunt pauperes spiritu, petamus vt sanctificetur in hominibus nomen Dei timore casto. Si pietas est, qua beati sunt mites, petamus vt veniat regnũ eius, vt miteſcamus, nec ei resistamus. Si scientia est, qua beati sunt, qui lugent, oremus vt fiat voluntas Dei, quia sic non lugebimus. Si fortitudo est, qua beati sunt qui esuriũt, oremus vt panis noster quotidianꝰ detur nobis. Si consiliũ est, quo beati sunt misericordes, debita demittamus,

Matth. 6. — Quinta. — Lucæ 6. — Sexta. — Tentatio. — 1. Cor. 10. — Septima. — Petitiões, vt aptẽtur donis Spiritus sancti.

vt & nobis noſtra ſimiliter dimittantur. Si intellectus eſt, quo beati ſunt mundo corde, oremus ne duplex cor habeamus, tẽporalia ſectando, de quibus tentationes fiunt in nobis. Si ſapiẽtia eſt, qua beati ſunt pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur, oremus vt liberemur à malo. Ipſa enim liberatio liberos nos facit Dei filios.

De quarto gradu contemplationis, quæ eſt ſpeculatio. Et de intellectu, prout eſt vis animæ vel virtus ſeu donum: Et de ſapore ſpiritus. Cap. XLIIII.

Ego dormio, & cor meum vigilat. Cãtic. quinto. Ratio vigilare ſemper debet ſuper gregem cogitationum, locutionum, & operum: quia neglecta mens cæcitatem incurrit, vt minus homo ſe cognoſcat, minus videat qualis ſit, vel eſſe debeat, quantum fallatur, quantum delinquat. Si ergo ſolicitè ſuper gregem bonarum cogitationum vigilat, vt has nutriat, & malas reprimat, diuina gratia ſuper eum largius coruſcabit; qua radiante & circumfulgente, vires contra malas cogitationes accipiet, vt eas ſopiat & dormire faciat. Cùm ita principatur ratio & vigilat, tunc dormit ſenſualitas. Et huiuſmodi verè dicere poteſt: *Ego dormio*, ſcilicet, ſecundùm hominem exteriorem; *& cor meum vigilat* ſecundùm hominem interiorem. Dum enim exercet ſpiritualia, cordè vigilat ad ſalutẽ: ſenſualitate verò dormit: vigilant cogitationes bonæ, dormiunt malæ: ſopiuntur deſideria carnalia, excitantur ſpiritualia, totusq; homo ſpiritualis ad cæleſtia ſpirat & anhelat, quartum gradum cõtemplationis amplexans, qui eſt in intellectu. Et eſt ea vis animæ, quæ percipit inuiſibilia, ſicut Angelos, animas, & omnem ſpiritum creatũ. Nam intellectus ſic acceptus, cooperatur ad cõtemplationem, quia quandam importat intimam ſpeculationem. Dicitur enim intellectus, quaſi intus legens, & penetrans vſq; ad eſſentiam rei. Obiectum enim intellectus eſt, quod quid eſt, vt dicitur in tertio de anima. Accipitur autem intellectus quandoq; pro virtute intellectuali, prout eſt habitus principiorum naturalium, quæ lumini naturali ſubſunt. Et ſic oſtendit intellectus veritatẽ infallibiliter: quia, ſecundùm Auguſtinum, intellectuali viſione nunquã anima fallitur. Aut enim intelligit, & verum eſt: aut ſi verum nõ eſt, non intelligit: & ideo ſic acceptus intellectus cooperatur ad contemplationem. Accipitur etiam intellectus, quandoque, prout eſt donum Spiritus ſancti: & ſic eſt habitus ſupernaturalis ſupernaturalium principio-

Intellectus.

dipiorum, quæ sunt articuli fidei: & sic nominat quandam excellentiam, cognitionis penetrandi ad intima cognoscibilium. Vnde de hoc gradu contemplationis dicit Origenes: Verus contemplator es, si trãscendisti omnia rationabilia propter phantasmata & alia impedimenta, animam ad superiora properantem retardantia. De quo transcensu dicit Richardus: Nostra contemplatio tunc veraciter super omnem rationem ascendit, quando id animus per mentis sublevationem cernit, quod humanæ capacitatis metas transcendit; vt sunt illa, quæ de diuinitatis natura, & simplici eius essentia credimus, & Scripturarum diuinarum auctoritate probamus: quę sola diuina reuelatione cognoscimus, nec vlla humana ratione cõprehendere valemus nec vlla ratiocinatione nostra integrè inuestigare sufficimus. Et hic gradus sublimior est, quia ista contemplatio supra rationem est, cui tamẽ humana ratio contrariare non potest, quin potius faciliter acquiescit, & attestatione sua alludit, nec etiam experimento, nec intellectu cõprehendi potest, quamuis ipsa credatur esse vera. Et hic gradus contemplationis dicitur speculatio, quæ non est perfectus gradus contemplationis, quãuis ponat aliquem gradum contemplationis de meditatione, quæ oritur ex ratione, proficiens in speculationem, quæ partim oritur ex ratione, partim ex intelligentia, & hæc vltra proficiens consummatur in perfectam contemplationem. Dicit enim Dionysius in principio Angelicæ Hierarchiæ, quòd Pater æternus lumẽ generat simplicissimum in essentia, & ipsum vniuersale lumen ab ipso Patre prodiẽs, ad sui cõmunicationem & participationem non solùm admittit cælestes mentes, sed etiam ad nos pro distributione bonitatis suæ venit, vt nos ab infimis separatos suscitet ad sui desiderium & cognitionem, & remota mentis distractione conuertat nos ad Patris conregnantis vnionẽ æternam. Et hoc est lumen quod *illuminat*, quantum in se est, *omnem hominem venientem in hunc mundum.* Porrò, diuina illuminatio est quædã Dei inspirata locutio, cuius *sermo viuus & efficax*, ac *penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus.* Vnde, secundùm Richardum, nihil in creaturis hac diuisione mirabilius cernitur, vbi quod est essentialiter vnum & indiuiduũ in seipsõ, in quandam portionem diuiditur, vbi anima, & quod animale est, in imo remanet. Spiritus autem, & quod spirituale est, ad summa euolat, & ab anima scinditur, vt dilecto Domino coniungatur, ita quòd ad speculationem diuinæ gloriæ sublimatur, & *in eandem imaginem* transforma-

Speculatio.

Ioan. 1.

Hebr. 4.

2. Cor 3.

formatur. Pars autem inferior ad ſummam pacem & tranquillitatem componitur, cùm ſuperior pars ad gloriam & iucunditatem ſublimatur. Vnde Auguſtinus: Quies eſt apud te Deus meus valde magna, & imperturbabilis vita: qui intrat in te, intrat in gaudium Domini ſui, & non timebit, ſed habebit ſe optimè in optimo. Quicquid ergo feceris, ô homo, citò redi à corpore ad animũ, & illum diebus ac noctibus ſemper exerce. Clamat enim Deus vt redeas ad eum, & ibi eſt locus quietis imperturbabilis, vbi non deſerit amor, ſi ipſe non deſeratur. Epulatio enim plena iucunditatis & tranquillitatis eſt in Deo requieſcere, & eius experiri dulcedinem. De qua dulcedine dicit Pſalmiſta: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te*, id eſt, ſeruaſti illis, non negaſti, vt ſoli ad eam perueniant. Eſt enim bonum, quod iuſtis & impijs non poteſt eſſe commune, vt timẽdo perueniant. Quamdiu enim adhuc timent, nondum & ipſi peruenerunt, ſed credunt ſe peruenturos, & à timore incipiunt. Nihil enim eſt dulcius immortalitate ſapientiæ, ſed *initium ſapientiæ timor Domini*. *Perfeciſti* autem *eis* dulcedinem tuam *qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum*, id eſt, qui totaliter, & ſemper in te ſperant, non in hominibus, tam in aduerſitate, quàm proſperitate. Hic tamen notandum, quòd verus ſapor ſic à falſo diſcernitur: Non eſt vehemens vel impetuoſus: carnem non titillat, ſed carnis motus cõpeſcit, & mitigat: modeſtus eſt & tranquillus, lenis, dulcis & pacatus, ſpiritum roborat, carnem debilitat: mentem accendit, & illuminat, non extollit, ſed humiliat: nam ſuauitas eius deſiderium excitat, deſideriũ dum ad ampliora accẽdit, de defectu ſemper humilem reddit. Econtra, falſus ſapor diuitem ſibi hominẽ demonſtrat, quia ad cognoſcendũ diuitias bonitatis Dei non penetrat. Verus ſapor ſic totum humanum affectum rapit, & diuinum, id eſt, deiformem efficit, quod verò contemplatori nil graue, nil intolerabile videtur, ſed agilis eſt ad omnia bona facienda, ac mala perferenda, etiam mortalia tormentorum ſupplicia. Dicit enim Auguſtinus libro de natura & gratia, quòd guſtus cæleſtis gratiæ tantæ virtutis eſt, quòd extinguit ſitim omnium mũdanorum: & tantæ dulcedinis, quòd in dulcedinẽ vertit ſupplicia tormentorum: tantæque ſuauitatis, quòd animam excitat ad deſiderium ſupernorũ. Ecce quantum bonum confert diuina gratia ſi non fuerit in vacuum recepta, ſed diligenter conſeruata, omniſque conſolatio peregrina valenter refutata. Nam crebra Dei viſitatio dat familiaritatem, familiaritas

Quies apud Deũ quanta.

Pſal. 30.

Prouer. 1. Pſal. 110.

Sapor verꝰ.

Sapor falſus.

Guſtus cæleſtis gratiæ.

aritas ausum, ausus gustum, gustus famem, fames cõtemptum omniũ, contemptus otiũ, otium Deũ. Veruntamen licèt semel perfectè fontem cælestis gratiæ degustans, iam nesciat aliud quàm soli Deo firmiter & inseparabiliter adhærere, quantũlibet tamen firmus ex Dei gratia videatur, quàm diu portat vas terrenum, in quo thesaurus Dei est, de ipso vase fictili semper est formidandum.

Quòd contemplationem veram præcedere debent, sui ipsius & omnium mutabilium contemptus, secura cordis & conscientiæ quietatio, & ab omni aliena occupatione elongatio.

Cap. XLV.

Ego dormio, & cor meum vigilat. Mens præsentia sui Creatoris visitata, & ex eius amore dilatata propter feruentem Dei charitatem, quam in se sentit, vltra se continere non valens, intũitu spirituali sursum se librat, illum videre desiderans, à quo tam dulciter visitatur & consolatur. Cùm igitur mens sic sursum eleuata per amorem feruidum Christo inhæserit, incipit aliqualiter inter eius brachia consopiri; vt non solùm delectabiliter, sed & tenaciter Deo inhæreat, & quasi vi quadam abstrahitur ab omnium visibiliũ sensu & memoria, sic tamen, vt nõ plenè suimet oblita, nec tamẽ verè compos sui, Cãticorum illud experiatur: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Est enim talis iste somnus, sicut illorum, qui dormire incipiunt, & tamẽ videntur sibi ea, quæ circa se fiunt, aliquo modo sentire & intelligere, sed præ sopore non aduertunt. Vnde Prosper de vita contẽplatiua dicit: Quòd vita actiua profectum habet, contemplatiua fastigium. Illa facit sanctũ, hæc perfectũ. Illa suscipiendo peregrinum, vestiendo nudum, gubernando subiectũ, redimendo captiuũ, tuendo violẽter oppressum, se iugiter ab omnibus iniquitatibus emaculat, & vitã suam bonorũ operũ fructibus ditat: Ista facultatibus in vsus pauperum distributis, se mundo expoliauit, & cælo totis viribus adhærens, res mundi mundo proiecit, ac seipsum Christo deuota mente restituit. Cùm igitur aliqui cõtemplationis arcem tenere desiderant, prius, secundùm Gregorium, in campo certaminis se per exercitium operis probent, vt sollicitè sciant, si nulla iam mala proximis irrogãt, si irrogata à proximis æquanimiter portant, si obiectis bonis temporalibus nequaquam mens lætitia soluitur, si subtractis eis nõ nimio mœrore fauciãtur. Nam veram & perfectam contemplationem tria præcedere debent.

Cõtemplationẽ verã quæ tria præcedere debeant.

Abrenuntiatio.

Primum est, plena sui ipsius & omnis boni commutabilis abrenuntiatio: quia, secundùm Chrysostomum, nemo eorum, qui delectantur præsentibus & caducis, potest cælestia vel spiritualia cõtueri. Nam & apud homines hic mos est, vt tunc thesauros suos, reconditasq; diuitias patefaciant filijs, cùm eos adultos iam viderint, & puerilis lasciuiæ vitia respuisse. Omnis enim, qui vno pede claudicat, illi pedi soli innitur, quem habet sanum: sic & cui desiderium terrenum iam arefactum fuerit, in solo pede amoris Dei, tota virtute sese sustinet, & in ipso stat, quia pedem amoris seculi, quem in terra ponere consueuerat, iam à terra suspensum portat. Vnde dicitur in libro de spiritu & anima, quòd ex anima & carne constat homo, & vtrunque bonum suum habet in quo gaudeat & existat. Bonum animæ Deus est, cum affluentia dulcedinis suæ. Bonum carnis mundus est, cum abundantia iucunditatis suæ. Sed mundus exterior, Deus autem interior est. Ab hoc ergo mundo reuertentes ad Deum, per nosmetipsos transire debemus: & non solùm ad nos intrare, sed ineffabili quodã introitu in intimis nosmetipsos transire, ac intrinsecus penetrando nosipsos transcendere, & in Deum ascendere. Hæc est enim requies cordis, cùm in Dei amore per desiderium figitur. Hæc est vita cordis, cùm Deum suum cõtemplatur, & ipsa sua contemplatione suauiter reficitur, & dulce est illi semper etiam ad desiderandum & considerandum, semper suaue ad amandum & laudandum. Nihil enim ad beatam vitam præstantius videtur, quàm velut clausis carnalibus sensibus extra carnem mundique affectũ intra semetipsum conuerti, alienatumq; affectum à mortalium cupiditatibus sibi soli & Deo loqui: vt sic per intimam cõtemplationem sui, perueniat ad sublimem contemplationem Dei, per quã nobilis conscientiæ thesaurus, secretis penetralibus mentis innascitur, fructus æternæ delectationis acquiritur. Hæc est sol, per quem lumen diescit in tenebris, cordis oculus, animi delicioſa paradisus. Hæc in cæleste terrenum, in immortale caducum, hominem in Deum deificæ mutationis auctoritate conuertit.

Quies cordis.

Secundum verò præcedens, est secura cordis & conscientiæ quietatio. Nunquam enim, secũdùm Gregorium, commotioni cõtemplatio iungitur: nec prævalet mens perturbata conspicere, ad quod vix tranquilla valet inhiare: quia nec solis radius cernitur, cùm commotæ nubes cæli faciem obducunt: nec turbatus fons respicientis imaginẽ reddit, quam tranquillus propriè ostendit, quia quo vnda eius palpitat,

eo in

eo in se speciem similitudinis obscurat. Sic etiã (vt dicit Albertus magnus de veris virtutibus) ex consuetudine venialium, securitas mẽtis, & Dei familiaritas amittitur, & gratia multiformis negligitur, nec volare poterit penna, tali visco linita. Vnde dicit Richardus super illud Canticorum: *Pessulum ostij mei aperui dilecto meo*, quòd per *pessulum* sera potest intelligi. Sera verò cùm parua sit & angusta, latitudinem tamen ostij claudit, vt nisi illa reserata, patere non possit. Sic peccata minima nisi rescindantur, dilectus ad animam venire non dignatur, ita vt perfectè ad eam intret, & perfecta gratia repleat. Paruæ enim negligentiæ animam obscurant, & impedimentum amplioris gratiæ faciunt. Cùm verò mens ab omni fæce fuerit libera, maculisque diluta, tunc se libentissimè tenet in seipsa, & nihil sibi metuit, nec vlla culpa sua quicquam agitatur, sed ingenti quadam fiducia pergit in Deum, id est, in ipsam veritatis contemplationẽ. Hinc dicit Bernardus: Cùm veritas in mente fulget, & mens in veritate se videt, quòd in nullo cõscientia erubescat præsentiam veritatis, quo cogatur auertere faciem suam, quasi confusam & repercussam à lumine diei: hoc planè bonũ est, quod super omnia bona animæ diuinos oblectat aspectus. Anima igitur, quæ sentit aliquando in secreto conscientiæ, *spiritum Filij clamantem, Abba Pater*, ipsa paterno se diligi credat affectu, quę se eodem spiritu quo Filius affectam sentit. Confidat ergo quæcunque sit illa, & in spiritu Filij filiam se Patris agnoscat, sponsamq; Filij & sororem. Sororem quidem, quia ex vno Patre: sponsam verò, quia ex vno Spiritu. Et illa dicere potest: *Indica mihi, quem diligit anima mea*. Tertium est, ab omni distractiuo tumultu perfecta elongatio. Dicit enim Gregorius: Cessationem Dominus à mũdi laboribus imperat, sanctæ quietis dulcedinem persuadet, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*. Et tamen vesana mens iniquorũ, plus sequi aspera carnaliter, quàm tenere blanda spiritualiter gaudet: plus acerbitate fatigationis, quàm quiete dulcedinis pascitur. Et licèt præsentis vitæ difficultas à mundi dilectoribus non sine luctu agitur, tamen cum lachrymis amatur. Quia cùm in hoc mundo plus honor, quàm despectio mentem occupat; & magis prosperitatis sublimitas, quàm necessitatis aduersitas; mens, dum occupatione blanda premitur, libens ad exteriora deriuatur. Et ideo dicit Augustinus, quòd iste mundus periculosior est blandus, quàm molestus. Et magis cauendus est, cùm allicit se diligi, quàm cùm admonet cogi, cogitq; contemni:

Venialium peccatorũ nocumẽta.

Cant.1.

Galat.4.

Cant.1.

Elongatio mentis.

Matth.11.

quia in hoc mundo non timere, non dolere, non laborare, non perclitari, est impossibile: sed plurimum interest, qua causa, qua expectatione, quo termino quisque patiatur. Ecce turbat hic mundus, & amatur. Quod si tranquillus esset, formoso quomodo hæreres, qui sic amplecteris fœdum? Flores eius quomodo colligeres, qui manum à spinis non reuocas? Veruntamen cui Christus incipit dulcescere, necesse est mundum amarescere. Sic Paulo *crucifixus est mundus, & ipse mundo*, quia nec Paulus mundi gloriam quærebat, nec à mũdi gloria quærebatur: sed sè mundo, & sibi mundum esse crucifixum, gloriabatur. Et quia sancti viri nihil huius mundi appetunt, nullis procul dubio tumultibus in corde premuntur, & per hoc ad internam contemplationem magis apti redduntur. Quia dicit Gregorius, quòd vita contemplatiua est charitatem Dei & proximi tota mente retinere, ab exteriori actione quiescere, soli desiderio conditoris inhærere, vt nil iam habere libeat, sed calcatis curis omnibus, ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescat.

Galat. 6.

Vita contemplatiua quæ sit.

De quinto gradu contemplationis, qui est in intelligentia, & dicitur propriè contemplatio, quæ requirit quatuor contemplantibus necessaria. Cap. XLVI.

INdica mihi, *quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Cantic. 1. Eia nunc homuncio, fuge paululum occupationes tuas, absconde te modicum à tumultuosis cogitationibus tuis, vaca aliquantulum Deo, & requiesce in eo: cubiculum tuum intra, & exclude omnia præter Deum, & quæ te iuuent ad quærendum eum, scilicet per contemplationem saporosam. Nam cõtemplatio, secundùm Augustinum, est illa species, quæ rapit omnem animã desiderio sui, tanto ardentiorem, quanto mundiorem; & tanto mundiorem, quanto ad spiritualia surgentem, & tanto ad spiritualia surgẽtem, quanto carnalibus desiderijs, & terrenis affectibus morientem. Qui enim à Domino Iesu didicerunt mites esse & humiles *corde*, plus cogitando, orando, & contemplando proficiunt, quàm legẽdo & audiendo. Quintus, ergo gradus contemplationis est in intelligẽtia, quæ est ea vis animæ, quæ immediatè supponitur Deo. Cernit enim ipsum summum bonũ verum, & verè incommutabile bonum. Vel, intelligentia est ea vis animæ, qua de diuinis, quantum est homini possibile, cognoscitur ad arcana cœlestia penetrãda: quæ paucorum hominũ est, vt dicit Boëtius.

Matth. 11.

Intelligentia.

Vnde:

Vnde intelligentia in actione sua excedit intellectum, & est in ea perfectior gradus contemplationis. Quia, secundùm Richardum, per intelligentiam sinus mentis in immensum expanditur, & cõtemplantis animi acies acuitur, vt capax sit ad multa comprehendenda, & perspicax ad subtilia penetranda: nec contamplatio potest esse sine viuacitate quadam intelligentiæ. Nam quoties mens contemplantis ad ima dilatatur, quoties ad summa eleuatur, quoties acuitur ad scrutãda diuina, quoties agilitate mira & penè absq; mora rapitur per immumera, ex quadã vi intelligentiæ hoc esse non dubitatur. Et iste gradus contemplationis perfectior est omnibus alijs præcedentibus, quia in eo pura intelligentia operatur, quę ad cõtemplationem diuinę maiestatis admittitur. In hoc igitur gradu humana mens ad perfectum gradum diuinæ contẽplationis admittitur. Nam contemplatio, secundùm Richardum, est liberæ mentis perspicacia in sapientiæ spectacula directa, in admiratione suspensa. In qua descriptione quatuor innuuntur necessaria contemplantibus, per quæ contemplatio differt à cogitatione, meditatione, speculatione, & intuitiua cognitione, quæ quendã ordinẽ gradatim habent inter se, & gradatim dirigunt in diuinũ aspectum. Nam cogitatio, quæ oritur ex imaginatione, transit & terminatur in meditationem. Meditatio verò, quæ oritur ex ratione, transit & terminatur in speculationẽ. Speculatio siquidẽ, quæ oritur partim ex ratione, & partim ex intelligẽtia, trãsit & terminatur in contẽplationem. Cõtemplatio denique, quæ oritur ex intelligẽtia, transit & cõsummatur in intuitiuã cognitionem. Primum igitur necessarium contemplatiuis, est liber contemplationis motus à nullo impeditus: & ideo spiritus cõtemplatiuus debet esse sine peccato: quia *qui facit peccatum, seruus est peccati*, & eius vinculis ligatur, ne sursũm feratur. Debet etiam liber esse à desiderio & cura inferiorum, quia cõtemplatio libero volatu, quocunque fert eum impetus spiritus, mira agilitate circunfertur: & sic differt à cogitatione, prout patet supra. Secundum contemplatiuis necessarium est, quòd oculus contemplationis sit perspicax, id est, gratia sanatus. Pro quo notandum, quòd oculus animæ mens est rationalis, vel apex mentis Aspectus mentis est ratio. Intellectus autẽ est visio. Hos igitur oculos sanos habet, cùm non solùm à mortalium culpis & cupiditatib⁹ est mens purgata, sed etiã ab imaginibus remota. Aspicit verò, cùm oculos in Dei lumine figit. Videt autem, cùm in illa contemplatione cõspicit quãta sint gaudia, quanta lætitia, serenitas, &

Contemplatio.

Quatuor necessaria contemplãtibus.

Motus liber.

Ioan. 8.

Oculus animæ.

iucunditas,& sic de cæteris. Sanitas ergo facit illam serenam,aspectus rectam,visio beatam,quæ est finis aspectus. Cùm igitur contemplatio est mentis perspicacia, & perspicacia est actus intelligentiæ: quæ intelligentia, vt dictum est,ea vis est animæ, quæ Deo supponitur immediatè,qua de diuinis,quantum homini possibile est, cognoscitur. Ideo contemplatio meditationem excedit, quæ oritur ex ratione, quâtum intelligentia rationem excedit. Tertium contemplatiuis necessarium est, quòd oculus contemplationis in æternæ sapientiæ spectacula sit directus. Vnde patet hîc non accipi contemplationem, vt præcisè est actus intellectus, sed etiam vt saporosam dilectionem includit. Nam

Sapientia vnde.

à sapore dicitur sapientia. Et obiectum sapientiæ principale ac primarium est ipse Deus, sub ratione qua Deus est verum excitatiuum voluntatis ad eius saporosam dilectionem. Actus sapientiæ est contemplari Deum,non quocunq; modo, sed ex dilectione, cum quadam suauitate in affectu. Et per hoc contemplatio differt à speculatione:quia,

Speculatio

secundùm Augustinum, speculatio dicitur,cùm aliquid non in se, sed per imaginem suam videtur,vel ænigmaticè,id est,obscurè. Vnde speculationem propriè dicimus,quando per speculũ cernimus. Contemplationem verò,quando veritatem ferè sine aliquo inuolucro,vmbrarumq; velamine quasi in sui puritate videmus. Hinc cõtemplatio clariorem habet aspectum,& sapidioré gustum: nimirum cùm sapientiæ spectacula sint cognitio veri; & amor,siue sapor boni. Ex amore namque oritur sapientia, quæ prorumpit in lumen cognitionis & saporem gustationis: sicut ex calore prorumpit lux & flãma. Quartũ contemplatiuis necessarium est, ex admiratione causata mentalis suspensio. Dum enim humana intelligentia(vt dicit Richardus)diuino lumine irradiata intelligibilium contemplatione suspenditur,& in eorum admiratione ad modũ auroræ distenditur, quantò semper ad altiora vel mirabiliora ducitur, tantò amplius & copiosius dilatatur: & quantò fit ab infimis remotior, tantò in semetipsa purior,& ad sublimia subtilior inuenitur. De quo suspendio dicitur apud Iob: *Suspendium elegit anima mea.* Super quo dicit Vercelleñ. quòd suspendium est extensio mentis in æterna spectacula,vt cùm fieri potest,nunquam ex intentione voluntatis,sed sola interpolatione necessitatis,acies mentis inde flectatur,vt dicat cum Psalmista: *Oculi mei semper ad Dominum.* Per hanc igitur suspensionem contemplatio differt ab intuitiua cognitione: quia suspensio dicit quandam violentam eleuationem, dum anima na-

Iob 7. Suspendiũ mysticum.

Psal. 24.

ma natiuæ suæ passibilitatis terminos supergreditur, propter quod frequenter ad inferiora dilabitur. Dicit enim Gregorius, quòd anima à contemplatiua vita, infirmitatis suæ pondere victa lassatur, & tanto celerius labitur, quanto carnis claustra supergrediēs, super semetipsam ire conatur Sed anima intuitiuè Deum cognoscens, nùnquam ad inferiora relabitur, sed sine intermissione & fatigatione Deum in æternum delectabiliter intuetur: quod in corpore corruptibili fieri nō potest. Deus enim quia semper vniformis & æqualiter bonus & pulcher est, habens in se simplicissimè omnem speciem desiderabilē, & secundùm omnia totus desiderabilis existens, intimè & irreuocabiliter in se trahit omnium suorum comprehensorum desideria, vt dicit Dionysius. Omnes igitur prædictæ differentiæ sunt secundùm clariorem & minus clarum affectum ad Deum, & quodlibet prædictorū terminatur in sequens se, tanquam in perfectius. Vnde contemplatio proficiens tandem terminatur in intuitiuam cognitionem tāquam in suam perfectionem. Deniq; hic gradus contemplationis mirabiliter decorat animam, quia dicit Hugo, quòd cōtemplatio est deifica similitudo. Dum enim per eum illuminati lucentes fiunt, quodammodo ipsius luminis lucentis similitudinem accipiunt. Vnde meritò sunt annumerandi cum ordine Cherubin, eò quòd habent omnimodam cognitionem intellectus attracti dignatione diuina, quo nō valet ascendere per se, & affectus attracti, attractionem tamen & summitatem intellectus attracti non excedentis. Simul enim trahuntur, & quasi coambulant ipse affectus & intellectus vsque ad nouissimum defectum intellectus, quem affectus attractus non excedit.

Sextus gradus contemplationis est in gustu sapientiæ, sine quo gustu alij sensus spirituales langueſcunt. Et de duplici gustu spiritus. Cap. XLVII.

IN dicamihi, quē diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie: *Vbi pascas*, id est, à quibus pastum inuenies, quia in bonis actiuis: & *vbi cubes*, id est, internam quietem inuenies, quia in veris cōtemplatiuis. Nam actiui sunt eius cœnaculum, & contemplatiui cubiculū: & hoc *in meridie*, id est, in contemplationis feruore. Nam secundùm Hugonem, tres sunt horæ contemplationis. Prima est cogitatio, quasi manè minus habens splendoris & feruoris. Psal. *Manè astabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Secunda hora est

Horę contemplationis.

Psalm. 5.

meditatio, velut hora tertia, quando sol incipit ascendere & feruere.
Psalm.39. Vnde Psalm. *Et in meditatione mea exardescet ignis.* Tertia hora est prę-
Eccli.43. gustatio, quasi meridies, in qua *sol tripliciter exurit montes.* Sextus ergo gradus contemplationis est in sapientia, quę sequitur intelligentiā: quia sicut visio mentis est intelligentia, sic gustus mentis est sapientia. Illa contemplatur, ista gustat & delectatur. Pro quo notandum, quòd quædam est sapientia per humanum studium acquisita, quæ est virtus intellectualis per rationis inuestigationē, rectum iudicium inquirens de diuinis, & actus intellectuales ac omnes operationes animæ perficit secundùm esse quantum potest: hinc dici potest aliqualis gradus contẽplationis. Quædam autẽ est sapientia desursum infusa, & est donum Spiritus sancti. Ad quam non solùm pertinet diuina cõtemplari secundùm rectum iudicium, sed etiam gustare & regulare actus humanos excellentiori modo, quàm sapientia, quæ est virtus intellectualis, tanquam magis de propinquo Deum attingẽs per quandam spiritus vnionem ad ipsum, vt directa per regulas legis æternæ. De qua sapientia dicit Bernardus: Sapientia à sapore dicitur. Sapor autem in gustu quodam est, quẽ gustum nemo potest exprimere, nec is qui meretur degustare. Quo gustu gustatur Dei verbum, gustantur & diuitiæ futuri sæculi. Qui gustus si solus defuerit, omnes alij quatuor sensus spirituales langueſcunt, de quibus dictum est supra. Hunc autem gustum sequitur quædam dulcedo saporis intimi, quam in interiori suo sentiens anima, modo quodam singulari suscipit, cuncta discernit & dijudicat, seque ad omnes sensus interiores vegetat & confirmat. De hoc enim gradu contemplationis dicit Gregorius: Quòd vita contemplatiua dulcedo valde amabilis est, quæ super semetipsam rapit animam, cælestia aperit, corporalia abscondit, omnia terrena contemni debere ostendit, spiritualia mentis oculis patefacit: per eam diuidimur à mũdo, eruimur à diabolo, exuimur à carnis inquinamento, eripimur ab inferno, collocamur in cælo, inhæremus Deo, coniungimur summo bono. Et tunc omnes alij sensus spirituales, sapore spiritus redeunte, ad sanitatem & vivacitatem spiritus cõualescunt. Quia tunc Deus (secundùm Bernardum) iustis efficitur forma speciosissima ad oculum, harmonia dulcissima ad auditum, odor suauissimus ad olfactum, sapor dulcissimus ad gustum, & amplexus delectabilissimus ad tactum. Vnde dicit Richardus super illud Canticorum: *Guttur illius suauissimũ, & totus desiderabilis.* Guttur sponsi est internus sapor il-
Cant.5. lius,

sius & consolatio spiritualis. Quasi diceret: Gustus qui gustantes suauiter afficit. Amoris enim eius gustus adeò suauis est, vt non solùm mentem reficiat, sed etiam corporis cibum obliuisci faciat, & corporis labores, imò mortem amarissimam dulcem facit. Hoc est igitur *guttur* sponsi *suauissimum*, quod omnem suauitatem non solùm excellit, sed etiam expellit. Cuius suauitas quo magis sentitur, eo magis desideratur. Tam dulcis enim est, vt semper desideretur: tam immensa, vt nunquam ad plenum comprehendatur. Vnde duplex gustus spiritus distinguitur, scilicet diuini amoris, & internæ dulcedinis. De quibus dicit sponsa: Quòd *meliora sunt vbera tua vino*, scilicet intellectualis cõtemplationis. Et in contemplatione gustum vtrunq; consequi, supremum beneficium est, quod animæ conferri potest. Habet enim annexas perfectissimas & vltimas delectationes consequentes virtutes, dona, beatitudines, & fructus, magnificatiuas, & contentiuas, & vnitiuas spiritus creati rationalis & increati Dei tanto felicius, quanto immediatius. Vnde super illud Canticorum: *Adiuro vos filiæ Hierusalem, ne excitetis dilectum*, dicit Origenes: Coniurationem tuam Domine, nisi fallor, sponsæ tuæ status optimus, & actus præcellentissimus causabat, tibi incumbens sine medio, te videns sine nubilo, in te quiescens sine tædio, de te hilarescens sine modo, à te permanentiam accipiens sine termino. De primo igitur gustu, scilicet diuini amoris, dicit Augustinus in libro Soliloquiorum: Quis es tiste ignis, qui calefacit cor meum? Nonne tu es Domine? O ignis, qui semper ardes, & nunquem extingueris, accende me. O lux, quæ semper luces, illumina me. O vtinam arderem ex te. Ignis sancte, quàm dulciter ardes, quàm secretè luces, q̃ desiderãter aduris. Væ ijs, qui non illuminantur ex te; væ ijs, qui non ardent ex te, væ caligantibus oculis, qui te videre non possunt; væ auertentibus oculos, vt non videant veritatem. Hæc ille. Deus etenim lux est & ignis. Lux splendorem emittens, intellectũ illuminat ad cognitionem veritatis: ignis caloré emittés, affectum inflammat ad amorem virtutis. Vnde sicut solẽ non videt oculus, nisi in lumine solis; sic Deum, aut diuinum lumẽ videre non possumus, nisi in ipsius lumine, iuxta illud Psalmistæ: *Et in lumine tuo videbimus lumen*. Veruntamẽ sicut habitus charitatis excellit omnes habitus intellectus, vt fidem, scientiã, &c prout ostendit Apostolus 1. Corinth. 13. vbi enumeratis aliquibus habitibus & actibus intellectus & voluntatis, tandẽ subinfert. *Maior horũ est charitas*. Sic etiam actus dilectio-

Gustus spiritus duplex. Cant. 1.

Cant. 2.

Psal. 35.

lectionis excellit, & excedit actum cognitionis intellectualis in aliquo gradu, scilicet in attingendo Deum in aliquo gradu dilectionis: ad quem actus cognitionis intellectualis extendi non potest, quia superintellectualis est saltem in hac vita. Vnde dicit Hugo, quòd amor præsumens de amato, acumine suo penetrat omnia, & impetum sequens ardentis desiderij sui, nec dissimulare valens donec ad amatū peruenerit, & cum eo ipso amplius adhuc sitiens intrare ipsum, & esse cum ipso, & esse tam prope, vt si fieri posset, & hoc idem ipsum sit quod ipse. Per quod patet, quòd amor immediatius vnit Deo, quàm intellectus: & ideo talis affectualis notitia superior est intellectuali. Nam tanta virtus est veri amoris, quòd non solùm facit homines & Angelos excedere naturam propriam, vt in Deum ascendant, sed etiã Deum quasi naturam propriam egredi facit, vt ad creaturas quasi infra naturam suam procedendo condescendat, vt dicit Vercellen. Et hoc secundùm Dionysium audendum est dicere, cùm tamen sit inegressibilis à se, quamuis ipse suam immensitatem nostræ capacitati cõtemperet, eo immutato. Siccine cuncta perflans interiora, spiritus amoris scrutari nititur *etiam profunda Dei?* Voluntas autem inflãmata dilectione, perficere nititur intellectum contemplatiuum, appetens intellectui suam perfectionem: cuius signum est, quia voluntas imperat intellectui quærere & inuenire notitiam, quæ est perfectio intellectus, & partus mentis. Hinc, secundùm Augustinum, quanto flagrantius Deum diligimus, tanto certius sereniusq; eum videmus. De secundo verò gustu dicit Richardus: O dulcedo Dei mirãda, dulcedo singularis, & totis præcordijs adamanda, dulcedo tam magna, quòd totam mundanam iucunditatem excedis, & tam parua, quòd de illo pelago felicitatis æternæ, vix modicam stillam capis. O dulcedo melliflua, dulcedo nimis admiranda, quàm dulcis es in meditatione, dulcior in cõtemplatione, dulcissima verò semper in æterna beatitudine. Sed hanc dulcedinem, secundùm Augustinum, tanquam syncerum bonum cõtemplatiui, non actiui, amare & gustare possunt: ad quod gustandum necessarium est desistere à tumultu mundi. Fuge ergo fidelis anima, dilectum quærens in solitudine, vt fugas & bibas dulcoris illius inenarrabilem suauitatem: immergere, & replere, quia nescit ille deficere, si non incipias fastidire. Adhære denique & inhære, sume & fruere, quia si gustus sempiternus fuerit, sempiterna quoque beatitudo erit. Et hoc est illud *vnum*, quod Dominus dixit *necessa-*

Amoris vis.

1. Cor. 2.

Gustus interne dulcedinis.

rium,

rium, quod & *Maria elegit, quæ optimam partem elegit.* O vnum & vnicum, cui nec aliquid comparari, ne dicam æquiparari valeat in creatis, eligens amatoriam in Deum adhæsionẽ suis exercitijs frequẽtare, vt cum sponsa: *Tenui eum, nec dimittam.* Luc. 10. Cant. 3.

Quod contemplatio in quæstu sapientiæ duplici via exerceatur, scilicet mystica & scholastica: & de excellentia mysticæ Theologiæ. Cap. XLVIII.

INdica mihi, quem dilexit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie. Anima, quæ primò in schola humilitatis sub magistro Dei Filio ad semetipsam intrare, ac se cognoscere didicit, ac spiritu duce, de schola humilitatis ad cellaria charitatis peruenit, deinde suffulta *floribus*, & stipata *malis*, id est, virtutibus & bonis moribus, ad regis cubiculum tunc admittitur, cuius *amore* languit: ibiq; modicũ facto silẽtio suauiter inter amplexus desideratos quiescens, ipsa quidem dormit secundùm hominem exteriorem, sed cor eius vigilat, donec interim veritatis arcana rimatur, quorum postmodum memoria statim reditura pascitur. Nam amor Dei cum intelligentia conditus, mentem inebriat, & ab exterioribus abstractam, sua virtute Deo conglutinat. Et quantò amor vehementior, & intelligentia lucidior, tantò validius mentem in se rapit, quousque tandem animus quæ sub Deo sunt abijcit, & in solo diuinæ contemplationis radio liberè figitur, licèt breuiter velut in quodam coruscо luminis cælitus emicantis fulgore: quia *corpus quod corrumpitur, aggrauat animam.* Et hic est locus vbi dilectus cubat *in meridie*, id est, contemplationis feruore. O verè locus quietis, & quem non immeritò cubilis nomine censuerim, in quo Deus, non quasi turbatus ira, nec velut distentus cura prospicitur, sed probatur *voluntas* eius in eo *bona, beneplacens, & perfecta.* Hæc visio non terret, sed mulcet; inquietam curiositatẽ sedat, non excitat; sensus non fatigat, sed tranquillat. Tranquillus enim Deus tranquillat omnia, & quietum aspicere, quiescere est. Hoc autem cubiculum anima fidelis ingredi studeat, potissimum per exercitium mysticæ Theologiæ, de qua plura me dixisse memini in libro, qui intitulatur, Eden contemplatiuorum. Est autem mystica Theologia, quædam cognitio de Deo habita per coniunctionem affectus spiritualis cum eodem, dum eidem adhæret, vt vnus spiritus cum eo fiat. Dicitur etiam hæc mystica Theologia sapientia, prout inter dona reponitur, scilicet à sapore, quasi sa- Sap. 9. Cant. 1. Rom. 12. Theologia mystica.

pida scientia. Et vocatur à Dionysio irrationalis, & amens sapientia, quia superat rationem & mentem, transiens in affectum, non qualemcunque, sed purum, ipsique mentali intelligentiæ correspondentem, quo scilicet affectu videtur Deus à mundis corde, id est, sentitur & gustatur, iuxta illud: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Vnde mystica Theologia ad sui doctrinam innititur coniecturis habitis ab intra in cordibus animorum deuotorum, sicut alia Theologia procedit ex his quæ extrinsecus ostenduntur. Et sicut hæc innititur rationibus perfectiori certitudie cognitis, ita perfectior & certior iudicari debet, vt videri potest plenius in Eden, Industria 6. & 18. per totum. Pro quo notandum, quòd duplex est contemplãdi modus, quo duplici via ad ardorem amoris peruenire valeamus. Primus modus in Deũ cõsurgendi dicitur mysticus & secretus, ac per hoc omnibus alijs modis vtilior, nobilior, & ad habendum facilior, quem modum à filijs suis Dominus voluit frequentari, ac sensibilia funditus ab eis amoueri, vt multò felicius, & verius in secretiori thalamo affectus interius in amoris lectulo collocatum sentiant, quem Iudæi & Philosophi interius cæci per creaturas exteriores discurrendo mendicant. Hæc est illa mirabilis & occulta sapientia vnitiua, quæ per flammigeras affectiones consistit in amoris desiderio, ac sine omni meditatione & inuestigatione præuia, amantis affectum sursum trahit. De qua dicit Dionysius lib. de diuinis nominibus. Sapientia est dignissima Dei cognitio per ignorantiam cognita, secundùm vnionem, quæ est supra mentem, quando mens ab omnibus alijs recedens, postea seipsam dimittens, vnita est supersplendentibus radijs, imperscrutabili & profundo lumine sapientiæ illuminata. Hæc est sapientia Sanctorum, à profluuio totius Trinitatis fidelibus infusa, ac deifica diffusione diuinitus illapsa, qua mentes amantium rore cælesti perfusæ, non aliquod emolumentum temporale, non dona, sed ipsum, qui est totius deiformis emanationis principium, scintillantibus affectionibus, insatiabilibus desiderijs, vnitiuis aspirationibus, ipsum, inquam, solum tangere, & ipsi vniri desiderant. Hinc anima fidelis, per eam desiderijs ignitis vsque ad vnionem plenissimam aspirare languida non desistat, quia non tantùm virtutes per eam perfectum obtinent principatum, sed & mens omni philosophiæ, omnique rationis inuestigationi & inquisitioni omnis Theologiæ speculatiuæ præponitur: nimirum cùm principalis affectio, quæ est scintilla synteresis, sola spiritui diuino

Matth. 5.

Contemplandi modus duplex.

diuino vnibilis, non minus excedat intellectum, quàm intellectus rationem, & ratio imaginationem: vnde & actionem suam ab intelligentia totaliter separatam habet, eidem mirabiliter supereminens: sicut ordo Seraphin, qui interpretatur ardens, est Deo vicinior, q̃ Cherubin, qui interpretatur plenitudo scientiæ, & per consequens veritatis, perfectius, & prius à Deo recipit influentiam. Et hæc potentia, vt est supremum in spiritu, ferè ab omnibus ignoratur, nisi quibus ab igne sancti Spiritus, apex affectus immediatè tangitur & mouetur. Secundus modus in Deum consurgendi & perueniendi ad ardorẽ amoris, scholasticus est & communis, in quo semper meditatio & cognitio præcedunt amoris affectionẽ, vtpote quo per creaturas, vel intellectum cognoscitur Deus, antequam in ipsum affectus amoris accendatur. Vnde dicit Richardus, quòd duo sunt contemplationum excessus, vnus in intellectu, alter in affectu, vnus in lumine, alter in amore. Cuiq; horum copia datur, verè dicere potest: *Introduxit me rex in* cellam vinariam. Magna quippe sunt duo hæc bona, & non reperiuntur eis maiora, nec felicitati creaturæ rationalis magis accõmoda, quàm lumen cognitionis, & dulcedo affectionis: & vtrunque exigitur ad plenum gaudium diuinæ refectionis. Veruntamen, actus dilectionis præfertur actui cognitionis tanquam perfectior, eò quòd eius actus est amantem cum amato copulare. Verus enim amor immediatius vnit Deo, quàm intellectus. Dicit enim Vercellensis super Cantica, quòd intellectus & affectus simul coambulant vsque ad nouissimum intellectus, vbi habet suæ cognitionis, & sui luminis consummationem. Affectus autem adhuc cõtinuat principalia in Deum suspiria, & supersintellectuales extensiones, intrans cum Mose diuinam *caliginem*, quæ est inaccessibile lumen, in qua Deus habitare dicitur, qui *posuit tenebras latibulum suum:* quam qui intrat, feliciter vnitur incomprehensibilitati diuinæ, quam non penetrat intelligentia, sed solus principalis affectus Deo per vnionem dilectionis vnibilis (quæ est effectiua veræ cognitionis) vnitur Deo effectualiter ignoto cognitione multo meliori, quàm sit cognitio intellectualis: quia, secundùm Dionysium, perfectissimus modus, quo noster intellectus Deo coniungi potest, est in quantum ei cõiungitur vt ignoto, quãuis in patria cõiungemur ei noto. Sed hoc mysterium secretissimũ est, & nemo nouit, nisi qui accipit; nec accipit, nisi qui desiderat; nec desiderat, nisi quẽ ignis Spiritus sancti medullitus inflammat. Hic enim nihil ferè potest natura, modicũ

Cant. 1.

Exod. 20.
Psal. 17.

iuuat industria, parum dandum est inquisitioni, & multum vnctioni. Hoc denique pro certo tenendum est, quòd quisquis huius dilecti desiderio flagrat, quantò eum familiarius nouit, tanto amplius amat, eoque feruentius illius desiderio æstuat. Hinc dicit in Euangelio dilectus, quòd *vnum est necessarium. Vnum*, inquam, in quo est omne bonum, imò quod est omne bonum, & totum & solum bonum. Cogita nunc, ô anima mea, quantum sit illud bonum, & quàm delectabile, quod continet iucunditatem omnium bonorum, & non qualem experti sumus in rebus creatis, sed tantò differentem, quantum differt Creator à creatura. O qui hoc bono fruetur, quid illi erit, & quid illi non erit? Certè quicquid volet, erit: & quicquid nolet, non erit. Cur ergo per multa vagaris homuncio? Ama vnum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit tibi.

Lucæ 10.

Fructus spiritus quid sit, & quo modo sub vmbra Dei propriè percipitur: & quòd ad rationem fructus duo requiruntur. Cap. XLIX.

Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Canticorũ secundo. Ad huius intellectum sciendũ, quòd tria sunt quæ causant vmbram, scilicet lumen, medium, & obiectũ. Christus igitur secundùm diuinitatẽ, lumen est, à quo scilicet vmbra Dei causatur. Medium autem ad cuius similitudinem hæc vmbra cõpingitur, est eius humanitas per suæ gratiæ plenitudinem, & meritorum suorum abundantiam. Obiectum verò luminis, quod & vmbra efficitur, est nostra voluntas, diuino lumini spontanea affectione subiecta penitus: vt sicut vmbra mouetur secundùm omnem motum interpositi, à quo causatur, & ipsum quocunque processerit, comitatur: sic illa voluntas vmbra Dei iam effecta, spiritum eius ad directionem intrinsecus per omnia subsequitur, & extrinsecus humanitatem Domini Iesu, eiusq; doctrinã etiam in omnibus semitis perfectionis imitatur. Sic igitur nostra voluntas, vbi se diuino beneplacito funditus offert, ibi ipsa Dei & Deus eius vmbraculum efficitur: quia in alterutro suauiter requiescunt, & alter mirabili dulcifluaq; fruitione quadã alterius est cõplexus. Vnde fidelis anima sub hac vmbra tria se reperisse gloriatur. Primò, desideratam vmbram, id est, ab æstu vitiorum, quo diaboli laqueos vitare posset, concupitam refrigerationem, quantum ad vim concupiscibilẽ. Nam mali ardent in suis concupiscẽtijs: imperfecti

Vmbram causant tria.

Vmbra animæ.

fecti patiuntur æstum multimodæ tentationis: sed charitate perfecti refrigerium inueniunt in memoria Dominicæ passionis, sicut Helias sub vmbra iuniperi. Ecce vmbram: *Christo igitur in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini.* Secundò verò in vmbra sessionem, id est, in omni aduersitate per gratam patientiam, omnimodam mētis quietationem, quantū ad vim irascibilem. Vnde dicit Prosper in libro de vita contemplatiua, & habetur de Pœnitentia distinct. 2. cap. Charitas est: Illi verò plus quàm se Deum diligūt, qui propter eius amorem ad tempus suæ saluti non parcunt, seipsos tribulationibus ac periculis tradunt, nudari facultatibus propriis, patriæ suæ extorres fieri, parentibus, vxoribus ac filijs renuntiare sunt parati: &, vt totum dicam, ipsam mortem corporis non solùm non refugiunt, sed etiam libenter excipiunt. Ecce sessionem. *Elegi abiectus esse in domo Dei mei,* Et iterū: *Improperium expectauit cor meum, & miseriam.* Tertiò fructus inuenit dulcedinem, id est, spiritualem refectionem, tam in agendis, quàm in cauendis & sustinendis, ingeminans cum Psalmista: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Nec mentitus est, qui dixit: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Et hic est fructus, de quo nunc loqui intendimus.

3 Reg. 19. 1. Pet. 4. Psal. 83. Psal. 68. Psal. 118. 2. Cor. 7.

Fructus ergo nomen à corporalibus ad spiritualia translatum est. Dicitur enim fructus in corporalibus, quod vltimum ex plantis vel arboribus producitur, & cum quadā suauitate percipitur. Et, secūdùm hoc, fructus hominis dicitur vltimus hominis finis, quo frui debet. Si autem dicatur fructus hominis id, quod ex homine producitur, sic ipsi actus humani fructus dicūtur. Operatio enim est actus sensus operantis, & habet delectationem si sit conueniens operanti. Vnde si procedit ab homine, secundùm facultatem suæ rationis, tūc dicitur esse fructus rationis. Si verò procedit ab homine, secundùm altiorē virtutē, quæ est virtus Spiritus sancti, sic dicitur esse fructus spiritus, quasi eiusdē diuini seminis, sicut dicit Iohannes: *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniā semen ipsius in eo manet.* Vnde fructus spiritus propriè dicitur, actus virtuosus, qui fit cum spirituali delectatione propter finem vltimū, etiam si in se nihil habet delectabile secundùm naturam, vt patientia: nam in Deo solo quis delectari debet propter se, sicut propter finem vltimum, vt scilicet, propter, dicat causam finalem. Sed in actibus virtuosis delectari debet, non sicut propter finem, sed propter honestatē quam continet, delectabilem virtuosis. Dicit enim Ambrosius,

Fructus quid.

1. Iohan. 3. Fructus spiritus.

quòd opera virtutum dicuntur fructus, quia suos possessores sancta & syncera delectatione reficiunt. Ex ijs elicitur, quòd ad rationẽ fructus duo pertinent, scilicet, quòd sit vltimum expectatum, & quòd cum quadam dulcedine vel delectatione quietet apptitum. Est igitur aliquod vltimum simpliciter, quod scilicet ad aliud non refertur, sed in quo delectatur aliquis sicut in vltimo fine: & hoc propriè dicitur fructus, & eo propriè dicitur aliquis frui. Est etiam aliquod vltimum secundùm quid, quia est aliquorũ vltimũ, habens in se quandam delectationem, ad quam præcedentia referuntur: & hoc aliquo modo potest dici fructus, sed non propriè, & secundùm completam rationem eo frui dicimur. Et sic ea, quæ ponit Apostolus ad Galatas, dicens: *Fructus autem spiritus* sunt *charitas, gaudium, pax*, &c. dicũtur fructus spiritus, quia sunt effectus quidem Spiritus sancti in nobis, non ita tamen dicuntur fructus spiritus, vt eis fruamur tanquam vltimo fine, sed tanquam quibusdam medijs ad vltimũ finem, nec habent perfectam & completam rationem fruitionis. Vel, secundùm Ambrosium, dicũtur fructus, quia per se petenda sunt, non quidem ita, quòd ad beatitudinem non referantur, sed quia in seipsis habent vnde nobis plæcere debeant. Cæterùm, frui, quandam importat comparationem voluntatis ad vltimum finem, secundùm quod voluntas habet aliquid pro vltimo fine. Habetur ergo finis dupliciter. Vno modo perfectè, quãdo scilicet habetur non solùm in intentione, sed etiam in re, & sic perfecta fruitio est finis iam habiti realiter. De qua dicit Augustinus decimo de Trinitate, quòd frui est cum gaudio vti. Et sic finis iam habiti, est fruitio propria & perfecta. Alio modo imperfectè, quando scilicet habetur tantùm in intentione: & illa est fruitiò finis necdum habiti realiter, sed tantùm in spe, & intẽtione. De qua idẽ Augustinus 1. lib. de doctrina Christian. cap. 4. dicit, q. frui est amore inhærere alicui rei propter seipsam. Hoc enim fieri potest etiam de re nõdum habita. Verumtamen huiusmodi fruitio finis vltimi nondum habiti est quidem propria, sed imperfecta propter imperfectũ modum habendi finẽ vltimũ. Deniq; fruitio, quia deriuatur à fructu, ideo hoc modo fruitio ad similitudinẽ fructus, est actus voluntatis & charitatis, cuius obiectum est vltimus finis & summũ bonum, scilicet Deus, aut Dei visio. Simpliciter autem & propriè, fruendum est tantùm vltimo fine, scilicet Deo, per visionem habito & assecuto, ac etiam ipsa visione, in quantum ipsa visio est quædam Dei assecutio: principalius tamen fruendũ est Deo, quàm

Vltimum quid dicatur.

Galat. 5.

Frui.

Finis.

Quo fruendum.

quàm ipsa visione, quia ad istam complacentiã habendam, quæ fruitio dicitur, principalius mouet Deus, quàm visio. Nam visio nos beatos facit formaliter, & Deus effectiuè. Causa autem effectiua maior est, q̃ causa formalis, cùm causa efficiens etiam sit causa causæ formalis: sicut ignis principalius mouet quantum ad caliditatem, quàm calor, qui imprimitur aquæ, licèt ignis aquam non calefaciat, nisi mediante calore, quem sibi imprimit. Omnis igitur fruitio causatur ex amore, qui mouet voluntatem ad actum, & reddit actum delectabilem, licèt de ipsa natura amoris est, nunquam quiescere vel otiari: quãtum tamen amori propinquat æterno, tantum ipsi fruitioni appropinquat, quæ vacare cogit. Nam amor etiam in incipientibus & proficientibus sicut in suis exercitijs consequitur suam practicam, sic & pro modulo suo quandam persentit fruitionem, id est, dulcifluam internam oblectationem. Dicit enim Origenes super Cantica: De natura boni operis est, quòd ad ipsius multiplicationem multiplicatur & delectatio, & quasi quoddam spirituale condimentum est sibi hilaritas bene operantis. Hinc dicit Albertus Magnus: Quòd bonum operatum facit dulcedinem in gustu, & gaudium in corde. Veruntamen huiusmodi dulcedinem spiritualem in arduis, grauibus & pœnalibus, solus operatur amor Dei perfectus, qui est gustus spiritus. Fruitio vnde.

Quomodo mens bene disponitur cum duodecim fructibus, & de multiplici subiecto fruitionis, & quòd aliquo fruimur multis modis. Cap. L.

Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. De fructibus his dicitur in libro Apocalypseos; *Ostẽdit mihi* Dominus flumen *aquæ viuæ splendidum tanquam crystallũ, procedentem de sede Dei & Agni*, id est, Spiritum sanctum, qui procedit à Patre & Filio, iuxta illud Iohannis 7. *Flumina fluent de ventre eius aquæ viuæ. Hoc autẽ dixit de Spiritu* sancto. Sequitur: *Et ex vtraq; parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim*, id est, Christus, qui dat vitam comedentibus eum, nunc per fidem, postea per speciem. Duæ partes fluminis sunt vita præsens, & vita futura. Citra flumen ergo Christus est *lignum vitæ*, per sui Corporis & Sanguinis exhibitionẽ in Sacramento altaris. Vltra flumen est idem *lignum vitæ*, per suæ speciei tam humanæ, quàm diuinæ exhibitionẽ. Citra flumẽ affert duodecim fructus, quos enumerat Apostolus ad Galatas, dicens: *Fructus* Apoc. 22. Lignum vitæ Christi.

Galat. 5. Fructus duodecim.

autem Spiritus sunt *charitas*, &c. Fructus aũt vltra ripam sunt duodecim fercula, quæ Iesus suis ministrabit in mensa refectionis æternæ. Quamuis autem Apostolus enumeret duodecim fructus, tamẽ, secundùm Augustinum, non intẽdit docere quot sunt fructus Spiritus, vel opera carnis, sed tantùm vt ostendat, in quo genere illa sunt sectãda, & ista vitãda. Potuisset enim, vel plures, vel pauciores enumerãsse fructus, quamuis omnis actus donorum & virtutũ, secundùm quandam conuenientiam ad hos duodecim actus reduci possunt, vtpote per quos mens hominis per processum sancti Spiritus bene disponitur in nobis, tam in se, quàm ad id, quod est iuxta se; tam in bonis, quàm in malis. Vnde sicut fructus corporalis ab arbore procedit, eo fine, vt eodem quis fruatur, & vescatur cum suauitate: sic actus nostri procedunt à Spiritu sancto, vt mens hominis bene ordinetur, & eisdem delectabiliter fruatur, sicut Stephanus lapidibus torrentis, quifuerunt ei dulces gustu spiritus, sic Laurentius & Tiburtius carbonibus, sic Paulus carceribus, cùm diceret: *Repletus sum cõsolatione, superabũdo gaudio in omni tribulatione nostra.* Ordinatur ergo, & bene disponitur mens hominis quinq; modis. Primò disponitur bene in seipsa in bonis, per tria, scilicet per charitatem, quæ est prima dispositio mẽtis, & radix omnium affectionum, in qua datur Spiritus sanctus: & per gaudium, quod sequitur ad amorem charitatis, eò quòd omnis amans ad præsentiam amati boni gaudet, quam scilicet præsentiã causat charitas, quia *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: & per pacẽ, quæ consequitur amorem & gaudium, quia nemo perfectè pacem habet cum aliquo, nisi diligat eum, & gaudeat de eo. Pax etiam gaudium perficit, quietans mentem ab exterioribus conturbantibus, & sedans interiora desideria inordinata. Secũdò, etiam mens bene disponitur in malis, per duo, scilicet per patientiam, ne turbetur in toleratione malorum præsentiũ: & per longanimitatem, ne inquietetur, in dilatione bonorum futurorum. Tertiò, mens bene disponitur ad proximum, per quatuor, scilicet per bonitatem, qua bonum habet animum ad proximum, vt ei velit bonum, & dicitur dulcedo animi erga proximum: & per benignitatem, qua bene facit proximo: & per mansuetudinem, qua impeditur iniuriam facere proximo, sed illatam æquanimiter portat: & per fidem, id est, fidelitatem, qua remouet à proximo fraudem & dolũ. Quartò, bene disponitur mens ad id, quod est supra se, & hoc per fidẽ, qua in Deum credit, per quam intellectũ suum, & omnia, quæ sunt eius,

2 Cor 7. Mens ordinatur.

1. Iohan. 4.

eius, Deo subijciat, & etiam fidē suam debitè bonis operibus exequatur. Vnde Augustinus: Fides enim dicitur, quia fit quod dicitur: alioqui factis Deum negat, nec sē fidelem exhibet. Quintò, mens bene disponitur ad id, quod est infra se, per tria, scilicet per modestiā, qua seruat modum in dictis & factis; & per continentiam, qua se abstinet, & appetitum refrænat ab illicitis; & per castitatem, qua bene & rectè licitis vtitur. Continens enim est, qui fortes concupiscentias patitur, sed nō vincitur. Castus verò, qui nec patitur, nec vincitur. Ad maiorem autem euidentiam sciendum, quòd multiplex est subiectū fruitionis. Primò namq; fruitio includit quādam delectationem, & quietationem cuiuscunq; naturæ: & sic conuenire etiam potest brutis, nō propriè, sed abusiuè. Brutum enim quiescit in delectatione cibi, quia nescit aliam delectationem vlteriorem. Vnde ait Augustinus lib. 83. quæst. Frui qualibet corporis voluptate, non absurdè æstimantur bestiæ. Secundò, fruitio dicit delectationem voluptuosam naturæ rationalis, quacunque re habita, licèt impropriè: & sic competit etiā peccatoribus, qui propter vehemētiam delectationis in delectatione peccati quiescunt; quia ratio absorbetur ab eis, ita, quòd nesciunt aliam considerare delectationē, quàm suam. Tertiò, dicit delectationem in summo bono: & sic tantùm cōpetit iustis, qui quiescunt in summo bono per plenam spem & confidentiam, propter omnis boni affluentiam, cooperante gratia & suauitate Spiritus sancti. Nam fruitio pertinere videtur ad amorem & delectationē, quam quis habet de vltimo expectato, quod est finis. Cùm ergo frui propriè est vltimi finis, ideo solùm in his, quæ cognitionem habent, inuenitur fruitio finis. Vnde dicit Augustinus 10. de Trinitate, quòd fruimur cognitis, in quibus voluntas delectata quiescit: nec quiescere potest propriè, nisi in vltimo fine, quia quandiu expectatur aliquid, remanet motus volūtatis in suspenso, licèt iam ad aliquid peruenerit. Quartò, dicit fruitio delectationem, cum perfecta quiete ex coniunctione finis vltimi & sic cōpetit beatis, qui perfectius Deo fruuntur, quàm viatores, propter præsentiam æternæ beatitudinis. Quintò, dicit fruitio summam delectationem, cum perfectissima quiete, & summa coniunctione ad summum bonum: & sic Deus fruitur seipso. Nam omnis boni affluentia, solùm est in personis diuinis, quæ perfectissimè fruuntur seipsis. Nos etiam quinque modis aliquo frui possumus. Primò nanque fruimur aliquo, vt repræsentante & cooperante: & sic fruimur homine

Continens quis.

Castus quis.

Fruitio multifariè dicitur.

Fruuntur homines diuersimodè.

iusto per gratiam. Secundò, vt disponente, & sic fruimur virtutibus, quæ disponunt nos ad beatitudinem obtinendam. Tertiò, vt perficiente & præmium eliciente, & sic fruimur charitate. Quartò, vt mouente aut imperante, & sic fruimur voluntate. Quintò, vt beatificante, & sic fruimur solùm Deo. Et dicitur propriè fruitio, quia fruitio duo importat, scilicet delectationem, & omnimodā quietationē, propter affluentiam omnis boni, quo totus appetitus quietatur ex coniunctione finis vltimi. Fruendum est igitur propriè solo Deo, quia fruitionis obiectum est summa bonitas, summa felicitas, summa satietas, & finis vltimus, animæq; centrū, in quo solùm natura humana perfectè quietari potest. Dicimur tamen etiā frui virtutibus, & opera virtutum propterea dicuntur fructus quadruplici ratione. Primò, quia de spiritu quasi de ligno vitæ colliguntur. Secundò, quia propter se à spiritu rationali appetūtur. Nam secundùm Augustinum, frui est amore inhærere alicui rei, propter seipsam. Tertiò, quia cum spirituali delectatione & gaudio habentur. Dicit enim Augustinus, quòd frui est vti cum gaudio. Quartò, quia spirituales humores, id est boni mores inde generantur. Deniq; secundùm Alexandrū de Hales in illa diffinitione Augustini, frui est amore inhærere alicui rei propter seipsam, amor cōmuniter accipitur ad omnes virtutes Theologicas. Comprehendit enim amore summæ veritatis, qui est fidei: & amorem expectatæ beatitudinis, qui est spei: & amorem summi boni, qui est charitatis.

Fruendum solo Deo.

Frui virtutibus.

De differentia inter virtutes, dona, beatitudines, & fructus secundum gradum, & finem. Cap. L. I.

SVb vmbra illius, quem desideraueram sedi, &c. Isti sunt *fructus* lignī *vitæ*, de quibus habetur in Apocalypsi, qui crescūt *ex vtraque parte fluminis*, id est, vitæ præsentis, & futuræ. Sed in statu præsentis miseriæ profert fructus imperfectos, & immaturos: in statu verò gloriæ profert maturos: quos non secludit ab inuicem, nisi fluuius mortalitatis vitæ præsentis. Citra flumen enim sunt iusti perfecti in præsenti vita, & vltra flumen sunt beati in patria. Est autem fructus iste dulcedo quædam in præsenti, vel refectio siue præguſtatio ineffabilis delectationis vitæ futuræ, subsequens in anima beata, ex adeptione finis, & vltimi expectati. Sicut enim fructus corporalis ab arbore procedit ad finem, vt quis eodem fruatur, sic actus nostri procedunt à Spiritu sancto, vt mens hominis bene ordinetur, & eisdem delectā-

Apoc. 22.

Fructus spiritus quid.

lectabiliter fruatur: quamuis in se nullo modo delectabiles sint. In quo fructu præsens miseria fit tolerabilior, & in operatione fit homo feruentior: quia coauget operationem propria delectatio, & fini fortius adhæret ab omni alio subtractus, eò quòd anima sancta perfectioni suæ coniungitur, & in delectationem verissimam immergitur. Quod autem amplius delectat, id feruētius operemur necesse est. Vnde sicut fructus Spiritus sancti, est vltimum expectatum in vita spirituali, vt scilicet fruibiliter quis virtutes possideat, tam in agēdo, quàm in cauendo & patiendo; sic etiam in homine summam videtur exigere perfectionem: quia sicut donum potest in id, in quo non potest virtus, vt virtus; & beatitudo in id, in quo non potest donum secundùm rationem doni: sic & fructus potest in id, in quo non potest beatitudo sub ratione beatitudinis, quia non semper beatus beatitudine viæ percipit fructus. Virtutes enim & dona, & beatitudines sunt habitus, sed fructus sunt delectationes ex actionibus illorum circa obiectum prouenientes: virtutes etiam acquisitæ, vt acquisitæ, differunt ab eisdem vt gratuitæ, & etiam à donis ac beatitudinibus, non solùm secundùm gradum, sed etiam secundùm finem. Pro quo notandū, quod virtutes acquisitæ tam morales, quàm speculatiuæ finem habent boni operationem, vel veri cognitionem, vt est sistens intra limites naturæ, & modo naturali, quia, vt purè acquisitæ, finem habent actum perfectum. Virtutes autem, prout sunt gratuitæ, finem habēt operationem circa bonum, & cognitionem circa verum, super limites naturæ, & modo supernaturali: quia factæ per charitatem, quæ est forma virtutum, alium finem sibi præstituunt, quàm ex se habent, in quantum puræ sunt acquisitæ, quia prout gratuitæ sunt, finem suum habent finem charitatis. Exempli gratia: In virtutibus moralibus, secundùm virtutē prudētię, in operatione boni imperturbabiliter agentes, & non impediti, sedatis passionibus, beati sumus vt homines felicitate ciuili: & in virtutibus intellectualibus secundùm virtutem sapientiæ in speculatione veri, imperturbabiliter, & non impediti, vacantes ab omni opere exteriori, beati sumus vt homines felicitate speculatiua, tāquam perfectionem illarum assecuti, prout sunt nudæ virtutes. Hic tamen non debet quiescere Christianus, finem scilicet virtutum ponēdo in operatione boni, quò ad regimen vitæ, & in veri speculatione circa creaturas ex creaturis accepta: sed finem earum ponere debet in dilectione boni illius, quod est summa omnis boni,

Finis virtutum.

& in veri illius cognitione, quod est summa omnis veri: nõ quantum naturaliter ex puris naturalibus debet diligi & cognosci, sed quãtum per fidem & adiutorium diuinæ gratiæ. Et tunc virtutes, quæ dicuntur à Philosophis humanæ, dicuntur à Christianis gratuitæ per gratificationem Spiritus sancti, cuius adiutorio sunt factæ. Et non differũt nisi fine, quem finem, vt sunt gratuitæ communem habent cum donis & beatitudinibus: quibus cum homo fuerit perfectus, tunc fructũ ex finis adeptione, & coniunctione cum ipsõ fine, quantum præsens vita patitur, percipit, tanquam verè beatus felicitate, qua felices sumus, nõ iam vt nudi homines, sed solum modò vt super homines cæteros excellentes, vtpote quasi iam dij effecti, quia Deo coniuncti.

Ad maiorem autem euidentiam sciendum, quòd sicut homo spiritualis carnem suam nutrit & fouet, vt Dei creatura saluetur: & eam in desiderijs eius implendis negligit, ne diuina iustitia per hoc offendatur: sic econuerso carnalis homo carnem suam per vniuersa vitia sinit effluere, diuinam cõtemnendõ iustitiam, ne desideria illius offendantur. Quod tam in viris spiritualibus, quàm carnalibus quidam faciunt more humano, quidam modo superhumano, quidam verò modo inhumano. Et secundùm hoc, tanquam ex operibus nobis cognitis, secundùm gradus perfectionum per ordinẽ distinctos, ponamus distinctionem secundùm gradus & ordinem, tam in habitibus laudabilibus, quàm in vitijs eis oppositis. Quod vt per exempla manifestius pateat, assumamus ad hoc vnum habitum virtuosum, scilicet fortitudinem ex parte spiritus, & vnum vitiosum, scilicet luxuriam ex parte carnis. Nam sicut homo carnalis humano modo curam carnis habere dicitur in desiderijs eius explendis, quando modo naturali quærit eius delectationes, naturæ limites non exiens in fruendo venereis delectationibus: sic spiritualis humano modo carnẽ suã in explẽdis eius desiderijs negligit, eam periculo mortis exponẽs, ne diuinam offendat iustitiam: quod fit per fortitudinem, prout est virtus, præcisam habens rationem virtutis, quæ curam carnis gerit, non exponens eam periculo mortis, nisi quãdo & quomodo oportet, & hoc ne offendatur diuina iustitia, & bonũ virtutis, secundùm quod dicitur 3. Ethicorum: Fortis insuperfactibilis est, vt homo timebit quidem vt oportet, & vt ratio dictat sustinebit boni gratia. Hic enim finis est virtutis, & in hoc consistit fortis dilectio: quia tamen secundùm fortitudinem, quæ virtus est, cum tristitia & dolore sustinet aspera carnis, &

Fortitudo virtus.

vellet

vellet non sustinere, & opportunitatem non adesse talia sustinendi: sed cùm adsunt conditionaliter, mauult talia sustinere, quàm bonum virtutis offendere, quamuis hoc faciat cum tristitia & dolore. Secundò, sicut carnalis superhumano modo curam carnis habere dicitur in desiderijs eius explendis, cùm hoc facit modo supernaturali, limites naturæ exiens per exquisitas malitias, venereas quærendo delectationes: sic spiritualis in desiderijs Spiritualibus explendis carnem suam negligit, ne diuinam iustitiam & bonum virtutis offendat, cùm carnẽ suam superhumano modo mortis exponit periculo, quando & quomodo oportet. Iam quidem non cum anxietate & dolore, sicut fortis virtute fortitudinis, sed cum gaudio & exultatione, sicut fortis de dono fortitudinis, iuxta illud Lucæ: *Gaudete & exultate in die illa*, &c. Fortitudinis donum. Lucæ 6.

Tertiò, sicut homo carnalis inhumano modo curam carnis habere dicitur in explendis eius desiderijs, quando contra modum naturæ, & extra limites naturæ eam libidine commaculat, scilicet cum bestijs, vel masculus cum masculo turpitudinem operando: sic spiritualis inhumano modo carnem suam in explendis eius desiderijs adeò negligit, quòd eidem inhumaniter velut asino vix necessaria vitæ concedit, diuersis eam miserijs exponens, & quantum in se est, opportunitate affectans, vt eam pro bono virtutis & iustitiæ, morti frequenter exponat, vitam habens in tædio, & mortem in desiderio: quod fit per fortitudinem, quæ est beatitudo. Et hic vocatur modus inhumanus, quia fit potius habitu diuino, quàm humano. Hinc Philosophus vocat hanc virtutem heroicam, id est, diuinam, qua scilicet ex hominibus fiunt dij propter virtutis excellentiam. Dicitur enim virtus diuina, cùm quis virtutem dirigit super omnem hominem, & humanam virtutẽ, quia talis virtus inest hominibus iam Deo vnitis, & quodammodo deificatis propter nimiam approximationem, & assimilationem ad Deũ. Admirabilis quidem & supernaturalis est homo ille supremum virtutis attingens, & super omnes homines virtutem dirigens, quæ virtus homines quodammodo deos constituens, ineffabilem fruitionem diuinæ dulcedinis eis administrat. In quolibet ergo genere virtutis dicitur esse opus virtutis, vt virtus est, cùm illud agit vt homo, & humano modo. Dicitur autem opus esse doni, vt donum est, cùm illud agit vt homo, sed superhumano modo. Dicitur autem opus esse beatitudinis, vt beatitudo, cùm illud agit vt homo, sed vt iam deificatus, iuxta illud Psalmistæ: *Ego dixi, dij estis*. Beatitudo. Virtus diuina. Psalm. 81.

potest in id, in quod nõ potest nuda virtus: & beatitudo in id, in quod non potest donum secundùm rationem doni: & fructus in id, in quod non potest beatitudo sub ratione beatitudinis, quia non semper beatus, beatitudine viæ percipit fructus.

De fruitione diuina in hac via, & in patria: ac de primo fructu Spiritus sancti, qui est charitas, quæ tria in nobis operatur. Cap. LII.

Sub vmbra illius, quem desideraueră, sedi. Fructus isti spiritus non dicunt in nobis nouos habitus, sed consolationum status, quibus Spiritus iustorum consolantur, & in eis delectantur, quæ delectationes consequuntur opera perfecta. Vnde, quia procedentes à Spiritu sancto mentem delectant, sicut fructus materialis procedens de arbore, percipitur cum quadam suauitate; ideo nomine singulorum fructuũ intelligitur ipsum opus cum delectatione ex ipso cõsequente, vel ipsa delectatio cõsequens ex opere: quam delectationẽ Deus summè requirit in opere, dicente Psalmista: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Delectatio in Domino, est delectatio bonæ conscientiæ, & sapor castitatis, humilitatis, patientiæ, charitatis, mansuetudinis, & aliarum virtutũ. Quæ delectatio maior est omnibus alijs delectationibus corporalibus. Et cùm in his delectamur, in Domino delectamur. Amor enim verus, qui, secundùm Gregorium, nunquam potest esse otiosus, sicut semper cogit ad praxim, & opera bona, hic eidem semper quædam fruitio comitatur, vel quidam amor fruitiuus. Et quantò magis sui vehementia, puritate ac perfectione propinquat amori æterno, tantò magis & ipsi fruitioni propinquat, quæ quiescere cogit in dulcedine diuini amoris: quod dicitur *iugum* Domini *suaue*. De quo Bernardus: O iugum amoris Christi, quàm dulciter capis, quàm gloriosè illaqueas, quàm fortiter stringis, q̃ suauiter premis, quàm delectabiliter oneras: quia nimirũ amor Christi est participatio quædam diuinæ naturæ in nobis, & per eam Trinitas habitat in nobis, sicut amans habitat in amato, & econuerso. Amor enim transfert amantem in amati similitudinem quantum potest, etiã quantum ad consimiles operationes arduorum & difficilium: & exinde redditur *iugum* Domini *suaue*. Sicut enim, secundùm Thomam in libro de Beatitudine, fruitio patriæ est delectatio proueniens ex perfecta cõiunctione intellectus, & affectus in Deũ, vtpote cùm anima figit intellectum in æter-

Psalm. 36.

Delectatio spiritus.

Matth. 11.

Fruitio patriæ.

æternitatem, immensitatem, bonitatem, largitatem, charitatem, & sic de cæteris attributis, statim affectus animæ delectatur in singulis intellectis, nec solùm fruitur Deo in singulis, quæ in Deo sunt, sed etiam in singulis Angelis & Sanctis, ac in singulis virtutibus & donis eorũ naturalibus, & sic erit *Deus omnia in omnibus*. Tanta namque erit exinde delectatio, quòd intrare non poterit in animam, sed anima tota intrabit in gaudium. Sic etiam suo modo perfecta fruitio viæ in Deum, est quidam amorosus & saporosus complexus dilecti in dilecto super omne desiderium: in quo complexu cogitur humanus spiritus expirare, liquare, defluere, & in fruitione vnum cum Deo fieri. Cui cùm spiritus humanus perfectè coniunctus fuerit, iam non agere, sed, figi videtur, & qui *spiritu Dei aguntur*, hi *filij Dei sunt*. Veruntamẽ hæc fruitio paucissimorum est contemplatiuorum. Sed quanto magis huic cõplexui proqinquamus, tãto magis de hac fruitiõe participamus, quàm intimi Dei amici diuina dispensatione quandoque degustant, dicentes cum Psalmista: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quã abscondisti timentibus te. Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum*. Quibus respondet Iesus in libro Apocalypseos: *Nemo* nouit, *nisi qui accipit*. Nam amantibus est nota dulcedo, quæ timentibus est abscondita. Tanta namq; iucunditas & amabilitas est in Deo, quòd ab anima cognitus, statim eam ad se trahit, ad similitudinẽ adamantis ferrum attrahẽtis, vt eam in se vehementer absorbeat. Ad quã dulcedinem suspirãs Bernardus, ait: Non accessit cor meum ô Domine Deus ad multitudinem dulcedinis tuæ, *quã abscondisti timentibus te*. Foris eius odore vtcunq; sustentor, quod est mihi super odorẽ balsami, cunctíque generis suauis odoramenti. O Domine Deus, si tam nobilis est odor, quàm dulcis est sapor dulcedinis tuæ? Si tantæ virtutis est modica degustatio, quantum iucunditatis habet felix inebriatio? Hæc tamen fruitio præuiam requirit omnimodam pacem cordis, serenitatem mentis, & deificationem voluntatis. Oportet, inquam, à vitiosis affectionibus, ab inordinatis passionibus, & tumultuosis occupationibus cor esse purgatũ & liberum, quod hanc suauitatẽ gustare debeat: quia nisi sincerũ fuerit vas cordis, non percipiet suauitatẽ spiritus, eò quòd adhuc acescit ex fæce voluptatis. Et hæc est fruitio, qua fruimur Deo, prout est possibile secundùm modum viæ: quam vtique fruitionem ordine congruo præcedere debet fruitio verarum virtutum, quæ nos disponunt ad obtinendã diuinã fruitionẽ,

1. Cor. 15.

Fruitio viæ.

Rom. 8.

Psal. 30.

Apoc. 2.

Amabilitas in Deo.

quas omnes Apostolus in numero duodenario fructuũ breuiter comprehendit, quia omnes actus virtutum, donorum, & beatitudinum, secundùm quandam conuenientiã ad hos duodecim actus, vel fructus reduci possunt, vtpote per quos mens hominis per processum sancti Spiritus per omnia bene disponitur secũdùm omnimodam diuinam conformitatem. Primus igitur fructus, & inter alios primatum obtinens, est charitas, tanquam caput virtutum & fructuum. De qua dicit Hieronym. Quæ alia virtus inter fructus spiritus habere debet primatum, nisi charitas? sine qua aliæ virtutes non reputantur esse virtutes, sine qua etiam nulla virtus spiritualem gustum consequitur. Nam qui charitatem non habet, huic tanquam infirmo virtutes non sapiũt, eò quòd charitas est dispositio gustus spiritualis, cui sapiunt res, prout sapere debent. Charitas etiam sanat omnes infirmitates spirituales quasi non fuissent, quia *charitas operit multitudinem peccatorum*: ex qua etiam vniuersa bona nascuntur, in quantum sunt meritoria, & omnes alij fructus gustum suum spiritualem ac fruitionem, sortiuntur. Hæc autem charitas dum nominat habitum, est virtus Theologicalis, & maxima virtutum, iuxta illud: *Maior autem horum est charitas.* De qua virtute apud Matthæum datur *maximum & primum mandatum.* Dum verò nominat actum, sic est opus virtutis, quod etiam tenet primatum cælestium viarum, dicente Apostolo: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Dum denique nominat delectationem sequentem, tunc est fructus. Veruntamen charitas, prout est fructus, magnam in se requirit perfectionem. Et tria præsertim operatur in nobis. Primò, mentis omnimodam depurationem ab omnibus, quę diuinum amorem non redolent, & quandam viuaciſsimam in Deum adhæsionem, nihil amplectens, nisi diuinum beneplacitum, omnem iacturam in tempore & æternitate sustinere parata propter Deum, sine omni cordis retractione. Quæ nimirum adhæsio gratuita sic mentem Deo coniungit, quòd ferè inadhæsibilis fit omni creato. Hinc prima dispositio mentis ad bonum, qua summo bono fruibiliter adhæret, est per amorem, quæ est prima affectio, & radix omnium affectionum. Hinc meritò prima ponitur inter fructus spiritus, in qua Spiritus sanctus specialiter datur sicut in propria similitudine, cùm & ipse sit amor. Porrò duo alia, quæ charitas fructus operatur in nobis, vide prout immediatè sequitur,

Charitas.

1. Pet. 4.

Charitas habitus. 1. Cor. 13. Matth. 22.

Charitas actus. 1 Cor. 12.

Charitas delectatio.

Charitatis opus primum.

De du-

De duobus alijs, quæ charitas operatur, ac de vndecim alijs fructibus spiritus in particulari. Cap. LIII.

SVb vmbra illius, quem desideraueră, sedi. Cùm charitas fructus magnam perfectionem requirat, quæ tria principaliter, operatur in nobis, quorum primum in immediatè præcedentibus expositum est, duo sequentia prosequamur. Secundò verò charitas in eo, cui tam efficaciter adhæret, plenariè facit quiescere per quędam complexum vnitiui amoris, ex quo necessariò sequitur secundus fructus, scilicet gaudium in Spiritu sancto. Omnis enim amans gaudet ex coniunctione amati. Charitas verò Deum, quem amat, semper præsentem habet. Nam *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Sunt enim duo, quæ diuinam causant præsentiam, scilicet charitas & conscięti puritas, quæ sunt digna, vt de eo homo spiritualis meritò gaudere debeat. Dicit enim Tullius de Senectute, quòd conscientia benè actæ vitæ, multorumq; beneficiorum recordatio iucundissima est, fructus autem gaudij dulcissimus est, quia *non est oblectamẽtum super cordis gaudium, & secura mens quasi iuge conuiuium.* Tertiò denique charitas pacem omnimodam operatur, quæ perficit gaudium, quia mentẽ quietat, etiam in quantumcunque pœnalibus, iniuriosis, contumeliosis, & alijs diuersis: quæ cuncta charitas etiã fruibilia reddit, sicut B. Stephano torrentis lapides, & beato Laurentio carbones. Est enim pax status virtutis, in quo est delectatio in Deo sine contradictione carnis, mundi & diaboli: vel si est aliqua, inefficax est, quia pax fructus est status animi purgatissimi, in quo fuit Paulus, cùm dixit: *Complaceo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in angustijs, in persecutionibus pro Christo.* Est ergo pax perfectio gaudij, tum quãtum ad quietationem ab exterioribus conturbãtibus, quibus omnibus supereminet quiete serenissima, tum etiam quantum ad sedationem interioris desiderij: quia non perfectè gaudet, cui non sufficit, quod habet. Qui verò cor habet in vno pacatũ, à nullo alio potest inquietari. Rursum, qui per desideria sua totaliter in vno quiescit, ad alia non fluctuat, nec inquietatur. Nam vera pax est à voluntate Dei non diuidi, & in his solis, quæ Deus diligit, delectari. Et hi tres fructus quasi sorores sibi inuicem sunt combinatæ, quarum primogenita charitas est. Quartus fructus dicitur patientia, quæ bene disponit mentem in malis, sicut tres priores bene disponunt in bonis, ne scilicet mens turbetur in to-

Quies.

Gaudium. Ioan. 4.

Eccli. 50. Prouer. 15. Pax.

2. Cor. 12.

Pax vera quæ.

Patientia.

leratione malorum præsentium: quem fructum veraciter obtinet, qui gratanter & delectabiliter cuncta aduersa complectitur, dicens cum
2 Cor. 7. Apostolo: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione mea.* Nunquam enim est perfectus amicus, nunquam summa dilectio, nisi pro amico Deo quis aduersa cuncta non solùm gratanter accipit, sed etiam horrendam mortem ignominiosa crudelitate iniustè inferendam, affectu plenissimo concupiscit, sicut dulcifluus amator Iesus dilectã animam suam laniandã tradidit inimicis pro inimicis. Hanc enim solam de proprijs rependimus pro vniuersis eius beneficijs, vtpote quam summè requirit à dilecta in spirituali copula: quia patientia existens quartus fructus, est vltima virtutũ, quæ rectificat hominem ad proximum suum, cùm scilicet iniuriam pro amico Deo patienter accipit, & inferentes viscerosè diligit. De tali sponsa dicere potest
Cant. 2. sponsus: *Sicut lilium inter spinas* crescit, & punctum redolet, *sic amica mea inter filias*, id est, mentes peruersas proficit, & per iniurias puncta gratias agit. Quintus fructus dicitur
Longanimitas. longanimitas, quæ bene disponit mentem, ne scilicet inquietetur in dilatione bonorum futurorum, sed in expectatione perseueranter vnam se intuenit cum voluntate diuina, iuxta quod admonet Psalmista, dicens: *Expecta Dominũ,*
Psal. 26. *viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Vnde in Eccles. 1. Ecclesiastico scriptum est de ea: *Coniungere Deo, & sustine, vt crescat in nouissimo vita tua.* Nam sola perseuerantia, vel longanimitas coronã gloBonitas. riæ consequitur. Sextus fructus dicitur bonitas, qua scilicet quis bonum habet animum ad proximum, vt ei velit bonum, & est quædam animi dulcedo circa proximum. Est etiam, secundùm Glossam, animi dulcedo, dulcorans omnem amaritudinem huius mundi, adeò vt non solùm aduersa quæque, sed & mortem quoq; faciat dulcissimam, nec quæcunque asperitas illi vnctioni resistere potest. Amor enim Christi bonitatem hanc in nobis efficiens, infinitæ suauitatis & dulcedinis est;
Benignitas. omnem dulcorans, amaritudinem, omnem superans & expellens peregrinam dulcedinẽ. Septimus fructus dicitur benignitas, quę bene facit proximo suo, etiã iniurianti, & persequẽti. Dicũtur enim benigni, quos bonus ignis amoris feruere facit, non solùm ad bene volendum, sed etiam ad bene faciẽdum proximis, etiam ingratis & inimicis: quæ virtus etiam dicitur liberalitas, & est virtus nobilium: & quantò be
Mãsuetudo. nignior & liberalior, tantò nobilior. Octauus fructus dicitur mansuetudo, quæ scilicet impedit iniuriam facere proximo, & illatã æquanimiter

nimiter portare: qua perficitur illud Euangelicum: *Si quis te percusserit in* vnam *maxillam, præbe ei & alteram.*

Nonus fructus dicitur fides, qua quis in Deum credit, per quam intellectum suum, & omnia, quæ sunt eius, Deo subijcit, etiam fidem suam debitè bonis operibus exequendo, alioqui factis Deum negaret, nec se fidelem exhiberet. Per fidem etiam fidelitas intelligitur, quæ remouet à proximo dolum & fraudem. *Vir* autem *fidelis multum laudabitur*, vt dicitur in Prouerbijs. Et Ecclesiasticus ait: *Si tibi est seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua, & quasi frater*em tuum *tracta* illum. Decimus fructus dicitur Modestia, quæ modum debitum obseruat in dictis & factis. Nam modestia, secundùm Tullium, est scientia rerum illarum, quæ aguntur vel dicuntur, loco suo collocandarum. Vnde dicitur ad Philippenses. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*, id est, rationabilis conuersatio. Hanc vult Apostolus notam fieri hominibus, vt eius odore si mortui sunt, viuificentur; si viui, confortentur. Et Seneca: Magni animi est magna contemnere, & mediocria magis velle, quàm nimia, eò quòd superflua nocèt. Sic segetem nimia frangit vbertas, sic & rami fructuum onere frangumtur. Vndecimus fructus dicitur Continentia, qua se mẽs abstinet, & appetitum refrænat ab illicitis, dicens cum Psalmist. *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* Hinc Tullius: Si cibis, & potibus parcè vteremur, & nos immaculatos custodiremus, frueremur consortio & affabilitate deorum, id est, Angelorum. *Non enim est digna ponderatio continentis anima.*

Duodecimus fructus est Castitas, qua quis rectè vtitur licitis, scilicet vxore, & similibus, vtpote per quam tam perfectè suppeditatur libido, quod nec vincitur, nec impulsum patitur. De qua Sapiens ait: *O quàm pulchra est casta generatio cum charitate.* Castitas enim sicut odor balsami odorifera, quo cadauera condita incorrupta seruantur, sensus, & actus continet, & constringit, statum quendam immortalis gloriæ repræsentans. De qua dicit Bernardus: Quid castitate decoritus, quæ hominem facit Angelum? inter se quidem differunt homo pudicus & Angelus, sed felicitate, non virtute. Nam si Angeli castitas felicior, hominis tamen fortior esse cognoscitur.

Fides. Prou. 28. Eccles. 32.

Modestia. Philip. 4.

Continentia. Psal. 76.

Eccl. 26.

Castitas. Sapien. 4.

De duodecim fructibus æternæ vitæ, quibus anima coronabitur, & de tribus, quæ requiruntur ad perfectam beatitudinem.

Cap. LIIII.

Libanus. VEni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis. Cantic. 4. Libanus mons est Phœnicis, & interpretatur Hebraicè candidatio. Græcè verò thus, quia, secundùm Richardum, Libanus mons est, in quo crescunt myrrha, qua corpora incorrupta conseruantur, & thus deuotionis, orationis, & contemplationis, quo Spiritus sustollitur ad diuinum amplexum. Nam omnimoda mortificatio, & intima deuotio reddunt animam candidam & dealbatam, & sustollunt ad intimam Dei familiaritatem. Talem enim animã vocat sponsus, quasi dicat: *Veni*, scilicet fide, spe, & charitate, de candida cogitatione, oratione, contemplatione: vel, de candida affectione, intentione, & operatione: seu, de candida virtutum, donorum, & gratiarum perfectione: vel, de candido statu incipientium, proficiẽtium, & perfectorum. Venire debet, inquã, de monte, ad quem prius accessit, dicens: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, mortificãdo *membra* sua, *quæ sunt super terram*, scilicet carnales affectus, proprias voluntates, & quicquid inferius delectare potest supergrediens, & *quæ sursum sunt*, insatiabilibus desiderijs quærens, *vbi Christus est in dextera Dei sedens*. Porrò triplicata hortatio vt veniat, & coronam accipiat, immensitatem amoris & desiderij ad eam habitam insinuat, ac vocantem Trinitatem trina repetitione denuntiat: & vt trina vocatione Trinitatis fruitionem exprimat. Nam ipsius animæ coronatio est, plena & æterna summæ Trinitatis fruitio. Est autem *corona stellarum duodecim*, vt dicitur in Apocalypsi: quia *duodecim* sunt *fructus* ligni *vitæ*, id est, Christi, etiam in statu gloriæ, sicut duodecim sunt in statu gratiæ, de quibus supra dictum est. Et hi duodecim fructus sunt quasi duodecim fercula, quæ ministrabit Iesus electis suis in vita æterna. De quibus dicit Origenes super Cantica: Da mihi Domine fructum dulcem, fructum vitæ animæ meæ. Et respondens dicit: Altus est fructus, attolle desiderium: Benedictus est, sanctifica obsequium: imputribilis est, purifica affectum: suauis est, lætifica animum. Nunc igitur de fructibus futuræ vitę, quibus anima fidelis coronabitur intratura *in gaudium Domini*, prosequamur. Ad quos nimirum sponsa suspirat, cùm indicari sibi petijt, *vbi* cubet sponsus *in meridie*. Vnde Bernardus: Meritò sponsa illa suspirat & inhiat loco pascuæ simul & pacis, sed quietis, sed securitatis, sed exultationis, sed admirationis. *Lauda ô Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: quoniam confortauit seras portarum tuarum: benedixit filijs tuis in te, qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti sati-*

Cant. 4. Colos. 3. Ibidem. Apoc. 12. Cant. 1. Psal. 147.

ti satiat te. Quis non illic vehementer pasci cupiat propter pacem, propter adipem, propter satietatem? Tuta habitatio paradisus, dulce pabulum verbū, opulentia multa nimis æternitas. Habemus & nos Verbum, sed in carne: nobis apponitur veritas, sed in Sacramento. Angelus ex *adipe frumenti* & nudo grano satiatur, nos oportet interim contentos esse Sacramenti cortice, carnis furfure, palea literæ, fidei velamine. Et quantalibet abundantia spiritus pinguescat, non pari omnino iucunditate sumitur cor ex Sacramenti, & adeps frumenti, fides & species, memoria & præsentia, æternitas & tempus, vultus & speculum, imago Dei & forma serui. Festinemus igitur ad locum tutiorem, ad pastum suauiorem, ad agrum fertiliorem, vt habitemus sine metu, abundemus sine defectu, epulemur sine fastidio. *Indica mihi* Domine *vbi pascas, vbi cubes in meridie*, id est, tota die. Illa enim meridies est tota dies, nesciens vesperam, quæ *melior est in atriis tuis super millia*, quia nescit occasum. O verè meridies, plenitudo feruoris & lucis, solis statio, vmbrarum exterminatio, paludum desiccatio, fœtorum depulsio. O perenne solstitium, quando iam non inclinabitur dies: ô lumen meridianum, ô vernalis temperies, æstiua venustas, autumnalis vbertas, & hyemalis quies. Hinc locum tantæ claritatis, pacis & plenitudinis indica mihi: & sicut Paulum duxisti in *tertium cælum*, vt oculis suis videret Iesum, ita me digneris introducere, vt te in lumine tuo, & in decore tuo contemplari merear, pascentem vberius, & quiescentem securius. Hic enim nec clara lux, nec plena refectio, nec tuta mansio, donec adimpleas *me lætitia cum vultu tuo.* Vultum tuum *Domine requiram* quia vultus tuus meridies est, vbi pascis & cubas. Hæc Bernardus. Veruntamen ad beatitudinem perfectam duo requiruntur. Primò, requiritur diuini muneris influentia, quia ad videndum diuinam essentiam, in qua perfecta beatitudo consistit, nullus intellectus creatus naturali sua virtute potest attingere. Nam intellectus Angelicus cùm sit creatus, & per consequens finitus & limitatus, sua virtute non attingit, nisi ad ens creatum & finitum: quantò magis intellectus humanus, cùm in vmbra oriatur intelligentiæ, vt dicit Isaac, nō potest sua virtute, propter suam imbecillitatem, attingere ad claram visionem essentiæ diuinæ, in qua *tenebræ non sunt vllæ*, sed datur ex sola diuina gratia, secundùm illud: *Gratia Dei vita æterna*, quæ scilicet, vita consistit in Dei visione. Secundò, requiritur clari luminis refulgētia: quia Deus *lucem inhabitat inaccessibilem*, quā *nullus hominum* vidit, quia

Cant. 1.

Psal. 83.

2. Cor 12.

Psal. 15.
Psal. 26.

Beatitudini necessaria duo.

1. Ioan. 1.
Rom. 6.

1. Tim. 6.

nullus ad eam ex se accedit, sed cui datur ex dono Dei: non quidem quòd excellens sua claritas intellectum creatum corrumpat, sicut excellētia sensibilium corrumpit sensum; sed quia intellectus creatus sua virtute tantā essentiæ diuinæ claritatē videre non potest: & ideo necessariū est ei lumen gloriæ, non quidem ex parte diuinæ essentiæ, quæ secundùm se absque alio medio est intelligibilis, sed ex parte nostri intellectus. Quia per hoc lumen primò intellectus noster habilitatur, & disponitur ad visionem diuinæ essentiæ, sicut diaphanum, vel transparentia quædam est dispositio corporis, ex qua corpus lumen suscipit. Vnde Psalmist. ait: *Amictus lumine sicut vestimento*. Per amictum luminis intelligitur lumen gloriæ, quo disponitur intellectus ad videdum Deum per essentiam. Secundò fortificatur, quia virtus naturalis intellectus creati adeò debilis est, quòd ex se non sufficit ad videndum diuinam essentiam, quamuis essentia diuina maximè sit intelligibilis, sicut sol propter excessum sui luminis à noctua, & vespertilione videri non potest. Hinc oportet, quòd virtus naturalis intellectus creati confortetur lumine gloriæ. Pro quo notandum, quòd duplex est lumen creatum in intellectu cuiuslibet beati. Vnum est generale & naturale ipsi intellectui, quo scilicet in specie suæ naturæ completur. Sed per hoc lumen intellectus beati nō vident diuinam essentiam. Aliud est lumen supernaturale, scilicet lumen gloriæ, quo intellectus diuina visione beatificatur. Tertiò, noster intellectus eleuatur. Nam licèt essentia diuina cuilibet rei præsens sit, sicut causa præsens est causato, non tamen est præsens cuilibet intellectui vt intelligibilis forma, vel sicut obiectum potentiæ præsens est, sed in infinitum distat à quolibet intellectu creato: & ideo indiget lumine gloriæ, quod non quidem ex virtute propria (cùm sit etiā quid creatū) sed ex virtute, quam ex Deo sortitur, intellectum creatum beati Deo coniungit, non secundùm esse, sed solùm secundùm intelligere, iuxta illud Psalm. *Et in lumine tuo videbimus lumen*, id est, *in lumine* diuinæ gloriæ *videbimus lumen* diuinæ essentiæ. Vnio namq; ipsius animæ ad corpus quoddam exemplū esse videtur illius beatæ visionis, qua spiritus vnitur Deo. Sicut enim anima per suam essentiā vnitur corpori, sic essentia diuina per seipsam vnitur intellectui, ita quòd in patria diuina essentia est, quæ intelligitur, & qua intelligitur. Et sicut tota vita corporis anima est, sic beata vita animæ Deus est. De qua dicit Augustinus: Beata vita est amor & perfecta notitia summæ Trinitatis. Ipsa enim est summū bonum, inenarra-

Lumen gloriæ tria operatur.

Psal. 103.

Lumen duplex.

Psal. 35.

enarrabile gaudium, serena lætitia, purum & perfectum, ac infinitum oblectamentum. O cælestis mansio secura. O patria totum continens quod delectat. O pax super pacem, & indeficiens exultatio totius voluptatis diuinæ. Nam ibi præmium nostrum erit videre Deum, viuere cum Deo, esse in Deo.

De quatuor fructibus primis gloriæ, quæ ascribuntur animæ beatæ qui sunt claritas, securitas, suauitas, & tranquillitas. Cap. LV.

VEni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis. De qua profectò corona dicit Dominus in Apocal. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Quæ scilicet in futuro perficietur duodecim fructibus gloriæ, qui sunt duodecim gaudia, & vocantur à Psalmista delectationes, cùm dicit: *Adimplebis me lætitia cũ vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finẽ*, id est, delectabiles fructus ligni vitę sunt in dextera tua, id est, gloria sempiterna. De his enim fructibus dicitur in Apocal. *Ostendit mihi* Dominus *fluuiũ aquæ viuæ, splendidum tanquam crystallum, procedèntem de sede Dei, & Agni* &c. Fluuius autem iste currens per medium ciuitatis Hierusalem, significat affluentiã gloriæ cælestis à Deo emanantis in omnes Beatos. Nam fluuius à sede, id est, maiestate Dei Patris, & Agni, id est, Christi, procedens, est Spiritus sanctus, & tota substãtia charitatis tam gratiæ, quàm gloriæ, per quam, & in qua tota substantia summæ Trinitatis deriuatur, & omnibus in gratia & gloria Paradisi existentibus communicatur: quæ nimirum ab Agno, secundùm quod homo, meritoriè & dispensatiuè procedit. Et huius *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*, tam hîc militantem per gratiam, q̃ ibi triumphantẽ per gloriam. Hæc est igitur *corona stellarũ duodecim*, qua *mulier* illa mirabilis in Apocalypsi coronata legitur, quia comprehendit omnem gloriam Paradisi, & cuiuslibet Beati. Vnde Psalmista ait: *Posuisti Domine in capite eius coronam de lapide pretioso*, id est, de lapide topazio, qui vestitur colore omnium lapidum, significans totam gloriam Beatorũ, cuius per vinculum charitatis particeps efficitur quilibet Beatus, dicente Gregorio: O felix hæreditas, quam cohæredũ numerus nõ angustat, quæ & omnibus vna est, & singulis tota, quæ tãtò longior extenditur, quantò ad hanc multitudo percipientium dilatatur. Videndum est igitur de quatuor primis fructibus gloriæ, qui ascribũtur animæ beatæ. Quorũ

Apoc. 2.

Psal. 15.

Apoc. 22.

Psal. 45.

Apoc. 12.

Psalm. 20.

Claritas. primus est claritas, quam anima consequetur propter meritum fidei, qua scilicet intellectus perficietur & glorificabitur in cognitione summæ veritatis. Nam merito fidei in vita gloriæ datur clara visio infallibilis veritatis, in perfecta intelligentia admirabilis excellētiæ Dei cognitæ in sua natura. Veruntamen quamuis essentia diuina videbitur ab omnibus in gloria, in illa tamen vnus alio perfectius videbit eam, luce tamen essentiæ diuinæ, quantum est de se, in eadem dispositione permanente: sicut videmus quòd exteriori luce eadē manente lympidiores & perspicaciores oculos habens, clarius eam videt, quàm alius minus lympidus & perspicax in oculis. Et hoc contingere potest ex tribus. Primò, ex lumine clariori, quod est lumen gloriæ. Nam lumen gloriæ perfectius erit in vno, quàm in alio: & hoc ex virtute gratiæ cōsummatæ, quæ propriè disponit ad videndū Deum: non quòd sit immediata dispositio ad visionem Dei, sed quòd per talem gratiam homo meretur sibi dari lumen gloriæ, quo Dei videat essentiā, & diuinā percipiat claritatē. Sicut enim corpora cælestia sunt magis vel minus splendida, secundùm quod magis vel minus participāt de lumine solis: sic Beati plus vel minus Deum vident, & claritate splendent, secundùm quod magis vel minus de lumine gloriæ participant. Secundò verò contingit ex ordine propinquiori. Nam secundùm Dionysiū de cæleſti Hierarchia, superiores Angeli, tanquam propinquiores, Deū clarius vident, quàm inferiores: quam propinquitatem causat humilitas, quæ meretur exaltationē & gratiam. Vnde quantò quis fuerit humilior, tantò in regno cælorum efficietur maior, & Deo propinquior: quia vbi maior concauitas, ibi maior capacitas, & per consequēs maior felicitas. Tertiò, ex virtute sublimiori, quia virtus est quædam dispositio mentis ad mensuram gloriæ percipiendam: quæ virtus propriè est charitas, cui soli adscribitur essentiale præmium, vtpote perficiens omne meritū. Et sicut charitas viæ distinguit mansiones per modum meriti, quia actus noster non habet quod ex substantia actus sit meritorius, sed ex charitate, qua scilicet informatur: sic charitas patriæ distinguit mansiones per modū præmij, quia charitas patriæ quantò perfectior est in aliquo, tantò magis reddit Beatum diuinæ visionis & claritatis capacem. Nam vbi maior est charitas, ibi maius est desiderium. Desiderium autem quodammodo desiderantē facit patulū & aptum ad susceptionem boni desiderati. Et ideo qui de charitate plus habuit, Deum clarius videbit, & perfectior ac beatior apud eum in æternum manebit.

manebit. Quilibet tamen Beatus ita perfectè Deum videbit, quòd eius capacitæ totaliter implebitur, & perfectè quietabitur, vt nihil amplius velet, imò propter abundantiam fraternæ charitatis quilibet Beatus in alijs amabit, & sibi habere reputabit, quod alius habebit, quãuis illud in se non habebit, vt postea latius videbitur. Secundus fructus animæ est Securitas, quam ex meritò spei memoria consequetur. Securitas.
Nam merito spei datur in vita gloriæ, secura possessio inamissibilis dignitatis & felicitatis, ita quòd intelligentia & memoria sunt perfectè securæ de prædictæ tentionis perpetuatione. Si ergo, secundùm Augustinum lib. de moribus Ecclesiæ, tanta est pulchritudo iustitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ, vt etiam si non liceret in ea amplius viuere quàm vnius diei mora; propter hoc solùm innumerabiles anni vitæ huius, pleni delitijs & circunfluentia bonorum tempo alium rectè meritoque contemnerentur, ô quid igitur erit de visionis illius inamissibilitate assecurari? O felix securitas, qua felicitas illa in æternũ Beatis communicabitur, vt fiducialiter dicant cum sponsa: *Tenui eum,* Cant. 3.
nec dimittam, sed quem cognoui summum bonum amplectar in perpetuum summè charum. Tertius animæ fructus est Suauitas, eò quòd Suauitas.
propter meritum charitatis humana voluntas perficietur, & glorificabitur in suauitate diuina, & charitate consummata: quam suauitatem quidam vocant fruitionem: quæ nihil aliud est, quàm summo bono clarè viso, & securè possesso propter seipsum inhærere perfecti amoris vinculo. Et hoc est essentiale gaudium, alia cuncta gaudia Beatorum in infinitum excedens. Sicut enim inter habitus viæ charitas est principalius donum: sic inter habitus patriæ, charitatis donum obtinet principatum. In patria verò nobilior habitus actum habet nobiliorem: ideo Deum perfectè diligere (qui scilicet actus est charitas patriæ) nobilissimus actus est animæ, in quo principalissima beatitudo consistit, de qua charitate videbitur inferius. Vnde secundùm Bonauenturam in 4. Sentent. Deum videre, tenere, & amare in gloria Beatorum omnino sunt coniuncta, vt qui Deum perfectè videt, etiã perfectè tenet & amat: tamen quia beatitudo animæ principalius est in actu voluntatis, quàm in actu intellectus, eò quòd voluntas nobilior est intellectu, & obiectum suum respicit sub forma nobiliori quæ est charitas, ideo in charitate patriæ beatitudo principalius consistit, licèt merces Beatorum visioni magis approprietur, eò quòd in visione distinguitur status patriæ à statu viæ, qui est in fide, nõ in visione. Quar-

Tranquillitas. tus animæ fructus est Tranquillitas, quam anima consequetur ex tribus prædictis. Nam videndo Dei pulchritudinem, & eorum, quæ in eo videbuntur, ac eum possidendo cum omnibus quæ in eo sunt, & hoc cum summa suauitate & consummata charitate, tanta in Deo tranquillitate & pace requiescit tota anima, quanta erunt tria præcedentia. Et hæc est *pax, quæ exuperat omnem sensum*, vt dicat anima fidelis: *In pace in idipsum*, id est, *in pace*, æternitatis, quę pax est *in idipsum*, id est, immutabilis & inenarrabilis, *dormiam* in præsenti per spem, *& requiescam*, id est, perfectè quiescam in futuro. Pax enim præsentis temporis non est *in idipsum*, quia sæpe immutatur & variatur, sed in futuro, vt dicit Isaias: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.*

Philip. 4. Psal. 4.

Isaiæ 32.

De quatuor secundis fructibus gloriæ, qui glorificato corpori adscribuntur, quæ sunt Luciditas, Impassibilitas, Subtilitas, & Agilitas. Cap. LVI.

VEni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis. Inuestigemus, ait Gregorius, quæ sit in Beatis festiuitas visionis Dei, quæ lætitia sine defectu, quis ardor amoris non crucians, sed delectans, quantum in eis desiderium sit, visionis Dei cum satietate, & satietas cum desiderio, in quibus nec desiderium pœnam, nec satietas fastidium parit, quomodo inhærendo beatitudini sint beati, quomodo contemplando semper æternitatem sint æterni, quomodo coniuncti semper vero lumini facti sint lux quædam. Nam illa visio Dei tantæ pulchritudinis erit, tantoque amore dignissima, vt sine hac quibuslibet bonis præditum, ac abundantem, non dubitet Plotinus Philosophus, infelicissimum dicere. Fugiendum est, inquit Plotinus, ad illam præclarissimam patriam, & ibi patebunt tibi omnia, vbi *Deus* erit *omnia in omnibus*. Quid enim est, quod per Prophetam dicitur: *Ego ero* illis *Deus*, nisi *ego ero* illis vnde satientur? & quæcunque ab omnibus honestè desiderantur, vita, salus, virtus, victus, copia, gloria, honor, pax, satietas, & omnia bona. Sic etiam intelligitur quòd erit *Deus omnia in omnibus*, quia finis erit omnium desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur: hoc munus, hic affectus, hic actus erit omnibus sicut æterna vita communis. O Deus magne, mirabilis, & amabilis? Qui erunt oculi illi, qui te videbunt? quàm sani, quàm decori, quàm valentes

1. Cor. 15. Ezech. 37.

& con-

& constantes, quàm sereni & beati. Deus enim præclarissimè contemplabitur, in plenitudine diuinæ lucis; dulcissimè amabitur, in latitudine charitatis; & securissimè possidebitur, in continuatione perpetuæ hæreditatis. Verùm, illud summum bonum, quod purgatissimis mentibus cernitur, à quibusdam cerni comprehendique non potest, quia humanæ mentis acies inualida in tam excellẽti luce non figitur, nisi prius per fidei iustitiã enutrita vegetetur. Præmissis igitur de quatuor gloriæ fructibus, ipsam animam concernentibus; iam prosequendum est de quatuor fructibus, qui cõcernunt ipsum corpus, & vocantur dotes corporis, sicut iam dictum est de tribus dotibus animæ, quibus anima vnitur Deo, sicut sponsa sponso: cuius gloria redundabit in corpus, præcipuè quò ad quatuor dotes, quas tangit Apostolus ad Corinth. dicens: *Seminatur*, scilicet corpus, *in corruptione*, id est, concipitur corruptibile, vel sepelitur, & in terrã proijcitur vt corrumpatur, *surget in incorruptione*, id est, incorruptibile & immortale per impassibilitatem. *Seminatur*, id est, concipitur, vel sepelitur, *in ignobilitate*, id est, sine honore, imò cũ multa vilitate, *surget in gloria*, id est, gloriosum & clarum dote claritatis. *Seminatur*, id est, concipitur, *in infirmitate*, id est, fragilitate patiẽdi, vel sepelitur in impotẽtia se mouendi, *surget in virtute* se mouendi, quasi in ictu oculi per dotem agilitatis. *Seminatur*, id est concipitur & sepelitur, *corpus animale*, id est, subtile, simile spiritui in aliquibus proprietatibus. Primus ergo fructus est luciditas vel claritas, quæ à luce vel lumine sumit originẽ. Nam sicut lux diuina, & Dei sapientia dilectã animã ineffabili claritate illustrabit, sic animæ lux in luciditatem corporis redundabit. Quia beatitudo non est corporum, sed ab animabus in corpora redundabit. Pro quo notandum, quòd claritas quædã corporis causãbitur ex redundãtia gloriæ ipsius animæ in corpus: sic in corpore glorioso cognoscetur animæ gloria, sicut in vitro cognoscitur color infusi liquoris. Et secundùm quod anima erit maioris claritatis secundùm maius meritum, sic etiam erit differentia claritatis in corpore, secundùm illud 1. Corinth. *Alia* est *claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella* autem *differt à stella in claritate: & sic resurrectio mortuorum* erit, quia alia erit claritas Christi, alia beatæ Virginis, & alia cæterorum Beatorum, qui different in claritate tam corporis quàm animæ. Vnde tunc, vt dicitur apud Isaiam, *erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis septempliciter*. Et tunc non erit alicubi nox super terram, sed

Dotes corporis.

1. Cor 15.

Claritas.

1. Cor. 15.

Isa. 30.

solùm in centro terræ, quia tunc fiet remuneratio omnibus corporibus cælestibus, & etiam elementis in præmium humanæ seruitutis, ita quòd Deus totam machinam creatam hominis amore faciet pulchriorem. Et quia propter hominem omnia præmiabuntur, ideo secundùm eam proprietatem præmiabuntur, secundùm quam glorioſis corporibus consona redduntur. Hoc autem est lux, & ideo in luce & splendore augebuntur. Corpora verò Beatorum, secundùm Thomã, tunc septies magis sole lucebunt, quamuis hoc non sit aliqua auctoritate vel ratione probatum: quamuis tunc *erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis septempliciter, sicut lux septem dierum.* Et quia quod in aliquo non recipitur per modum influentis, sed modum recipientis, ideo claritas, quæ est in anima spiritualis, in corpore recipitur vt corporalis, non tamen erunt eiusdem speciei lux elementaris & lux glorioſi corporis, sed lux elementaris sicut & solaris erit illius quædam imitatio. Erit etiam, secundùm Scotum, in corporibus glorificatis color gratiſimus secundùm vltimam perfectionem suis complexionibus conuenientem, vt magis in eis sensus visus delectetur. Secundus fructus est Impassibilitas quam anima consequitur ex tentione fruitiua possessione impassibilis Dei. Sic enim *ab vbertate domus* Dei *inebriabũtur, & torrente voluptatis* eius potabuntur, immersi medullitus ineffabili quadam dulcedine, quòd ex nulla parte patebit accessus passibilitati, etiã si in inferno ponerentur. Vnde dicit Auguſt. ad Dioſco. Tam potentẽ fecit Deus animam, vt eius plena felicitate redundet in corpus sanitas perpetua; ita quòd corpus glorioſum à nullo exteriori agente valebit immutari. Vnde dicit Esdras: *Gaudium Domini est fortitudo nostra.* Hoc est, ab vbertate diuinæ gloriæ redundat impassibilitas nostra à Deo in mentẽ, & à mente in corpus nostrum. Impassibilis enim Deus animam tenentem & possidentem reddit impassibilem: & ex illa corpus erit impassibile. Tertius fructus est Subtilitas, quia resurget corpus spirituale. Spiritualia verò sunt corporum cuiuscunque spissitudinis vel soliditatis penetratiua, quia sunt impassibilia, secundùm quod sunt instrumenta animæ glorioſæ; sic quòd eis nullum corpus nõ glorioſum resistere possit, cùm tamen corpus glorioſum cuilibet corpori non glorioſo resistere possit. Erit enim corpus glorioſum subtile & impalbabile per effectum spiritualis potentiæ, sed palpabile per virtutem naturæ. Vnde per virtutem beatitudinis ipsius animæ, tanta magnitudo virtutis actiuæ tũc erit in glorioſis corporibus, quòd per eam multò

Impassibilitas.

Psal 35.

2. Esdræ 8.

Subtilitas.

multò efficacius quæcunque corpora penetrare poterunt, quàm aër vel ignis: nimirùm cùm secundùm Anselmum, quilibet Beatus erit tam fortis, quòd etiam si velit, totam terræ molem cõmouere possit. Quartus fructus est Agilitas. Ex quo enim spiritus ex tribus animæ gloriosæ dotibus erit ad tendendum in Deum promptissimus, ideo corpori suo, quod omnem inclinationem suam habebit ad animam beatificantem, communicabit eandem agilitatem, ita quòd poterit tam velociter corpus suum mouere, sicut seipsam sine corpore. Dicit enim Augustin. quòd vbicunque erit voluntas, ibi statim erit & corpus. Vnde licèt corpus glorioſum mouetur, in tempore, tamen in tempore imperceptibili propter breuitatem. Corpus enim glorificatum per omnia subiectum erit animæ glorificatæ, non solùm vt nihil in eo, quod resistat voluntati spiritus, sed etiam vt in eo sit aliqua perfectio effluens ab anima glorificata in corpus, per quam habile redditur ad omnimodam subiectionem: quæ perfectio dos glorificati corporis dicitur. Anima autem corpori coniungitur, non solùm vt forma, sed etiam vt motor: & ideo vtroque modo oportet vt corpus glorioſum animæ glorificatæ sit summè subiectum. Primo modo per dotem subtilitatis. Secundò per dotem agilitatis. Et quia corpus glorioſum totam existentiæ suæ & nobilitatis & subtilitatis rationem trahit ab anima, ideo eius inclinatio sola est ad animam. Et quia agilitas sequitur inclinationem, ideo quàm potens anima fuerit ad impetrandum, tam potens erit corpus ad exequendum. Agilitas.

De duobus primis fructibus gloriæ, tam animam, quàm corpus concernentibus, quæ sunt ineffabilis nouitas, & amœnabilis societas. Cap. LVII.

VEni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis. Iam denique de quatuor vltimis fructibus tam animam quàm corpus concernentibus prosequamur: quorum primus dicitur Nouitas, scilicet in reparatione vniuersi. Gaudebunt enim Beati, quia specula, quibus in præsenti vita vsi sunt ad cognoscendum Deum, videbũt reformata & decorata in admirabilem pulchritudinem, & quodammodo beatorum corporibus conformata, scilicet, solem, lunam, stellas & elementa, quæ sua specie & decore manifestant sapientiam facientis & gubernantis: à quorum magnitudine & pulchritudine cognoscibiliter potest eorum Creator videri: Vnde verisimile est, secũdùm Nouitas. Rom. 1.

Thomam, quòd in gloria Beati quandoque mouebuntur pro libitu suæ voluntatis, vt illud, quod habent in virtute, scilicet, agilitatem, actu exercentes, diuinam sapientiam ostendant commendabilem, & vt eorum visus reficiatur pulchritudine diuersarum creaturarum, in quibus Dei sapientia eminenter elucebit, id est, corpora cælestium, & etiam elementorum. Sensus enim nō potest esse nisi præsentium, quāuis magis à longinquo corpora glorioſa sentire possunt quàm nō glorioſa, quia visus oculi glorificati, multò magis à remoto videre poterit, quàm non glorificati: minus tamen vident à remoto, quàm à propinquo. Et si obijcitur de Stephano, quòd in terra positus, *vidit* in cælo *gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei*, dicendum, quòd à corpore Christi fuit immutatus oculus Stephani ad visionem humanitatis Christi, in cuius est potestate, quòd corpus eius sic videatur à lōgè sicut de prope. Sic ergo patet, quòd oculus carnis glorificatæ, quia non potest ad visionem essentiæ diuinæ pertingere, vt ei congruens solatiū de visione diuinitatis præbeatur, eam inspiciet in suis effectibus corporalibus, vt quibus indicia manifesta diuinæ maiestatis apparebunt, & præcipuè in carne Christi, & post hoc in corporibus Beatorum, deinceps in omnibus alijs corporibus. Hinc etiam alia corpora maioré influentiam à diuina bonitate susçipient, non tamen variantem speciem, sed addentem cuiusdam gloriæ perfectionem. Sed quia corpora inferiora non conueniunt cum cælestibus, nisi in natura lucis & diaphani (vt dicitur secundo de Anima) ideo perfici debēt secundùm claritatem qua vestientur, non tamen æqualiter, sed secundùm suum modum. Erit enim terra in exteriori superficie sicut vitrum, aqua sicut crystallus, aër vt cælum, ignis vt luminaria cæli. Et sic totus mundus innouabitur, vt habitatori habitatio congruat, & ex hoc Deus hominem magis lætificet. Secundus fructus est societas: quia de consortio & societate tam immensa mirabiliter exultabunt, in qua Beati se reperient. Nimirum cum quilibet de quolibet in particulari singulares delectationes susçipiet, vtpote de alterius pulchritudine, in splendore & colore, in decore & odore, imò & in voce, quod in Apocalypsi Iohannes præsensit, dicens: *Post hæc audiui vocem turbarum multarum dicentium Halleluia*, id est, laudate Deum. Nam, secundùm Hieronymum, IA est vnum de X nominibus Dei, & communiter canitur in Ecclesia cum magno neumate, id est, vocum modulatione, & grandi melodia, ad designandum illum ineffabilem iubilum diuinæ laudis, qui

Act. 7.

Mundi innouatio.

Societas.

Apoc. 19.

qui à Beatis fiet in Paradiso, qui in vita præsenti non potest exprimi. Nam IA interpretatur spiritus almus. Multum enim augebitur gaudium Beatorum de societate immensa omnium electorum, tam Angelorum, quàm hominum, præcipuè propter mutuam charitatem.

Beatorum discrimen.

Pro quo sciendum, quòd inter Beatos erunt tres differentiæ, scilicet æquales, maiores, & minores, nec tamé erit inter eos, secundùm Augustinum, inuidia disparis claritatis, quia regnabit in omnibus vnitas charitatis. Nam secundùm Gregorium, tanta vis charitatis in illa pace Beatos sociat, vt quod in se quisque non accepit, in alio se accepisse exultet. Vna cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamuis nõ omnibus sit vna sublimitas vitæ; quia quilibet Beatus quemlibet alium electum Angelum vel Sanctum sicut semetipsum diliget, seu etiam plus vel minus, secundùm maiorem vel minorem participationem diuinæ bonitatis, & æternæ beatitudinis. Cùm enim propriè non sit diligibile nisi bonum, ideo secundùm quod quis plus habet de bonitate, plus etiam habet de diligibilitate. Et talis ordo dilectionis, qui attenditur secundùm gradus & differẽtias boni, magis boni, & maximi boni manebit in patria, quia essentialis est ipsi charitati. Quidam igitur æquales erũt in gloria, qui duplicabunt pro quolibet alio gloriam suam, eo quòd æquali mensura se diligunt, & diligi se cognoscant: ex quo sequitur, quod quilibet Beatus de quolibet in gloria sibi coæquali tantum gaudebit, quantum de semetipso, saltem extensiuè, licèt non intensiuè. Et secundùm Richardũ, de similibus idem est intelligendum.

Æquales.

Quidã autem erunt maiores, qui similiter sibi duplicabunt gloriã, pro quolibet eis minore in gloria: non tamen ex hoc, quòd tantum se videant ab eis diligi quantum diligunt, sed quia de gloria quorumlibet illorũ tantum gaudent, quantum de propria gloria, cùm quilibet secundùm capacitatem suam diligat alium glorioſum Hinc est quòd Petrus plus gaudet de bono Lini, quàm ipse Linus: quia gaudium de dilectione procedit, & qui plus diligit, plus gaudet. Non tamen ex hoc sequitur, secundùm Bonauenturam, quòd tantum gaudeat, quantum si ipse bonum illud haberet, quia tunc haberet charitatem maiorem, & per cõsequens intentius gaudendi potestatẽ.

Maiores.

Quidam etiam erunt in gloria minores, qui toties gloriam suam duplicabunt, quoties alios gloriosiores se esse cognoscent. Quoties igitur alios in gloria se maiores esse cõspicient & intelligent, vt pote decies, centies, millies, seu centies millies, to-

Minores.

es toties de eis gaudium ſuum duplicabũt: quia toties plus ab eis, quàm à ſeipſis diligi ſe cognoſcét. Porrò multum adhuc ſupereminet amor & gaudium cuiuslibet beati ad Reginam cæli, quã ſimul ad omnes alios tam Angelos, quàm ſanctos. Et hoc propter quatuor. Primò, ratione cõceptionis, quia minimus Beatus luce clarius cognoſcet, quòd beata Virgo, cùm ſit mater Dei, plus poſuit pro humana ſalute, quàm tota rationalis creatura ſimul ſumpta ponere potuit, conſiderata Filij ſui dilectiſsimi excellentia, qui fuit inſtrumentum noſtræ redemptionis, ſaluationis & glorificationis, conſideratis etiam Virginis meritis, ſuffragijs & exemplis. Secundò, ratione compaſsionis, quia minimus Beatus apertè cognoſcet, quòd tota natura rationalis tantum dolorem & pœnam pro ſua redemptione ponere non poſſet, quantum ſola Mater Dei ſuſtinuit, conſiderata dilectione, qua Filium ſuum intimè dilexit. Tertiò, ratione glorificationis, quia tantum excedit in gloria naturam tam Angelicam quàm humanam ſimul iunctam, quantum in magnitudine centrum ſuum excedit circumferentia firmamenti. Quartò, ratione dilectionis. Tantus enim eſt amor Virginis ad quemlibet minimum Beatum, quòd omnis amor, quo natura tam Angelica quàm humana diligit in regno cælorum aliquem iam beatum, eſt quaſi centrum ad circunferentiam firmamenti, reſpectu amoris, quo beata Virgo minimum diligit Beatum, conſiderato fontali principio, vnde talis amor originem habet. Videns igitur minimus Beatus ſe tantum à glorioſa Virgine diligi, ac in ea propter ipſum tantam gloriam & gaudium augmentari, in illius amorem in tantum inflammatur, & in tantum de eius gloria iucũdatur, quòd quoties intelligit eam in gloria ſemetipſum excellere, toties plus de illius gloria quàm de propria gaudens, lætificatur. Ex quibus omnibus rationabiliter concluditur, quòd amor & gaudium minimi Beati ad beatam Virginem, excedit amorem & gaudium omnium Beatorum adinuicem actiuè & paſsiuè ſpiratorum.

Mariæ Virginis beatitudo.

De duobus vltimis fructibus gloriæ, qui ſunt inexpreſsibilis iucunditas de Chriſti humanitate, & ineffabile gaudium de Dei bonitate. Cap. LVIII.

VEni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni, coronaberis. Tertius proinde fructus æternæ vitæ concernens tam animam quàm corpus, qui eſt vndecimus inter fructus ligni vitæ in ſtatu gloriæ,

riæ, est iucunditas inexpressibilis de Christi humanitate. Amor enim & gaudiũ, quod de Christi humanitate minimus habebit Beatus, excedit omnem amorem & gaudium, quod ex inuicem habebunt omnes Beati, amoris fonte considerato in Christo, vnde talis amor & tale gaudium originem habet. Iucunditas de Christi humanitate.

Ad cuius euidentiam sciendum, quòd Iesum Christum electi in cælo tripliciter contemplabuntur, scilicet glorificatum, honoratum, & coronatum, iuxta illud Psalmistæ: *Gloria & honore coronasti eum*, &c. Nam gloria propriè est in Christo ad creaturas intellectuales & rationales, quam scilicet communicat omnibus Beatis, sicut in sua passione prius omnibus æternam vitam promeruit. Et quamuis sibiipsi, secundùm communem opinionem Doctorum, non meruit glorificationem animæ suæ, scilicet præmium substantiale, quia anima Christi non fuisset in principio creationis ad vnionem diuinam idonea, nisi fuisset beatissima & deiformissima, quod quidem fit per influentiam gloriæ, & ideo gloria in anima Christi præcessit omnia merita propter summã dignitatẽ, quæ fuit in anima Christi in sua creatione propter eius vnionem ad Verbum. Meruit tamen sibijpsi glorificationem corporis excellentissimam, tam in agendo, quàm in patiendo, vt sic simul esset comprehensor propter suam dignitatem, partim existẽs in statu gloriæ, & viator propter nostram necessitatem, partim existens in statu miseriæ. In eo, inquam, statu, in quo pro nobis mereri posset & satisfacere. Non enim solùm pro nobis satisfecit, sed vtramque gloriam, tam corporis scilicet quàm animæ promeruit nobis. Animæ, inquam, vt gloriæ lumen induat, & Deum trinum & vnum ad fruendum veraciter comprehendat. Corporis autem, vt multo plùs q̃ sol septempliciter fulgens, in gloria luceat sicut lux septem dierum. Et quamuis omnes Beati, scilicet tam iustorum animæ, quàm Angeli, talem induẽt claritatem, excellet tamen corporis Christi claritas, sicut noctem tenebrosam excellit dies clarissima. Et inde dicitur in Apocalysi, quòd illa *ciuitas nõ eget sole neque luna, vt luceãt in ea. Nam claritas Dei illuminabit eam: & lucerna eius est Agnus.* O quanta igitur gloria fulgebit anima eius superbenedicta. Et vtranq; gloriã meruit nobis æternaliter communicandam. Ex qua nimirũ gloria Christi communicata prouenit ei honor ab omnibus Beatis, qui scilicet honor, secundùm Alexandrum de Hales, est protestatio præeminentiæ in aliqua exhibitione illi qui honoratur. Christum contemplari in cælo trifariam. Psal. 8. Apoc. 21.

Hæc autem exhibitio est amor, qui Christo homini ab omnibus Beatis in regno cælorum exhibetur: qui tantus est, quòd si statueretur ad partem vnam, omnis amor, quo se inuicem diligunt omnes creaturæ beatæ, inter eos etiam computando virginis Mariæ dilectionem, quam ipsa spirat in omnes, & omnes in eam, non posset attingere gradum amoris, quem minimus Beatus spirat in Christum Iesum. Et hoc propter quatuor rationes. Primò, ratione donatiõis, quia clarè cognoscet, quòd omnes Beati simul iuncti, non tantum pro sua salute posuerunt, nec ponere potuerunt, quãtum solus Christus, qui corpus & animam liberaliter exposuit pro sua redemptione, & spirituali educatione. Secundò, ratione passionis, quia manifestè sciet, quòd omnes Beati non sustinuerunt, nec sustinere potuerunt tãtum dolorem intereriorem & exteriorem pro sua redemptione & reparatione, quãtum solus Christus. Cuius dolores tantæ magnitudinis & multitudinis extiterunt, quòd apud Angelicam & humanam intelligentiam infiniti meritò reputari possent, prout latius patuit superius. Tertiò, ratione suæ beatitudinis, quia Christus, in quantum homo, quasi in infinitũ excedit omnes Beatos simul iunctos in ipsa beatitudine: & quanto plus eum videt beatum, tanto plus diligit eum. Quartò, ratione suæ dilectionis. Tota namq; dilectio, qua se mutuò diligunt omnes Beati, respectu amoris illius, quo Christus, in quantum homo, minimũ glorioſum diligit, est quasi centrum ad circumferentiã cæli, ipso fonte cõsiderato, de quo talis amor originẽ habet. Ex qua nimirum dilectione pro quolibet Sancto Christus ineffabiliter multiplicat gaudium suũ. Et inde tam auidus animarũ zelator erat, quòd pro vna anima saluãda potius elegisset iteratò subire Crucis horrendum supplicium, quàm, quantum in ipso fuit, eam descendere permisisset in infernum. Videns igitur minimus glorioſus à Christo se tãtum diligi, inardescit adeò in amorem reciprocum, quòd quanto illum plus quàm seipsum intelligit glorioſum, tanto plus eum diligens, magis de eius gloria, quàm de propria iucundabitur. Ex quibus patet, quòd hæc quatuor, donatio, passio, beatitudo, & dilectio erga Sãctos exhibitæ, sunt Christi gloria, quam Beatis omnibus communicat. Amor autem omnium Beatorum ad Christum conceptus ex consideratione prædictorum, est honor omnium illorum ad Christum: quem honorem viscerosæ dilectionis etiã Angelici spiritus Christo mediatori fidelissimo iugiter exhibent. Nam tãta vis dilectionis eorũ mẽtibus est inserta, quòd pro Christi glo-

Amor Beatorum ad Christum.

Zelator Christus animarum.

sti gloria & honore libenter etiam mori voluissent, si eis possibile fuisset. Hinc dicitur in Apocalypsi: *Et non dilexerunt animas suas vsque ad mortem*, id est, sic dilexerunt Christum Deum, quòd licèt mortales non essent, sibi tamen necessarium existimarent propriæ vitæ non parcere pro diuinæ dilectionis feruore. Quartus deniq; fructus concernens tam animam quàm corpus, qui & duodecimus est. Bonitas dicitur, id est, gaudium de Dei bonitate in sua natura perfectè cognita ab intelligẽtia, & de glorioso actu amoris diuini inspirato cõtinuè in Deo: quæ duo in æternũ homini glorificato cõmunicabũtur. Licèt enim ineffabili gaudio de propria substantiali gloria futuri sunt pleni, tamen incõparabiliter amplius de eo gaudebunt, quòd Deum omni creaturę tam incomprehensibilẽ videbunt, quàm de illo quod de Deo comprehendunt. Et hoc erit tertium, scilicet quo videbunt Christum coronatum. Nam corona tum propter signum gloriæ, tum quia debetur filio regis, tum propter circulum in quo perficitur, infinitam deitatis substantiam significat, qua per personalẽ vnionem Christus Dei Filius coronatur, quia qualis Pater, talis Filius, immensus, increatus, æternus. Et hic Deus trinus & vnus in essentiale præmium datur animæ beatæ. Nam tres potentias habet anima, tanquam fundamenta bonis omnibus spiritualibus, tam gratiæ quàm gloriæ, substernenda, à quibus eliciuntur tres actus in vita gratiæ, quibus in præmium dantur tres actus gloriæ. Primus actus est credere, assentiendo summæ veritati propter seipsam, & super omnia, per quem gratificatur intelligẽtia: cui scilicet actui datur in præmiũ in vita gloriæ clara visio infallibilis veritatis in perfecta intelligentia, admirabilis excellentiæ Dei cognitæ in sua natura, qua scilicet intellectus eleuatur ad Deum clarè videndum sicuti est: & tunc efficitur anima deiformis. Secundus actus est sperare, innitendo summæ bonitati, largitati, &c. propter se & super omnia, per quẽ gratificatur memoria: cui datur in præmium rẽtio vel possessio, per quam propter meritum spei memoria beatificatur in secura possessione inamissibilis dignitatis, ita quòd anima perfectè securatur de tentionis prædictæ perpetuatione. Tertius actus est diligere, cõplectendo summam bonitatem propter se, & super omnia: per quem gratificatur voluntas, cui datur in præmium immensa delectatio quædam infastidibilis bonitatis. Et hi tres actus in patria sunt omnino coniuncti & annexi. Nã qui perfectè videt, etiã perfectè habet & amat. Deniq; ex visione beatifica tanta dilectio cuiuslibet Sancti respirat in Deum trinum

Apoc. 12.

Bonitas.

Potentia animarum.

Actus gloriæ.

& vnum, quòd si ex vna parte poneretur amor Iesu, in quãtum homo, & etiam omnium Beatorũ, quẽ inter se spirant, & ex alia parte amor, quẽ minimus Beatus spirat in Deum, illius amor ineffabiliter excederet: quia talis amor est vnus de tribus principalibus actib⁹ glorię substantialis. Ad quod etiam duæ causæ principales assignari possunt. Prima, quia quilibet Beatus, à summo Deo cognoscet se solummodò beatificari, & amplius diligi, quàm sit omnis alius amor ab omnibus Beatis mutuo spiratus. Secunda causa, erit cognitio diuinæ fidelitatis in in creatione, recreatione, corporis & sanguinis administratione, gloriæ futuræ præparatione, in sustinendo peccantem promouendo expectando contemnentem, reuocando resipiscentem, suscipiendo pœnitentem, proficientem, complectendo contemplantem, & beatificando perseuerantem.

De virtute temperantiæ, ac duplici temperantia: de quatuor quoque gradibus virtutis temperantiæ: Et de continentia.

Cap. LIX.

INtroduxit me rex in cellaria sua. Cant. 1. Quæ nimirum cellaria cõtinent omnes thesauros internæ dulcedinis, & diuinæ contemplationis, quamuis & ipsa contemplatio, quæ secundùm Basilium, est cordis illuminatio, apotheca Spiritus sancti, mentis iucunditas, hortus delitiarum, paradisus amœnæ suauitatis, lux & pax serenæ tranquillitatis, meritò, secundùm Originem, cella omnium charismatum plenitudine referta censeri debeat. Nam contemplatio veritatis intimæ, splendor est totius animæ. Est enim cella aromatica, virtutum odore respersa; cella vnguẽtaria charismatum spiritualium vnctiõe referta; cella olearia, pinguedine gratiæ copiosè saginata; cella thesauraria, cælestium delitiarum thesauro dilatata; cella aquaria, aqua sapientiæ salutaris irrigata; cella balsamitica, spiritualium delectationum & suauitatum delitiosè imbuta; cella vinaria, amore dulcissimo & cæli gaudio gloriosè inebriata. Omnes enim isti thesauri spiritus, cum cellis suis securè conseruantur in vniuersali apotheca virtutis temperãtiæ quatuor cellarijs distinctis adornata, quæ sunt castitas, respectu venereorum: sobrietas, respectu alimentorum: modestia, respectu dictorum & factorum: paupertas, respectu rerum exteriorum. De quibus per ordinem differendo, primò de virtute temperantiæ videamus. Est enim temperantia, secundùm Augustinum, affectio cohibens appetitũ ab his

Temperantia.

ab his rebus, quæ turpiter appetuntur. Vel temperantia, secundùm eandem, est amor ab amore inferioris pulchritudinis nos remouens, & eleuans ad superna. Tantò namque glorioſius mens hominis ad ſuperiora promouetur, quantò diligentius ab inferioribus concupiſcentia prohibetur. Hinc ait Iſidorus: In omni re temperamentū tene. Quæ enim cum temperantia ſunt, ſalubria ſunt: & bona quæuis etiā cum immoderato vſu noxia ſunt. Omnis enim nimietas in vitio deputatur. Vnde temperantia eſt modus vitæ in omni verbo vel opere. Hæc verecundiæ comes eſt, humilitatisq; regulam cuſtodit, tranquillitatē animi ſeruat, continentiam & caſtitatem complectitur, fouetq; decus & honeſtatem, appetitum reſtringit, iram reprimit, & contumeliam non admittit. Hinc meritò dicit Caſsiodorus, quòd temperātia eſt aduerſus libidinē & alios non rectos impetus animi, firma & moderata dominatio. Pro quo notandum, quòd duplex temperātiæ modus diſtinguitur, ſecundùm quod nomen temperantiæ dupliciter accipi poteſt. Vno modò, ſecundùm quod ſignificat quandam temperiem, id eſt, moderantiam, quam ratio ponit in humanis operationibus & paſſionibus: & ſic eſt virtus generalis. Hoc enim eſt commune omni virtuti morali, & differt à fortitudine, prout vtraque ſumitur vt virtus communis, quia temperantia retrahit ab ijs, quæ contra rationem alliciunt appetitum: fortitudo verò impellit ad ea ſuſtinenda vel aggredienda, propter quæ refugit homo bonum rationis. Alio modo accipitur tēperantia ſpecialiter & anatonomaticè, ſecundùm quod refrænat appetitum ab ijs, quæ maximè alliciunt hominem: & ſic eſt virtus ſpecialis, habens materiam ſpecialem, quia conſiſtit circa concupiſcentias & delectationes tactus, reſpectu maximorum delectabilium, quibus ipſa natura conſeruatur in ſpecie, vel in indiuiduo. Cùm enim delectatio conſequitur operationem connaturalem, tanto ſunt aliquæ delectationes vehementiores, quanto conſequuntur operationes magis naturales, maximè vero naturales ſunt animalibus, quibus natura conſeruatur indiuidui per cibum & potum, & natura ſpeciei per coniunctionem maris & fœminæ: & ideo difficilius eſt ab eis abſtinere, & earum concupiſcentias refrænare: & ideo circa has delectationes eſt propriè temperantia. Cæterùm, quia delectationes huiuſmodi conſequuntur ſenſum tactus, ideo temperantia principaliter eſt circa delectationes tactus: ſecundariò verò circa delectationes guſtus, olfactus & viſus, in quantum ſenſibilia horum ſenſuum conferunt ad delecta-

Modus tē-perantiæ.

lectationem, siue ad delectabilem vsum rerum necessariarũ, quæ pertinẽt ad tactum. Sed quia gustus est propinquior tactui, quàm alij sensus, ideo temperantia est magis circa gustum, quàm circa alios sensus.

Gradus temperantiæ.

Huius autem temperantiæ gradus quatuor assignari possunt: quorum primus hominem ab excessu & defectu custodit, quia ei mediũ virtutis in omni tempore ostendit: & sic est virtus politica, quæ est nihil appetere pœnitendum, in nullo legem moderationis excedere, sub iugo rationis cupiditatem domare. Virtus enim temperantiæ accipit necessitatem huius vitæ, sicut regulam delectabilium, quibus vtitur, vt scilicet tantum eis vtatur, quantum necessitas huius vitæ requirit: quæ necessitas non tantùm attenditur secundùm illud, sine quo nullo modo res subsistere potest, sed etiam sine quo res conuenienter esse nõ potest. Dicit enim Philosophus 3. Ethicorum, quòd temperatus appetit delectabilia propter sanitatem, & propter bonã habitudinem. Additq; Philosophus, quòd temporatus etiam appetit delectabilia alia, quæ scilicet non sunt necessaria ad sanitatem, vel ad bonam habitudinem, non tamen existentia his impedimenta. Nam nullo modo temperatus vtitur his, quæ sunt impeditiua sanitatis vel bonæ habitudinis. Respicit igitur temperantia necessitatem, quantum ad cõuenientiam vitæ, nõ solùm secundùm conuenientiam corporis, sed etiam secundùm conuenientiam rerum exteriorum, puta diuitiarum, officiorum, ac multò magis secundùm conuenientiam honestatis. Nam secundùm quòd in exequendo rationis actum plus vel minus corporali virtute quis indiget, secundùm hoc plus vel minus vti corporalibus delectationibus habet. Dicit enim Ambrosius, quòd hoc est viuendi pulchritudinem tenere, conuenientia cuique sexui & personæ reddere. Hic ordo gestorum optimus, hic ornatus ad omnẽ actionẽ accommodus. Secundus gradus temperantiæ mentẽ ad æterna perfectè dirigit, quia omnem superfluitatem rerum grauãtium firmiter excludit: & sic est virtus purgatoria, quæ est omnia relinquere, in quantum natura patitur, quæ corporis vsus requirit. Dignitas enim temperãtiæ in hoc est, quòd animam decorat: quia sicut in naturis forma decentior est, quã materia, sic etiam in moribus plus commẽdatur modus, quàm operatio. Tertius gradus mentem in æternis figit, quia concupiscentiam omnis inordinati concupiscibilis penitus extinguit: & sic est virtus animi purgati, quæ est terrenas cupiditates nõ solùm reprimere, sed penitus obliuisci. Quartus denique gradus est in Deo prædictos gradus incho-

inchoans, deducens, perducens, & perficiens: & sic est virtus exemplaris, quæ sic est, quòd in se perpetua intentione conuersa est. Denique Seneca temperantiam sub nomine continentiæ ponit, dicés: Continentiam si diligis, circumcide superflua, & in arctum desideria constringe. Considera tecum quantum natura poscat, non quantum cupiditas expetat: palatum tuum fames excitet, non sapores: nec ad voluptatem, sed ad cibum accedas: nec præsentibus delitijs inhærebis, nec absentes desiderabis. Si continentiam diligis, turpia fugito antequam accidant, nec quenquam vereberis alium plus quàm te: omnia tolerabilia præter turpitudinem crede. Hæc ille. Pro quo sciendū, quòd continentia quandoq; sumitur pro abstinentia ab omni delectatione venerea: & tunc *omnis ponderatio non est digna continentis animæ*, scilicet in genere castitatis, vt dicit Ecclesiast. Quandoque verò sumitur pro abstinentia ab omnibus illicitis: & sic *omnis ponderatio nō est digna cōtinentis animæ*, quia non recipit æstimationem auri vel argēti, quæ commutantur ad pondus: quia sic nominat quādam virtutem perfectam. Quandoque autem dicitur esse continētia, per quam quis resistit concupiscentijs prauis, quæ in eo vehementes existunt, & sic habet aliquid de ratione virtutis, in quantum scilicet ratio firmata est contra passiones, ne ab eis seducatur: non tamen attingit rationem perfectam virtutis moralis, secundùm quam etiam appetitus sensitiuus rationi subditur, sic vt in eo non resurgant vehementes passiones rationi contrariæ. Vnde comparatur ad temperantiam, sicut imperfectum ad perfectum. Hinc dicit Philosophus 4. Ethicorum, quòd continentia nō est virtus, sed quædam mixta, in quantum scilicet aliquid habet de virtute, & in aliquo deficit à virtute. Continētia. Ecclesi. 26.

De castitate generali & speciali mentis & corporis, & de virginitate, pudicitia & verecundia. Cap. LX.

Introduxit me rex in cellaria sua. Cellarium primum, in quo se sponsa gloriatur introductam, est ipsa virtus castitatis. Nomē autem castitatis ex hoc sumitur, quòd per rationem concupiscentia castigatur, quæ ad modum pueri refrænanda est secundùm Philosophum. Vnde castitas licèt materiam habet in corpore, tamen in anima consistit sicut in subiecto: quia ad eam pertinet, vt secundùm iudiciū rationis & electionē voluntatis, moderatè quis vtatur membris, præcipuè venereis. Vnde dicit August. 10. de ciuit. Dei, quòd animi propo- Castitas.

sito manente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori sanctitatem aufert violétia libidinis alienæ, quam seruat perseuerantia continentiæ suæ. Pro quo notandum, quòd nomen castitatis dupliciter accipi potest. Vno modo metaphoricè, quia sicut in corporum commixtione consistit delectatio venereorum, contra quã propriè est castitas: sic etiam in quadam spirituali commixtione mẽtis ad res aliquas consistit, contra quam est spiritualis castitas metaphoricè dicta, vel econtra spiritualis quædam fornicatio metaphoricè dicta. Nam si mens hominis delectatur in spirituali coniunctione ad id cui coniungi debet, scilicet ad Deum, & abstinet se, ne delectabiliter alijs coniungatur cõtra debitum ordinis diuini, dicetur castitas spiritualis. De qua dicit Isidor. Amanda est pulchritudo castitatis, cuius delectatio degustata dulcior inuenitur, quàm carnis. Castitas enim est fructus suauitatis, inuiolata pulchritudo Sanctorum. Castitas est mentis securitas, corporis sanitas, nihilque valet esse mundum corpore ei, qui pollutus est mente: quoniam incorruptio corporis ex animæ sanitate procedit. Sanitas autem animæ est inhærere firmissimè incommutabili bono. Sin autem econtra bono commutabili mens inhæserit, dicetur fornicatio spiritualis. De qua dicit Hierem. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis.* Et hoc modo castitas accipitur vt virtus generalis, quia per quamlibet virtutem mens humana retrahitur, ne rebus illicitis delectabiliter coniungatur. Specialiter tamen ratio castitatis huius consistit in virtutibus Theologicis, quibus mẽs hominis Deo coniungitur, & potissimè in charitate, quę summè depurat affectus, simplificat sensus, sedat concupiscentiarum motus, vt de talibus diceret Isaias: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Alio modo castitas accipitur propriè, & sic est virtus quædam specialis, materiam habens specialem, scilicet concupiscentias delectabilium, quæ sunt in venereis: & dicitur à castigãdo, iuxta illud Apostoli: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo:* quia corpus indiget castigatione, vt fulgeat castitate. Nam si consentiat concupiscentijs, ex hoc vis concupiscẽtiæ magis increscit, & virtus mentis deijcitur. Triplex autẽ castitas distinguitur, scilicet virginalis, vidualis & coniugalis. Virginitas autẽ est portio nobilior ipsius castitatis, quæ formaliter consistit in perpetuo proposito abstinendi à carnali delectatione, quæ consistit in seminis resolutione. Materialiter autem consistit in immunitate à delectatione, quæ consistit in huiusmodi seminis resolutione.

Castitatem accipi bifariam.

Fornicatio spiritualis Hiere. 3.

Isa. 60.

1. Cor. 9.

Virginitas

Et est

Et est virtus specialis, quia immunem se cõseruare à venereæ voluptatis experimento quandam habet excellentiam laudis, supra hoc quod est immunem se conseruare ab inordinatione venereæ voluptatis. Vnde potissima virtus est in genere castitatis, cui fructus centesimus attribuitur. De qua dicit Cyprianus: Flos est Ecclesiastici germinis, decus atq; ornamẽtum gratiæ spiritualis, illustrior portio gregis Christi. Veruntamen hæc virtus coram Deo laudabilis redditur dũtaxat ex fine, in quantum scilicet virginitas conseruatur ad vacãdum expeditius rebus diuinis. Dicit enim Augustinus, quòd melior est cõtinentia nuptijs: sed non sibi sola sufficit ad salutem, nisi pro solo pudicitiæ amore retineatur, & si causa vacandi Deo eligitur. Per continentiam enim colligimur in vnum, à quo in multa defluximus. Et iterum dicit Augustinus: Nec nos in virginibus prædicamus quòd virgines sunt, sed quòd Deo dicatæ pia continentia virgines. Potest tamen coniugatus melior esse virgine secundùm quid, scilicet si habet animum magis paratum ad conseruandam virginitatem, si oporteret, quàm actu virgo: vel si habet aliquam aliam virtutẽ excellentiorẽ. Nam virtutes Theologicæ, & virtutes religionis, quarũ actus est ipsa occupatio circa res diuinas, virginitati præferuntur. Martyres etiam vehementius operantur ad hoc, vt Deo inhæreant, qui propter hoc contemnunt propriam vitam, ideo etiam præferuntur. Similiter & in monasterijs viuentes, qui postponunt propriam voluntatem, & omnia quæ habent, vehementius operantur, quàm virgines, qui ad hoc postponunt venereas voluptates, vt Deo inhæreant. Castitas tamen præcipuè virginalis, singulariter commendatur, quia est quædam Dei proprietas & similitudo, secũdùm quod hominibus est possibile. Hinc, vt dicit Gregorius super illud: *Qui pascitur inter lilia,* Sponsus *inter lilia pascitur,* Cant. 2. quia procul dubio animarum castitate delectatur, quæ carnis in se pudicitiã seruant, & proximis exempla castitatis quasi suauitatem odoris donant. Ipsa namq; est ornamentum omnium virtutum, vt ex ea gratiores Deo reddantur: nimirum cùm ipsa facta est gratissimum sacrarium Filij Dei, quod elegit in habitationem sibi.

Denique duplex castitas distinguitur, scilicet corporis & mentis. De qua dicitur Cant. 1. *Ecce tu pulchra es amica mea,* scilicet castitate corporis: *ecce tu pulchra,* scilicet castitate mentis, quia *oculi tui columbarum.* Castitas autem mentis in conseruatione mentalis depurationis consistit, cum rectitudine intentionis. Mens autem castitati dedita, cæ- Castitas mentis.

Iestis est solaminis susceptiua: quia Christi Iesu domus est amabilis. Vnde castitas cordis maximè est necessaria in nobis, & Deo accepta: quia sicut cor est principium, radix, & fons, à quo naturaliter fluit vita, sensus & motus in totum corpus: sic etiam est principium radix & fons, à quo spiritualiter fluit puritas vel impuritas in cogitatiõem, delectationem & consensum, ac sensibiliter in linguam & actum. Et *beati mundo corde, quoniam ipsi* soli *Deum videbunt.* Hæc autem castitas duas sorores habere debet. Primò, pudicitiam, quia, secundùm Augustinũ, virtus pudicitię nos hominibus honorabiles, Angelis desiderabiles, & Deo placentes ac amabiles reddit. In omni autem gradu & sexu tenet pudicitia principatũ, quæ est res animi, sicut castitas corporis. Veruntamen pudicitia non potest aliter esse tuta, nisi per abstinẽtiam. Secundò, verecundiam, quæ pudicitiæ comes est, cuius societate ipsa castitas tutior est. Est autem in oculis verecundia, ita vt nec videre viros pudica fœmina, nec à viris videri velit. Est etiam in motu, incessu, gestu & verbo verecundia retinenda, quia mentis habitus in corporis statu cernitur: & speculum mentis in gestis refulget & verbis. Pudicitia verò, quæ est res animi, est plus Dei oculos quàm hominis aspicere, & appetitus omniũ turpium cogitationum cõpescere, soliq; Deo per affectum inhærere. Si ergo pro virtute castitatis tam cordis quàm corporis adipiscẽda legimus Platonem philosophũ ditissimum reliquisse patrimonium & patriam, & elegisse Academiam vilem, desertam & pestilentem, vt cura & assiduitate morborum impetus libidinis frangeret, & plures ex eius discipulis sibijpsis oculos eruerunt & si (vt refert Tertullianus) Democritus philosophus seipsum excæcauit, eò quòd mulieres aspicere sine carnis concupiscentia non potuit: & si (vt refert Valerius) Lacedęmonij libros Archilogi è sua ciuitate iusserunt exportari, eò quòd eorum parum verecundam ac pudicam lectionem arbitrabantur, timentes ne plus moribus nocerent, quàm ingenijs prodessent, quid ergo faciet Christianus ad Angelicã vitam consecratus? Est enim castitas res Angelica, per quam singulariter homines Angelis comparantur, trahens originem de cælis, quam à fontali principio virtutum omnium Angeli didicerunt, & indeclinabiliter seruauerunt. Vnde consuluit Aegesyppus, dicens: Omnis qui voluerit esse maiestati essentiæque diuinæ familiaris, in mentis se exerceat puritate. Semper enim ab æterno extitit amica diuinitatis excelsæ ipsa munditia & puritas mentis nostræ.

Matth. 5. Pudicitia.

Verecundia.

De sobrietate generali, qualiter ponit moderamen in omnibus prosperis & aduersis: & de tribus gradibus sobrietatis propriè dictæ. Cap. LXI.

Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi? Cantic. 3. Anima per contéplationem volens ascendere, petere debet ari dum sobrietatis & abstinentiæ: quod est secundum cellarium, in quo sponsa gloriatur se introductam. Dicit enim Bernardus, quòd vbi curiosa ciborum diuersitas ventrem pascit, cælestis panis ieiunã mentem deserit. Sobrietas igitur est virtus, qua corporis alimenta cum moderamine admittimus in cibo, potu & somno. Sumitur etiã sobrietas pro moderamine ab omni superfluitate tam corporis q̃ mentis. Hinc etiam dicitur sobria mens, & sobrius sensus: sicut Apostolus ad Romanos, consulit *non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*. Et in Ecclesiastico dicitur: *Infirmitas grauis sobriam facit animam*. Hortatur & Apostolus, quòd *mulieres* sint *in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate se ornantes*. Ergo sobrietas est mentis & sensus, omniumq; membrorum & corporis, tutela castitatis & pudicitię munimen, pudori proxima, pacis & amicitiæ serua, ac omnium vitiorum profuga. Nam & in his omnibus Apostolus imbutus est, dicẽs: *Scio humiliari, scio & abundare. Vbique, & in omnibus institutus sum, & satiari, & esurire, abundare, & penuriam pati. Omnia* enim *possum in eo, qui me cõfortat*. Quæ verba tractans Gregorius super Ezechielem, sic dicit inter alia: Nunquidnam fratres ars est aliqua, *humiliãri & abũdare, & satiari & esurire, abundare & penuriam pati*, vt pro magno se ista scire tantus prædicator insinuet? Ars omnino, & mira disciplinæ scientia, quæ toto nobis cordis est adnisu discẽda. Quẽ enim penuria sua non frangit, à gratiarum actione non retrahit, nec aduersus inferẽtem in amore tepescere facit, scit *humiliari*. Que n autem fortunæ prosperitas non txtollit, nec bonorum abundantia ad insolentiam ducit, nec ad vsum vanæ gloriæ inducit, scit *abundare*. Qui verò iam acceptis alimentis non ad ingurgitationem vtitur ventris, sed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit q̃ necessitas petit, scit *satiari*. Qui liquidẽ alimentorũ inopiã sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate victus aliquid agit, quo peccati laqueũ anima eius incurrat, scit *esurire*. Quem deniq; rerũ abundantia desiderio nõ accendit, nec extollit, sed eas cũ indigẽtibus misericorditer diuidit, scit *abundare*. Ad quod Dominus

Sobrietas.

Rom. 12.

Eccli. 31.

1. Tim. 2.

Philip. 4.

Isa.58. minus per Prophetam monet, dicens: *Frange esurienti panem,* &c. Et quem necessitas, nec ad cupiditatem, nec ad iniustitiam, nec ad impatientiam inflammat, scit *esurire.* Verè beatus Apostolus, qui sicut à Deo confortatus, *omnia* potuit, ita verò discretionis libramine fultus, secundùm perfectum Dei beneplacitum in omnibus se exhibuit. Hæc igitur sobrietas, quæ cunctis moderamen indicit, tunc solùm virtus est

Rom.12. coram Deo grata & nobis meritoria, cùm propter Deum fit, & secundùm Deum, hoc est, cum discretione, iuxta illud: *Rationabile* sit *obsequium vestrum:* alioqui qui ab alimentis abstinent, & mala agunt, dæmones imitantur, quibus esca non est, sed nequitia semper adest. Non igitur omnis sobrietas est virtus: sed illa duntaxat, quæ fit causa religiositatis, vtpote pro obtinenda virtute, pro calcando vitio, pro agenda pœnitentia, pro ædificatione proximorum, pro æterna gloria, pro arduo intellectu & ignito affectu in inquirenda sapiētia Semper enim de abstinentia & sobrietate prodeūt castæ cogitationes, rationales voluntates, salubria consilia. Et per voluntarias afflictiones caro cōcupiscentijs moritur, & virtutibus spiritus innouatur. Quia sobrius est corpore castior, lingua cautior, ad omne bonum agilior, ad deuotionē promptior, in affectu purior, & ad inquirendam sapientiam aptior. Præterea, ad maiorem euidentiam tres gradus sobrietatis & abstinentiæ distinguī possunt. Primus est, patienter carere, cùm haberi non potest cibus vel potus delectabilis, nec contristari, cùm desiderata non habētur. Exemplo Augusti Cæsaris, de quo legitur in gestis Romanorum, quòd erat minimi cibi. Nam panem & pisciculos minutos, & caseum bubalinum manu pressum, ac ficus virides appetebat. Nimirum, cùm secundùm Chrysostomum, excessus ciborum consumat & computrescere faciat corpus. Hinc dicit Galenus, pingues & obesos, qui mensuram excedunt sobrietatis, nec viuere posse diu, nec sanos esse, animosq; eorū nimio sanguine & adipe inuolutos, quasi in luto, nihil tenue, nihilque cæleste sentire, sed semper de carne & ventris ingluuie cogitare. Epicurus autem assertor voluptatis, omnes libros suos repleuit, dicens oleribus & pomis, ac vilibus vtendum: quia carnes & epulæ exquisitæ cum ingenti cura & miseria præparantur, maioremq; pœnam habent in quærendo, quàm voluptatem in abutendo. Antiqui glandes quærebant ad esum: & sic ieiunium non carnibus, aut delicijs, sed sola glande soluebant, vt dicit Boëthius: Et Poëta: *Mortales primi rudabant gutture glandes.* Vnde tota prima ætate fuit genus humanum sine car-

Gradus sobrietatis.

ne carnibus & varijs delicijs ciborum, & tamen diutiſsimè vixerunt. Secundus gradus, eſt velle carere propter Deum etiam illis delicatis, quæ poſſunt haberi, propter amorẽ paupertatis, ſobrietatis ac boni exempli. Quod concernit illos præcipuè, qui propter amorẽ Chriſti diuitias ſæculi contempſerunt: quia qui pauper eſt rebus, ſobrius eſt victu. Nam quia, ſecundùm Hierony. abſque guſtu impoſsibile eſt humanum corpus ſubſiſtere, ideo Deum timentes potius eligunt delicatis carere, ne guſtu eorũ deijciantur. Hinc Seneca lib. de quatuor virtutibus, conſulit dicens: Ede citra cruditatẽ, bibe citra ebrietatem. Victus tuus ſit ex facili, nec ad voluptatem, ſed ad cibum accede: palatum tuum fames excitet, non ſapores, deſideria tua paruo redime: quia hoc tantum curare debes vt deſinant, non vt creſcant. Dicitur autem in Eccleſiaſtico, quòd *initium vitæ hominis panis & aqua.* Et Seneca: Non eſt iucunda res aqua &. polenta, aut fruſtum hordeacei panis, ſed ſumma voluptas eſt, ex his etiam capere poſſe voluptatẽ, & ad id ſe duxiſſe, quod eripere nulla fortuna poſsit. Quorum vitam imitati ſunt Patres, qui vitam ſolitariam in deſertis elegerunt. Quia (vt dicit Ambroſius) per ſobrietatem, & abſtinentiam lux cælica mẽti ingruit, dulcedo Dei influit, amor diuinus ſe ingerit, ſapor ſupernus ſe inſerit, totaq; diuinitas ſe immergit. Et, vt dicit Dionyſius: Nulli prorſus lucet diuinus radius, niſi quis abſtinentia & caſtitate fuerit præditus. Vnde & ex viliſsimis cibis vitanda eſt ſatietas: quia nil ita obruit animum, vt plenus venter & æſtuans. Refert autem Vincentius, quòd populus quidã Orientalis Lydiæ, per calidam & deſertam eremi vaſtitatem habitans, locuſtis vescitur. Et Ichthyophagi gens errans in littore maris rubri, ſuper petras ardore ſolis feruentes, piſces aſſat: & hoc ſolo alimento victitat. Sic Chelonophagi gens, nõ alia quàm teſtudinum carne viuit. De potu verò, iuxta Hieronymi ſententiam, taceo, cùm & monachi languentes aqua frigida vtantur, & coctum quid accepiſſe luxuria ſit. Tertius gradus eſt etiam abſtinere poſſe ſine difficultate à delectationibus habitis, & inde tantùm ſumere puram neceſſitatem, non amore delectationis, ſed neceſſariæ recreationis. Pro quo ſciendum, quòd quamuis, quò ad paupertatem, ſit maior virtus non habere quod cupias, tamen quòad abſtinentiæ fortitudinem, maius eſt appetitum retrahere ab vſu, vel delectatione præſentis voluptatis, quàm abſentes non deſiderare. Nam *eſca*, ſecundùm Apoſtolum, *nos non commendat Deo*, videlicet ſumpta, vel non ſumpta, ſed modus & inten-

Eccleſ 29.

1. Cor. 8.

intentio sumẽdi. Dicit enim Augustinus de doct. Christiana: Quid locis, & tempori, ac personis conueniat, diligenter attendendum est, ne temerè flagitia reprehendamus. Potest enim fieri, vt sine aliquo vitio voracitatis, pretiosissimo cibo sapiens vtatur: insipiens autem vilissimæ gulæ flamma in vilissimũ cibum inardescat. Debet ergo quisque, prout vires corporis suppetunt & requirunt, tantum sumere de alimentis, quòd nec ventrem ieiuniorum ariditate constringat, nec escarum nimietate distendat.

De laude sobrietatis propriè dictæ, de discreto ieiunio, & quòd triplex distinguitur ieiunium. Cap. LXII.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi? Sobrietas ex suo nomine moderationem alimentorum significat, quæ ratione regulata significat actum vel habitum virtutis: quod fit quando quis ab alimentis abstinet vt oportet, pro congruentia hominum cum quibus viuit, & personæ suæ, ac valetudinis suæ necessitate, & hoc in fidei, & dilectiõis virtute, ne scilicet corpus ante tempus ex penuria, vel labore deficiat, nec ex abundantia vel quiete lasciuiat. Nam corpus creatũ est propter animã, vt illi seruiat & cooperetur ad profectum salutis & virtutis: anima verò propter Deum, vt ei per amorem inhæreat, & inhærendo fruatur illius suauitate, fruendoq; beata fiat. Dicit enim Hieron. quòd sine quatuor sensibus viuere possumus, scilicet sine aspectu, auditu, odoratu, & complexu. Absq; gustu autem & alimentis impossibile est corpus humanum subsistere. Adesse ergo debet ratio, vt tales ac tantas sumamus escas, quibus nec oneretur corpus, nec libertas animæ prægrauetur. Vnde modica & temperata alimenta tam carni, quàm animæ sunt vtilia. Dicit enim Gregorius, quòd per abstinentiam carnis vitia sunt extinguenda, non caro. Sæpe enim dum in illa hostem insequimur, etiã ciuem trucidamus. Et sæpe dum quasi ciui parcimus, ad prælium hostem nutrimus. Et ponit exemplum de chorda in cithara: quæ si minus tenditur, non sonat; si tenditur amplius, raucum sonat. Quia nimirum tanto quisque sibimet moderamine præesse debet, vt ad culpam caro non superbiat, & tamen ad effectũ rectitudinis in opere subsistat. Nam, secũdùm Chrysost. sicut excessus alimentorum consumit, & computrescere facit corpus, sic sobrietas mater est sanitatis, & delectationis. Nihil enim sic iucundum est, sicut cibus bene digestus; nihil sic salutem, nihil sic sensũ acumen

ſcumen operatur, nihil ſic ægritudinem curat, ſicut moderata refectio. Nam ſecundùm Hieronymum, qui ægrotat, non aliter recipit ſanitatem, niſi temperato cibo, & caſtigato victu. Quibus ergo cibis reficitur ſanitas, his etiam procul dubio ſeruari poteſt.

Ieiunium.

Cæterùm, principalis actus ipſius ſobrietatis, eſt ieiunium. De quo dicit Abbas Iſaac: Ieiunium eſt protectio virtutis, & initium certaminis, & corona continentium, & ſplendor caſtitatis, & principium vitæ Chriſtianitatis, & mater orationis. Sicut enim imitatur oculos ſanos deſiderium lucis, ita ſequitur ieiunium, quod fit cum diſcretione, deſiderium orationis. Pro quo notandum, quòd triplex diſtinguitur ieiunium, ſcilicet Eccleſiæ, culpæ, & moderatæ abſtinentiæ. Ieiunium Eccleſiæ eſt abſtinentia victus ſecundùm ordinationem Eccleſiæ, ſine ſcripto, ſiue conſuetudine approbatam: in quo erit ſubtractio prandij à carnibus, & etiam ab omnibus, quæ ſementiuam trahunt originem à carnibus, præſertim in ieiunijs Quadrageſimalibus, vt patet 4. diſt. c. Denique, vbi dicitur: Par & æquum eſt, vt qui diebus his quadrageſimalibus à carnibus animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementiuam trahunt originem carnis, ieiunemus, à lacte ſcilicet, caſeo, & ouis. Cæterùm, piſcium eſus ita Chriſtiano relinquitur, vt hoc ei infirmitatis ſolatium, non luxuriæ pariat incendium. Hæc ibi. Vnde ieiunium cadit in communi ſub præcepto legis naturæ. Quia cùm ieiunium ſit vtile ad deletionem, & prohibitionem culpæ, & ad eleuationem mentis in ſpiritualia, tenetur vnuſquiſque tantum vti ieiunijs ex naturali ratione, quantum ſibi neceſſarium eſt ad prædicta. Veruntamen determinatio temporis, & modi ieiunandi, ſecũdùm cõuenientiam & vtilitatẽ populi Chriſtiani cadit ſub præcepto iuris poſitiui, quod eſt à Prælatis Eccleſiæ conſtitutum. Sed quia præcepta, quæ ſic per modum communis ſtatuti proponuntur, non eodem modo obligant omnes, ſed ſecundùm quod requiritur ad finem, quem legislator intendit: ideo qui tale ſtatutum contemnendo tranſgreditur, vel etiam qui tranſgreditur hoc modo, quòd finis, quem legislator intendit, impediatur; talis præcepti trãſgreſſor iudicatur, & mortaliter peccat. Qui verò ex aliqua rationabili cauſã, & excuſabili ſtatutũ non ſeruat, & in eo caſu præſertim, in quo etiam, ſi legislator adeſſet, non decerneret eſſe ſeruandum, talis tranſgreſſio non conſtituit mortale peccatum. Pro quo notandum, ſecundùm Innocentium, quòd omnes ſanæ mentis, & doli capaces, ac ieiunare potentes, ſecundùm intentionẽ legiſ-

Ieiunium triplex.

Ieiunium Eccleſiæ.

legislatoris ieiunare tenetur indicta ieiunia ab Ecclesia, quia tales possunt peccare; & ideo debent peccata deflere, & pœnitentiã agere. Multi tamen excusantur in parte, vel in toto, qui tamen secundùm modũ suæ facultatis ieiunare debent. Oportet enim quòd in ieiunio *rationabile* sit *obsequium* nostrum, quia discretum ieiunium, secundùm Augustinum mentem purgat & subleuat, carnem spiritui subijcit, cor cõtritum & humiliatum facit, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, & castitatis lumen accendit. Vnde veri Christiani canibus Aegyptijs similari debent, qui secundùm Solinum nunquam nisi currendo bibunt de fluuio Nili, eò quòd timent à beluis, id est, crocodilis in eodem existentibus, rapi ac deuorari. Fluuius, est vita præsens: canes homines piè viuere cupientes, qui tantùm necessaria velut in transitu recipere debent, iuxta illud B. Petri: *Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam.* Ieiunium verò culpæ potissimum est obseruandum, de quo dicitur de Consecr. dist. 5. c. Ieiunium magnum & generale, est abstinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus seculi, quod est perfectum ieiunium. In hoc seculo, quasi Quadragesimam celebramus, cùm bene viuimus, cùm ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus abstinemus. Alioqui, vt ibidem dicitur, c. Nihil enim prodest homini ieiunare, & alia religionis bona agere, nisi mens ab iniquitate, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur: nimirum, quia tempore ieiunij, præsertim Quadragesimalis, vitijs omnibus medicina paranda est, & ideo peccata, quæ cæteris diebus mala sunt, tunc peiora iudicanda videntur. Nam quantò tempora sunt sanctiora, tantò peccata censenter grauiora, quia dicitur 33. quæ. 3. c. Irrisor est, & non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet, nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus, canis reuersus ad vomitum, & pœnitens reuersus ad peccatum. Quibus ait Dominus apud Isaiam: *Nolite ieiunare sicut ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester. Nunquid tale est ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Nonne hoc est* maius *ieiunium, quod elegi? Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes*, &c. Ieiunium denique moderatæ abstinentiæ, etiam ab omni inordinato delectabili, valde congruum iudicatur, & salutiferum diebus per Ecclesiam Deo specialiter consecratis. *Vtamur ergo parcius verbis, cibis, & potibus*, &c. Et Ioel: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra* &c. Et iterum:

Rom. 12.

1. Pet. 2.

Ieiunium culpæ.

Esa. 58.

Ieiunium moderatæ abstinentiæ.

Ioel. 2.

iterum: *Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo:* quia quæ sunt aliis temporibus licita, tempore Quadragesimali, & pœnitentiæ plerunque sunt fugienda. Ibidem.

De quadruplici paupertate spiritus, cui soli promittitur iudiciaria potestas, ad quam nos etiam duo alliciunt.
Cap. LXIII.

EXpoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Cantic. 5. Hæc anima sancta loquitur, vehementer aspirans ad dilecti complexum, cui omnia alia versa sunt in fastidium, cætera contemnens vt dilectum lucrifaciat, & per contemplationem iugiter inhæreat: sed vocatur à dilecto, dicente: *Surge*, scilicet ab otio contemplationis ad laborem actionis: *propera*, quia mora surgendi proximis est periculosa: & quia *amica mea*, quantum ad charitatis latitudinem: *columba mea*, quantum ad intentionis rectitudinem: *formosa mea*, quantum ad conuersationis pulchritudinem: ideo *veni*, quia non sufficit surgere à quiete contemplationis, nisi pro salute animarum venias ad laborem actionis. *Iam enim hyems* infidelitatis *trānsijt, imber* persecutionis *abijt, & recessit, flores* bonorum operum *apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit.* Nam quinq; genera sarmentorum sunt amputanda, scilicet corruptiones naturæ, operationes prauæ, intentiones non rectæ, concupiscentiæ inordinatę, & passiones peruersæ. Et ad hæc vocatur dilecta, sed exteriorem horrens occupationē: *Expoliaui*, inquit, *me*, id est, prorsus exui omnia impedimenta exteriora, quibus eram induta quasi *tunica, quomodo* nūc iterum *induar illa? Expoliaui*, inquam, ad solicitudinē vniuersam cum ea expoliandam, vt liberius dilecto inhærerem, ad dilecti notitiam plenius acquirendam, & ad plenam eius amicitiam conquirendam. *Laui* etiam *pedes meos* affectuum, omnia per affectum despiciendo, quæ ad amplexum dilecti fuerunt impedimenta. Quod egregiè perficit anima virtute paupertatis, quæ est prima inter beatitudines, & ipsa censetur esse tertium cellarium, in quo se sponsa gloriatur introductā. Vnde dicitur in Euangelio: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quod quatuor modis exponi potest. Primo modo: *Beati pauperes spiritu* id est, ex electione paupertatem complectentes, tanquam summè amatam. Et sumitur paupertas pro omnimoda abstinentia ab amore mundi, id est, eorū, quæ amor mundi complecti- Cant. 5. Matth. 5. Paupertas spiritus.

tur,& sic est quædam abdicatio plenaria & voluntaria omnium delectabilium, quæ sunt in diuitijs delicijs, & honoribus. Et hæc paupertas beatum efficit,iuxta illud Iacobi: *Nonne Deus elegit pauperes in*
Iacob.2. *hoc mundo,diuites in fide, & hæredes regni?* Secundo modo. *Beati pauperes spiritu,* secundùm Chrysostomum, dicuntur formidantes & trementes Dei iussiones,qui se diuinæ subdunt auctoritati, timentes post hanc vitam ne pergant ad pœnam, etiàm si fortè in hac vita sibi beati esse videantur. Et hic est sanctus timor, quo spiritus de se diffidit, & in solo Deo confidit, qui timor beatum efficit, iuxta illud Prouerbiorum: *Beatus homo qui semper est pauidus.* Tertio modo: *Beati pau-*
Prouer.28. *peres spiritu,* id est, humiles, secũdùm Augustinum, non habentes superbum, vel inflantem spiritum. Et Chrysostomus: Multi sunt humiles spiritu nolentes,rerum necessitate coacti. Sed illos hic beatificat, qui seipsos ex electione humiliant: quia talis humilitas beatificat,iuxta illud Prouerbiorum: *Humilem spiritu suscipiet gloria.* Quarto modo:
Prouer.29. *Beati pauperes spiritu,* id est, secundùm Hieronymum, qui propter Spiritum sanctum voluntate sunt pauperes, vtpote voluntatem suam in diuinum beneplacitum,& suorum superiorum plenariè resignantes; de qua resignatione plenius superius dictum est. Quantum igitur ad primam expositionem beatificantur hi, qui propter Deum voluntariè virtutem paupertatis charius amplectuntur. Quia nimirum primũ locum obtinet inter beatitudines, eò quòd est prima perfectio sequi volentium vestigia Christi, fundamentum existens totius spiritualis ædificij, præsertim cùm facit hominem talia contemnere, vt diuinæ cõtemplationi valeat liberius inhærere. Cùm enim homines sibi ipsis derelicti, naturaliter abhorreant paupertatem & declinent, fidelitatem nostram Christus experiri volens, ipsam paupertatem amplecti venit, verbis consulere,& exemplis docere. Vide nunc quanta paupertas re-
Lucæ 2. lucebat in Iesu superbenedicto, ac eius matre benedicta, quæ Bethleem veniens, partu grauida diuino, non habuit vbi declinaret, quo tenera mater filium suum pareret, sed inedia cogente, vile stabulum ingreditur mater Dei, regina cæli, domina mundi. Mirum si non mirabantur Angeli de tam extrema paupertate matris & filij. O vera sapientia, quæ de occultis trahitur, qua *margarita* paupertatis *in agro mundi* huius abscondita quæritur. Pro qua comparanda mercator ille
Matth.13. non insipiens ad terram descendere dignatus est, vt eam à terrenis abiectam,

sectam, sua faceret æstimatione pretiosam, vt nec haberet vbi caput reclinaret, sicut totalis decursus suæ peregrinatiõis plenius attestatur, vt vel sic exemplo pariter & verbo, suis efficacius affectum ingereret paupertatis. Alioqui nisi quis, inquit, renuntiauerit *omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Ecce ad quantam celsitudinem perfectionis suos vocauit, in arduo paupertatis. Cui nimirum soli debetur priuilegium iudiciariæ potestatis, dicente Domino: *Vos qui* reliquistis *omnia, & secuti estis me, in regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Et Paulus ait: *Nescitis*, quia & *Angelos iudicabimus?* Et hoc triplici ratione. Primò, ratione congruitatis, quia volũtatia paupertas cum debita sequela Christi, tantum est eorum qui cunctis, quæ mundi sunt, contemptis, soli Christo tenaciter inhærẽt, nec restat aliquid, quod eorum iudicium à iustitia deflectat: & sic idonei reddũtur, quasi veritatem iustitiæ præ cunctis rebus diligentes. Verũtamen nemo potest sequi Christum, nisi contemnat omnia. Nemo verò perfectè contemnit omnia, nisi contemnat & seipsum, inter omnia, *carnem suam* crucifigendo *cum vitijs & concupiscentijs*, seseque totum crucifigendo per sui ipsius felicem probabilemque contemptum. Secundò verò debetur eis per modum meriti & correspondentiæ, quia virtuti humilitatis pro merito correspondet exaltatio. Paupertas autem hominem maximè despectum facit, & ideo pauperibus voluntarijs pro merito repromittitur excellentia iudiciariæ potestatis. Et licèt maius sit offerre Deo sacrificium de proprio corpore, sicut Martyres vel Virgines, quàm de rebus exterioribus, sicut voluntarij pauperes, tamen soli paupertati talis excellentia repromittitur, vt huius virtutis eminentia commendetur. Hæcenim virtus Apostolica rarissimos appetitores inuenit, vt cum Apostolis relinquerent *omnia*: quia multitudini *credentium erant omnia communia*, vtpote quibus nimis ardua videbatur tam excellẽtissima paupertas Apostolica. Deinde quasi obliuioni tradita fuit, quousque veniret alter Angelus, *signum* habẽs *Dei viui*, scilicet beatus Frãciscus. Vnde legitur in historia Romanorũ, quòd Romani, qui viros deificare consueuerãt, cùm in cõsilio disputarent, vtrum in numero deorum Christus esset recipiẽdus, cùm tot miracula esset operatus, tandem inter eos diffinitum est, quòd inter deos recipi non deberet, quia cultores non haberet, cùm paupertatẽ prædicauerit, quam naturaliter vnusquisque contemnit. Tertiò deniq; de-

Lucæ 14.

Matth. 19.

1. Cor. 6. Potestas iudiciaria.

Galat. 5.

Actor. 4.

Apoc. 7.

betur eis, quia voluntaria paupertas in progressu ad perfectionẽ vitæ prima ponitur inter beatitudines, velut ianua totius perfectionis, quæ perfectio disponit cor humanum, vt sit edoctum omni diuina veritate, in quo decreta tenentur diuinæ iustitiæ, ex quibus homines iudicabuntur, sicut si liber, in quo continetur lex, iudicare dicatur. Hinc est, quòd non quibuscunque pauperibus voluntarijs hæc potestas promittitur, sed illis tantum modò, qui relinquentes omnia, Christum sequuntur secundùm perfectionem vitæ. In quibus relucet omnium virtutum perfectio, quæ damnabit aliorum imperfectionem, eò quòd homines fuerunt sicut & illi.

Amor paupertatis.

Ad amorem denique paupertatis duo nos mouere debent. Primũ est, diuinum exemplum, quod est irreprehensibile. Fuit enim propter nos Iesus pauper nascendo, pauper conuersando, & pauper moriẽdo. Omnia nanque terrena, secundùm Augustinum, cõtempsit, vt omnibus contemnenda monstraret. Omnia aduersa sustinuit, vt omnia sustinenda doceret, vt nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur aduersitas. Audi quid Seneca gentilis loquitur: Honesta res, inquit, & læta paupertas. Qui cum paupertate bene conuenit, dives est; non qui parum habet, sed qui multa cupit, pauper est. Quæ sunt maximæ diuitiæ? non desiderare diuitias. Quis plurimum habet? is qui minimum cupit. Quæ maxima egestas? auaritia. Pecuniæ imperare oportet, non seruire Hæc Seneca. Paupertas enim (vt dicit Iohannes Abbas) est solicitudinum depositio, curæ vitæ prætereuntis priuatio, itineratio sine impedimento, fundamentum pacis, munditiæ semita. Et qui gustant superna, feliciter contemnunt inferiora; qui verò terrenarum rerum amore vincuntur, in Deo nullatenus delectantur. Secundum autem est, diuinum promissum, quod est inæstimabile. Quis enim dignè posset æstimare gloriam illam, quam Deus verè pauperibus, & mundi contemptoribus repromisit? Ideo dicit Bernardus: Ditior est Christi paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris. Vis obtinere cælum? paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit. Non enim paupertas, sed paupertatis amor virtus reputatur. Non ergo solo habitu debet esse pauper, nihil habendo; sed etiam affectu, nihil horũ, quæ in mundo sunt, concupiscendo, sed totum affectũ ad superna subleuando. Vnde Gregorius: Anima sine delectatione esse non potest. Aut enim delectatur in infimis, aut in summis. Et quanto altiori studio exercetur ad summa, tãto maiori studio torpescit ad infima. Quãto acti-

to acriori cura inardescit ad infimæ, tanto tepore damnabili frigescit à summis, quia vtraque simul & æqualiter amari non possunt.

De paupertate Christianæ religionis, & de triplici gradu approbatæ religionis, ac de virtute modestiæ. Cap. LXIIII.

EXpoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Dicit Titus Liuius in prologo de Roma, quòd tempore paupertatis nusquã alter locus eo sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit. Et quantò rerum minus habuit, tãtò minus cupiditatis habebat. Sed postea diuitiæ auaritiã, & luxuriam induxerunt. Hinc prospera mundi huius semper sunt timenda. Nam successus rerum temporalium, est æternæ damnationis indicium, vt dicit Gregorius, quia difficile est, vt præsentibus & futuris quis perfruatur bonis. Vnde Seneca: Mihi crede, non potest esse dives, & felix. Multum est enim non corrumpi diuitiarum cõtubernio. Magnus est ille, qui in diuitijs pauper est. Scire autem vti paupertate, maxima felicitas est. Veruntamen nemo alius est Deo magis dignus, quàm qui opes contempserit. Ad maiorẽ autem euidentiã, triplex gradus paupertatis distingui potest. Primus gradus est paupertas professionis in religione Christiana, vel etiam approbata. Paupertas enim professionis Christianæ religionis, quanuis non est perfecta, tamen sic debet esse moderata, quòd dirigat effectum ad æquitatem iustitiæ, & affectum ad debitam metam concupiscentiæ. Sicut enim malum est iniusta possidere, sic & immoderatè iusta diligere: Vnde consulit Xystus Philosophus. Si vis cum animi lætitia viuere, noli multa colligere. Omne quod est plus homini, quàm necesse est, inimicum est illi. Non amplius possideas, quã vsus, corporis poscit. Sufficientiam stude seruare, mediocribus contentus esse stude. Eodemque affectu loqui videtur Sapiens, cùm dicit: *Diuitias* & paupertatem *ne dederis mihi, sed tantũ tribue victui meo necessaria.* Sunt enim nonnulli, secundùm Gregoriũ, qui sic cælestia appetunt, quòd tamen à terrenorum possessione non auelluntur, qui tamen ab eisdem rebus, quas habent, alieni sunt, quia ad hæc ipsa, quæ possident, ex desiderio non tenentur. Et sunt nonnulli, qui ad comprehendendum culmen perfectionis, dum interius altiora appetunt, exterius cuncta, quæ inuitè possident, vilipendunt cum Apostolo, *nihil habentes, ac omnia possidentes,* ac nõ pro libitu, sed pro sola necessitate vtentes. Mirabilius est autem non inhærere rebus

Gradus paupertatis.

Paupertas professionis.

Prouer. 30.

possessis, quàm omnia relinquere: quia rebus abundare, & penuriam pati, est quoddam genus martyrij, dicente Bernardo: Quid mirabilius, aut quod martyrij genus grauius est, quàm inter epulas esurire? inter vestes multas & pretiosas algere? paupertate premi inter diuitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster appetitus? An non coronabitur, si sic certauerit? Paupertas verò professionis approbatæ religionis est, qua quis profitetur nihil proprij possidere. De qua dicit Bernardus. Felix voluntaria paupertas omnia relinquentiũ, & te sequentium Domine Iesu. Quæ tamen professio in tepidis maculatur imperfectionibus diuersis, dum solum abstrahunt manũ, non affectum. Qui cùm censum habeant pauperis, voluntatem non abijciũt diuitis. Qui cũ omnes diuitias suas pro Christi amore disperserint, pristinum tamen cordis affectum etiam in rebus minimis retinent. O verè magna insania, quòd qui maxima spreuerunt, minimis inuiscantur. Quid enim distat quæcunq; substãtia desideretur, dum affectus æqualiter sit corruptus, nisi quòd tolerabilius videtur, quæ pluris esse videtur plurimum desiderare? Hoc igitur cautius memoriæ commendet, quòd quicquid affectu in corde concluserint, coram iusto iudice thesaurizasse, & tanquam proprium possedisse, iudicabuntur. Secundus gradus est paupertas vsus, cùm scilicet appetitus vsus restringitur ad eadem taxat, quæ corpori videntur esse necessaria: quos superfluitas contristat, curiositas cruciat, & sola necessitas prouocat, consilio Isaac Abbatis, dicentis: Esto liber à multa solicitudine corporis, rerumque perturbatione, vt delectabilem gustationem in anima tua gustes, per dulcem considerationẽ, quæ exuperat omnem sensum, & sentiat eam anima perseuerando in ipsa. Nihil enim destruat homo à corde suo solicitudinem secularium rerum præter necessarium vsum naturæ, ac dimittat Dominũ curare de ipsis, spiritualis ebrietas in ipso non mouebitur, & consolationem illam non sentiet, de qua dicit Apostolus: *Nostra conuersatio est in cælis*. Veruntamen huiusmodi contemptores superfluitatum & curiositatum, plerique nimis afficiuntur ad eõcessa & necessaria, eorum ablationem, vel mutationem æquo animo non ferentes: & in hoc puritatem altissimæ paupertatis commaculant. Quia quantũcunque vsus rei necessarius iudicatur, affectus tamen illius omnino denegatur. Vnde quantò quis perfectius Deum diligit, tantò perfectius & expeditius omnia, quæ sub Deo sunt, contemnit. Quantò verò quis est in amore Dei tepidior, tantò reperitur ad cætera cuncta

Paupertas vsus.

Philip. 3.

conte-

cõtemnenda negligentior. Si ergo vt refert Hieronymus contra Iouinianum, plurimi Philosophorum leguntur diuitias non tantùm contempsisse, sed etiam abiecisse velut impedimentum sapientiæ & virtutis, sicut fecit Socrates, quẽ omnium Philosophorum sectæ tãquam sapientiæ & virtutis vnicum fontem venerãtur, quid faciet Christianus ad hoc, vt increatã sapientiam pro modulo suo feliciter apprehendere, fruiq; felicius valeat? Tertius gradus est paupertas affectionis, qua fidelis anima spiritu diuino inebriata, tanto fertur affectu paupertatis, quòd nihil in infimis inuenit, quod mẽtem vel affectum etiam in minimo allicit: sed potius ea, quæ necessaria sunt cum tædio mẽtis, & nausea quadã in subsidium & vsum naturæ mortalis admittit, vt sic liberis alis affectuum, inter nuda crucifixi brachia iugiter se subleuet, & experiatur feliciter illud diuinũ promissum: *Lactabo eam*, scilicet spiritualium dulcedine, *& ducam eam in solitudinẽ*, id est, in abstractionẽ per affectum ab omni creato, *&* ibi *loquar ad cor eius*. Super quo dicit Albertus Magnus, quòd locutio Domini in corde, est de arduis gratijs mẽti securitatẽ præstare. Sciunt experti quantas spirituales consolationes, & cordiales oblectationes huiusmodi perfecta rerum abdicatio subministrat. Denique, videndum de virtute modestiæ, quæ censetur quartũ cellariũ, de qua dicit Augustinus: Modestia est cultũ, & motũ, & omnẽ nostrã occupationem vltra defectum, & citra excessum sistere & ordinare: quia incompositio corporis, qualitatem indicat mentis. Igitur in incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus nihil fiet, quod cuiusquã aspectũ offendat. Nihil enim tam præclarum & tam magnificum est, quod nõ moderatione desideret temperari. Vnde, sicut temperantia est moderatiua eorũ, quæ difficillimũ est refrænare, sic modestia est moderatiua eorum, quæ in hoc mediocriter se habent. Quamuis enim aliquis ex naturali dispositione aptitudinẽ habeat ad hanc, vel ad illam dispositionẽ exteriorũ, vel interiorũ motuum, quod tamen naturæ deest, suppleri debet ex rationis industria & diuina gratia, iuxta illud Ambrosij: Motum informet natura: si quid sanè in natura vitij est, emendet industria. Præcipuè tamen motus exteriores hominis sunt per rationem ordinabiles, & ideo ad imperium rationis exteriora membra moueri debent: quia motus exteriores sunt signa quædam interioris dispositionis, & vox quædam animi est corporis motus. Ex motibus enim corporis homo cordis nostri absconditus, aut leuior, aut iactantior, aut turpior, aut iracundior, aut

Paupertas affectionis.

Oseæ 2.

Modestia.

econtra grauior & cõstantior, aut purior, aut humilior, aut mãsuetior existimatur, iuxta illud Ecclesiastici: *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo.* Veruntamen, vt dicit Seneca, nulla res magis animos induit honestos, & in prauum inclinabiles reuocat ad rectum, quàm bonorum virorum conuersatio. Paulatim enim descendit, & vim præcepti obtinet frequenter aspici, frequenter audiri. Et quia, secundùm Philosophũ, ex origine quis contrahit dispositiones ad quasdam passiones, & deordinationes ac vitia, sicut in 7. Physicorum refert, quòd ex iracundo patre quandoque nascitur iracundus filius: ideo consulit Hieronymus, dicés: Nutrix, scilicet puerorum, non sit temulẽta, non lasciua, non luxuriæ dedita, propter lactis corruptionem, qua scilicet inficiuntur & pueri.

Eccli. 19.

Quòd triplex est timor fœdus, scilicet mundanus, humanus, & seruilis, & quomodo licitus est timor humanus. Cap. LXV.

Aperi mihi soror mea, amica mea, colũba mea immaculata mea: quia caput meum plenum est rore. Cantic. 5. Quasi diceret sponsus: O fidelis anima, existens *soror mea* naturæ conformitate, voluntatis vnitate, & hæreditatis participatione: *amica mea*, secretorum meorum reuelatione, fidei redemptione, gratiæ infusione: *columba mea*, donorũ sancti Spiritus donatione, & bonorum operum fœcunditate: *immaculata mea*, cœlestium contemplatione, & amoris mei continua fruitione. Vel, *soror mea* effecta in incarnatione; *amica*, in passione; *columba*, scilicet in Spiritus sancti missione; *immaculata*, in Baptismi susceptione. *Aperi mihi* cor tuum, qui tibi aperui latus meũ in passione, cælum in ascensione, vt scilicet intrem per veniæ donationem, per gratiæ infusionem, per virtutum & charitatis augmẽtationem, & per æternæ gloriæ promissionem. *Aperi*, inquam, *mihi* cor tuum claue diuini timoris. Nam timor Domini prima virtus est, per quam peruenitur ad alias virtutes. Hinc *timor Domini* dicitur *initium sapientiæ*: quia dicit Bernardus, quòd sine timoris virtute, quæ gratiarum prima est, & totius religionis exordium, nullum bonum poterit pullulare, vel manere. Omne enim virtutum ædificium, vergit in præcipitium, si huius gratiæ amiserit fundamentum. Nam *timor Domini expellit peccatum. Et qui sine timore est, non poterit iustificari*, nihilque sic nos à vitijs cõseruat immunes, sicut timor Domini. Per timorem quippe sanctum ad bene operandum compungimur, & ad odium omnium visibilium, & concupiscibilium, & proprij corporis, & propriæ voluntatis incita-

Pſal. 110.
Prouer. 1.
Timor Domini.
Eccleſ. 1.

incitamur,& ad agendum pœnitentiam, ad mundum relinquendum animamur. Solicitudine quoque & ſtudio implemur ad ſeruiendum Deo ſine negligentia die ac nocte. Vnde *timor Domini* dicitur eſſe *radix ſapientiæ*,& *initium*. *Radix*, inquam, quia *timor Domini* comparatur ad totam vitam humanam per ſapientiã Dei regulatam, ſicut radix ad arborem. Ideo dicitur in Eccleſiaſtico: *Radix ſapientiæ eſt timere* Deũ. *Rami enim illius lõgæui*. Vnde ſicut radix virtualiter dicitur eſſe tota arbor, ita timor Dei dicitur eſſe ſapientia. Etiam dicitur *initium ſapientiæ*, quantum ad eius effectum: quia ſapientia ab ipſo timore incipit operari, ab ipſo timore ſuam operationem inchoans, ſicut initium artis ædificatoriæ eſt fundamentum, quia ibidem incipit ædificator operari. Veruntamen ipſa fatetur in Eccleſiſtico, dicens: *Ego mater pulchræ dilectionis & timoris*, vt fœdum timorem excludat. Pro quo notandũ, quòd triplex eſt timor fœdus, pulchritudine carens. Primus dicitur timor humanus, quo ſcilicet alicuius corporalis boni timetur amiſsio, ſicut ſanitatis, fortitudinis, aut membrorum, vel etiam totius corporis, propter quæ conſeruanda, vel præcauẽda quis malum mortale perficit, vel neceſſariũ bonũ deſerit, vel omittit. Quo timore Chriſtũ Petrus negauit, & Aaron dum fabricaretur & adoraretur vitulus aureus, hoc timore retractus, filijs Iſrael non reſtitit. Et quamuis timere pericula, damna, perſecutiones, & ſimilia, naturaliter ineſt homini, quaſi pœna originalis delicti, tamen quòd propter iſta deuiet à iuſtitia, hoc eſt contra rationem naturalẽ. Dicit enim Philoſophus 3. Ethico. quòd quædam ſunt, ſcilicet peccatorum opera, ad quæ quis nullo timore cogi debet, quia peius eſt homini talia cõmittere, quàm pœnas alias quaſcunque ſuſtinere. In cuius argumentum electis ſuis in Euangelio dicit Dominus: *Dico autem vobis quem timeatis. Timete eum, qui poſtquã occiderit, habet poteſtatẽ mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete*. Cuius conſilium complectentes Sancti Dei, fide *regna*, vicerunt & tyrannos: & ad ſuppeditandum hunc timorem, etiam vltro ſe diuerſis paſsionibus tradiderunt. Nam *ludibria & verbera experti* ſunt, *inſuper & vincula, & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt*. Veruntamen Chriſtus, vt infirmis membris naturalẽ timorem eſſe licitum oſtenderet, ait: Et ſi *vos* perſecuti fuerint in vna *ciuitate, fugite in aliam*. Quod charius complectens Paulus primus Eremita, huiuſmodi timore compulſus, fugam iniit, & deſertum petijt. Vidit enim inter alios duos Martyres, agone mirabili cõ-

ibide n.

Eccleſ. 24.

Timor humanus.

Matth. 26. Exod. 32.

Lucæ 12.

Hebr. 11.

Matth. 10.

certantes. Vnum toto corpore nudo, melle perunctum in ardore solis apibus expositum: alium verò sub arbore frondosa super lectũ delicatum totum nudum, meretricum contrectationibus expositum. Quę cernens, nec propriæ constantiæ confidens, potius elegit eremi squalorẽ & penuriam sustinere. Quem secuti sunt innumerabiles. De qualibus ait Apostolus: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus, & in speluncis quibus dignus non erat mundus.*

Timor mũdanus.

Secundus verò dicitur timor mundanus, qui processum habet ab amore mundano. Amor autem mundanus propriè dicitur, quo quis innititur mundo tanquam fini, & sic semper est malus, & damnabilis. Timor verò mundanus ex hoc amore, tanquam venenata radice nascitur. Illud enim quis amittere timet, quod amat. Hinc timor mundanus tanquã à mala radice procedens, semper est malus, quo scilicet adeò quis timet amissionẽ rerum temporalium, aut honorũ, vel fauorum, seu amicitiæ, & sic de cæteris, quòd propterea deuiat, vel si daretur occasio, paratum animum habeat deuiandi à via iustitiæ, propter hunc timorem multa mala prohibita perpetrando, seu multa bona saluti necessaria postponendo, vel etiã bona, quæ simulatè agit, per malam intentionẽ ad humanam complacentiã retorquendo, vt alijs cõplaceat, ne vel illis displiceat, aut communi infamiæ subiaceat. Isto timore numerauit Ioab ad præceptum Dauid populum Domini, contra mandatum Domini. Et isto timore Dauid mortem Vriæ procurauit, ac timore Iezabel iudices Israel Naboth iniustè damnauerunt. Saul quoque pœnitentiam simulauit, ne Samueli displiceret, & coram populo vituperio subiaceret: *Peccaui*, inquit, *sed nunc honora me coram* populo. O falsa pœnitentia, ô geminata superbia: quæ nimirum sibi promeruit æternam reprobationẽ. Et Adam, ne displiceret vxori, cõtempsit præceptum Domini. O quàm infiniti, vel amore placendi, seu timore displicendi quotidie trahuntur ad similia, vel peiora. Tertius denique timor fœdus dicitur seruilis, qui timor habet ex seruilitate quòd malus est. Nam seruus est, qui non sui causa operatur, sed quasi ab extrinseco motus. Quicunq; verò facit aliquid ex amore, quasi ex seipso operatur, quia ex propria inclinatione mouetur ad operandũ. Et ideo contra rationem seruilitatis est, quòd operetur ex amore: & ideo charitati contrariatur, in quantum seruilis est: & simpliciter malus est, quia timoris huius obiectũ est pœna, quæ scilicet accidit, eò quòd

2. Reg. 24.
2. Reg. 11.
3. Reg. 21.
1. Reg. 15.

Genes. 3.

Timor seruilis.

bonum

bonum, cui contrariatur pœna, ametur tanquam finis vltimus, & per consequens pœna timeatur tanquam principale malum, quod non cõuenit in habente charitatẽ. Vnde dicit Gregorius: Cùm quis timore pœnæ bona adhuc agit, à malo penitus nõ recessit: quia eo ipso peccat, quo peccare vellet, si inultè potuisset. Quia talis non odit culpam, non amat iustitiam, sed cauet pœnã: sicut Achab rex fictè pœnituit, eò quòd 3 Reg. 21.
diuinã vindictã timuit. Vnde mala, quæ ex hoc timore non facit opere, perficit voluntate, quæ est formale ipsius peccati. Dicit enim Augustinus. Timor legis seruilis prædagogus præcessit in me, qui ad casum ducit, sed carnem non crucifigit: quia viuit peccandi voluntas, sequereturq; opus, ni timeretur pœnalitas. Sic & bona hoc timore facta, corã Deo non reputantur bona, nec æternæ vitæ meritoria. Vnde cùm timore pœnæ, nõ amore iustitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum, nec fit in corde, quod fieri videtur in opere, quando homo mallet nõ facere, si posset impunè. Et hic timor propriè correspõdet amori mercenario, qui diligit & seruit principaliter propter retributionẽ temporalem, vel æternam. Est tamen hic timor donum Spiritus sancti, non tamen est cum Spiritu sancto. Sicut aurora est à sole, non tamen cum sole: & Spiritui sancto locum præparat, vt eum sicut seta filum introducat. Nam seta vt filum introducat, ipsum præcedit, sed cum eo nõ permanet.

De timore naturali, ac de triplici timore pulchro, scilicet initiali, filiali, & casto. Cap. LXVI.

APeri mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore. Quasi diceret: O fidelis anima, facta *soror mea* in incarnatione, per naturæ cõformationẽ: *amica mea* in passione, per amoris inflãmationem: *columba mea* in Spiritus sancti missione, per decorẽ simplicitatis: *immaculata mea* in Baptismi susceptione, per innocentẽ conuersationem, *quia caput meum*, id est, diuinitas mea, plena *est rore*, scilicet misericordiæ, & gratiæ. Vel, *caput meum* spinis coronatum, *plenum est* roseo sanguine pro tuo amore. Vi- Timor naturalis.
so igitur de triplici timore fœdo, iã prosequendũ est de triplici timore pulchro. Ad cuius euidẽtiam sciendum, quòd hominibus inest quidã timor naturalis, quo scilicet homo naturaliter timet quodlibet nocumentũ, vel incommodũ incurrere, seu etiã aliquod cõmodũ seu desideratũ amittere: & est pœna peccati originalis. Nam Adã si nò peccasset, timorem non habuisset, quo dixit: *Vocem tuam audiui, sed timui:*

Genes. 3. *eò quòd nudus essem*: quia timor pœnam habet, quæ non debetur alicui, nisi propter culpam. Nunc autem, vt dicit Sapiens, *cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ*. Veruntamẽ isto timore nec meremur, nec demeremur, quia nõ subiacet libero arbitrio, nisi quis se inordinabiliter haberet circa timorem illum. Nõ enim est malum timere pericula quæcunque, vel amissionem corporum, seu membrorum, aut famæ, vel rerum quarumlibet, dummodò timor sit ordinatus, non trahens ad illicita: & tunc propriè dicitur timor naturalis. Quem timorem Christus in sua passione sustinere dignatus est in consolationem pusillorum, vt infirmis membris ostenderet hunc timorem esse licitum, præ timoris angustia, sudorem etiam sanguineũ emittẽs. Nec tamen in aliquo timor iste suæ volũtatis & charitatis impetum ad humanam salutem perficiendam retardauit, quo minus ad tam horribilem mortem perferendam festinaret. Vnde quamuis, secundùm naturam corruptam, quodãmodò naturale sit, quòd contraria cuncta quis timeat, & pro posse refugiat, tamen est contra naturalem rationẽ, quòd propter hæc à iustitia recedat: quia sic efficitur timor fœdus. Si verò perseuerãter nihilominus in bono permaneat, efficitur timor pulcher & acceptabilis Deo, qui tripliciter distinguitur. Primus enim dicitur timor initialis, velut initium nostræ salutis. Est enim illorum, qui iam incipiunt conuerti ad Dominũ, quos Domini timor ad veram sapientiam initiat, sicut dicit Sanctus Bernardus. Nõ immeritò dicitur hic *timor initium sapientiæ*, quia se primò opponit pesti insipientiæ. Et iterũ. In veritate didici, nihil æquè efficax esse ad Dei gratiam promerendam, retinendam, & recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo inueniaris non altum sapere, sed timere. Cæterũ, iste timor medium tenet inter timorem seruilem & filialem, ab vtroq; partem recipiens, ac per consequens duplicem respectũ habẽs in bonis, quæ agit, & in malis, quæ dimittit. Timor enim seruilis hunc timorem inducit, sicut seta filum. Hinc habet & retinet aliquid de timore seruili adiunctum, scilicet substantiam eius, quæ manet etiam cum charitate, seruilitate remota. Est autẽ seruilitas, quæ mouetur ad malum præcauendum, non motu proprio, sed alieno, id est, principaliter propter pœnam præcauendam. Sic etiam iste timor pœnã timet, propter quam tamen præcauendam non principaliter peccatum cauet, sed secundariò habet etiam adiunctum actum eius, qui similiter manet cum charitate imperfecta: quia non solùm mouetur ad bene agẽdum

Luc. 22.

Timor initialis.

ex

ex amore iustitiæ, sed etiam ex timore pœnæ, licèt principaliter ex amore iustitiæ moueatur ad agendum bonum, & cauendum malum. A timore verò filiali recipit, quòd timet diuinam offensam & indignationem: & hoc est principale propter quod vel mala dimittit, vel bona perficit. Illud ergo quòd respicit pœnam, charitas abijcit, quia *charitas perfecta* talem *timorem*, tanquam inutilem *foras mittit*, quia partem illam habet à timore seruili: cuius seruilitas à prædominante charitate totaliter tollitur, licèt secundùm substantiam timor pœnæ remaneat, qui nihilominus diminuitur crescente charitate, maximè quantum ad actum, & etiam quantùm ad substantiam: quia quantò magis quis diligit Deum, tantò minus diligit seipsum: & quâtò minus diligit se, tantò minus timet pœnam: tum quia minus attendit ad proprium commodùm, siue bonum, cui contrariatur pœna: tum etiam, quia seipsum despiciens vt inhæreat Deo, magis confidit de bonitate diuina, & de futuro præmio, ac per consequens minus timet de pœna. Nam nimius timor futuri iudicij, vel inferni, sumit originem ex nimio amore sui, qui timorem pœnæ causat, & ex minore amore Dei, qui confidentiam plenam bonitatis suæ non administrat: quia quantò Deum plus diligimus, tantò plus in eo confidimus. Duobus igitur motoribus impellitur hic timor, quia respicit malum pœnæ, quod refugit; & malum culpæ, quod abijcit, ne diuinæ misericordiæ & amicitiæ expers sit: Vnde & Philosophi, scientes humanam fragilitatem à vitijs maximè cohiberi per timorem, elegerunt Academiam villã, scilicet Plato & sui sequaces: & hoc ideo, quia, secundùm Papiam, fuit villa frequenti terræ motu concussa, non longè distans ab Athenis, vt timore terræmotus à libidine se continerent, & ab alijs vitijs cessarent, studioque vacarent: & exinde dicti sunt Academici. Referunt & alij Platonem cum suis elegisse Academiam villam desertam & pestilentem, vt cura & assiduitate morborum impetus libidinis frangeret. 1. Ioan. 4.

Timor filialis.

Secundus verò timor dicitur filialis, eò quòd per charitatis amorem Deus talem timorem habentium pater efficitur: & ab eis vt patet dilectus colitur: cui potissimè debitur amor & reuerentia, quæ plenius in nobis prompta, declarat in omnibus obedientia, cum Psal. dicens. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*: quia per talem timorem omnino spiritui sancto se subijcit, & in nullo repugnat, prout est possibile in via. Est enim timor iste subiectio quædam votiua, obedientia non coacta, & vltro impensa reuerentia. De quo timore dicit Gilbertus Por-

Psal. 56. & 107.

tus Porretanus: Quid timor ille filialis, nisi amor esse conatur, & pœnæ timor esse desinit? quia omnem timorem pœnam habentem ex-

1.Pet. 4. cludit. Et iterum: Quid enim timebit *charitas* veteres offensas, quia

Cant.8. *operit multitudinem peccatorum*? Quid ergò? Infirmitatem conscientiæ? quia *fortis est vt mors dilectio*. Quid igitur? Temporales molestias finibiles? cùm nec si æternæ fuerint, euanescere poterit dilectio consummata. Non enim amat charitas ne pereat, sed magis vult foris in æternum perire pœnaliter, quàm intimi amoris vsu priuari æternaliter. Sic ergo *charitas foràs mittit timorem* inutilem, qui pœnam habet, sed non timorem sanctum, qui nascitur de plenitudine charitatis. Veruntamen quamdiu quis ambulat in incerto, corruptibili adhuc carni circundatus, & potens in vtramque partem declinare status viæ mutabilis, timor iste aliquid pœnæ habet adiunctum. Cùm autem nulla mutabilitas erit, nec *timor sanctus permanens in seculum seculi*, pœnam habebit, quamuis exhibere reuerentiam Creatori non desinet.

Psal.18.

Timor. castus.

Tertius denique dicitur timor castus, quem rara perfectio in præsenti vita experitur, licèt ab omnibus Deum intentius diligẽtibus desideranter appetitur. Et licèt timor filialis & castus ferè ab omnibus pro eodem reputantur, tamen timor castus plus aliquid perfectionis habere videtur. Dicitur enim timor castus metaphoricè, scilicet in quantum Deus est animarum sponsus, super quo Cantica Canticorum

2.Cor.11. specialiter sunt fundata. De quo dicit & Apostolus: *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo*, id est, integram castitatem, non solùm corporis, scilicet in operatione, locutione, & delectatione, sed etiam mentis, in fide, dilectione, intentione, cogitatione, & omnimoda voluntatis vnione. Et ab ijs Deus propriè colitur vt sponsus, qui purum amorem spirat & requirit, quo sponsa sic inebriatur, vt maiestatẽ non cogitet. Vis audire sponsam timorem huiusmodi respirantẽ? *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui*. Sed talis timor castus, qui non est nisi

Cant.1. amor castus, amor, inquam, placendi sponso, & timor displicendi, propriè non experitur in via, nisi cùm per raptum, vel intimum tactum humanus spiritus immediatè diuino spiritui comitur, vel à spiritu diuino potius absorbetur, vt tantillo tempore vnus spiritus efficiatur. In futuro verò timor castus ab omnibus colitur, quia *timor Domini sanctus* permanet *in seculum seculi*. Sic enim ibidem reuerentia

Psalm.18. diuina colitur, vt tamen nulla libertas diuinæ familiaritatis minuatur.

Humili-

Humilitas quanta laude digna, & quàm neceſſaria ad ſalutem: ad quam duplici via quis peruenire poteſt &c.
Cap. LXVII.

DUm eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuũ. Cantic.1. Mirandus ordo verborum: *Dum eſſet rex in accubitu ſuo*, id eſt, dum propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, fieri dignatus eſt Filius Virginis, & aſſumere ſupplicium crucis, tam viuens, q̃ moriens viam amplectens humiliationis, vt nos incitaret ad effectũ imitationis: *nardus mea*, ſcilicet charitatis & humilitatis, *dedit odorẽ ſuum.* Eſt enim nardus quædam herba humilis, & calidæ naturæ, tam humilitatem, quàm charitatem aptè ſignificans: quæ duæ virtutes ſemper mutuo complexu coambulant, & lectulum ſponſi delicatè coaptant: charitatem tamen regia via præcedit humilitas, & eam ſicut ſeta filum ad cubiculum mentis inducit: nimirum cum per eam maximè remoueatur impedimentum humanæ ſalutis, quæ cõſiſtit in hoc, quòd aliquis ad ſpiritualia & cæleſtia non fictè, ſed veraciter tendat: à quibus impeditur, dum in terrenis magnificari ſtudet, omnia faciẽs vel dimittens, vt videatur ab hominibus. Hinc dicit Gregorius: Perit omne quod agitur, ſi non ſolicitè in humilitate cuſtodiatur: Omnis namq; labor boni, & fuga mali ſine humilitate vanitas eſt: quia talis ſemper ſeipſum quærit, non Deum. Sola humilitas eſt, quæ mẽtem diuino accendit lumine, ac inflãmat cæleſti deſiderio & amore. Hinc humilitas eſt quaſi quædam diſpoſitio ad habendũ liberum acceſſum in ſpiritualia & diuina bona. Vnde meritò dicitur radix omniũ virtutum, humorem gratiæ ſingularis profluè ſubminiſtrans, cui competit illud Eccleſiaſtici: *Sicut aquæductus exiui à paradiſo. Dixi, Rigabo hortum plantationum, & inebriabo partus mei fructum*, nimirum cùm *Deus ſuperbis* reſiſtens, ſolis *humilibus dat gratiam*, ſine qua virtus omnis areſcit, cum qua virtus alia quæcunque coaleſcit & proficit. Quia (vt dicit Hugo de clauſtro animæ) ſicut mel concordat in confectionibus medicinæ cum omnibus diuerſitatibus ſpecierum, ſic ex humilitatis dulcedine condiuntur omnia genera virtutum. Nec ergo mirum, ſi virtutem hanc velut vnicam regis filiam Chriſtus in mortali corpore tam euidenter exemplis exhibuit, & eam à ſuis amplecti docuit, dicens: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.* Ideo namque virtutem hanc Chriſtus ſuis

Nardus.

Humilitas.

Eccli.24.

Iacob.4.

Matth.11.

sequacibus tantopere studuit ingerere, quia sola humilitas reddit hominem Deo suo fidelem, eidem asscribens omnia bona, ac sibijpsi omnia praua, necinsoleſcit aliquando in prosperis, nec deijcitur in aduersis. Sic beata Virgo Domini mater, ab æterno Patre tam singulariter electa, à Spiritu sancto in omni sua plenitudine superuenta, ab ipso Dei Filio grauidata, ab Angelo tam reuerenter salutata, à toto mundo beatificata, nihilominus ad infima semper se inclinauit, vt æstimatione propria maneret abiectissima, ac diuino iudicio foret humillima. De qua miratur Bernardus, dicens: Quæ est ista tam sublimis humilitas, quæ honori cedere non nouit, insoleſcere gloria neſcit? Dei mater eligitur, & ancillam se nominat. Non est magnum esse humilem in abiectione, magna prorsus & rara virtus humilitas honorata. Tanta namq; virtutis huius est eminẽtia, quòd de ea dicit Augustinus: Si quęris à me quid sit Euangelicæ perfectionis summa, Respondeo: Humilitas. Et si secundò & tertiò quæras, respondeo, Humilitas. Nimirum cùm sine humilitate nec Mariæ virginitas, nec sanctitas Deo placuisset. Et sine humilitate virtus omnis in vitium vertitur. Irrefragabili quoq; lege sancitum est: *Qui se humiliat exaltabitur.* Et quantum quis se humiliauerit, propria æstimatione, tantum exaltabitur diuina dignatione. Nec est efficacior virtus, per quam potest hostis antiquus deuinci, quàm per humilitatem. Qui dum sibi humilitatem dominari conspicit, de vitijs alijs hominem tentare nõ præsumit. Hinc beatus Antonius, totum mundum plenum videns laqueis inimicorũ, & inquirens quis illos euadaret, protinus responsum accepit, quòd solus humilis. Cæterùm ad hanc virtutem humilitatis duplici via peruenire quis potest. Prima per donum diuinæ gratiæ: quia nullus humilis esse potest, nisi Deus dederit. *Postulet* igitur fideliter *à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Et tunc humilitas ab interioribus sumit exordium, ita quòd ab interiori dispositione humilitatis procedunt signa exteriora humiliationis: & tunc semper sunt vera, quia humilitas, prout est virtus, importat quandam laudabilem deiectionem ad ima: quæ deiectio principaliter in interiori mentis electione consistit, secundariò in signis exterioribus. Secunda verò via, qua peruenitur ad humilitatem, dispositiuè paratur per humanum studium, per quod homo prius exteriora superbiæ signa & incitamenta cohibet, vt postmodum ad interiorem superbiæ radicem extirpandá perfectius pertingat: quia, secundùm Bernardum, humiliatio via est ad humili-

Lucæ 14. & 18.

Modus ad humilita ẽ.

Iacob 1.

humilitatem, sicut patientia ad pacem, & sicut lectio ad scientiam. Si ergo virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Sicut autem prima via diligenter est obsequenda & expetenda per orationes, sic secunda per exercitationes: & vtrunque simul multò melius. Denique, quantum ad vtranque naturam homo secum fert magnam humiliationis causam. Nam inter substantias spirituales anima tenet infimum gradum & locum: inter quas natura diuina supremũ, & Angelica medium gradum obtinet: hc non solùm ex infimo elemento, sed etiam ex terræ limo corpus formatum est, vt nunquam sapere præsumat nisi infima, id est, humilia. Dicitur enim humilis, quasi humi accliuis, id est, imis inhærens. *Est* tamen, vt dicitur in Ecclesiastico, *qui nequiter se humiliat*, scilicet tantùm exterius, non interius, vbi propriè residet humilitas in affectu: *& interiora eius*, scilicet intentio & desiderium, *plena sunt dolo*, scilicet simulata nequitia & hypocrisi. De qua dicit Bernardus: *Hypocrita, eijce trabem de oculo tuo*, vt videas. Trabes in oculo, grandis est superbia, quæ quadam sua corpulentia vana, non sana; tumida, non solida, mentis oculum obscurat, veritatem obumbrat, ita vt si tuam occupauerit mentem, iam te talem qualis es, vel qualis esse potes, sentire non possis: sed talem te ames, qualem esse te putas, vel fore speras. Amor enim, sicut & odium, nescit veritatis iudicium. Sed huic dicitur: *Quid superbis terra & cinis?* Ideo consilio beati Hieronymi, in epistola ad Celantiam, humilitatẽ sequere, non quæ ostenditur atque simulatur gestu corporis, ac ficta voce verborũ; sed quæ puro cordis affectu exprimitur. Aliud est enim virtutem habere, aliud virtutis similitudinem. Illa multo deformior est superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis latet. Nescio enim quomodo turpiora sunt vitia, cùm virtutum specie celantur.

Humiliationis causæ.

Humilis quid. Eccl. 19.

Lucæ 6.

Eccl. 10.

Quantò quis maior, tantò debet esse humilior: sed sola meretur gratiam humilitas læta: cuius est triplex differentia, ac de humilitate cognitionis. Cap. LXVIII.

Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Nardus est humilis herba, pectoris purgatiua, vt manifestum sit humilitatem nardi nomine designari: cuius odor & decor gratiam inuenit apud Deum. Nimirum cùm, secundùm Augustinũ, nihil nos Deo sic gratos efficit, sicut humilitas. Ideo consulit Abbas Ephrem, dicens: Fili præ omnibus humilitati stude, quod est omnium virtu-

tum sublimius, vt ad perfectionis fastigium cõscendere possis. Vir humilis Deo similis est, & templo pectoris sui gestat eum. Nec, secundùm Bernardum, est vlla splendidior gemma in omni præcipuè ornatu Pontificis, quàm humilitas: quæ si amittitur, virtutum congregatio non nisi ruina est. Hinc dicitur in Ecclesiastico: *Quantò magnus es, humiliate in omnibus, & coram Deo gratiam inuenies*; quasi diceret: Secundùm gradum magnitudinis in generis nobilitate, scientiæ sublimitate, honoris dignitate, vel vitæ sanctitate, gradus erit humilitatis. Nec dicitur maior, sed *magnus*, eò quòd omnis comparatio maioritatis, scrupulum habet suspicionis & cõtentionis, vt patet apud Lucam: *Facta est contentio, quis eorum videretur maior*. Humilia, inquit, te, vt humilitas sit voluntaria, non coacta; & ab aliquo intrinseco, nõ extrinseco. De qua humilitate dicit Bernardus: Est autem humilis, qui conuertit humiliationem in humilitatem. Et hic dicere potest Deo: *Bonum mihi, quia humiliasti me*. Nulli enim quod patienter fert, bonũ est, sed molestum. Scimus autem quòd *hilarem datorem diligit Deus*. Hinc *cùm* ieiunamus, iubemur vngere *caput* nostrum, lauare *faciem*, vt opus bonum gaudio spirituali condiatur, & *holocaustum* nostrum *pingue fiat*. Vnde sola gratiam meretur læta humilitas & absoluta, nõ extorta, non coacta, qualis est in viro patiente, qui possidet animam suam. Hæc enim etsi vitam obtinet propter patientiam, tamen propter tristitiam non habebit gratiam. Non enim sponte humiliatur, nec libenter, quamuis patienter. *Libenter*, inquit Apostolus, *gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi*, id est, virtus humilitatis, ostendens omnino non sufficere, quòd animam suam possideat, tanquam patienter humiliatus, nisi & gratiam accipiat, tãquam sponte humiliatus. Non ergo qui humiliatur, sed *qui* sponte *se humiliat, exaltabitur*: & hoc ob meritum voluntatis. Et idem iterum dicit de Semei maledicente Dauid: Nunquid in ore blasphemi est Deus, vt diceret Dauid, Dominus misit illũ ad maledicendũ Dauid? Absit. Sed eo vsus est ad humiliãdum Dauid, qui dicit Domino: *Bonũ mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas*. Vides, quia nos humilitas iustificat, non autem humiliatio? Nam multi humiliantur, qui humiles non sunt. Quidam humiliantur cum rancore, & rei sunt: quidam patienter, & innoxij sunt: quidã libenter, & iusti sunt. Quamuis enim innocentia portio iustitiæ est, tamen eius cõsummatio apud humilem est. Qui autem dicere potest: *Bonum mihi, quia humiliasti me*, is verè humilis

Eccles. 3.
Lucæ 22.
Psal. 118.
Psal. 118.
2 Cor. 9.
Matth. 6.
Psal. 19.
2. Cor 12.
Lucæ 14.
2. Reg. 16.
Psal. 118.

milis est. Hoc enim non potest dicere qui inuitus tolerat, & minus qui murmurat, ac neutri promittitur gratia quòd humiliatur: quia nõ humiliatis, sed *humilibus Deus dat gratiam*. Hæc Bernardus. Hanc igi- Iacob. 4.
tur humilitatis virtutem summo complectamur amore, summo prosequamur desiderio, vtpote quæ sola conferre nouit requiem animabus nostris, dicente Domino: *Discite à me, quia mitis sum*, scilicet in ex- Matth. 11.
teriori ostensione, *& humilis corde*, scilicet, in interiori affectione: *& inuenietis requiem animabus vestris*. Nam qui student *non alta* sapere, *sed* Rom. 12.
humilibus consentire, nullam inueniunt resistentiam. Non enim resistit humilis, quia humiles inter se non faciũt disconuenientiã: nec superbus, quia cum humili habet, quod quærit, scilicet super alios apparere.

Hæc igitur humilitas triplici differentia distinguitur. Est enim humilitas quædam cognitionis, quædam exhibitionis, & quædam affectionis. Humilitas cognitionis (secundùm Bernardum) est virtus, qua quis verissima sui cognitione sibijpsi vilescit, ita quòd ex recognitione propriorum defectuum de sè non præsumit, sed in infimis se tenet, ex hoc perueniens ad quandam displicentiam tam peccati, quàm sui. Vnde Richardus de sancto Victore, ponit inter humilitatem cognitionis & exhibitionis differentiam, dicens: Humilitas est virtus, qua quis sibijpsi vilescit interius coram oculis Dei. Humiliatio verò, vel humilitas exhibitionis, est virtutis humilitatis effectus, quo quisque abijcit seipsum exterius in oculis proximi. Aliud enim est humilem esse, aliud est humilem se habere. Illud pertinet ad disciplinam mentis, istud ad disciplinam corporis. Illud est humilitatis, istud humiliationis. Quomodo verò peruenire debeamus ad hanc humilitatem, ostẽdit in Moralibus libro nono cap. decimoseptimo Gregorius dicens: Plerumque si scimus bona quæ agimus, ad elationem ducimur: si nescimus, minimè seruamus. Quis enim audita virtutis suæ conscientia, non quantulumcunque superbiat? Aut quis rursum bonum in se custodiat quod ignorat? Sed contra vtrumque quid superest, nisi vt recta quæ agimus, sciendo nesciamus, vt hæc & recta æstimemus & minima, quatenus ad custodiam sui sic sentiat animus conscientiam rectitudinis, vt in tumorem nõ eleuet humilitas æstimationis? Et quamuis humilia de se sentiat animus iustorũ, ea tamen quæ agunt quomodo sint recta conspiciunt, sed de eorum rectitudine non præsumunt. Ille verò Deo verã orationẽ exhibet, qui seipsum, quia puluis sit, humiliter videt, qui nil virtutis sibi tribuit, qui bona quæ agit de misericordia Humilitas cognitionis.

conditoris esse cognoscit. Sed, vt dicit Bernardus, magna & rara virtus est, vt magna licèt operantem magnum te nescias, & manifestam omnibus tuam te solùm sanctitatem latere, mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare. Hoc ego ipsis virtutibus mirabilius iudico. Fidelis reuera famulus es, si de multa gloria Domini tui, & si non exeunte ex te, tamen transeunte per te, nil tuis manibus adhærere contingat. Tunc (iuxta Prophetam) proijcis *auaritiam* ex corde, & excutis manum tuam *ab omni munere*. Et tua lux lucet *coram hominibus*, ad glorificandum non te, sed *Patrem* tuum, *qui in cælis est*. Hæc ille. Vides, quia sicut superbia mentis oculum obscurat, & veritatem obumbrat, sic humilitas econtra mentis oculum illuminat, & in veritate propriæ cognitionis confirmat? Hinc dicit D. Bernardus super illud: *Ego sum via, veritas, & vita*: Viam dicit humilitatem, quæ ducit ad veritatem. *Confiteor* (inquit) *tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc*, scilicet secreta veritatis, *à sapientibus & prudentibus*, id est, superbis, *& reuelasti ea paruulis*, id est, humilibus: quia veritas, quæ superbis absconditur, humilibus reuelatur, & in culmine humilitatis cõstituit cognitionem veritatis. Bona via humilitas, qua veritas inquiritur, charitas acquiritur, generationes sapientiæ participantur. Sicut enim *finis legis* est *Christus*, sic perfectio humilitatis est cognitio veritatis.

Isa. 33.
Matth. 5.
Ioan. 14.
Matth. 11.
Rom. 10.

Quomodo quis perueniat ad humilitatem cognitionis, & de humilitate exhibitionis & affectionis. Cap. LXIX.

Via ad humilitatem cognitionis.

Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Vt autem quis humilitatẽ propriæ cognitionis apprehendere citius valeat, qua sine simulatiõe maximum peccatorem se cognoscat, triplici respectu sese frequẽtius exerceat. Primum respectum sub quodãm compendio dirigat ad enormitatem & multitudinem peccatorum suorum: deinde ad detestabilem ingratitudinem receptæ gratiæ, qua facillimè peccatis resistere potuisset: quoniam apud Deum multum ponderatur opportunitas peccandi, facilitas resistendi, gratia concomitans, malitia inflammãs, & similia. Secundum respectum dirigat ad cognoscendum sola gratia diuina, non propria resistentia vel industria se reseruatum, ne cum multis in alia vitia maxima prolaberetur, subtractis etiam ex Dei misericordia multis occasionibus, opportunitatibus, diabolicis tentationibus, quibus plerique præuenti miserabiliter

liter ceciderunt, quas si sustinuisset, abominabilius omnibus cecidisset. Tertium dirigat ad liberalem munificentiam diuinæ gratiæ iam receptæ: quam si peccator maximus recepisset, magis gratus extitisset, cautius conseruasset,& fidelius effectui mancipasset. Ex quibus omnibus vilitatem propriam cognoscens, se iudicet omni reprobatione dignissimum,omni gratia prorsus indignissimum,vt in se penitus desperans, in solo Deo confidat. Hoc enim proprium habet humilitas vera, quòd quãtum in se deijcitur,tantum in Deum spe firma subleuatur; quantum deficit desperatione sui, tantũ proficit confidentia Dei. Nam absque aliqua fallitate potest homo de se credere & pronuntiare duo, scilicet, se cunctis esse viliorem secundùm defectus occultos,quos in se recognoscit; & dona Dei,quæ in alijs latent, & etiam esse se ad omnia inutilẽ, scilicet quò ad vires proprias, iuxta illud Apostoli: *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.* Ad hanc etiam humilitatẽ consequendã,piam & vtilem cautelam addit Gregorius,dicens: Non quibus iam estis superiores, sed quibus adhuc estis inferiores aspicite: quia sicut incentiuum est elationis respectus deterioris, ita cautela humilitatis est cõsideratio melioris. Secunda verò est humilitas exhibitionis,qua scilicet quis se vilem & abiectum exhibet, quò ad hominem exteriorem,scilicet in vestibus, gestibus,moribꝰ & operibus. Sicut ait beata Agatha: Christi ancilla sum, ideo ostendo me vilem personã. Et hoc consulit Isaac de Syria, in libro suo,dicens: In vestitu dilige vilia: quia qui diligit splendida, humiles cogitationes habere non potest. Cor enim exterioribus configurationibus conformatur. Plures quoq; reperiuntur lupi in pelle lupina quàm ouina, quamuis aliquando contrarium contingat. Et hæc humilitas nutriri debet assiduitate vilitatis in operibus,exercitijs, & etiam assiduitate subiectionis. Radix enim & principium huius humilitatis esse debet reuerentia Dei, quia vera humilitas principaliter respicit subiectiõem hominis ad Deum;propter quem etiam alijs humiliando se subijcit. Et ideo reuerentia Dei est radix & principium, seu causa duodecim graduum humilitatis,quos ponit in regula sua S. Benedictus, sicut latius declarat S.Thomas 2.2. Talis igitur humilis sicut in exhibitione seipsum contemnit,sic & ab alijs contemni nõ refugiat:sciens quòd nemo construet celsitudinem bonorum operum & virtutis,nisi prius iaciantur fundamẽta veræ humilitatis. Cùm enim humilitas principaliter consistat in appetitu proprij contemptus, quo

Humilitati proprium.

2.Cor.3.

Humilitas exhibitionis.

scilicet appetit se indignum indignificari à dignis, & se recondere in loco nouissimo, cum illo, qui dicit in lib. Prouerbiorum: *Stultissimus sum virorum*: ideo contemptus iste, secundùm Gregorium, vt perfecta sit humilitas, esse debet hominis respectu suiipsius coram Deo, vt semper coram ipso humilia sentiat, etiam coram hominibus, vt ad obsequia contemptibilia se libenter exhibeat, & de contemptu sibi illato gaudeat, sicut quilibet virtuosus gaudet cùm habet obiectum & occasionem actus virtutum: vnde quilibet virtuosus de alio potiora præsumit. Et ideo verus humilis virtutes aliorum considerat, defectus nō iudicat, sed proprios considerat: Dicit enim Gregorius, quòd humilitas est virtus, qua quis parua de se existimat, & bona alterius sine labore & inuidia commendat. Tertia proinde dicitur humilitas affectionis, quia humilitas, sicut & cæteræ virtutes, principaliter in anima consistit, scilicet in electione voluntaria imorum, secundùm illud: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei.* Vbi dicit Augustinus: Humilis est, qui elegit abijci in domo Dei. De quo dicit Bernardus: Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari, gaudet de contemptu sui. Hoc solo sanè superbus, quòd laudes contemnit. Et in hoc propriè consistit virtus humilitatis essentialiter. Quia dicit Doctor S. Thomas 2.2. quòd cognitio proprij defectus pertinet ad humilitatem, sicut regula quædam directiua ipsius appetitus: sed in ipso appetitu consistit humilitas essentialiter: quem potissimùm quis experitur, cùm ex insperato contumelioſa & iniurioſa in verbis & factis affectāter amplectitur. Quia dicit Gregorius in Registro: Non est grande ijs nos esse humiles, à quibus honoramur, quia & hoc seculares quilibet faciunt, sed illis maximè humiles esse debemus, à quibus aliqua patimur. Et vt alibi dicit Gregorius: Sicut superbi honoribus, sic humiles plerunque sua despectione gratulantur, cumque se in alienis oculis viles conspiciunt, idcirco gaudent, quia hoc iudicium confirmari intelligunt, quod de se & ipsi habuerunt. O verè virum secundùm cor Dei, qui de spontanea sua vilitate illusus, protinus respondit: *Ludam, & vilior fiam plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis.* *Ludam*, inquam, vt illudar. Bonus ludus quo Michol irascitur, & Deus delectatur. Nec quidem satis est vilificatio propria, nisi gratanter amplexetur & aliena. Hinc & idem Dauid maledictum accipiens à seruo suo Semei, cumulatam non sensit iniuriam, quia præsensit gratiam. Noluit prohibere maledicum conuiciantem, quæstum æstimans maledictum.

Prouer. 30.

Humilitas affectionis. Psal. 83.

2. Reg. 6.

2. Reg. 16.

dictum. Licèt enim, secundùm Gregorium, vox maledicẽtis esset in auribus, animus tamen inclinabat se ad benedictionem, intẽdens quid in occulto faceret Deus: nimirum cùm spiritu prophetico prænouerat hanc esse virtutem singularem nostri Redemptoris, cùm in eius persona diceret: *Improperium expectauit cor meum & miseriam.* Et iterum: *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominũ, & abiectio plebis.* O humilitas virtus Christi, quantũ confundis superbiam nostræ vanitatis, cùm in eius passione nihil fuit abiectionis, quod impijssimi non irrogarent, nihil quod eius humilitas nõ affectaret: vt discamus ab eo quicunque spiritu intumescimus: quicunque grandia cõcupiscimus, quia *mitis* est *& humilis corde.* O Domine Iesu, quàm mitis & quàm humilis. *Ego sum*, inquit, *vermis*, scilicet per abiectionem, etsi homo per naturam, tamen, *opprobrium hominis*, quia *omnes videntes me, deriserunt me. Exemplum enim dedi vobis vt & vos ita faciatis.* Psalm. 68. Psal. 21. Matth. 11. Psal. 21. Ioan. 13.

De fortitudine, prout est virtus generalis & etiam specialis, & de infimo gradu eius: ac qualiter consequitur delectationem in opere suo. Cap. LXX.

FOrtis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Cantic. 8. Quasi diceret Christus ad animam fidelem. Sicut mors animam separat à corpore, sic dilectio qua te diligo fecit, vt animam pro te ponerem in mortem. Et sicut mors nec prece, nec pretio, nec minis retardari potest, sic nec mors mea retardari potuit quacunque malitia vel iniuria. *Fortis*, inquã, fuit *dilectio* mea, cùm te ad imaginẽ meam condidi; fortior, cùm naturam tuam indui; fortissima, cùm pro te mori volui. *Dura* etiam fuit *æmulatio*, id est, feruens dilectio mea, *sicut infernus.* Quia sicut inferni pœna non remittitur in ardore, sic nec dilectio mea in feruore quacunque Iudæorum malitia sæuiente. Vnde dicit Gregorius: *Fortis* fuit Christi *dilectio* in aggrediendo: sed *dura* fuit eius *æmulatio*, in sustinendo conuicia opprobriorum; durior, in tolerando immunditiam sputorum; & durissima, in patiendo acerbitatem tormentorum. *Exemplum enim* dedit nobis *vt & nos ita* faciamus: & hoc per virtutẽ fortitudinis, quæ est tertia virtus cardinalis, quam & Seneca magnanimitatem vocat, per quam scilicet vis irascibilis rectificatur in aggrediendis arduis, & in tolerandis grauibus. Est enim fortitudo virtus, medio modo se habens secũdùm rectam rationem circa timores & audacias. Est & fortitudo habitus, quo Fortitudo.

quis quandam animi firmitatem consequitur, per quam animus stat immobilis, etiam contra timores periculorum mortis: & hoc in mediocritate, per quod fortitudo rationem habet virtutis, cuius est esse in medio, vel rationis, vel rei. Vnde quia voluntas humana potest impediri per aliquod difficile, quod incumbit, ne sequatur rectitudinem rationis, ideo requiritur fortitudo mētis, qua scilicet huiusmodi difficultatibus homo resistat, sicut per corporalem fortitudinem impedimenta corporalia repellit & superat. Sciendum tamen, quòd nomē fortitudinis dupliciter accipi potest. Vno modo, secundùm quòd importat absolutè quandam animi firmitatē: & secundùm hoc est virtus generalis, vel potius conditio cuiuslibet virtutis: quia secundùm Philosophum 2. Ethicorum, ad virtutem requiritur firmiter & immobiliter operari. De quo dicit Ambrosius 1. libro de officijs: Non mediocris animi est fortitudo, quæ sola defendit ornamenta omnium virtutum, & iudicia custodit, & quæ inexpiabili pretio aduersus omnia vitia decertat, inuicta ad labores, fortis ad prælia, rigidior aduersus voluptates, & auaritiam fugit tanquam labem quandam, quæ virtutem effœminat. Et Gregorius: Fortitudo iustorū est carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, huius mundi aspera pro præmijs æternis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, metum aduersitatis in corde superare. Alio modo potest accipi fortitudo, secundùm quòd importat firmitatem animi in sustinendis & repellendis, in quibus maximè difficile est firmitatē habere, scilicet in aliquibus periculis grauibꝰ: & sic ponitur virtus specialis, vtpote determinatā habens materiam. Habet enim duplicē materiam, vel obiectum. Materia principalis est mors, secundaria verò pericula, quæ scilicet imminent, vel in aggressione, vel in perpessione. Dicit enim Tullius in Rhetorica, quòd fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio. Et tūc ponitur virtus cardinalis siue principalis, vna de quatuor, quæ potissimè sibi vēdicat laudem firmitatis in arduis aggrediendis, & grauibus sustinendis. Nam tantò magis laudatur qui firmiter stat, quanto patitur grauius impellens ad cadendum & retrocedendum, sicut dolores & pericula, maximè quæ ducunt ad mortem, contra quæ fortis firmiter stat. Vnde Seneca: Magnanimitas, quæ & fortitudo dicitur, si insit animo tuo, vives cum magna fiducia, liber, intrepidus, alacer. Magnū humani animi bonum est, finem huius vitæ intrepidum expectare. Est igitur obie-

Fortitudinē sumi bifariam.

Materia fortitudinis.

obiectum fortitudinis propriè circa mortem & pericula maxima: quia propriè fortitudo dicitur, quæ firmiter tenet hominis voluntatē in bono rationis contra maxima mala. Qui verò firmiter ſtat contra maiora, conſequens eſt, quòd etiam firmiter ſtet contra minora. Et ideo quamuis fortitudo bene ſe habet in omnibus aduerſis tolerādis, non tamen ex toleratione quorumlibet aduerſorum reputatur quis ſimpliciter fortis, ſed ſolùm ex hoc, quòd bene tolerat maxima mala, ſicut mortē & pericula mortis. Eſt autē actus fortitudinis principaliter circa timores rerum difficilium, quæ retrahere poſſunt voluntatē à ſequela rationis: & etiam circa audacias, quia non ſolùm oportet impulſum huiuſmodi difficilium firmiter tolerare, cohibendo timorē, ſed etiā aggredi moderatè, quando oportet ea exterminare ad ſecuritatem in poſterum habendam, quod pertinet ad rationem audaciæ. Sicq; fortitudo eſt cohibitiua timorū, & moderatiua audaciarū. Cæterùm, fortitudo ſecundùm quadruplicē eius gradum, quadrupliciter diffinitur à Macrobio. Primus enim gradus facit hominem omnem metum pro vtilitate Reipublicæ poſtponere, & nihil niſi turpia formidare: & ſic eſt virtus politica, ſiue ciuilis, quæ eſt animum ſupra periculi metū erigere, nihilq; niſi turpia formidare. De qua dicit Seneca ſub nomine magnanimitatis: Si magnanimus fueris, nunquam iudicabis tibi contumeliam fieri. De inimico dices: Non nocuit mihi, ſed animum nocēdi habuit. Et cùm illum in poteſtate tua videris, vindictā putabis vindicare potuiſſe. Scito enim magnū & honeſtū genus eſſe vindictæ, ignoſcere. Eris magnanimus, ſi periculoſa non appetas vt temerarius, nec formides vt timidus. Nam timidum non facit animum, niſi reprehenſibilis vitæ conſcientia mala. Ad magnanimū etiam pertinet, vt dicit Tullius, neque perturbationi, neque homini, neque fortunæ ſuccumbere, & ea, quæ videntur acerba, it aferre, vt nihil à ſtatu naturæ diſcedat, vel à dignitate ſapientis. Veruntamen, vt dicit Seneca, animū tam excellentem & moderatum, potentia cæleſtis agitat. Non enim poteſt res tanta ſine adminiculo numinis ſtare, quemadmodum radij ſolis, terrā quidē contingunt, ſed ibi ſunt vnde mittuntur. Sic animus magnus ac ſacer conuerſatur quidem nobiſcū, ſed hæret origini ſuæ. Non enim mirum eſt in tranquillitate non cōcuti, ſed illud mirare, ibi aliquem extolli, vbi omnes deprimuntur; ibi ſtare, vbi omnes iacent. Et ſi quæritur. Vtrum fortitudo, prout eſt virtus politica, cauſat in actu ſuo delectationem, præſertim, quia dicit Philſophus

Gradus fortitudinis. 1.

tertio Ethicorũ, quòd fortis in actu ſuo nihil delectabile videtur habere: & iterum dicit, quòd à forti non requiritur quòd delectetur, quaſi delectationem ſentiens, ſed ſufficit quòd non contriſtetur. Ad hoc dicendũ, ſecundùm Thomam, quòd duplex eſt delectatio. Quædam enim eſt corporalis, quæ conſequitur tactum corporalem, & illã delectationem non conſequitur fortis in actu ſuo principali, qui eſt ſuſtinere, quia ſuſtinere perſecutiones, flagellationes, excoriationes, vulnera, membrorũ detruncationes, vel mortem, eſt contriſtabile & doloroſum humanæ naturæ. Hoc enim negare, eſſet negare eos eſſe carnales, quia ſi habent carnem ſenſibilẽ, neceſſariò ſequitur, quòd læſura inferat eis dolorem. Alia verò delectatio dicitur animalis, quę ſcilicet apprehenſionem animæ conſequitur. Et hæc delectatio propriè conſequitur opera virtutum: quia conſideratur in eis bonum rationis. Et ſecundùm hoc fortis aliquam delectationem conſequitur, licèt etiã ſecundùm apprehenſionẽ animæ habeat vnde doleat, eo ſcilicet, quòd vitã corporalem amittit, quã virtuoſus amat, nõ ſolùm in quantũ eſt bonũ naturale, ſed etiã in quantũ eſt neceſſaria ad opera virtutũ, & quę ad ea pertinẽt. Et ſic fortis habet ex vna parte quo delectetur ſecũdùm delectationẽ animalem, ſcilicet de actu virtutis, & de eius fine: habet etiã ex alia parte vnde doleat, nõ ſolũ corporaliter propter illatas pœnas, ſed etiã animaliter propter amiſsionẽ vitæ. Hinc dicebat Eleazarus: *Duros corporis ſuſtineo dolores, ſecundùm animã verò, propter timorẽ tuũ libenter hæc patior.* Veruntamen ſenſibilis dolor corporis ipſis facit non ſentire delectationem animalẽ virtutis, niſi fortè hoc faceret exuberans gratia Creatoris, vt poſtea videbitur. Cuius ratio eſt, quia licèt quædam ſit delectatio virtutis in opere fortitudinis, propter dolorem tamen ſenſus impeditur mens fortis, ne in operatione propria delectationem ſentiat, eò quòd vehemẽtia paſsionis vnius potẽtiæ, aliam impedit in actu ſuo, propter conexionem potentiarum ad inuicem: nihilominus tamen virtus fortitudinis facit, vt ratio non abſorbeatur à corporalibus doloribus, facit inquam, quòd delectatio virtutum ſuperat animalem triſtitiam, in quantum homo præfert bonum virtutis corporali vitæ, & quibuſdam ad eam pertinentibus.

Delectatio duplex.

2 Macha. 6.

De fortitudine prout eſt virtus purgatoria, & purgati animi, & de Martyrio, in quo concurrunt quatuor actus virtutum. Cap. LXXI.

Fortis

Gradus fortitudinis, III.

FOrtis est vt mors dilectio, dura vt infernus æmulatio Secũdus gradus fortitudinis mentem magis confortat, ita vt nulla pœna corporalis eam deterreat, quia ad sola æterna fortiter anhelat: & sic est virtus purgatoria, quæ est mentem non terreri contra quæque aduersa, nec etiam à corpore recedentem. Et sic, vt dicit Augustinus, fortitudo est amor facilè tolerãs omnia propter id quod amatur. Est enim affectio, quæ nullas aduersitates mortemve formidat. Et hæc animi fortitudo (secundùm Ambrosium) in duobus generibus spectatur. Primò, vt exteriora corporis pro minimis habeat, & quasi superflua, despicienda magis, quàm expetenda ducat. Secundò, vt ea, quæ summa sunt, omnesque res, in quibus est honestas præclara cum intentione vsque ad effectum prosequatur. Hic incidentaliter quæri potest: Vtrũ omne bonum sit optabile: quia si sic, tunc fortiter torqueri, & magno animo vti & patienter ægrotare, & similia essent optabilia. Ad hoc respondit Seneca epistola sexagesima octaua, dicés: Vt ista sint optabilia, distinguo: A me tormenta abesse velim, sed si sustinẽda fuerint, vt me in illis fortiter, honestè & animosè geram, optabo. Velim non incidere bellum, sed si incido, & vulnera, & famem, & omnia, quæ bellorum necessitas affert, geram gratiosè, optabo. Itaque non incommoda sunt optabilia, sed virtus, qua perferuntur incommoda, non pati tormenta optabile est, sed pati fortiter. Cæterùm secundùm Albertum in secundo scripto Ethicorum, quòd in repentinis periculis quis sẽ bene gerat, est euidens signum virtutis: quia si pericula sunt præuisa, potest quis (etiam si careat habitu fortitudinis) animum suum ex diurna prę-meditatione, contra pericula præparare, & sic in his ex iudicio rationis bene se habere: sed si in repentinis se bene habet, signum est, quòd secundùm habitum fortis est, vel virtuosus, quo etiam operatur sine deliberatione per modum naturæ. Hinc dicit Thomas 22. quòd in operatione fortitudinis duo sunt consideranda. Vnum, quantum ad eius electionem: & tunc non est circa repentina, quia fortis eligit præuidere pericula, quæ possunt imminere, vt illis possit resistere, vel ea facilius ferre, quia, secundùm Gregorium, iacula præuisa minus feriunt. Secundum autem, quantum ad manifestationem habitus virtuosi, & hæc maximè fit circa repentina pericula. Quia, secundùm Philosophũ tertio Ethicorũ, in repentinis periculis maximè manifestatur fortitudinis habitus, quia habitus agit in modũ naturæ. Vnde quòd aliquis absq; præmeditatiõe facit ea, quæ sunt virtutis, cũ necessitas imminet

propter repentina pericula, hoc maximè manifestat, quòd fortitudo sit habitualiter in anima confirmata. Fortitudo igitur, prout est virtus cardinalis, importat quandam animi firmitatem in arduis bonis faciendis, & malis perferêdis, ne deficiat propter difficultatem alicuius boni operis ardui perficiendi, vel alicuius grauis perferendi. Sed, secundùm quod est virtus purgatoria, & donum Spiritus sancti, mouetur vlterius ad hoc animus hominis à Spiritu sancto, quòd perueniat ad finem cuiuslibet boni operis inchoati, & euadat quodcunque periculum imminens, quòd excedit humanam naturã: quia non subest potestati hominis, vt finem operis sui consequatur, vel mala seu pericula euadat, quin quandoque opprimatur ab eis in mortem, sed hoc operatur Spiritus sanctus, dum eum perducit in vitam æternam, quæ finis est omnium operum bonorum, & euasio periculorum.

Gradus fortitudinis. III.

Tertius proinde gradus mentem in æternis figit, & sic est virtus animi purgati, cuius est non solùm passiones corporis vincere, sed penitus ignorare, ita vt irasci nesciat, & nihil nisi æterna cupiat. De qua dicit Ambrosius: Iure Fortitudo vocatur, cùm vnusquisq; semetipsum vincit, nam continuò nullis illecebris inflectitur, aut emollitur, nec aduersis perturbatur, nec in prosperis extollitur: sed quasi vento quodam Spiritus sancti variarum rerum circumfertur prouidâ mutatione. Et Lactãtius libro de vero cultu: Timidi & imbecillis est animi dolorem metuere, aut egestatem, aut mortem: quæ omnia qui squis non horruerit, fortissimus erit. Qui autẽ Deum metuit, hæc omnia deridebit. Vnde secundùm Casiodorum: Sæpe latet sub otio laudabilis fortitudo, quædum non habet se probandi spatium, occulta est tota lux virtutum. Huius igitur fortitudinis actus potissimus est, sustinere martyrium pro Christo. Et *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*: Dicit enim Seneca, quòd magnanimitas est iniurias portare in summa patientia. Magnanimi enim proprium est placidũ esse & tranquillum, & iniurias atque offensiones spernere. Facit enim sibi pacem, nihil timendo; facit sibi diuitias, nihil cõcupiscendo. Nam qui magnanimus est, nunquam sibi fieri contumeliam iudicabit, vt sic ad illam beatitudinem perueniat, de qua dicitur: *Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur*. Hic igitur primò quæri potest, Vtrũ Martyrium, quo quis ex charitate propter Christum sustinet mortem, sit actus maximæ perfectionis, sicut Dominus innuere videtur, dicens: *Maiorem dilectionem hac nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Actus fortitudinis. Matth. 5.

Ibidem.

Ioan. 15.

suis. Ad hoc dicendum, quòd in Martyrio concurrunt quatuor actus virtutum. Primus actus est fortitudinis, vt timorem excludentis, & actum elicientis. Et talis actus non est maximæ virtutis & perfectionis, sicut nec fortitudo, à qua martyrium elicitur, est excellentior inter virtutes. Secundus actus est fidei, vt in Deo tanquam in vltimo fine confirmantis: sic etiam non est actus maximè perfectionis, sed finis, ad quem ordinatur, est perfectior martyrio, scilicet bonũ diuinũ, vel fides Christi, siue dilectio. Nam fides proponit obiectum fortitudinis, id est, summum bonum, & in martyrio homo constanter confirmatur in bono, dum propter imminentia pericula mortis, fidé & iustitam non deserit. Vnde si fortitudo ciuilis & acquisita firmat animum hominis in iustitia humana, propter cuius conseruationem pericula mortis sustinet, non mirum si fortitudo spiritualis & gratuita firmat animum in bono iustitiæ *Dei*, quæ est *per fidem Christi*, vt dicitur ad Romanos. Et sic martyrium comparatur ad fidem, sicut ad finem, sicut in quo quis firmatur. In actu namque fortitudinis duo sunt. Primum est ipsa firmitas, qua quis non cedit contrarijs prohibentibus ab illo bono. Et in hoc consistit essentia fortitudinis. Aliud est bonum, in quo firmatur, & hoc est fortitudinis finis, quod bonum ostendit illi fides.

Martyrij actus.

I.

II.

Rom. 3.

Tertius actus est patientiæ vt sustinentis & sic concomitanter in Martyribus patientia commendatur, quamuis propriè martyrium attribuatur actui fortitudinis, qui confirmat hominem in bono, malis resistendo, etiam vsque ad mortem inclusiuè. Et sic etiã nõ est actus maximæ perfectionis, sicut nec patientia, qua talis tolerantia demonstratur. Quartus actus est charitatis, vt imperãtis: & tunc inter omnes actus virtutum magis ostendit perfectionem charitatis, sicut ait Dominus: *Maiorem hac dilectionem nemo habet*, &c. Vnde charitas perfecta, omnia grauia, facilia & prope nulla facit: nimirum cùm dicat Glossa super illud Iohãnis: *Ducet te, quo tu non vis*, quòd quantacunq; sit molestia mortis, vincit eam vis amoris. Cùm igitur, secundùm Philosophum mors est vltimum terribilium, & maximum inter terribilia sustinenda, & illam infatigabiliter sustinere facit, quanto magis ea quæ sunt citra mortem? ita quòd exuberans Dei gratia fortius animum eleuat ad diuina, in quibus delectatur, quàm pœnis corporalibus afficiatur: sicut beatus Laurentius in craticula positus, dixit: Carbones isti refrigerium mihi præstant. Et de beato Stephano canit Ecclesia:

III.

IIII.

Ioan. 15.

Ioan. 21.

Lapides torrentis illi dulces fuerunt. Et tunc fortitudo donum perficitur & eleuatur ad beatitudinem septimam. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Matth.5. Et vlterius ad fructum, qui pax nominatur, mentem quietans in quantumcunque pœnalibus, iniurioſis & contumelioſis, cunctaq; fruibilia reddens. In quo ſtatu Paulus fuiſſe videtur, cùm dicebat: Complaceo *mihi in infirmitatibus* meis, *in contumelijs, in neceſſitatibus, in angustijs, in perſecutionibus pro Chriſto.* 2.Cor.12. Et iterũ: *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione* mea. 2.Cor.7. Bernardus: Magna vis prorſus amoris, quæ ſic animas ſanctorum Martyrum introrſus rapuerat, quòd ita ſua corpora foris exponere, & tormẽta cõtemnere valuerunt: at profectò doloris acerrimi ſenſus nõ potuit niſi turbare ſerenum, etſi non perturbare. Quid ergo iam ſolutas corporibus, & ex toto immerſas immenſo pelago æterni luminis, & luminoſæ æternitatis conſecutas credimus? Vtique perfectiſſimum illũ amoris gradum, quo ſe diligunt tantùm propter Deum.

De patientiæ commendatione, quæ dulceſcit in paſſionis Chriſti recordatione, & de triplici patientia Dei, ac de patientia Chriſti. Cap. LXXII.

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Cantic.viij. *Aquæ multæ*, id eſt, tribulationes mundanę minores, influentes & refluentes ad modum aquæ, *non potuerũt extinguere charitatem*, & hoc propter charitatis feruorem. Rom.8. *Quis enim nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an perſecutio, an periculum, an gladius?* Nam ſicut ignis flatu venti creſcit: Sap.16. ſic vera charitas in tribulationibus coaleſcit. Hinc dicitur in libro Sapientiæ: *Quod mirabile erat, in aqua plus ignis valebat.* Sequitur: *Et flumina nõ obruent illam*, id eſt, maiores & apertæ tribulationes ad modum fluminum inundantes, non *obruent illam*, quantũ ad eſſentiæ veritatem, quia dicitur Matthæi ſeptimo: *Venerunt flumina, flauerunt venti, & irruerunt in domũ illam, & non cecidit. Fundata enim erat ſuper ſũmam petram*, ſcilicet Chriſtum, vel charitatem. Igitur ordine debito de virtute patientiæ proſequamur, quæ nos ordinat ad fruitionem ſummæ pacis: quam duobus modis apprehendere poſſumus, ſcilicet vel nullam moleſtiam ſentiendo (quod tantum erit in patria) vel moleſtias nõ moleſtè ferendo, quod fit veram patientiam exhibẽdo. Patientia. Hinc, vt dicitur ad Hebræos: *Per patientiam curramus ad propoſitum* Heb.12.

nobis

nobis certamen, aspicientes in autorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione cõtempta. Vnde dicit Augustinus, quòd virtus animi, quæ patientia dicitur, tam magnum donum Dei est, quòd etiam ipsius, qui nobis eam largitur, patientia prædicatur. Cur ergo, vt dicit Hierony. graue sit pro Domino sustinere omnia, quæ nobis aduenerint in hac vita, damna, derogationes, suspiciones, persecutiones, pœnalitates, & similia, quando ille, cum Deus sit, & Dei Filius, pro salute nostra cuncta opprobria, iniuriasque sustinuit? Aut qualiter eum amare dicimur, si pro eo nihil sustinere parati sumus? Nihil enim nobis dignum pro eius amore irrogatur, si sententiæ illius memores sumus, quæ dicit: *Non est discipulus super magistrum* Et: *Si patrem familiâs Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?* Ergo, qui hîc sustinere non vult, nec discipulum eius se esse comprobat, nec filium, nec seruum, nec domesticum. Si verò passio Domini frequenter ad memoriam reuocetur, nihil adeò durum est, quod nõ æquo animo toleretur: quia sanat omnes amaritudines mentis recordatio dulcis in Cruce pendentis. Nihil enim, secundùm Augustinum, dulcius in omni pressura tribulationum, quàm memoria Dominicæ passionis. Quantumcunque præsentis vitæ premat afflictio, parum patimur, si recordemur quantum amaritudinis bibit ad patibulum, qui nos inuitat ad cælum. Omnis igitur Christianus attendat ad Christi passiones: attendat, inquam, illum sine vllo peccato, *quæ non* rapuit exoluentem, attendat Scripturam dicentem: *Flagellat autẽ omnem filium quẽ recipit.* Aut igitur paret se flagellari, aut nõ quærat recipi. Nam si fuerit exceptus à passione flagellorum, exceptus etiã erit à numero filiorum. Flagellauit enim & vnicum Filium, qui non habebat culpam vt flagellaretur, & ad hoc tamen carne indutus est, vt sine flagello non esset. Qui ergo flagellabat Filium vnicum sine peccato natum, putas quia relinquet sine flagello Filiũ adoptatum? Nec matrem propriam sine flagellis susceptt Filius. Nam quis conflictus Martyrũ aliquorũ, aut quę laceratio quorumcunque membrorum, doloribus & tormentis Mariæ comparari potest, quando vidit vnigenitum suum in Cruce morientem? In corpore namq; nequaquã eius anima perseuerasset, nisi diuina virtus eam specialiter obumbrasset. Christus igitur, secundùm Gregoriũ, Crucem tolerauit. Quid itaq; pro se pati debet homo, si pro hominib⁹ tãta pertulit Deus? Quid ergo patiẽtius, quid benigni⁹ dici potest, quia viuificatur etiã Christi

Lucæ 6. Matt. 10.

Psal. 68. Heb. 12.

sanguine, qui Christi sanguinem fudit? Talis enim & tanta fuit Christi patientia, quòd cùm ad Crucem & mortem eius etiam confunderentur sidera, turbarentur elementa, contremisceret terra, sol quoque, ne Iudæorum facinus aspicere cogeretur, subtraheret radios suos: non tamē loquitur Christus, nec murmurat, nec mouetur, nec maiestatem suam sub illa passione maxima profitetur: nobis *relinquens exemplum*, vt & ita faciamus. Vnde & ipsē Deus in mundo triplicem ostendit patientiam, cuius gratia dicitur, *patiens & multæ misericordiæ*. Prima nāque eius patientia est, qua diu tolerat inimicos suos, diuinam eius iustitiam ad vindictam quotidie prouocantes, nūquam tamen conuertendos, sed in æternum reprobandos. De quibus dicit Apostolus ad Romanos, quòd *Deus sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta in interitū*: & hoc vt tandem conuertantur, vel vt per eos boni exerceantur. Vnde dicit Augustinus in quodam sermone, quòd omnis malus aut ideo viuit vt conuertatur, aut per illum bonus exerceatur. Quare dicit Beda: *Non sunt condignæ passiones huius temporis*, ad præteritam culpam, quæ remittitur nobis; ad præsentem gratiam & cōsolationem, quæ infunditur nobis; & ad futuram gloriam, quæ promittitur nobis. Ideo meritò dicit Apostolus: Complaceo *mihi in infirmitatibus* meis, *in contumelijs, in necessitatibus, in angustijs, in persecutionibus pro Christo*. Tam singularis enim est hæc virtus, quòd multi, qui videntur alijs virtutibus adornati, virtute patientiæ reperiuntur vacui. Et sicut vnguenta redolere latius nesciunt nisi commota, sic viri sancti omne quod de virtutibus redolent, in aduersitatibus innotescunt, ac donum, quod in tranquillitate à Domino percipitur, in tribulationibus manifestatur. Secunda verò Dei patientia est, qua misericorditer expectat, ad vitam quidem æternam prædestinatos, sed adhuc à Deo miserabiliter auersos, vindictam & vltionem eis debitam suspendendo, sicut Apostolus ait de semetipso, 1. ad Timoth. *Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumelioſus, sed misericordiam Dei consecutus sum, vt in me primo ostenderet* Dominus *Iesus omnem patiētiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam*. Sicut ergo te diu sustinuit Dominus in malitijs tuis antequam conuertereris, sic post conuersionē & tu patienter sustine Dominum in suis flagellis. Quia nimirum sicut est signum reprobationis quando mali semper prosperantur; sic etiam est signum electionis, quando boni flagellantur. Alioqui secundùm Gregorium, cùm valde occulta sint Dei iudicia, tunc tamen sunt occulti-

Patientia Dei.

Rom 9.

Rom.8.

2.Cor.12.

1.Tim.1.

ora,

ora, cum hic est bonis benè, & malis malè: quia de bonis cùm hoc fit, incertum est, vtrũ hoc fiat vt promoti in melius crescant, an latenti Dei iudicio hîc remunerentur. Et cùm malis malè est, incertum est, vtrũ hîc corrigantur, an hîc eorum pœna incipiat, & in futura nunquam tempora terminetur. Nam pœna præsens si afflicti animam conuertit, finis est culpæ præcedentis. Si verò ipsum ad Dei timorem non cõuertit initium est pœnæ subsequentis. Flagella verò bonorum, aut perpetrata mala purgant, aut quæ perpetrari poterant, futura deuitant. Vnde valde iniustum est, si de iusta passione vel afflictione murmuramus. Quisquis enim de percussione murmurat, quid aliud quàm iustitiam ferientis accusat? Ad magnam enim vtilitatem diuino iudicio mens iusti diuersis passionibus & aduersitatibus agitatur, pro quibus si non murmurauerit, sed Deo gratias egerit, suæque culpæ, quòd talia pati dignus sit, imputauerit, hoc quod ex passione tolerat, ei pro virtute magna, & meritorum cumulo reputatur. Tertia denique patientia Dei est, qua conuersis ad se misericorditer indulget spatiũ vitæ, vt agant dignos fructus *pœnitentiæ*, qua mereantur perfectam indulgentiam tam culpæ quàm pœnæ, vt de cætero non condemnet vlciscendo, non confundat improperando, nec minus diligat imputando. Quod quia perfectius & citius consequuntur mala perferendo q̃ bona perficiendo, misericorditer eis indulgetur & patiẽdi copiam, & patientiæ virtutem, quæ est pars fortitudinis quasi potẽtialis, eò quòd adiungitur fortitudini, sicut virtus secundaria principalis: Ad fortitudinem enim pertinet id sustinere quod est summè difficile, scilicet pericula mortis. Et ad patientiã pertinet sustinentia quorumcunq; malorum. Frequenter tamen vnum in sacra Scriptura ponitur pro alio. Est igitur, secundùm Augustinum, patientia hominis, qua mala æquo animo toleramus, id est, sine perturbatione tristitiæ, ne animo iniquo bona deseramus, per quæ ad meliora perueniamus. Mali verò multa patiendo, vt aliquod adipiscantur particulare bonum honestum, vtile, vel delectabile, non habẽt veram patientiam, quia dicit Augustinus lib. de patientia, quòd patientes propriè dicũtur, qui malunt mala nõ committendo ferre, quàm non ferendo committere. In illis autẽ, qui mala sustinent vt mala faciant, nec miranda, nec laudanda est patientia, quæ nulla est: sed miranda duritia, nefandaque patientia.

Matth. 3.

Patientia quid.

De experientia nostræ patientiæ, quæ exercitatur & probatur à Deo per tribulationes, propter tres rationes.
Cap. LXXIII.

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, & flumina non obruent illam. Sicut dicit Gregorius Homil. 25. Virtus patientiæ tribus modis exerceri solet. Alia namq; sunt, quæ à Deo; alia, quæ ab antiquo aduersario; alia, quæ à proximo sustinemus. A proximo namque persecutiones, damna, & contumelias sustinemus. Ab antiquo aduersario tentamẽta. A Deo flagella toleram⁹. Sed in his omnibus modis animo vigilanti semetipsam debet mens circumspicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali; ne contra tentamẽta diaboli seducatur ad delectationẽ, vel consensum delicti; ne cõtra flagella opificis proruat ad excessum murmurationis. Primũ igitur quod patimur, Deo disponente sustinemus: qui *flagellat omnem filium quem recipit.* Augustinus: Fili, noli repellere flagellum, si non vis pelli ab hæreditate; noli attẽdere quam pœnam habes in flagello, sed quem locũ in testamento. *Flagellat* enim *omnem filium, quem recipit.* Si ergo exceptus esses à passione flagellorũ, exceptus esses à numero filiorum. Et Petrus Damianus: Cùm homo bona facit, & mala tolerat, tunc procul dubio sẽ numerari inter membra Christi confidat. Quisquis enim rectè viuens flagellis atteritur, sicut Christi nunc in vtroque vestigia sequitur, ita postmodũ eius cõsortio nõ priuatur. Nam *si cõpatimur*, & cõglorificabimur. Alioqui nõ glorificatur mẽs cum Christo, nisi patiatur corpus pro Christo. Et si quæritur: Cur Deus etiam electis suis tot aduersitates & tribulationes euenire permittit? Ad hoc inter cæteras possunt tres rationes assignari. Quarum prima est, vt in eis probet verã amicitiã. Vnde Bernardus: Notã tibi fecit Dominus dilectionem suam, experiatur & tuam. Non illum vicêre peccata tua, teq; illius flagella non superent. Sustinuit te dilectus, sustine & tu dilectũ. Alioqui quando rediisses ad eum, nisi tibi ille perseueraret, nisi clamasset: *Reuertere, reuertere Sunamitis?* Esto igitur & illi perseuerans, vt nullis ab eo flagellis, aut laboribus auertaris: quia *regnũ cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Consulit etiã Sapiẽs dicens: *Si possides amicum*, id est, posidere vis, *in tentatiõe posside illum.* Quia, vt dicitur in Prouerbijs: *Omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur.* Non sic amicus fictus, sed, vt dicitur in Ecclesiastico: *Est amicus*

Patientiæ modus. Hebr. 12.

Rom. 8.

Aduersitatum ratio.

Cant. 6.

Matth. 11.

Eccli. 6. Prouer 17. Eccli. 6.

micus secundùm tempus, scilicet prosperitatis, qui scilicet vtitur amico ad lucrum proprium: *& non permanebit in* tempore *tribulationis. Et est amicus, qui conuertitur ad inimicitiam*, scilicet inuidus, qui scilicet amici prosperitate crescente, incipit dolere, & efficitur contrarius. *Et est amicus* fictione, scilicet vt alterius secretum sciat & noceat. Et *est amicus socius mensæ*, cuius scilicet amicitia fundatur in bono delectabili. Omnes enim isti decipiũt amicitia ficta. Hinc meritò Christus, vera sapientia Patris, amicos suos per aduersa probare voluit in vera patientia, requirens ab eis, quod solùm veram & perfectam ostendit amicitiam: quam vtique pro beneficijs eius vniuersis solam de proprijs rependimus, quam & in copula spirituali signanter requirit, dicens: *Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Et in Deuteronomio: *Tentat vos Deus, vt* Eccl. 2. Deut 13. *sciat si diligatis eum.* Et Tobiæ dixit Angelus: *Quia acceptus eras Deo,* Tob. 12. *necesse* erat *vt tentatio probaret te*, id est, probaret te tibi & alijs ostenderet. Hoc modo *Deus tentauit Abraham*, ei præcipiens vt immolaret filium suum. Quo parente, reuocauit Deus mandatum, & sic implicabat illud præceptum quandam contradictionem: quam soluens Alexander de Hales super lib. Senten. in fine dicit, quòd Dei præceptũ est duplex, scilicet probationis & executionis. Primum respicit voluntatem. Secundum opus. Voluit ergo Deus quod præcepit non vt fieret, sed vt facere vellet: non vt ipse Deus sciret eius voluntatem, sed vt manifestaret eius obedientiam ad sui & aliorũ vtilitatem. Sic tentauit & patientiam Iob, & aliorum multorum, de quibus Iudith ait: *Memores esse* debetis, *quomodo Abraham pater noster tentatus est,* Iob 1. 2. 3. *& per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est.* Sic Isaac, sic Iudith 8. Iacob, sic Moses, & omnes, qui placuerunt Domino, per multas tribulationes transierunt fideles. Vnde dicit Seneca, quòd aduersitas non est malum, quod noceat bonis, quia nil mali potest accidere bono viro, sed eum in bonis exercet & à malo retrahit. Solinus autem inter mũdi mirabilia computat, quòd vix est aliquem dare, quin plura sustineat aduersa, quàm suscipiat prospera. Et exemplificat de Iulio Cæsare, cuius tanta fuit felicitas, quòd ei, quicquid libuit, licuit: qui tamen Iulius Cæsar. consideratis omnibus, plùs habuit de rebus asperis, quàm prosperis. Nã tot & tanta reperiuntur in eius vita incommoda, quòd non sit facile discernere quis calamitosior aut beatior fuerit. Quid igitur mirum, si Christianus pro Christo cogitur aduersa multa sustinere, cui iu- Matth. 10.

Præceptum Dei.

Lucæ 9. Crucem ferre quid.

betur *crucem* tollere quotidie, & Christum sequi? Vbi dicit Basilius, quòd appetitus mortis tolerandæ pro Christo, & mortificatio mẽbrorum, *quæ sunt super terram*, & viriliter disponi ad omne periculum sustinendum pro Christo, hoc est, tollere crucem suam: quam & quotidie tollere, & ea sumpta sequi Dominum iubemur, qui crucẽ propriam baiulauit. Denique, nunquam est verus amicus, nunquam plena dilectio, nisi pro amico Deo quis cuncta aduersa nõ solùm gratanter susciptt, sed & mortẽ ignominiosa crudelitate sine demeritis inferendam, affectu plenissimo concupiscit & suscipit. Secunda verò ratio est, quia dicit Alexand. de Hales, secundùm statum, in quo natura humana reparatur à lapsu, magis proficit per aduersa, quàm per prospera. Et August. de natura boni: Melius, inquit, ordinatur natura vt iustè doleat in supplicio, quàm vt impunè gaudeat in peccato. Et iterum Augustinus: In fornace ardet palea, & purgatur aurum. Illa in cinerem vertitur, & illud sordibus exuitur. Fornax mundus, palea iniqui, aurum iusti, ignis tribulatio, artifex Deus. Quod ergo vult artifex, facio; vbi me ponit artifex, tolero. Iubeor ergo tolerare, nouit ille purgare: Ardeat licèt palea ad incendendum me, & quasi consumẽdum me. Illa quasi in cinerem vertitur, ego sordibus careo. Intelligat igitur, secundùm eundem Augustinum, homo medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus vreris, secaris, clamas, nõ audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. Quod enim flagellum grano, quod fornax auro, quod lima ferro, hoc tribulatio viro iusto. Nam flagellum tribulationis excitat torpentem, humiliat superbientem, purgat pœnitentem, & coronat innocentem.

Aduersitatum ratio.

Tertia denique ratio est, quia mirabiliter adauget gratiam, virtutes, merita & præmia. Nam tribulatio nutrix est humilitatis, doctrix patientiæ, comparatrix æternæ felicitatis: rubiginem aufert peccatorum, vbertatem confert gratiarum, incrementum præstat virtutum, qua saginatur anima, sicut rore cælesti fœcundãtur rosæ aut lilia. Ideo donum est Dei electum, amorosa virga, castigatio paterna, sapiẽtiam tribuens, circunspectionem adducens, & expertum reddens. Veruntamen (vt dicit Origenes) cuncta mala, quæ quis passus fuerit in hac vita, si absque perfecta patiantur patientia, à cælesti præmio sunt penitus aliena. Hinc ait Dominus: *In patiẽtia vestra possidebitis animas vestras*. Quid enim est animam possidere, nisi perfectè in omnibus viue-

Lucæ 21.

re, &

re,& cunctis mentis motibus ex virtutum arce dominari? Qui igitur patientiam tenet, animam possidet: quia inde contra cuncta aduersa fortis efficitur, vnde sibi semetipsum vincendo dominatur. Mens autem, secundùm Gregor. si in Deo forti intentione dirigitur, quicquid sibi in hac vita amarum sit, dulce æstimat, & omne quod affligit, requiem putat. quia vitæ præsentis amaritudines ardenter amat,& funditus in infimis extingui desiderat, quò verius ad summa conscẽdat.

De experientia nostræ patientiæ: quæ probatur & exercitatur à proximo per iniurias tam verborum, quàm operum.

Cap. LXXIIII.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Cantic.2. Quasi diceret Christus. Sicut *ego*, qui sum *flos campi, & lilium conuallium*, fui inter Iudæos, Scribas & Pharisæos multa passus, *sicut lilium inter* spinas, cum patientia tandem portans Crucem, & coronam spineam; sic anima sancta, quæ vult esse *amica mea*, esse debet *inter filias*, id est, fragiles peccatores, ad bene operandum, & voluntariè sustinendũ; quia, vt ait Gregorius, Abel esse renuit, quem Cain malitia non exercet; & bonus non fuit, qui malos tolerare non potuit. *Sicut* ergo *lilium inter spinas* crescit, & punctum redolet, *sic amica mea inter filias*, id est, mentes seculares proficit, & per iniurias puncta, gratias agit. Nã, secũdùm Bernardum, spina est culpa, pœna iniuria, falsus frater, & malus vicinus. Istis spinis mundus est plenus: *inter* quas *amica* viriliter resistendo, seu patienter sufferendo, conuersari habet, vt ex vtroque crescat & redoleat. Cantic.2.

Hic igitur secundo loco videndum est de his, quæ malitia cooperante humana, boni patiuntur, vt quasi *lilium inter spinas* inueniantur, & in exhibitione patientiæ diuinæ dilectionis plenitudinem manifestius habere comprobentur. Nam etsi probatio dilectionis est exhibitio operis, probatio tamen multo validior est sustinentia tribulationis. Hinc eodem amoris affectu, quo misit Deus Pater Vnigenitũ ad patiendum pro nobis, vult etiam adhuc pati dilectos filios, vt gloriæ filialis excellentius participes fiant. Quòd si pati non fuisset maximum in merito, nunquam illud ex obedientia imposuisset proprio Filio. Tantam proinde Philosophi iudicabant esse patientiæ virtutẽ, quòd (vt legitur lib. 3. de nugis Philosophorum) Socrates negat sapiẽtem posse offendi, sed aduersus omnem fortunam robore virtutis suæ manere Patientiæ modus.

manere immobilem. Verus igitur & perfectus patiens non solùm obliuiscitur iniurias, sed etiam se recepisse iniurias negat: quia profectò sunt adiumenta potissima perueniendi ad culmen omnis perfectionis, & æterni honoris. Nihil enim sic inducit hominẽ perfectã Christi formitatẽ, sicut amorosa & tranquilla in omnibus aduersis patiẽtia: quæ cunctas virtutes ornat, & in tuto collocat. Est enim hæc vltima & suprema virtutum, quæ rectificat hominẽ ad proximum, cùm scilicet iniurias patienter accipit, & inferentes viscerosè diligit. Notandũ igitur, quòd à proximo quis suscipit iniurias duob⁹ modis. Primò, verbis detractorijs vel contumelijosis, quia Augustinus ait: Cùm cœperit homo Christianus cogitare proficere, incipit pati linguas aduersantium. Quicunque illas nondum passus est, nondum proficit. Quicunque illas nõ patitur, nec proficere conatur. Et ideo dicit Seneca libro de moribus: Nondum felix es, si te turba non deriserit. Si beatus vis esse, cogita hoc primùm contemnere ab alijs contemni. Huius ratio est, quia malis semper odiosa est vita bonorum: & quem Deus commendat, prauorum sermo blasphemat. Hinc Diogenes, cùm ei nuntiasset amicus: Te cuncti amici vituperant. Oportet, inquit, sapientiam ab insipientibus ferri, esse enim meliorem indicat mala lingua, quem carpit. Vnde dicit Petrus Raueñ. quòd virum fortem excitat ad exercitium virtutis alieni liuoris aculeus, nec mentis oculos torpere permittit inuidia detractorum. Et ideo, vt dicitur, sexta quæst. primo ca. Oues: Ipsa detractio, licèt vitio detrahentium, tamen iusto Dei iudicio nonnunquam aduersus bonos excitatur, vt quos vel domestica præsumptio, vel aliorum fauor in altum extulerat, detractio humiliet, & magis cautos reddat. Sicut enim vt dicit Alexander de Hales, per adulationem mentis oculi clauduntur & excæcantur, ita per detractionem aperiuntur & illuminantur. Diligenter enim perquirit, si quid in eo sit reprehensibile, quod emendet. Quapropter dicit Gregorius super Ezechielẽ, quòd linguas detrahentium, sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereant, ita per suam malitiã excitatas debemus æquanimiter tolerare, vt meritum nobis crescat. Quod eleganter etiam compleuerunt plurimi Gentiles. Nam Antisthenes cuidam maledicenti respondit. Non curo, quia auditus debet esse robustior lingua, cùm singulis hominibus singulæ linguæ sint, sed aures binæ. Et Xenophon Philosophus cuidam sibi maledicenti: Tu inquit maledicere didicisti, & ego, conscientia teste, didici maledicta contemnere. Theodosius

Patientiæ vis.

Iniuriam fieri bifariam.

dosius autem Imperator legem statuit, dicens: Si quis nomina nostra crediderit esse maledicto lacessenda, nolumus eum pœnæ subiacere: quia si verbum ex verbi leuitate processit, contemnendum est: si ex insania, miseratione dignum est: si ex iniuria & certa malitia, remittendum est, dicente Apostolo: Simus *benigni inuicem* remittentes. Ephes. 4.

De eodem etiam refert Ambrosius, quòd beneficium se reputabat accepisse, cùm rogaretur ignoscere. Et tunc propior erat venia, cùm esset commotio maior iracundiæ: & optabatur in eo quod timebatur in alijs, vt scilicet irasceretur. Hoc erat remediũ reorum: quoniam cùm haberet super omnes potestatem, quasi parẽs postulari malebat, quàm quasi iudex punire, æquitatis iudex, non pœnæ arbiter, qui nunquam veniam petenti negauit, nec indignationẽ tenere voluit. Pudeat fratres tantam patientiam non imitari, pudeat proprijs passionibus vinci, pudeat ad vindictam protinus insanire, præsertim, quia dicit Gregorius: quòd in omnipotenti Deo tunc certa fiducia est, quando cum bono opere aduersitatis aliquid in hoc mundo recipitur, vt plena merces in æterna retributione seruetur. Pia mens, cùm se aduersa perpetiab hominibus conspicit, tunc in diuinæ gratiæ consolatione requiescit. Nam aduersa tolerare sapienti virtutis est exercitium, insipienti verò præuaricationis occasio est. Et quia corporis aduersa sunt animæ remedia, ideo sancti viri plus formidant prospera, quàm aduersa: quia Dei seruum prospera deijciunt, sed aduersa frequentius erudiunt. Secundò, quis à proximo suscipit iniurias facto, quia cùm iniusti sæuiunt, tunc iusti purgantur, & vtilitati innocentium militat vita prauorum, dum hanc & premendo humiliat, & humiliando semper ad meliora format. Hinc rectè per Salomonem dicitur: *Qui stultus est seruiet sapienti.* Nam sæpe conspicimus sapientes subesse, stultos autem arcem dominationis tenere: Sapientes seruiliter obsequi, stultos elatione tyraunica dominari. *Stultus* ergo *sapienti* etiam dominãdo *seruiet*, cùm eundem ad meliorem statum premendo prouehit. Sicque Deus omnipotẽs eos hìc per disciplinam premit, quos ab æterna calamitate postmodũ eripit. Hinc vnusquisque colligat, quid illic passuri sint, quos reprobat; si taliter hìc cruciat quos amat. Ergo ô homo, iuxta consiliũ Senecæ, noli mala & aduersa tua tibi ipsi grauiora facere, & te querelis onerare. Leuis enim omnis dolor est, si nihil illi opinio adiecerit. Leuẽ enim dolorẽ facies, si leuem putes. Quod acerbum fuit, iucundum est pertulisse. Naturale enim est mali sui fine gaudere. Prouer. 11.

Vir autem bonus, quicquid ei acciderit, æquo animo sustinebit. Sciet enim illud sibi accidisse lege diuina, qua vniuersa procedunt. Vnde refert Seneca de quodam Philosopho capto: Qui cùm interrogaretur: An aliquid perdidisset? Nil, inquit, quia omnia mea mecũ sunt: cùm tamen eius patrimonium in prædam cesserat, filios & filias hostis rapuerat, patria in alienam dominationem peruenerat, & tamen vrbe capta, non vinctum sed indemnem esse dicebat, quia vera bona sua vt virtutes & bonos mores secum habuerat. O si talis inuenitur gentilis, quid tunc faciet Christianus? cui consultũ est exteriora cum seipso contemnere, & inimicos persequentes viscerosè diligere? cùm & huiusmodi persequutiones & tribulationes amicis suis Deus indulgeat: quia, vt dicit Abbas Isaac, tribulatio parua pro Deo patienter accepta, melior est magno opere, quod perficitur sine tribulatione.

Patientiam perfectam officiunt vera contemplatio & perfecta dilectio Conditoris, vt exemplo beati Andreæ patet.

Cap. LXXV.

Psal 119. Pfal. 37. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Audi *lilium inter spinas: Cùm his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Et iterum: *Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquam surdus non audiebã, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens*, &c. Et hoc Seneca commendare videtur, dicens: Nemo videtur mihi plus æstimare virtutem, nemo magis illi esse deuotus, quàm qui boni viri famã perdidit, ne conscientiam perderet. Felix proinde qui facit de necessitate virtutem, in aduersitatibus exhibendo patiẽtiam, præsertim propter futuri præmij eminentiam: quia talis *probatio patientiã operatur: patientia* verò *perfectum opus* habet: quia vera perfectio consistit in plena mortificatione naturalium passionum, ad quas conculcandas maximè iuuant, aduersitates. In cuius figura dicitur in Genesi: *Multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime.* In aduersitatibus enim homo sublimatur perfectione meritorum & contemplatione, si cum pleno fuerint affectu receptæ. Cõtemplatio verò potissimè dulcorat omnem aduersitatem. Dicit enim Bernardus: Videbatur mihi si ille mentibus nostris veritatis fulgor appareret, aut non sensurum fuisse illum dolorem, aut certè pro nihilo toleraturum. Nimirũ cùm in contemplatione charitas intensissima conquiritur, quæ cũcta amara pro

Iacob. 1.

Gene. 7.

Cõtemplatio in aduersitate.

ra pro dulci sumit, amplectens illud Iacobi: *Omne gaudium*, id est, plenum gaudium, *existimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis,* Iacob. 1.
scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur. Quasi diceret: In tribulatione existentes, gaudium reputare debetis, quia excellentiori gratia seu dono videtur perfusus, qui nouit in aduersis gaudere, quàm qui didicit in ipsis non contristari. Minus enim est quo dolor excluditur, quàm quo lætitia suadetur: sicut minus est inimicũ patiẽter dum taxat tolerare, quàm illum etiam vt amicum amare. Quam gratiam sentit Apostolus cùm ait: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio* 2. Cor. 7.
in omni tribulatione nostra. Quæ scilicet gratia est omnium veraciter & salubriter contemplantium. Cuius ratio est, quia in viribus animæ fit redundantia superioris ad inferius: & secundùm hoc delectatio contemplationis amorosæ (quæ est in superiori parte animæ) redundat ad inferiora, ad mitigandum etiam dolorem in parte inferiori, scilicet in sensu: nimirum cùm animum mœrore confectum, tristitiaque dejectum, potissimè demulcet & releuat diuinæ charitatis amplexata familiaritas, vt diceret Apostolus: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Philip. 4.
Sicut enim magnes naturaliter ad se trahit ferrum, ita quòd naturalem põderositatem amisisse videatur: sic Deus infinitæ virtutis attrahit sibi supernaturaliter hominis voluntatẽ & desideriũ, perfecta similitudine Domino propinquare conantis. Qui quamdiu eidẽ adhæret, per prauitatem inordinatæ tristitiæ deorsum non descẽdit, sed in omni euentu spiritualem præfert lætitiam. De qua lætitia dicit Origenes super Cantic. Non inueni verius signũ boni hominis, quàm si inter ærumnas fert dulcedinem mentis ex frequentia sobriæ exultationis. Et hæc est patientia, quæ, secundùm Cassiodorum omnia vincit aduersa, non colluctando, sed sufferendo: non murmurando, sed gratias agendo. Ipsa est, quæ fœcem totius voluptatis abstergit: ipsa est, quæ lympidas animas Deo reddit. Vnde dicit Bernardꝰ de S. Andrea, quòd erat S. Andreas.
homo similis nobis, & tam vehementi desiderio crucem sitiebat, tam inaudito à seculo gaudio tripudiabat, cùm paratam sibi crucẽ eminus conspexisset: O crux, inquit, diu desiderata, & iam concupiscenti animo præparata, securus & gaudens venio ad te, ita vt & tu exultans suscipias me, discipulum eius, qui pependit in te. Vides quia se non capit præmagnitudine gaudij? *Ex abundantia cordis os* locutum est, & charitas, quæ feruebat in corde, quasi quasdam scintillas ardentissimas emittebat in voce. Ita, inquit, vt tu exultans suscipias me. Ergone est Matth. 12.

exultatio tanta, vt exultet & crux ipsa? Aut quid minus contra consuetudinem, supra rationem, vltra naturam, crucifixum exultare q̄ crucem? Illi sensum lætitiæ natura negauit. Huic si quid præualeret, omne gaudium exterminat, ingeritq; dolorem. Amator, ait, tuus semper fui, & desideraui te amplecti. Fratres, ignis vibrans est, non lingua loquēs: & si lingua, certè ignea est, scintillas emicās desolatorias. Quales enim scintillæ sunt istæ; aut à quanto micant interiori incendio? Sed vnde putas in eo mens tam spiritualis, tam feruens charitas, animus tam robustus? Planè spiritus erat, qui adiuuabat infirmitatem eius, per quem in corde eius diffundebatur fortis vt mors, imò fortior morte: cuius & nos participes vtinā inueniamur. Vides nunc quia crux est pretiosa, & amari potest, & exultationem habet, si fuerit qui colligat? Non enim est arbor syluestris & sterilis, sed lignum vitæ apprehendentibus eam, vitam germinans, iucunditatem fructificās, & balsamum fudans spiritualium charismatum, vtpote exornata membris Domini Iesu, tanquam margaritis. Vis audire vnde cruci tanta dulcedo? *Spiritus* inquit, *meus, super mel dulcis*, ita vt nec eius dulcedini præualere queat ipsa amarissima mortis amaritudo. Quid non temperabit illa dulcedo, quæ & mortem facit dulcissimam? Quæ resistere posit asperitas illi vnctioni, quæ mortem quoque facit suauissimam? Quam molestiam non expellat illud gaudiū, quod mortē quoque facit esse lætitiam? Nec mirum quòd dedit suauitatē crucī, qui dedit & igni. Aut quomodo crux videatur insipida, vbi dulce sapit & flamma? Quid enim Laurentio sapiebat ignis, cùm carnifices derideret, iudicem subsannaret? Sic Stephano lapides torrentis, Tyburtio carbones ignis. Sic Agatha delectabatur in pœnis & carceribus. Cur ergo nobis non sapit tribulatio fratres pro Christo, nec absconditum manna degustamus, cùm sic omnino victus esset diabolus, nec haberet penitus quod auferret? Nā si nobis adesset gaudiū in tribulatione, nō haberet malignus vnde illiceret vnde deijceret. *Nihil* enim *in eo* proficit *inimicus*, q̄é crux Christi delectat, si carnalem suggerit delectationē: nec *filius iniquitatis apponet nocere ei*, si ad exasperandum eius animū immittere tentauerit quamlibet amaritudinem. *Altissimum* enim posuit *refugium* suum, vtpote quem hilaritas sua leuat & subleuat, vt saltus quosdam dare videatur in altum, id est, in Deum, sciens iam non solùm gloriari *in spe*, sed etiam *in tribulationibus*. Prorsus sublime volet, quem non modò futurorum expectatio bonorum, sed præsen-

Eccles. 24.

Psalm. 88.

Ibidem.

Psal. 90.

Rom. 5.

tium

tium quoque malorum exhibitio delectat, vt & in ea glorietur. Rogemus igitur & nos fratres, vt Spiritus sanctus, *qui* hæc *omnia operatur* 1. Cor. 12. *in* nobis *omnibus*, vtpote *super mel dulcis*, qui iam *primitias* præstitit, Eccl. 24. Rom. 8. etiam in nobis dona sua multiplicet, multiplicata confirmet: ne molestus nobis sit pœnitētiæ labor, grauis afflictio corporis, iniuria persecutoris: ne sit onerosa abstinentia, insipida disciplina, nec in vigilijs prætædio dormitet anima nostra, fiatq; voluntas consentanea rationi, Ibidem. dicenti. *Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Ad quæ consequenda, gaudium Spiritus sancti nobis est summè necessarium: nec est certius testimonium eius præsentiæ, quàm vehemens desiderium amplioris gratiæ, sicut ipse dixit: Eccl. 24. *Qui me edunt, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient.*

De patientia operis, oris, & cordis: & de clementia & mansuetudine, & vtrumne liceat appetere vindictam.
Cap. LXXVI.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut ait Cicero, animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium non modo extollere iacentem, sed amplificare pristinam eius dignitatē: Hæc qui fecerit, non ego eū summis viris comparo, sed Deo similimum iudico. Ex quibus verbis elici potest triplex patientia, scilicet operis, oris, & cordis, quæ potissimè manu tenetur tum virtute clemētiæ, cum mansuetudinis: quæ duæ quamuis in eundem affectum concurrant, in hoc tamen differunt, quòd ad clementiam directè pertinet, quòd sit diminutiua pœnarum, ita quòd punitionis exterioris est moderatiua, secundùm iudicium rationis: quæ moderatio prouenit ex quadam dulcedine affectionis, qua quis abhorret omne, quod potest alium contristare. Sed mansuetudo propriè diminuit passionem iræ & impetum: quia propriè respicit appetitum vindictæ diminuens eum, & moderans secundùm rectam rationem. De qua dicit Hilarius, quòd per mansuetudinem mentis nostræ Christus habitat in nobis. Hinc consulit Ecclesiasticus: *Fili in mansuetudine ser-* Eccli. 10. *ua animam tuam:* quia nimirum mansuetudo maximè facit hominē Patientia sui compotem. Tamen pro eodem sæpe ponūtur. Prima igitur est pa- operis. tientia operis, quam Apostolus consulit, dicens: *Videte ne quis malum* 1. Thess. 5. *pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est sectamini in inuicem, &* Rom. 12. *in omnes.* Et: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum, recogitantes* Hebr. 12.

Heb.12. *eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris, deficientes.* Et hoc maximè fit per clementiam & mansuetudinem. Vnde dicit Gregorius, quòd primus seruandæ mansuetudinis & clementiæ modus est, vt omnes, quas pati potest contumelias animus hominis sibi proponat, & Redemptoris sui opprobria cogitans, ad aduersa se præparet. Qui enim improuidus ab aduersitate deprehenditur, quasi ab hoste dormiens inuenitur. Secundus modus est, vt cùm aliorum excessus aspicimus, nostra delicta, quibus in alios excessimus, videamus. Erubescit enim non parcere, qui vel Deo, vel proximo se parcenda recolit commisisse. Dicit autem Seneca de clementia, quòd est temperantia animi in potestate vlciscendi: vel est lenitas superioris ad inferiorem. Omnes enim intelligunt clementiam esse, quæ se flectit citra, quod meritò constitui potest in exigenda pœna. Refert Valerius Maximus, quòd Marcus Bibulus vir amplæ dignitatis, & summis honoribus functus, cùm in Syria prouincia moraretur, duos indolis egregiæ filios suos à Gabinianis militibus Aegypti occisos cognouit: quorũ interfectores Regina Cleopatra ad eum vinctos misit, vt grauissimæ cladis vltionem arbitrio suo exigeret. At ille, oblato beneficio, quo nullum maius lugenti tribui poterat, dolorem moderationi cedere coëgit, carnificesque sui sanguinis intactos eueſtigio ad Cleopatram reduci iussit dicens: Potestatem huius vindictæ non suam, sed senatus esse debere. Si hoc egit gentilis, quid faciet Christianus?

Clementia.

Vindicta an exercenda.

Hic ergo quæri potest: Vtrum appetitus vindictæ sit licitus, præsertim cùm Tullius ponit eam esse partem iustitiæ, quam ita diffinit, dicens: Vindicatio est, per quam vis & iniuria, & omnino quicquid obscurum est, id est, ignominiosum defendendo, aut vlciscendo propulsatur. Ad hoc dicendum, quòd si vindicantis, vel vindictam appetentis intentio feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod per pœnam peccantis peruenitur, scilicet ad emendationem, vel cohibitionem peccantis, ad aliorum quietem, ad iustitiæ cõseruationem, & ad Dei honorem: tunc vindicatio, vel eius appetitus, potest esse bona & licita, seruatis debitis circumstantijs. Et ideo, quamuis est nobis necessaria patientia in his, quæ contra nos aguntur; tamen præcepta patientiæ in his, quæ contra nos fiunt, non sunt semper ad implendum necessaria, sed habenda sunt in præparatione animæ, vt dicit Augustinus, illud exponens: *Si quis te percusserit in* vnam *maxillam, præbe* ei *& alteram:*

Matt.5.

terã: vt scilicet homo sit paratus hoc facere, si opus fuerit: nõ tamẽ semper actu facere tenetur, quia non semper expediret. Secunda verò dicitur patientia oris, de qua dicit Apostolus: *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto; sed econtrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis*, vt Deum æternaliter in futuro benedicatis, exemplo illius, *qui cùm malediceretur, nõ maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur*. Hîc quæri potest: Vtrũ melius est, conuiciãti vel iniurianti respondere, seu omnino tacere. Ad hoc respondit Astaxanus: Quòd si fiat comparatio in genere, tunc melius est tacere, quàm respõdere ad victoriam obtinẽdam. Plus enim est vincere vitium, quàm personam, iuxta illud Prouerb. *Melior est patiẽs viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium*. Vnde Chrysostomus: Si vindicare, inquit, vis, sile, & funestã ei dedisti plagã. Quod maximè verificatur in mulieribus ira commotis. Quòd si fiat comparatio secundùm conditiones personarum, tunc (secundùm Henricum Boyck extra. de iniurijs, & Alexandrum Anglicum) attendendæ sunt conditiones conuitiantis, & conuitiati, & secundùm hoc oportet conuitium sustinere, vel non. Nam si dicatur à prouocato, conuitium personæ pari, vel inferiori, vbi non est iniuria officij, & si præsumitur tunc emenda pro sustinentia, tunc sustinendum est, & est meritorium, vtpote inductiuum ad alterius recognitionem, vel saltem ad suijpsius humiliationem. Sicut refert Seneca, quòd Titus Tacitus maledicẽti sibi Metello: Facilè est, inquit, in me dicere, cùm non sim responsurus. Tu, inquam, didicisti maledicere, & ego, conscientia teste, didici maledicta sustinere. Et sicut tu linguæ tuæ, sic ego aurium mearum sum dominus. Si verò dicatur superiori iniuria officij, vel alij coram ipso, tunc non est sustinendũ, præsertim si de remedio temperantiæ nõ præsumatur. Dicit enim Bernardus, quòd impunitas insolẽtiæ mater, incuriæ soboles, radix impudicitiæ, transgressionum nutrix est. Et simile est de his, quorum vita posita est in exemplo imitationis, qui debẽt etiam detrahentiũ mendacia compescere, ne prędicationem eorũ non audiant, qui audire poterant, & in prauis moribus immanentes, bene viuere contemnant. Huiusmodi tamen represio debet esse moderata, & propter affectum charitatis, non propter cupiditatem priuati honoris. Debent etiam argui furore iam sedato, quia tũc poterit eis prodesse. Vnde legitur, quòd quidã Socratem intuens, dixit: O oculi corruptores puerorum. Cumq; discipuli eius irruentes in illum, illatum magi-

Patientia oris.

Rom. 12. 1. Pet. 3.

Conuitio respondendumne sit. Prouer. 16.

magistro conuitium dimittere nollent inultum, hac illos sententia repressit. Quiescite ô sodales, quiescite. Etenim sum quod dicit ex natura: sed me reprimendo contineo. Sic refert Seneca de Antigono rege, quòd cùm audisset quosdam de eo malè existimare, & obloqui, eò quòd solus paries medius erat, siue sola cortina, illâ leuiter mouit, dicês in persona alterius: Discedite hinc, ne rex vos audiat. Audit enim vos ipsa cortina. Et ad Iulium Cæsarem cùm quidam diceret: O tyranne. Patienter respondit: Si essem, non diceres. Tertia denique dicitur patientia cordis, iuxta illud Apostoli: *Solliciti seruare vnitatē spiritus*, id est, cordium, *in vinculo pacis*: quod propriè fit per mansuetudinem. De qua dicit Gregorius: Mansuetus nec irritat malum, nec irritatur à malo, nec aduersus eum prævalet causa peccati, nec aduersus alterum aliquando ex illo nascitur causa peccandi, sed magis cõtentus est iniuriam pati, quàm facere. Ille qui verè mansuetus est, trãquillus est in cogitatione, ac suauis in sermone, & dulcis in conuersatione. Vnde Chrysostomus: Mansuetudo est bonitas malitiam vincens, nulli malum inferens, sed omnia mala in bonum conuertens, omnem iniuriam tolerans, nec *malum pro malo* reddens, *nec maledictum pro maledicto*, sed omnia portat æquanimiter: quæ virtus alio nomine dicitur mititas, & est circa passiones irascibiles reprimendas, circa quas humano & communi modo quis bene se habet, quando sic eas refrænat, quòd non nimis excedat, quamuis aliqualem earum perturbationem sentit. Sed prout est beatitudo, facit hoc excellentius, hominem reddens omnino tranquillum à motibus irascibilis per omnimodam subiectionem ad regulam rationis, & diuinæ legis. De qua dicit Ambrosius: Mitis est ille, quem mentis asperitas, vel amaritudo non afficit, sed fidei simplicitas ad omnem iniuriam patienter sustinendam instruit. Mitiga affectum, vt non irascaris; aut certè iratus, ne peccaueris. Præclarum est enim, iræ motum temperare consilio. Nec minoris virtutis dicitur cohibere iracundiam, quàm omnino non irasci, cùm plerumque istud leuius, hoc fortius æstimetur. Vnde ait Sanctus Augustinus super illud: *Beati mites*. Tunc, inquit, verè possidebis *terram*, quando inhæseris ei, qui fecit cælum & terram. Hoc est enim esse mitem, non resistere Deo tuo, vt in eo, quod tu benefacis, ipse tibi placeat, non tu tibi. In eo autem quod mala iustè pateris, ipse tibi non displiceat, sed tu tibi. Neque enim parum est, quia placebis ei, displicens tibi: displicebis enim illi, placens tibi. In cordibus mitium re-

Patientia cordis. Ephes. 4.

Mansuetudo.

1. Pet. 3.

Mititas.

Matth. 5.

um requieſcit Dominus. Anima verò conturbans conturbata ſedes eſt dæmonum.

De primo gradu patientiæ, & quòd in quatuor obligamur inimicis, & quòd remiſſio peccatorum attribuitur remiſſioni iniuriarum propter tria. Cap. LXXVII.

SIcut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Dicit Cyrillus ſuper illud Lucæ: *Date, & dabitur vobis:* Quòd ampliori manu recompenſationem accipiemus à Deo, qui largiſsimè donat diligentibus eum, hoc eſt, pro eius amore proximo remittentibus, oſtendit, ſubdés: *Menſuram bonam* ſcilicet veniæ; *& confertam*, ſcilicet gratiæ; *& coagitatam*, ſpiritualis lætitiæ: *& ſuperefluentem*, æternæ gloriæ; *dabũt in ſinum veſtrum*: quia ipſi, quibus remittitis, erunt cauſa quòd Dominus dabit. Etſi prima facie videatur intelligi de eo, quod ait: *Date, & dabitur vobis*, multo magis tamen verificatur in eo, quod præmittitur: *Dimittite*, & dimittetur vobis, ſcilicet, quod mortiferum eſt, & dabitur quod ſalutiferum eſt: quia nullum genus eleemoſynarum eſt maius, quam id, quòd ex corde dimittimus, quod quis in nos peccauit. Nec poteſt eſſe in homine maior expreſsio ſimilitudinis diuinæ, quàm propter Deum omnes iniurias animo grato ſuſcipere, ac in ſe peccantibus clemẽter indulgere, eoſq; ex intimo corde diligere: & ideo ſimilis Altiſsimo, imò filius Altiſsimi cẽſetur in Euangelio. Magnũ eſt ergo præconium pietatis. Reddit enim hæc virtus nos Deo conformes, & quaſi quædã ſigna ſublimis naturæ noſtris imprimit animabus, vt dicit Cyrillus. Et tunc veraciter eſt anima *inter filias ſicut liliũ inter ſpinas*, complectẽs perfectã patientiã, quæ tribus gradibus attingitur. Primus gradus eſt incipientium, de quo dicit Bernardus: Qui initiatur à timore, crucem Chriſti ſuſtinet patienter, ſed optaret omnino, ſi fieri poſſet, quòd in hanc horam non veniſſet. Veruntamen nõ deſperet qui eiuſmodi eſt, ſi moleſta ſibi videatur iniuria vel tribulatio, quam patitur, ſi deſiderat vt calix ab eo transferatur, dummodò addat illud: *Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*: nec tamen ſit ſalute contentus, ſed inquirat *pacem*, & perſequatur *eam*, ne ſalus ipſa ſit eidem in periculum. Pax autem iſta comprehenditur ab *hominibus bonæ voluntatis*. Bona verò voluntas, eſt ordinata voluntas, quæ conſentanea eſt rationi, dicenti: Quia *non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Et ſic faciet de neceſsitate virtutem,

Lucæ 6.

Ibidem.

Matth. 5.

Gradus patientiæ.

Matth. 26. Pſal. 33.

Lucæ 2.

Rom. 8.

tutem, patienter sustinendo. Quæ dici potest patiētia repressionis, qua scilicet quis reprimit ab actu vindictæ manum, & animum à voluntate nocendi, quamuis offensa maneat alta mente reposita: ex qua erga inferentem refrigescit amoris affectio, nec in aduersis compatiens, nec in prosperis congaudens, & alijs imperfectionibus maculata. Sūt enim, quorum vindictæ repressio non procedit ex radice patientiæ, sed potius ex impotentia vindictæ, vel ex aliqua peregrina suppositione, non ex diuino timore, refrænantes manum, nō affectum: nec est virtus patientiæ, sed velamen malitiæ. Pro quo notandū, quòd de necessitate salutis obligamur inimicis nostris in quatuor. Primò, tenemur eis remittere offensam nobis illatam, etiam necdum veniam petētibus, sed adhuc in actu, vel affectu persequendi persistētibus: hoc est, deponere tenemur rancorem ex appetitu vindictæ procedentem, ita vt diligamus in eis naturam à Deo conditam, & hoc in generali, sicut ait Ecclesiasticus: *Relinque proximo tuo nocēti te, & tunc deprecāti tibi peccata soluentur. Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur?* Veruntamen non tenetur illam remissionē ostēdere signis exterioribus, quamdiu manet iniurians in actu persequendi vel iniuriandi: sed hoc esset perfectionis & supererogationis. Secundò verò, de necessitate salutis tenetur veniam petenti, & persequi desistenti remittere etiā pœnitionem, quæ fit ex zelo iustitiæ: si tamen præsumitur, quòd hocnō fictè faciat, præterquàm in duobus casibus. Primus, si taliter iniuriatus, fuerit superior iniuriantis: tūc enim obligatus esset ad illius correctionem. Secundus, si fuerit damnificatus in persona propria, vel coniuncta fama, terrena substantia, &c. tunc enim esset licitum emendam petere propter illatum damnum, quia tunc petit quod suum est, sicut creditor petit debita sua. Hoc enim petit in oratione Dominica, dicēs: *Dimitte nobis debita nostra*, scilicet satisfacere paratis, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, id est, iniuriantibus nobis satisfacere paratis. Veruntamen de illatis iniurijs, quæ sic inferuntur, quòd reddi nō possunt sine vindicta, non sunt debita repetenda: quia nihil prodesset, si percussus alium repercuteret, cùm per hoc non restitueretur in corpore, quòd læsum est, sed magis esset vindictæ solatium. Posset tamen peti aliquod aliud recompensatiuum iudicio proborum, nisi supererogationis affectu perfectè cuncta remitteret, exemplo sui Creatoris, qui, secundùm Bernardum, tam liberaliter omnem donat iniu-

Inimicis debemus.

Eccli. 28.

Punitio an remittenda.

Matth. 6.

riam,

riam, vt iam non damnet vlciscendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando. Tertiò, proinde de necessitate salutis ad familiaritatem non fictè, sed purè se ingerenti, tenetur familiaritatem exhibere, saltem communia & exteriora signa dilectionis eidem ostendendo, nisi verisimiliter ex illa familiaritate peior iactura timeretur. Hæc tamen ostendere adhuc actualiter persequentibus, perfectionis est. Quartò denique, tenetur illis optare bona gratiæ & gloriæ: & etiá ad hoc cooperari, pro loco & tempore. Dicit enim Glossa super illud: *Orate pro persequentibus*, &c. quòd tria sunt quibus maculatur Ecclesia, scilicet animus, lingua & manus. Sed contra malitiam animi, diligit odientes; contra malitiá linguæ, orat pro inimicis; & contra malitiam manus, dat adiutorium nocentibus & persequétibus. Non tamen quis obligatur ad orádú pro tẽporali vel corporali prosperitate inimici, sed sufficit quòd non optet contrariú, nisi eo intuitu, quòd per temporalem vel corporalem aduersitatem ei subtrahatur facultas nocendi proximo, vel manendi in peccato. Sicut S. Anastasia scripsit B. Chrysogono, vt oraret contra virú suum paganum, si Deus eum præuideret in malitia perseueraturum, quòd eum de mũdo tolleret, & pacem suis cultoribus daret. Sic etiam tenetur quis inimicis exhibere communia beneficia, cum cæteris Christianis corde, ore, & opere impendẽda. Hic quæri potest, Cur peccatorum remissio maximè attribuitur actui, quo proximis indulgemus, dicẽte Domino: *Dimittite*, & dimittetur vobis. Ad hoc dicendum, secundùm Bernardinum Senensem de religione Christiana, quòd hoc est propter tria. Primò, propter excellẽtiam illius actus, vt ostendatur eminentia virtutis eius, & quàm singulariter Deus ipsum actum indulsionis præcepit, exigit, & acceptat. In cuius mysterium simul & exemplum Iesus in cruce pendens, cunctis alijs præposuit illud verbũ mellifluum: *Pater, dimitte illis*, quia nesciunt *quid faciunt*. Vnde virtus hæc, qua scilicet proximis indulgemus, tantæ reputatur excellentiæ, quòd eam Gregorius amplectitur velut martyrium, dicens: Mori à persequente, martyrium est in aperto opere: ferre verò contumelias, & odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione

Matth. 5. Ecclesiam maculantia quæ nam.

Luc. 6.

Luc. 23.

Secundò verò propter correspondentiá actus illius, quia quandam habet condignitatẽ, & proportionabilitatem mutuæ correspondentię & decentiæ, eò quòd indulgere & indulgentiam impetrare sibi mutuò correspondent, sicut Dominus in beatitudinibus ad merita varias

Matth. 5.

correſpondentias præmiorum aſsignauit, vbi pauperibus, *regnum cælorum:* mitibus, *terram* viuentium: lugentibus, conſolationem: mundis *corde*, Dei viſionem: eſurientibus & ſitientibus, ſaturitatem repromiſit. Sic etiam miſericordibus, ſingularem miſericordiam aſsignauit,
Ibidem. dicens: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Vbi dicit Gloſſa: Meritò miſericordibus impenditur miſericordia, vt plus accipiant, quàm meruiſſent. Et ſicut plus recipit, qui vltra ſaturitatem habet; quàm ille, qui tantùm habet ad ſaturitatem: ſic maior eſt gloria miſericordiæ, quàm præcedentium beatitudinum. Sic etiam magis profluа largitate Deus remittit remittentibus, vt *eadem men-*
Lucæ 6. *ſura*, qua *menſi* fuerint, remetiatur eis: quia, ſecundùm Auguſtinum, nullum genus eleemoſynarum eſt maius, quàm id, quòd ex corde dimittimus, quod quis in nos peccauit. Cui ſingulariter in recompenſationem debetur menſura bona veniæ, cõferta gratiæ, coagitata ſpiritualis lætitiæ, & ſupereffluens æternæ gloriæ.

Tertiò deniq; propter actus huius experientiam, vt per hunc actum oſtendatur, quòd actus amoris in præſenti, prout in Deum abſolutè refertur, non eſt perfectus, nec per conſequens Deo perfectè gratus, niſi deſcendens ad dilectionem proximi ſe valenter extendat, vſque ad inimicos, & vſque ad gratam & liberam indulgentiam omnium offenſarum, non improperando, non rememorando, non minus diligendo. Cuius ratio eſt, quia Deus eſt inuiſibilis, proximus autem viſibilis. Cùm igitur actus quidam diuini amoris ſæpius falſam habeant ſimilitudinem puri & ſinceri amoris, qui ab amore naturali non poteſt de facili à minus expertis diſcerni: (Actus autem, quo quis ex corde remittit iniurias, & per amorem amplectitur inferentes, faciliter eſt cognoſcibilis) ideo vult Deus, quòd veritas ſui amoris in homine viſibili comprobetur, qui tanquam imago Dei nobis proponitur loco Dei, in quo probabilius probari poteſt, ſi verè Deum diligat, ſaltem in illis actibus, qui naturæ noſtræ ſenſibiliter repugnare noſcuntur. Hinc
1 Ioban. 4. in Canonica Ioãnis dicitur: *Si quis dixerit*, quia *diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt:* quia dilectio Dei includitur in dilectione proximi. *Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt; Deum, quem non videt;* qualiter *poteſt diligere?* Quaſi dicat, Non eſt probabile: quia dilectio proximi via quædam eſt ad dilectionem Dei. *Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat &* proximum, ſcilicet amicum in Deo, & inimicum propter Deum.

De ſe-

De secundo gradu patientiæ, & qui dicuntur veraciter pacifici, & de pace ac quiete cordis. Cap. LXXVIII.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Secundus patientiæ gradus est proficientium, qui, secundùm Bernardum, proficiunt in spe, & portant crucem libenter, dicentes cum Psalmist. *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* Nam isti grataner suscipiunt aduersa qualitercunque illata, siue à Deo, siue ab homine. De primo dicit Ambros. Istud est magnificum, si subiectus contumelijs, iudicium Dei laudes; si vexatus ægritudine, iudicia Dei depreceris; si te inopia non reuocet, quò minus laudes iudicium Dei, cum Iob dicente: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* De secundo dicit Gregor. Homil. 29. Patientia est aliena mala æquanimiter pati, contra eum quoque, qui mala irrogat, nullo dolore morderi. Sed plerunque patientibus euenire solet, vt eo tempore, quo aduersa patiuntur, nullo dolore pulsentur, & sic patientiam exhibent, vt etiam custodire cordis innocentiã curent: sed cùm postea, quæ pertulerunt ad memoriã reuocant, mansuetudinem, quam tolerantes habuerũt, in retractatione sua perdũt. Ille verò veraciter patientiã seruat, qui & ad tempus alienamala sine dolore tolerat, & hæc eadem retractans, pertulisse se talia exultat. In prælijs igitur aduersitatum patientiæ clypeo mens debet esse munita, & gladio amoris accincta, vt ad perferenda mala sumat fortitudinẽ, & ad reddenda bona exerat benignitatem. *Charitas* enim *patiens est*, vt aliena mala toleret: *benigna est*, vt etiã quos portat, amet. Hinc Veritas dicit: *Diligite inimicos vestros.* Virtus nam q; coram hominibus est aduersarios tolerare, sed virtus coram Deo diligere: quia hoc solũ Deus sacrificium recipit, quod ante eius oculos in altari boni operis flãma charitatis incẽdit. Ad quod nos inuitat Augustin⁹, dicens: Ad inimicorũ dilectionem vos commoneo, quia ad sananda peccatorũ vulnera nullum medicamentum vtilius esse cognosco. Sicut enim in mandatis Dei nihil mirabilius, quàm quòd præcipimur *inimicos* diligere, sic reuera nihil domino fructuosius, nihil Deo acceptius, nihil diabolo molestius. Vnde tales B. Greg. Martyrib⁹ equiparat, dicẽs: Sine ferro Martyres esse possumus, si patientiã veraciter in animo seruam⁹. Et iterum ait: Mori à persequente, martyrium est in aperto opere: ferre verò contumelias, & odientem diligere, martyrium est in occulta

Psal. 89.

Iob 1.

1. Cor. 13.

Matth. 5.

Lucæ 6.

cogitatione. Difficilius enim videtur in quotidianis iniurijs, & tribulationibus inconcussam seruare patientiam, & inferentium dilectionem, quàm semel pro Christo suscipere mortem. Quibus congruit illud Psalm. *Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* Signum est enim magnæ bonitatis, inimico optare bonum, & illum veraciter diligere, ac benefacere cùm opportunum fuerit, vt meritò filius Altissimi cẽseatur. Nec enim est in homine maior expressio similitudinis diuinæ, quàm iniurias animo grato suscipere, inferentes viscerosè diligere, ac eis libenter indulgere. Licèt enim sine charitate perfecta martyrium sustineri potest: tamen vera patientia perfectum opus charitatis habet, dummodò finaliter in ea perseuerat, quod est signum diuinæ gratiæ: quia ordinariè natura talẽ patientiam dare non potest, quæ fugat tristitiam, sed sola gratia. Hinc Gregor. patientiam maiorem reputat signis & miraculis. Et iste patientiæ gradus ascendit, vsque ad septimam beatitudinem, qua dicitur: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Vbi dicit Ludolphus Carthusian⁹. Pacifici sunt, qui primò in seipsis pacem faciunt; & quicquid peruersæ cogitationis, locutionis, vel operis in se deprehendunt, protinus expellunt, nec aliquid turbationis in regno suæ dominationis esse permittunt: & si quid eis aduersitatis occurrit, pacem tamen seruant, & cuncta cum cordis sui tranquillitate disponunt. Et August. Pacifici in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, & rationi subijcientes, carnalesque concupiscentias habentes edomitas fiunt regnum Dei, in quo sic ordinata sunt omnia, vt id quod est in homine præcipuum, & excellens, imperet, cæteris non reluctãtibus, quæ sunt nobis, bestijsque communia: & quod excellit in homine, id est, mens & ratio subijciatur potiori, scilicet Deo. Et tunc attingit illam pacem, quæ datur *in terra hominibus bonæ voluntatis.* Et quantò in homine vita perfectior, tantò datur pax maior, & quies interior, ac copiosior. Est autem quies quædam incessabilis Dei latria, & assistentia, cui semper comitatur spirituale gaudium: quia cùm per bonam conscientiam à seruitute peccati quieuerit, in gaudio Spiritus sancti iucundatur. Dicit enim Gregor. quòd quasi iugo quodam seruitutis premunt prospera, dum appetuntur; premunt aduersa, dum formidantur: ac si semel quis à dominatione desideriorum temporalium colla mentis excusserit, quadam iam etiam in hac vita libertate fruitur, dum nullo desiderio terrenæ felicitatis afficitur, nullo terrore aduersitatis coarctatur

& tunc

Psal. 43. Rom. 8.

Matth. 5. Pacificus quis.

Lucæ 2.

& tunc in eo Sabbatum mentis celebratur. De quo dicit Augustinus: Sabbatum indicit nobis Deus. Quale illud? Intus est, in corde est Sabbatum nostrum: Multi enim vacant membris, & tumultuantur conscientia. Solus cui adest bona conscientia tranquillus est. Et ipsa tranquillitas Sabbatum cordis est. Secundò verò pacifici sunt, qui nō tantùm in se pacem custodiunt, verùm etiam alios sibi discordātes ad pacem reducunt, & semper paci faciendæ, reformandæ, & conseruandæ tam in sē, quàm in alijs inuigilant, vt cum Psalmista dicere valeant: *Cum his, qui oderunt pacē, eram pacificus.* Et Richardus: Pacifici sunt, qui cùm à malis mala eis inferuntur, mala minimè retribuūt, sed *cum his, qui oderunt pacem,* pacifici sunt. Vel, vt dicit Hieron: Pacifici dicūtur illi, qui primùm in corde suo, deinde inter fratres dissidentes pacem faciunt, quorum beatitudo merces adoptionis est, *quoniam filij Dei vocabuntur.* Parens enim omnium, Deus vnus est, nec aliter trāsire in nuncupationem eius familiæ licebit, nisi in fraternæ charitatis inuicem pace viuamus. Bernardus verò breuiter distinguit tres gradus, dicens: Est homo pacatus, qui bona pro bonis reddens, quātum in se est, neminī vult nocere. Est & alius patiens, qui non reddens malum pro malo, etiam potens, & patiens est sustinere nocentē. Est & pacificus, qui bona pro malis reddēs, habet in promptu prodesse nocēti. Primus horum est paruulus, & facile scandalizatur, nec facile qui eiusmodi est in hoc seculo nequam, & scandalis pleno, poterit obtinere salutem. Secundus in patientia sua possidet animam suam. Tertius autē, non solùm suam possidet animam, sed etiam multorum animas lucrifacit. His autem pacificis magis attribuitur esse filios Dei, quàm alijs: quia, quantum ad opera interiora, magis assimilantur Deo. Hinc dicit Augustinus, quòd pax est consummatio, & finis omnium virtutum, & suprema beatitudo. Quamuis enim octo sunt beatitudines, quantum ad Ecclesiam, sunt tamen nisi septem, quantum ad distinctionem graduum, quia supra pacem non est virtus alia. Sed hæc virtus, scilicet sustinentia persecutionum *propter iustitiam,* est annexa paci, & sustinentia mortis pro Christo, est in eodem gradu cum pace. Huic autem paci statim adiungitur persecutio *propter iustitiam*: quia habita pace, cordisq; tranquillitate post victoriam vitiorum, & carnalium delectationum, naturalium quę passionum, habilior fit, & expeditior ad susciendas persecutiones: quia cor bene purgatum, & mortificatum, quod non quærit mundi prosperitatem, & gloriam, nec metuit aduersi-

Psal. 119.

Gradus pacis.

Virtus vbi probetur.

uersitatem, & contumeliam, patienter sustinere potest *persecutionem propter iustitiam*. Porrò virtus hominis boni, quæ nobilissima est, & in perpetuum durare debet, primò probatur in contumelijs, iniurijs, & aduersitatibus, si constans sit, & fideliter perseueret, vt patet in Tobia, cui dixit Angelus: *Quia acceptus eras Deo, necesse* erat *vt tentatio probaret te*. Secundò probatur, vt capax fiat maioris gratiæ, sicut obscurum vitrum tergitur, vt capax fiat luminis amplioris. Tertiò probatur, vt agilior, & promptior fiat ad opera iustitiæ, & exercitia virtutum, quia in statu consolationis sola quies mentis, & studium deuotionis ei videtur sufficere ad summam perfectionem: quæ propterea subtrahitur, vt etiam in alijs virtutum studijs exercere se discat.

Tobiæ 12.

De tertio gradu patientiæ, qui perfectorum est, ducens ad fruitionem pacis: & qualiter illam consequi poterimus. Cap. LXXIX.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Tertium dehinc gradum patientiæ prosequamur, qui perfectorum est, & in charitate perfecta consummatur, qua Domini crucé ardenter amplectimur, vt cum B. Andrea dicere valeamus: Amator tuus semper fui, & desiderauí te amplecti ô bona crux. Et tunc consequimur pacis fructum, de quo dictũ est superius. Vnde sicut pax cõtra diabolũ obtinẽda est per prudentiam, ac maximè per orationũ instantiam; & pax contra carnem est conquirẽda per abstinentiã; pax quoq;, quæ ad mundũ est, conseruanda est per patientiã: sic pax, quæ ad Deum est, adipiscẽda est per omnimodam obedientiã. Hinc pax, prout est fructus, status est animi purgatissimi, qui totaliter per affectũ mentis Deo coniungitur, & nihil extra ipsum quærit, sed in ipso quietatur, & pacificatur. Hinc talis non immeritò propter plenam assimilationem, Dei filius vocari meretur. Proprium enim est ipsius Dei seipso frui, & in seipso quietari. Sic etiam huiusmodi Deo fruitur in omnibus intima charitate, tam in aduersis, quàm prosperis: nimirum cum in eo feruor amoris refrigerium quærat, etiam in tormentis. De tali namq; dicit Hugo: Quid tranquillitati diuinæ tam proximũ est, quàm ad illatas contumelias non moueri, nullo supplicio nullaue persecutione terreri, vnam mentis in prosperis, & in aduersis habere constantiã, inimicũ & amicũ vno cordis oculo intueri, ad eius se similitudinem conformare, *qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos?* Hæc simul omnia in charitate, & non nisi in charitate simul omnia, ac proinde

Matth. 5.

inde in illa vera tranquillitas,& suauitas: quia ipsa est *iugum* Domini Matth.11.
suaue, & onus leue ad diligendum amicos in Deum,& cum amore sup-
portãdum inimicos propter Deum. Vides quia per hanc regnum men-
tis penitus pacatur,& *princeps huius mundi foras* mittitur, qui peruersis Ioan.12.
& inordinatis mentibus dominatur? Nam hac pace mens confirmata
intrinsecus, persecutiones quascunque, vel aduersitates hostis eiectus
concitauerit forinsecus,auget gloriam quæ secundùm Deum est, non
aliquid in illo ædificio labefactans, sed innotescere faciens quanta fir-
mitas à Deo sit intus extructa. Veruntamen, secundùm Bernardum,
pauci replentur illo spiritu,quo contumeliam gloriã reputant,oppro-
brium gaudium, despectionem exaltationem, penurias affluentias,
& iniurias amicitias, vt cum Apostolo dicere valeant: Complaceo *mi-*
hi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in angustijs, in persecutionibus pro 2.Cor.12.
Christo: Et iterum: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in o-* 2.Cor.7.
mni tribulatione nostra. Felix & ille, qui fiducialiter dicebat: *Impro-* Psal.68.
perium expectauit cor meum, & miseriam. Vides quia quod imperfecta
patientia refugit, perfecta tanto desiderio requirit. Talis enim feli-
cissima discit experientia, quàm proflua dulcedo vini & olei, scilicet
tam internæ iucunditatis, quàm feruentissimæ charitatis, ex hoc pa-
tientiæ prælo sedulò profusius effluit, mentem feliciter inebrians, &
corpus ad illatas etiam quascunque pœnas insensibile reddens, vt ve-
raciter dicere valeat: *Verberauerunt me*, & *non dolui; traxerunt me, &* Prouer.23.
non sensi. Talium enim est non solùm passiones vincere, sed eas peni-
tus ignorare, & irrogantes quasi votorum suorum fideles coadiuto-
res viscerosè diligere. Sed ad hanc omnimodam pacis fruitionem in-
vita nemo peruenire potest, nisi prius in torcularibus perfectæ patien-
tiæ pressus fuerit, quod ostendit ille Psalmus, qui sic incipit: *Quàm* Psal.23.
dilecta tabernacula tua Domine virtutum, qui nihil triste habet, sed om-
nia læta præfert, & inscribitur, *Pro torcularibus*. Sed quia secundùm
Glossam, nihil ibidem dicitur de visibilibus torcularibus, alia con-
stat esse torcularia spiritualia, quæ nos hic intelligere voluit Spiritus
Dei, vt quid agatur in his torcularibus recordemur, & videamus, quē-
admodum agatur in Ecclesia. Vua namque pendens in vite,& oliua
in arbore, fruuntur aëris libertate, nec ante pressurã torcularij fit illa
vinũ, nec ista oleum. Sic illi, quos Deus ante secula *præscinit fieri confor-* Rom.8.
mes imaginis filij sui, priusquam accedant ad seruitutem Dei, delitiosa
libertate fruuntur in hoc seculo: Sed postquam accesserint, dicitur eis:

Eccli. 2. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & prepara animam tuam ad tentationem.* Ecce torcular, in quo exuuntur vinacea hominis veteris, vt sic velut mustum dulcissimum in apothecam Dei defluant. *Concupiscit*, inquit, *& deficit anima mea*, tendens *in atria Domini*, sicut vua pressa deficit, & defluit in vinum. Vnde sequitur: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Nam qui fideliter ad eō-
Psal. 83. formandum se passioni Dominicæ, non solùm aduersa quæque patienter, sed etiam affectanter adepta complectitur: necdum autem habita
Ibidem. velut diu desiderata dulcius inuitat, & viscerosius expectat, hic in aduersis exultare & gratias agere, ac inimicos iniuriantes, & odientes diligere nouit, sciens quòd, secundùm Bernardum, melius est odio haberi propter Deum. Cùm enim amamur propter Deum, debitores ei sumus: cùm autem habemur odio propter Deum, nobis eum reddimus debitorem. Vides ex his, quòd vera patientia perfectum opus habet? Quia nimirum, secundùm Gregorium, nulla deijcit aduersitas, quem nulla corrumpit prosperitas. Qui enim veritati firmiter inhęret, vanitati nullo modo succumbit: quia dum forti pede cogitationis intus intentionem fixerit, omne quod foris mutabiliter agitur, ad arcē mentis minimè pertingit. Hinc nemo quātum profecerit, nisi inter aduersa cognoscit, eò quòd vnusquisque superni doni gratiam in tranquillitate quietis percipit, sed quantum perceperit, in aduersitate perturbationis ostendit. Nam electi dum aduersitate deprimuntur, proficiunt, sicut ignis flatu premitur vt crescat, & vnde quasi extingui cernitur, inde roboratur. Supereminet tamen illa patientia, quæ proximis exprobrantibus, iniuriantibus, & persequentibus, exhibetur, vbi bonum redditur pro malo, dilectio pro odio, & benedictio pro maledicto. Ad quem gradum patientiæ citius consequēdum, consulit Gregorius, dicens: Tuncillata conuitia bene toleramus, cùm in secreto mētis ad mala perpetrata recurrimus. Leue quippe videbitur quod iniuria percutimur, dum in accusatione propria conspicimus, quia peius est quod meremur. Sicq; fit, vt contumelijs gratia magis quàm ira debeatur, quarum interuentu Deo iudicę pœna grauior declinari posse confiditur. Sic Dauid à filio deiectus à regno, recoluit pristina peccata, quibus
2. Reg. 15. hoc meruit: nec cumulatam à seruo maledicente sensit iniuriam, quia
3. Reg. 16. præsensit gratiam: nec prohiberi voluit Semei maledicum conuitiantem, quæstum æstimans maledictum. Licèt enim vox maledicentis erat in auribus, inclinabat se tamen ad benedictionem, intendens quid in oc-

in occulto ageret Deus. Hæc igitur aduertentes, grates agẽdæ sunt debitoribus nostris. Fiunt enim nobis (si sapimus) causa indulgentiæ maximæ, vt pauca exhibentes, plura recipiamus. Insuper diuina clementia nobis quodammodo potestatem tribuit, qua temperare possumus sententiam iudicis, exemplo nostræ remissionis ipsum arctantes, cùm dicimus. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* ita quòd securi huius orationis fiducia de commissis veniã postulamus. Hinc ait Cyrillus: Vult enim (vt ita loquar) patientiæ, quã homines colunt, imitatorem fieri Dominum, vt qualem ipsi exhibuerunt conseruis bonitatem, talem pari lance recipere petãt à Deo, qui iustè recompensat, & nouit omnium misereri. Deniq; Christus, vt ait Ambrosius, ab Apostolo suo tradi voluit, vt à socio suo desertus, tu à socio tuo, & à seruo traditus & confusus, patienter feras tuum errasse iudicium, & tuum perijsse beneficium. Matth. 6. Matth. 26.

De triplici iustitia, scilicet generali, legali, & particulari: & quòd iustitia præcellit inter virtutes morales. Cap. LXXX.

Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Cantic. 2. *Ostende*, inquit, *mihi faciem tuam*, id est, conuersationẽ tuam, per quam cognoscaris sicut homo per faciẽ cognoscitur, sicut ait Ecclesiasticus: *Ab occursu faciei cognoscitur sensatus.* Hæc autẽ conuersatio maximè relucet in ipsa iustitia, quæ triplex distingui potest, & in qualibet singulariter relucet humana conuersatio, sicut quælibet earum est quædã animæ pulchritudo, qua pulcherrimi efficiũtur etiam hi, qui corpore sunt deformes. Veruntamen plena est tunc iustitia, cùm est plena sanitas. Tunc autem est plena sanitas, quando plena est charitas. Tunc verò plena charitas erit, quando videbimus eum quem diligimus, sicut est indutus iustitia. Ecclesiast. 19.

Prima igitur dicitur iustitia generalis, qua quis generaliter declinat à malo tam corde quàm ore & opere, & generaliter amplectitur omne bonum. Et hæc iustitia, virtutum splendor est maximus, ex qua boni viri iusti nominantur, de qua dicit Philosophus 5. Ethicorũ: Iustitia est virtus, secundùm quam aliquis vult & operatur rectè. Omnes enim virtutum species vno iustitiæ nomine continentur, vt dicit Hieronymus. Secunda verò dicitur iustitia legalis, quæ est omnis virtus, prout actus eius ordinatur ad proximum, per quam scilicet homo cõcordat legi ordinanti omnes actus virtutum in bonum commune. De Iustitia generalis. Iustitia legalis.

qua dicit Seneca: Iustitia non nostra constitutio, sed diuina lex est, & vinculum societatis humanæ. Quisquis ergo iustitiam sectari desideras, time prius Deum, & ama Deũ vt ameris à Deo. Amabilis eris Deo, si illum in hoc imiteris, vt velis omnibus prodesse, nulli nocere, & tunc te virũ iustum appellabunt, omnes sequentur, venerabuntur, & diligent. Iustus enim vt sis, non solùm non nocebis, sed & nocentes prohibebis. Nam nihil nocere non est iustitia, sed abstinentia alieni. Cùm ergo iustitia virtus est, vnicuique quod suum est tribuens, si te iustum esse volueris comprobare, redde prioribus obedientiam & reuerentiam, paribus concordiam & amicitiam, minoribus doctrinam & disciplinam, amicis lætitiam & assistẽtiam, inimicis patientiam & beneuolẽtiam, omnibus charitatem & fidelitatẽ, miseris subuentionem & compassionem, tibimet innocentiã & sanctimoniam, mundo contemptũ, & diabolo continuum bellum. Quæ latius prosequitur Bernardus, dicens: Iustitia virtus est, quod suum est vnicuique tribuens. Redde ergo tribus quæ sua sunt. Redde superiori reuerentiam & obedientiam: quarum altera cordis, altera corporis est. Nec sufficit exterius obtẽperare maioribus, nisi & ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de eis. Et si manifestè vita eorum indigna innotuerit, propter eũ tamen, cuius locum occupãt, quos modò tales nouimus, excelsos reputare debemus, non præsentibus meritis, sed ordinationi diuinæ & officij dignitati deferentes. *Obedite*, ait Paulus, *præpositis vestris, & subiacete eis, etiam dyscolis*. Aequali verò consilium, & auxiliũ, quia hoc volumus ipsi vt nobis impendant. Consilium, quo erudiatur ignorantia nostra: auxilium, quo iuuetur infirmitas nostra. Nullum autẽ melius consilium, q̃ vt exemplo tuo fratrem tuum doceas, quid oporteat, quidve non oporteat fieri, prouocans eum ad meliora, & consulens opere & veritate. Nec auxilium efficacius vel vtilius est, q̃ vt ores deuotè pro eo, culpas eius discretè arguendo, nullum ei offendiculũ præbendo, & tanquam Angelus pacis scandala de regno Dei, quantũ præuales, de medio tollendo. Inferiori deniq; custodiam, qua possit cauere peccatum: & disciplinam, vt quod minus cauit, minimè maneat impunitũ. Et si nemini præesse videris, adhibe tamen custodiã corpori tuo, quod regendum accepit spiritus tuus, vt non regnet in eo peccatũ, nec eius membra arma fiant iniquitati. Adhibe & disciplinam, vt dignos faciat pœnitentiæ fructus, castigatum & subditum seruituti: alioqui quid excusationis homo prætendet, si tam pretiosum thesaurũ, depositum

Reddendũ cuiq; quod suum est.

Hebr. 13. 1. Pet. 2.

positum, quod Christus proprio sanguine pretiosius iudicauit, negligentius custodire contigerit, vtpote pro quo mercator non insipiens sanguinem suum dedit? Tertia deniq; dicitur iustitia particularis, quę scilicet hominem ordinat circa ea, quæ sunt ad alteram singularē personam immediatè, sicut iustitia legalis hominem ordinat in his, quæ sunt ad alterum, quantum ad bonum cōmune mediatè. Et sicut iustitia legalis est præclarior inter omnes virtutes morales, in quantum commune bonum præeminet singulari bono vnius personæ (aliæ namque virtutes solùm perficiunt ipsas habentem: sed iustitia est etiam respectu alterius, quod est nobilius, & perfectius, sicut nobilius est esse bonum in se, & ad alium, quàm solùm esse bonum in se. Hinc dicitur quinto Ethicorum, quòd præclarissima virtutum videtur esse iustitia: & neque Hesperus, neque Lucifer ita admirabilis:) sic etiam iustitia particularis duplici ratione præcellit inter virtutes morales. Prima ratio sumi potest ex parte subiecti, quia iustitia est in nobiliori parte animæ, scilicet in voluntate. Nam iusti dicimur ex eo, quod aliquid recte agimus. Proximum autem principium actus iustitiæ est vis appetitiua superior, scilicet voluntas. Fortitudo verò & temperantia sunt in appetitu sensitiuo, ad quem pertinent naturales passiones. Veruntamen quia bonum rationis est bonū hominis, quod bonum essentialiter habet prudētia, quæ est perfectio rationis, iustitia verò est effectiua huius boni, scilicet in quantum ad ipsam pertinet ordinē rationis ponere in omnibus rebus humanis: ideo prudentia dicitur esse potior q̄ iustitia. Secunda verò ratio sumi potest ex parte obiecti: quia virtutes aliæ laudātur solùm secundùm bonū ipsius virtuosi, quia scilicet perficiunt ipsum habentem: sed iustitia laudatur secundùm quod virtuosus ad alium bene se habet, quia iustitia est circa operationes, quibus ordinatur homo, non solùm in se vt bene se habeat in seipso, sed etiā respectu alterius, vt bene se habeat ad alterum. Quæ iustitia, secundùm Doctores, est cōstans & perpetua voluntas, ius suum vnicuiq; tribuens. Quā diffinitionem S. Thomas in debitam formam reducens, ait: Iustitia est habitus, secundùm quē aliquis constanti & perpetua volūtate ius suum vnicuiq; tribuit, iuxta consiliū Sapientis, dicētis: *Pro iustitia agonizare pro anima tua*, id est, propter salutem animæ tuæ, *& vsque ad mortē certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos*. Nā iustitia, secundùm Cassiod. nō nouit patrem, non nouit matrē, veritatem nouit, personam nō accipit, Deum imitatur. Hinc Traianus, mirabilis

Iustitia particularis.

Iustitiam præcellere virtutes morales.

Eccli. 4.

amator iustitiæ, proprium filium in seruum tradidit viduæ, quàm diu ipsa viueret in humanis, eò quòd miles, qui viduæ filium equo suo calcauerat & interfecerat, filium non haberet. Vnde CCCCL. annis post mortẽ Traiani, caput eius B. Gregorio fuit ostensum, cuius lingua fuit ita recens, ac si vixisset, eò quòd ipse cum lingua iustitiam locutus fuisset. Iustum igitur vel ius, est obiectum iustitiæ. Hinc iustus dicitur, qui ius custodit. Et actus propriè iustitiæ est reddere vnicuique quod suum est. Quitamen actus vt reddatur virtuosus, requirit quòd sit voluntarius, firmus & rectus. Quinimò virtus iustitiæ includit in se actũ trium virtutum. Primò includit actum iustitiæ, sicut inclinantis ad rect: iudicandum. Veruntamen actus iustitiæ non est meritorius, nisi fiat amore iustitiæ. Secundò verò actum prudentiæ, sicut iudicium proferentis, iuxta illud Prouerb. *Per me*, scilicet prudentiam, & sapientiã, *reges regnant, & legum conditores iusta decernunt*. Tertiò denique actum charitatis, qua scilicet homines spirituales omnia iudicant. Et quidem huius iustitiæ duæ sunt species. Vna dicitur iustitia commutatiua, quæ scilicet est directiua distributionum earum, quæ mutuo fiunt inter duas personas ad inuicem: & attendit medium secundùm æqualitatem rei ad rem, vt patet in emptione, venditione, locatione, conductione, & similibus. Alia est iustitia distributiua, quæ consistit in distributione bonorum communium ad singulas personas, & accipit medium secundùm proportionem rerum ad personas, sicut vna persona excedit aliam: ita etiam res, quæ datur vni personæ, excedit rem, quæ datur alteri personæ: de qua potest accipi illud, quod dicit Gregorius: Iustum est, inquit, homines propter iustitiam diligere, non autem iustitiam propter homines postponere. De prædictis igitur tribus iustitiarum differentijs intelligi potest illud, quod ait Psalmista: *Domine quis habitabit in tabernaculo?* &c. Et respondet: *Qui ingreditur sine macula*, ecce iustitia generalis, *& operatur iustitiam*, ecce iustitia legalis: *qui loquitur veritatem in corde suo*, ecce iustitia particularis in corde: *qui non egit dolum in lingua sua*, ecce iustitia particularis in ore: *nec fecit proximo suo malum*, ecce iustitia particularis in opere.

Iustitiæ vis.

Prouer. 8.

Iustitiæ species.

Psal. 14.

De quatuor gradibus iustitiæ, prout est virtus politica purgatoria, purgati animi, & exemplaris: & quòd tria requirit Deus ab homine. Cap. LXXXI.

Ostun-

Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Quia, secundùm Plotinum lib. de virtutibus, quatuor sunt genera virtutum, Primæ dicũtur politicæ, secundæ purgatoriæ, tertiæ purgati animi, & quartæ exemplares: Ideo & ipsius iustitiæ quatuor distinguuntur gradus. Primus gradus hominem ab omni iniquitate custodit, & cum omnibus pacificè conuersari facit, & sic est virtus politica, qua quis debet mundum istum despicere, & vnicuique quod suum est tribuere, scilicet sibijpsi, proximo, & Deo. Sibijpsi tria, munditiam cordi, custodiam ori, disciplinam corpori. Proximo tria, obedientiam superiori, concordiam pari, beneficentiam inferiori. Deo tria, honorem creatori, amorem redemptori; & timorem iudici. Et tunc implet omnem iustitiam, de qua dicit Bernardus: Studeamus omnem adimplere iustitiam. Ipsa enim est via, per quam ad plenam peruenitur lætitiam. Nam lætitia præmium est: Iustitia verò meritũ & materia gaudiorum. De qua iustitia dicitur in Euangelio: *Primũ quærite regnum Dei, & iustitiam eius*, tanquam viam regiam, quæ ducit ad regnum; vtpote quæ debitè hominẽ ordinat ad seipsum, ad proximum, & ad Deum, iuxta illud Michææ: *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid* Deus *requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitè ambulare cum Deo tuo.* Primò requirit *iudicium*, quantum ad seipsum, iuxta illud Psalmistæ: *Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam*, id est, iudicij executionem, *in omni tempore.* Nam si nosipsos iudicauerimus, non iudicabimur; sicuti Sancti fecerunt in solitudine degentes. Secũdò requirit *misericordiam*, & veritatem, quantum ad proximum, iuxta illud Psalmistę: *Misericordiã & veritatem diligit Deus.* *Misericordiam*, inquã, triplicem: Bona propria communicando, aliena mala participando, illata mala remittendo. *Veritatem* similiter triplicem, scilicet vitæ, doctrinæ, & iustitiæ. Dicit enim Cicero libro de Officijs, quòd tanta est vis iustitiæ, vt nec illi, qui maleficio & scelere pascuntur, sine vlla eius particula viuere possunt. Nam princeps latronum, nisi prædã æqualiter dispertiat, aut interficietur à socijs, aut relinquetur. Nemo tamen iustus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, vel egestatem timet, aut qui ijs cõtraria æquitati anteponit. Hinc refert Valerius, quòd Zaleucus consul, vrbe Locrensium à se saluberrimis ac vtilissimis legibus munita, cùm eius filius adulterij crimine damnatus, secundùm ius ab ipso cõstitutum, vtroque oculo carere deberet, ac tota ciuitas, propter honorem

Gradus iustitiæ quatuor. I.

Quibus quis debeat.

Deum requirere à nobis.

Matth. 6.

Mich. 6.

Psal. 105.

Psalm. 83.

rem patris, necessitatē pœnæ adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnauit: ad vltimum precibus populi victus, ne lex à se condita violaretur, suo prius, deinde filij erutо oculo, vtrique vno oculo vsum videndi reliquit. Sic Cambyses rex Persarum, vt refert Helinandus, quendam iniustum iudicem, qui odij & iræ liuore percussus, æmulum suum iniustè damnauit, excoriari viuum fecit, & super sedem iudiciariam, cute carnis eius coopertam, filiū iudicis sedere fecit, vt filius pœnam patris & iudicium horrens, iustitiam æqua lance teneret. Et simile legitur de Traiano: qui & decreuit, quòd pellis deponi non deberet, sed sic affixa sedi per annos ducentos ad futurorum memoriam permansit. Legitur insuper in Polycrate, quòd rex Alexander, cùm inter ipsum & aliquos milites esset disceptatio, & causa sua esset damnata in Castrensi iudicio, acceptum habuit illud iudicium, gratias agens iudicantibus: quorum in eo fidem probauerat, quòd iustitiam omni potestati præferebant. Miranda fuit tanti regis æquitas, quòd se subijcere voluit iudicibus cum suis subditis. Nunc verò, proh dolor, impleri videtur illud Anacharsis, qui dicit, leges similes esse aranearum telis. Sicut enim illa valentiora, & maiora animalia transmittunt, infirmiora verò, vt muscas, retinent & nectunt; sic legibus, infirmiores & populares ligari, maiores autem & potentiores legibus non adstringi videmus. Tertiò, requirit Deus, vt quis *solicitè* studeat *ambulare cum Deo* suo. Non enim tantum reuocat à malo timor supplicij, nec tantum allicit ad bonum consideratio præmij, quantum prouocat amor dilecti ad ambulandum solicitè cùm Deo suo, corde, ore, & opere.

II. Secundus verò gradus iustitiæ mentem ad æterna directè trahit, quia iusto ordini rationis perfectè consentit: & sic est virtus purgatoria, quæ est ad veram proximi viam consentire, & vniuscuiusque virtutis officium in suo vigore conseruare. Hîc iam peruenitur ad illā beatitudinem, quæ dicitur esuries, & sitis iustitiæ. Et est vehemēs desiderium iustitiæ, vel summi boni: quæ potius beatitudo dicitur, quàm esuries aliarum virtutum cardinalium, quia per iustitiam immediatè cōiungitur Deo, quod non fit per alias virtutes cardinales: quia iustitia, prout est virtus generalis, capi potest generaliter pro probitate, bonitate, vel rectitudine vitæ, comprehendens etiam in se virtutes Theologicas, quæ nos immediatè Deo cōiungunt. Et *beati qui esuriunt & sitiūt iustitiā*, quia quāto quis magis habet esuriem iustitię, tanto maiorem

Matth. 5.

lorem habet lætitiam operãdi iuſtitiam. *Hilarem* autem *datorem dili-* 2. Cor. 9.
git Deus. Hinc etiam amatoribus veri boni non eſt ſatis, quòd iuſti ſunt, ſed opus iuſtitiæ ſemper ſitiunt, nũquam ſe ſatis iuſtos exiſtimantes, ſed ſemper ardentes profectu iuſtitiæ quotidiano, cum omni deſiderio, ad modum ſitientis & eſurientis, non ſolùm in ſe, ſed in omnibus alijs iuſtitiæ profectum appetunt. Nam licet iuſtitia, ſecundùm, quod eſt virtus politica, bene ſe habet in his, quæ rationem habent debiti reſpectu proximi, quando reddet vnicuique quod ſibi debetur, nõnimis retardando, tamen hoc excellentius fit per beatitudinem, quæ dicitur eſuries & ſitis iuſtitiæ, ſcilicet cùm fit ex quodam inſolito, feruenti & vehementi deſiderio. Et illi dicuntur beati. Quia (vt dicit Auguſtinus) qui perfectè iuſtitiam amat, iam iuſtus eſt, etiam ſi nulla exeat ſecundùm eam forinſecus per membra corporis operandi neceſsitas. De tali nanque iuſtitia dicit Bernardus: Nunquam iuſtus arbitratur ſe comprehendiſſe, nunquam dicit, Satis eſt, ſed ſemper eſurit ſitítque iuſtitiam, ita vt ſi ſemper viueret, ſemper, quantum in ſe eſt, iuſtior eſſe contenderet. Si ergo (vt refert Valerius) Charondas Thurius conſul, vt ſeditioſas conciones ciuiũ pacaret, vſque ad vim & cruorem legem conſtituens, vt ſi quis cum ferro concionem intraret, cõtimò interficeretur, obſeruationem huius legis in tantũ ſitiuit, quòd interiecto tempore gladio cinctus è longinquo rure domum repetés, ſubitò in dicta concione ſicut erat in eam procedens, & ſolutæ à ſe legis ſuæ admonitus, ſtatim ait: Et ego illã ſanciam, protinusq; ferro, quod habebat, diſtricto incumbens, quod ſenatus doluit, manu propria ſe peremit. Et quamuis licuiſſet culpam vel diſſimulare, vel errore defendere, tamen pœnam repræſentare maluit, ne qua fraus iuſtitiæ fieret. Et ſi Brutus, (vt idem refert) qui libertatem Romanam condidit, filios ſuos Tarquinij dominationem à ſe pulſam reducẽtes, ſummum imperium obtinens comprehenſos, proque tribunali virgis cæſos, & ad palum religatos, ſecuri percuti iuſsit, exuens patrem vt conſulem ageret, orbumque viuere, quàm publicę vindictæ deeſſe maluit: quid ergo faciet iudex Chriſtianus in iuſtitia politica, aut quilibet alius in reddendo vnicuique quod ſuum eſt? vt tandem veniat ad eſuriem & ſitim omnis iuſtitiæ, vt dicat cum Chriſto: *Meus cibus eſt, vt* Ioan. 4.
faciam voluntatem Patris mei. Cuius vtique voluntas erat paſsio pœnaliſsima, & exprobratiſsima, in cuius cõſummatione clamauit? *Sitio,* Ioan. 19.
vt oſtenderet paſsionis illius deſiderium.

III. Tertius proinde gradus mentē in æternis figit, quia illam cum Deo æterno perpetuo fœdere sociat. Tunc enim iustitia est sic cum superna & diuina mente sociari, vt iam seruet cum ea perpetuum fœdus, illam inseparabiliter imitando.

IIII. Quartus denique gradus in solo Deo est, qui omnem creaturam sua perpetua & inflexibili lege iustè regit: & sic est virtus exemplaris, quæ perenni lege à sempiterna operis sui consummatione non flectitur: quod est idem, quod est obseruatio legis æternæ in operibus suis.

De misericordia humana & eius excellentia, & de infinita misericordia diuina, cui nos pro posse conformare debemus.
Cap. LXXXII.

QVàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa. Cantic. 4. Verba sunt sponsi, quasi dicere volentis: O *soror mea*, per voluntatis conformitatem, & per regni cohæreditatem: & *sponsa* mea, per fidei subarrhationem, per lectuli communicationem, & per mutuæ charitatis vnionem, laudasti me in prioribus, dicens: *Quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vngnentis optimis*, quæ nimirum sunt in expectando peccatores longanimitas, & in condonando benignitas, quæ mentes deuotorum satiant & confortant, secūdùm illud: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos:* nunc econuerso te commendo, quia bonitati appropinquans, viscera pietatis accepisti, vt sic ad alios ex charitate mouearis, sicut amare me didicisti. Nam qui Deum veraciter diligit, etiam ex charitate proximos complectitur. Inde tibi prouenerunt vbera misericordiæ, & pietatis, vt iam noscas *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*, infirmari cū infirmantibus, vri cum scandalizatis. Dicit enim Ambrosius, quòd omnis summa disciplinæ Christianæ est in misericordia & pietate, quā aliquis sequens, si lubricū carnis patitur, sine dubio vapulabit, sed non peribit. Cæterùm, vt dicit Lactantius, Iustitia quamuis omnes virtutes complectatur, duæ tamen sunt omnium principales, quæ ab illa diuelli non possunt, scilicet pietas & æquitas. Pietas nihil aliud est, quàm Dei notitia. Æquitas verò bene iudicandi peritia. Pietas autem & misericordia frequenter in sacra scriptura pro eodem ponuntur, vel vnū pro reliquo ponitur. Differunt tamen in hoc, quòd misericordia studet ad releuandas miserias proximorum, ex eo quòd proximi sibi sunt coniuncti, vel sanguine, vel familiaritate, vel saltem naturæ similitudine,

Cant. 1.

Matth. 11.

Rom. 12. 2. Cor. 11.

Pietas quid.

Misericordia.

dine in omnibus pro mensura sumens aliquod humanum. Sed pietas mouetur ad releuandas proximorum miserias ex aliquo diuino, scilicet in quantum sunt *filij Dei, cõhæredes* regni, & diuina similitudine insigniti. Rom. 8.

Est autem misericordia, secundùm Augustinum, humanæ naturæ pretiosum ornamentum: cuius expers quilibet homo malè degenerat: nimirùm cùm secundùm Ambrosium, misericordia sit plenitudo virtutum. Et ideo cunctis hominibus est proposita, sicut perfecta virtutis forma. Misericordia vnde.

Dicitur enim misericordia à misero corde, quia quilibet homo largiendo pauperibus tunc misericors existit, cùm alterius cordis miseriæ cor eius compatiés, intimo mœrore tabescit. Hinc dicit Augustinus, quòd misericordia est animi condolentis affectus, cum additamento beneficij, vt compatiamur proximo, & largiamur de proprio. Cuius virtus, vt dicit Leo Papa, tanta est, quòd sine illa cæteræ virtutes, etiam si sint, prodesse non possunt. Quamuis enim quis fidelis sit, cautus & sobrius, ac alijs maioribus ornatus insignibus, si misericors tamen non est, misericordiam non meretur. Nam in illo magno summoque iudicio tanti æstimabitur, vel largientis benignitas, vel tenacis impietas, vt pro plenitudine omnium virtutum, & pro summa omnium cõmissorum, & per vnum malum illi in ignem mittuntur æternum: & per vnum bonum isti introducuntur in regnum æternũ. Misericordia Dei quanta.

Vnde virtus hæc tanta est, quòd ea præ cæteris Deo quasi propria attribuitur ab Ecclesia, cùm dicit: *Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere.* Et hominem in hac virtute exigit Christus sui, & Patris imitatorem, dicens: *Estote misericordes, sicut Pater vester cælestis misericors est.* Lucæ 6.

De quo dicit Psalmista: *Miserator*, scilicet effectu, *& misericors*, scilicet natura & affectu, *Dominus:* & hoc super ijs, qui iam pœnitent: patiens autem super ijs, qui nondum pœnitent: *& multum misericors*, eos ad pœnitentiam expectando, & conuertentes ad veniam recipiendo. Psal. 102.

Hinc dicit Anselmus: Quid misericordius intelligi potest, quàm cùm peccatori æternis deputato supplicijs, & vnde se redimat non habenti, Deus Pater dicit: Accipe Vnigenitum meum, & da pro te? Filius dicit: Accipe me, præsto sum, & redime te? Nam, vt dicit Augustinus: Quæcunque necessitas cogat peccatorẽ ad pœnitentiam, nec criminis quantitas, nec temporis breuitas, nec vitæ enormitas, nec horæ extremitas excludit à venia, si perfecta fuerit volũtatis mutatio: sed in amplissimos sinus mater charitas filios prodigos suscipit reuertentes. Dicit

cit enim Bernardus, quòd sic paratus est Deus recipere fugientem, vt videri possit relictis omnibus alijs ipsi soli operam dare. Nec enim reuertenti filio prodigo dixit. Vnde venis? vbi fuisti? vbi sunt quæ tulisti? quare tantam gloriam in tantam turpitudinem commutasti? sed:

Lucæ 15. *Proferte*, inquit; *primam stolam, & induite illum.* Videtis quia delicta nõ videt vis amoris, tardam pœnitentiam pater nescit, vt meritò de Deo

Psal. 144. dicatur: *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius?* Omnino propter mansuetudinem tuam currimus ad te Domine, audientes quòd nullum spernis pauperem, nõ abhorres peccatorem, non latronem confitentem, non publicanum exorantem, nõ Petrum lachrymantem, non Magdalenam pedes osculantem. Et si millies despectus, & iniuriatus fueris, clementer expectas, frequenter reuocas, exoratus condonas, inuocatus occurris, vt protegas, amplexaris, vt confidentiam veniæ tribuas. Hinc Dauid te misericordiam vocãs, ait:

Psal. 47. Misericordia Deus dicitur. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Vocatur enim meritò misericordia, quia (vt dicit Hugo) differũt misericordia, & miseratio, sicut fons & riuulus. Misericordia enim quasi fons est in affectu: miseratio verò quasi riuulus in effectu. Dicitur igitur misericordia. Primò, quia datus est nobis ex excellẽtissima misericordia, quasi summæ misericordiæ donum. Secundò, quia plenus est misericordia, vt dicitur in libro Iob: *Ab infantia* cum eo *creuit* misericordia, magnam

Iob 31. ostendens in incarnatione, maiorem in conuersatione, maximam in passione. Magnum enim fuisset, si misericordia rigorem iustitiæ temperasset: maius, si reo pœnæ iudicium omnino remisisset: sed aliquid maius pro reo misericordia se facturam cogitabat. Et ad subueniendum nostræ miseriæ, ad satisfaciendum suæ iustitiæ, vt reum absolueret, iudicem iudicari procurabat, *in eo* ponens *iniquitatem omnium nostrum*,

Isa. 53. vt peccatum vindictam sumeret, & peccator vindictæ dispendium non sentiret. Clamat igitur clauus, clamat vulnus, Quia *misericordiæ Domini non est numerus.* Vides quia verum est, *Deus, cui proprium est misereri semper & parcere?* punire verò delinquentem alienum est ab eo. Quia, vt dicit Alexander de Hales, ad completam rationem effectus misericordiæ Dei non requiritur actus, vel meritum nostrum, sicut ad rationem effectus iustitiæ requiritur exigentia meritorũ. Sicut enim apis habet mellificare (quod est propriũ eius opus) habet etiam pungere cùm molestatur, quod est opus alienum ab ea, velut extortum quadam iniuria. Vnde dicit Bernardus: Si quæris, Quomodo

propri-

proprium est illi *misereri*, cuius *iudicia abyssus multa?* Verum id quidem: sed quòd miseretur, proprium est illi. Nam ex se sumit materiam, & velut quoddam seminarium miserendi. Quòd autẽ nos iudicat & condemnat, eum quodammodo cogimus, vt longè aliter de corde ipsius miseratio, quàm animaduersio procedere videatur. Audi enim eum dicentem: *Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, & non magis, vt conuertatur à vijs suis, & viuat.* Vnde non solùm Pater misericordiæ, sed *Pater misericordiarum* dicitur *Deus*, quia multæ sunt miseriæ nostræ, ideo multitudine miserationũ indigemus. Siquidem & corporis & animæ *tribulationes multiplicatæ sunt* nimis, & ab omnibus nos liberare venit. O quanta pietas, quantus affectus miserationis, & integritas ardentissimæ charitatis? Totus flagellatur, conspuitur, spinis coronatur, opprobrijs saturatur, crucifigitur, & lancea transfigitur: & tamen multiplicem illum dolorem dissimulans, vicinæ mortis obliuiscitur, ac latitudinem charitatis aperiens, terminosque traditæ legis amplificans: *Pater*, inquit, *ignosce illis*, scilicet inimicis, & persequẽtibus, *quia nesciunt quid faciunt.* Iam non solùm amicus amicis, sed velint nolint, amicus pariter & inimicis, ex cuius orationis efficacia numerositas inimicorum ad numerum transiuit amicorum. *Estote ergo misericordes, sicut & Pater* & Filius cælestis *misericors est*, vt similes Altissimo pariter, & hæredes eius effici mereamini.

Ezech.18.

2.Cor.1.

Psalm.24.

Lucæ 23.

Lucæ 6

De iniusta misericordia, & quòd iustitiam semper comitem habere debet, & de misericordiæ differentia, prout est virtus, & prout est beatitudo. Cap. LXXXIII.

QVàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa. Cantic. iiij. Expediti in præcedenti de eminentissima perfectione diuinæ misericordiæ, ex ea iam trahamus formam misericordiæ nostræ. Quia (vt dicitur in Ecclesiastico) *miseratio hominis circa proximũ suum, misericordia autem* Domini *super omnem carnem.* De qua misericordia dicit Thomas 2.2. q.30, quòd misericordia dolorem importat de aliena miseria. Qui dolor nominari potest vno modo motũ appetitus sensitiui, & secundùm hoc misericordia quædã passio naturalis est, & non virtus. De qua dicit Hieronymus. Misericordia est affectio, quę nec voluntate cohibetur, nec ratione subijcitur, sed ipsas pias mentes ad compassionem dolentium necessario cogit affectu: ita etiam, vt si peccatum esset misereri, & si multum vellent, non possent tamen non misereri.

Ecclc.18.

Misericordia vitiosa.

Vnde talis misericordia potest esse vitium, si non fuerit ratione regulata. Hinc dicit Sallustius: Omnes homines, qui de rebus dubijs consultant, ab ira & misericordia vacuos esse decet. Hinc dicit Ambrosius libro de officijs, & ponitur 23. quæst. 4. cap. Est iniusta misericordia. Deniq; in Lege scriptum est: *Non miserebéris* illius: & in lib. Regum legitur, quòd Saul contraxit offensam, quia miseratus est Agag hostium regem, quem prohibuerat diuina sententia seruari. Itaque si quis latronem, filijs deprecantibus motus, & lachrymis coniugis eius inflexus absoluendum putat, cui adhuc latrocinandi spirat affectus, nonne innocentes tradet exitio, qui liberat multorũ exitia cogitantem? Certè si gladium reprimit, vincula dissoluit, laxat exilium, cur latrocinandi qua potest clementiori via non eripit facultatem, qui voluntatẽ extorquere non potest? Hinc consulit Augustinus dicens: & ponitur 23. q. 4. ca. Ne amisso iudicio sis pauperi in mala causa misericors, cuius si parcis saccello percutis cor, & tãto nequiorem reddis, quanto iustum scilicet iudicẽ sibi fauere videt. Non ergo suscipiamus peccatores propter hoc quòd sunt peccatores, sed tamẽ eos ipsos quia & homines sunt, humana consideratione tractemus. Persequamur in eis ipsam iniquitatem, misereamur communem naturam. Melius est enim cum seueritate diligere, quàm cum lenitate decipere. Vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligat, quàm esurienti panis frangitur, vt iniustitiæ seductus acquiescat. Non ergo placet misericordia, nisi iustitiam semper comitem habeat. Hinc dicit Psalmista: *Misericordia & veritas præcedent faciem* eius. Alio modo misericordia nominare potest motum appetitus intellectiui, secũdùm quod alicui displicet malum alterius, qui motus potest esse secundùm rationem regulatus. Et potest secundùm hunc motum ratione regulatum, etiam regulari motus inferioris appetitus. Dicit enim Augustinus 9. de Ciuitate Dei, quòd iste motus animi, scilicet misericordia, seruit rationi, quando sic præbetur misericordia, vt conseruetur iustitia, siue cùm indigenti tribuitur, siue cùm ignoscitur pœnitenti. Et quia ratio virtutis humanæ consistit in hoc, quòd animi motus ratione reguletur, ideo consequens est, misericordiam esse virtutem, & virtutum maximam, quantùm in se, quia ad misericordiam pertinet quod alijs effundat, & eorum defectus subleuet. Hinc (vt dicit Augustinus de Ciuitate Dei) longè melius, & humanius, & piorum sensibus accommodatius, Cicero in laude Cæsaris locutus est, vbi ait: Nulla de tuis virtutibus,

Exod. 23. 1. Reg. 15.

Misericordia quatenus exercenda.

Psal. 88.

Misericordia, virtus.

bus, nec admirabilior, nec gratior est misericordia. Et 86. dist. cap. Nō satis, in fine subditur: Misericordia communis est vsus: ideo commune præceptum omnibus officijs, omnibus ætatibus necessaria, & ab omnibus est conferenda. Misericordia enim est plenitudo virtutum, & ideo omnibus est proposita perfectæ forma virtutis, ne vestimētis, alimentisq; suis parcant. Veruntamen quò ad habentem non est maxima virtutum, nisi is, qui habet eam, sit maximus, qui nullum habet supra se, sicut Deus, de quo dicitur: *Miserationes eius super omnia opera eius.* Qui enim supra se habet aliquid, illi maius & melius est coniungi superiori, quàm implere defectum inferioris, & ideo, quantum ad hominem, qui Deum habet superiorem, charitas, per quam vnitur Deo, potior est quàm misericordia, per quā supplet defectus proximorum. Sed inter omnes virtutes, quæ pertinent ad proximum, potissima est misericordia, sicut etiam est potior actus. Hinc ait Dominus: *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Quia per exteriora sacrificia, vel munera, Deus nō colitur propter se, sed propter nos & proximos. Non enim indiget sacrificijs nostris, sed ea vult sibi offerri propter nostrā deuotionem, & proximorum vtilitatem. Et ideo misericordia, qua defectibus aliorū subuenitur, est sacrificiū magis Deo acceptum: vtpote propinquius inducens vtilitatē proximorū, iuxta illud: *Beneficētia & cōmunionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus,* nimirū cùm (vt dicit Hieron.) nō memini mala morte mortuū, qui libēter opera pietatis exercuit. Cæterū, duplex distinguitur misericordia. Quædā enim est misericordia virtus, quæ respectu proximi bene sē habet in ijs quæ rationē habent doni, modo cōmuni & humano per liberalitatem, quæ est virtus politica, in communibus & paruis donis: & per magnificentiam in magnis & excellentibus donis. Quam vtique misericordiam filio suo Tobias efficaciter suadet, dicens: *Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum fuerit, etiam exiguum libenter impartire stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniam eleēmosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit corā summo Deo, eleemosyna omnibus,* qui faciūt *eam.* Veruntamen excellentior exhibetur misericordia in eleēmosynis spiritualibus quàm corporalibus, quia spirituales corporalibus præeminent, sicut anima corpori, quibus scilicet anima promouetur in bonum suū, vel spiritualiter subueniendo, vel supportando, seu remittendo. Quia

Ambrosius.

Psal. 144.

Oseæ 6. Matth. 9.

Heb. 13.

Misericordia virtus.

Tob 4.

Eleemosyna spiritualis.

dicit Rabanus, quòd misericordia consistit in eleëmosynis largiendis, & malis tolerandis; in conuitijs remittendis, & vitijs corrigendis. Vnde refert Valerius de misericordia Pompei erga regem Germaniæ, qui contra populum Romanum multa bella gesserat, ita quòd eum victum in conspectu suo supplicem iacere diutius non est passus, sed benignis verbis recreatum, diadema, quod abiecerat, capiti imponi iussit, & in habitum pristinæ fortunæ restituit, æquè pulchrum esse iudicans & vincere reges, & facere, & parcere. Refert etiam de quodam consule Paulo nomine, qui cùm ad se quendam captiuum audisset adduci, occurrit illi, & illum volentem ad genua sua procumbere, de terra leuauit, & eum in consilio secum sedere fecit, nec indignum honore suæ mensæ iudicauit, dicés: Nam si & egregium hostem nos nouimus inimicis, etiam laudabilem & felicem nos noscamus miseris. Quædã etiam est misericordia beatitudo, quæ scilicet excellentius hæc prædicta facit, alterius defectum totaliter accipiens quasi suum, pro quo releuando nec proprium veretur subire dispendium. Et hæc misericordia primò est exhibenda super malo proprio, eliminando per pœnitentiam, non refugiendo propterea derisionis & persecutionis iacturam, secundùm illud: *Miserere animæ tuæ placens Deo* Et hæc consequitur misericordiã in remissione omnis culpæ. Denique, super malo proximi, per beneficentiam eius defectibus condescendendo, subueniendo, vel eum supportando, seu remittendo, vel defendendo, cuius finis est propterea cuiuslibet aduersitatis inimicitias non timere, vel etiam mortem subire exemplo Christi, qui pro nobis omnibus ex misericordia voluit mori, & hæc consequitur misericordiam in pœnæ diminutione, & intercessorum multiplicatione. Tertia est misericordia filialis ad Deum per compassionem, & hæc consequitur adeptionem gloriæ; quia *si compatimur*, & conregnabimus.

Misericordia beatitudo.

Eccl. 30.

Rom. 8.

De pietate, prout est virtus, & prout est donum Spiritus sancti, quæ summè necessaria est in omni opere bono, vt fiat meritorium.
Cap. LXXXIIII.

Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa. Viso iam vtcumque de prima mamma, scilicet misericordiæ, iam de secunda, quæ est pietatis, prosequamur. Pietas est ex benignæ mentis dulcedine grata omnibus auxiliatrix affectio, & diuini cultus religiosa deuotio. Et distinguitur duplex, sicut est differentia inter pietatem, vir-

Pietas.

virtutem, & donum. Nam virtus moralis generaliter accipit aliquod humanum pro regula: sed donum accipit pro regula aliquod diuinũ. Et istud patet quantum ad pietatem in cõmunicationibus humanis, in quibus attendi potest quandoque humana ratio communicandi alteri, scilicet vel liberalitatis in paruis donis, vel magnificentiæ in magnis donis; vel iustitiæ in debitis, vel decentiæ in gratuitis: quia talia dare decet, vel vtilitas suadet, seu aliquod aliud humanum. Sed quia ratio communicationis his non clauditur terminis, vt homo tantum tribuat alteri quantũ debet, vel quantum expedit ei qui tribuit, sed quantum Deo est acceptum diuinum bonum, quod in se, vel in proximo relucet: hoc supra modum humanum est, & fit per pietatis donum. Pro quo notandum, quòd pietas (prout est virtus) secundùm Tullium, est, per quam sanguine iunctis, patriæque beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus. Ad pietatem ergo pertinet, prout est virtus, exhibere cultum parentibus, & patriæ. In cultu verò parentum includitur cultus omnium consanguineorum. Ex hoc enim dicuntur cõsanguinei, quia ex eisdẽ parentibus processerunt. In cultu verò patriæ, cultus conciuiũ, & omnium patriæ amicorũ intelligitur. Et hic quidem cultus propriè refertur ad reuerentiam & honorẽ parentibus exhibendum. In quo etiam intelligitur omnis subiectio, quę parentibus exhiberi debet, & hoc ex instinctu naturalis amoris, quo non solùm patri talem exhibet cultum, sed etiam omnibus sanguine iunctis, secundùm quod pertinent ad patrem. Officium verò referendum est ad obsequium, quod debetur eidem in omnibus necessitatibus & subuentionibus: puta, si sunt infirmi, vt visitentur; si pauperes, quòd sustententur. Et hæc dicitur pietas naturalis, quæ quibusdam naturaliter insita est ad parentes, cognatos, vel etiam alios, præsertim pauperes, ad quod etiam naturæ nos inducit instinctus. Refert enim Ambrosius in Hexameron de ciconijs, quòd proprijs pennis parentes senio deplumatos tegmine plumarũ fouent, & collato cibo pascunt, ac alarum fulcro subleuant, & sic ad volandũ exercent. Et addit Ambrosius. Nõ est graue, quod est plenum pietate; nec est onerosum, quod soluitur naturæ debito. Non recusant aues parentes pascere, quas non lex scripta, sed innata constringit. Vnde Romanorum vsu hæc auis pia vocatur, quia vera pietas in ea relucet. Et idem legitur de auibus coruini generis, & præcipuè de cornicibus, & similiter de vpupis, ac quibusdam animalibus, vt erubescat homo suis parentibus debi-

Pietas virtus.

Pietas naturalis.

debitũ auxiliũ & ſubſidium non præſtare. Vnde Hierony. in epiſtola quadam: Exolue fili quod debes, & officia debita qualicunq; exhibe famulatu, quia parentibus nemo poteſt reddere quod debetur. Humilitas talibus oblata perſonis viuendi tempus extendit, & morte dilata multum noſtram prorogat vitam, vicemq; facientibus reddens officia Domino noſtro viuenti commendat, quia tantum parentum nomen diligit, vt ſeipſum patrem dici iuſſerit. Et infra: Memento parentum eſſe quòd talis es: quorum manibus incremẽta ſumpſiſti: fauces tuæ nedum lactando ſaporem perdiderunt, quem tibi pia mater infundens, linguâ ipſam pauit potu corporis. Sit tibi grata ſalus ipſorum, quibus charior eſt vita tua, quàm propria. Senibus ſeruire perfacile eſt, quos nemo portat, nemo nutrit ſucco corporis ſui. Foueatur itaque parentum ſenectus, & factis eorum viciſſitudo reddatur. Habet enim quandam ſenectus infantiam. Imitamini filium Machabæum, qui matri mortem ſuadenti ſeruiuit, & durum imperium gratanter aggreſſus eſt, ne genitricem offenderet; maluit fratrum ſociari funeribus, quàm obſiltere voluntati matris. Ita enim matris ſuadentis voluntas perfecta eſt, vt Deo filium faceret martyrem, & fratrum coronis comparticipem. Quamuis autẽ officium & cultus debeatur etiam ſanguine iunctis, & patriæ beneuolis, non tamen æqualiter omnibus, ſed præcipuè parentibus: alijs autem ſecundùm facultatem propriã, & perſonarum decentiam. Hæc autem pietas ponitur à Tullio pars iuſtitiæ, quia ad rationem iuſtitiæ pertinet, quòd alteri debitum reddat: & vbi ſpecialis inuenitur ratio debiti alicui perſonæ, ibi eſt ſpecialis virtus. Debetur autem alicui aliquid ſpecialiter, eò quòd eſt connaturale principium in eſſe producens & gubernans, quod principium reſpicit pietas, in quantum parentibus & patriæ, & his, qui ad hoc ordinantur, officium & cultum impendat. Pietas verò, prout eſt donũ Spiritus ſancti, deuotam animam impulſu continuo per deuotionem ſaporoſam ſurſum agit in Deum, & per compaſsionẽ viſceroſam eandem transformat in Chriſtum, ac per condeſcenſionem zeloſam inclinat ad proximum. Per vniuerſalem quoque conſideretionem primi principij, ſingula reducit ad fontalem eſſendi originem: & ſic in omnibus creaturis amoris brachijs omnium complectitur Creatorem. Pietas enim, prout eſt donum Spiritus ſancti, cultum exhibet Deo vt amantiſsimo patri: quod excellentius eſt, quàm exhibere cultum Deo vt creatori ac domino: & vlterius exhibet cultum & officiũ omnibus homi-

2. Mach. 7.

Pietas donum.

hominibus inquantum ad Deum pertinent, vt præferentes eius imaginem & similitudinem, expectantes etiam illius hæreditatem. Et hac sola via peruenitur ad veram inimicorum dilectionem, dum diligitur seruus propter dominum, filius propter patrem, creatura propter creatorem. Vnde dicit Bernardus: O clementissima pietas, quæ nō desinit sua largiri beneficia, non solùm ijs, vbi nullum inuenit meritū; sed etiam ijs, vbi totùm videtur esse cōtrarium. Dona namq; Spiritus sancti, quædam habituales animæ dispositiones sunt, quibus est promptè mobilis à Spiritu sancto. Sed inter cætera nos mouet Spiritus sanctus ad hoc, quòd affectum quendam filialem ad Deum habemus, iuxta illud: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* Cùm igitur ad pietatem propriè pertineat officium & cultum exhibere patri, consequens est, quòd pietas, secundùm quam cultum & officium exhibemus Deo, vt patri per instinctum Spiritus sancti, sit donum Spiritus sancti, sicut pietas, quæ officium & cultum exhibet patri carnali, virtus est. Hinc etiam sicut per pietatem, quæ virtus est, homo officium & cultum exhibet non solùm patri carnali, sed etiam omnibus sanguine iunctis, secundùm quod ad patrem pertinent: sic etiam pietas, secundùm quod est donum, non solùm cultum & officium exhibet Deo, sed etiam omnibus creaturis, in quantū ad Deum pertinent, scilicet honorando sanctos & bonos, & subueniēdo miseris, &c. Vnde quamuis hæc pietas per excellentiā nominatur cultus Dei, sicut & Deus excellenter *Pater noster* dicitur: tamen, secūdùm Augustinum, vulgari more nomen pietatis etiam in operibus misericordiæ frequentatur. Quod ideo arbitratur euenisse, quia hoc præcipuè mandat fieri Deus, eaque sibi, vel pro sacrificijs, vel præ sacrificijs placere testatur. Ex qua consuetudine factum est, vt & Deus ipse pius dicatur. Denique, secundùm Apostolū: *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia* valet, quia, vt exponit Hugo, visibilis actio est quasi quoddā corpus, deuotio verò quasi spiritus eius, quia actionē viuificat. Sicut ergo sine anima corpus, sic & actio sine deuotione pietatis mortua est in semetipsa. Dicit enim Richardus de gemino Pascha: quòd pietas est dulce condimentum humanorum actuum. Est enim quidam dulcis radius à Sole summæ pietatis menti medullitus infusus, quo nimirum afficitur & reficitur in semetipsa profluens amorosa dulcedine ad Deum, vt patrem colendum: ad omnem proximum, vt fratrem subueniendū: ad omnem inimicum, vt amicū

Rom. 8.

Deus pius. 1. Tim. 4.

amplectendum. Cuius summa consistit in interiori puritate & tranquillitate. Non enim piè potest affici, nisi amet sanctitatem. Sequitur:

Ibidem. *Promissionem habens vitæ, quæ nunc est,* id est, vitæ gratiæ in præsenti, cui

Lucæ 6. retribuit *mensuram bonam, confertam, coagitatam, & superefluentem: & futuræ* id est, vitæ gloriæ. Quia dicit ibidem Ambrosius, quòd pietatem sequens, si lubricum carnis patitur, vapulabit quidem, sed non peribit. Quod, secundùm Thomam in quarto, intelligitur de lubrico mortali. Quod autem dicitur, non peribit, non est intelligendum secundùm necessitatem, sed secundùm quandã dispositionem: quia per hoc, quòd operibus pietatis vacat, existens in mortali, se disponit ad gratiam, quòd non facilè permittatur ire in perditionẽ. Vnde Hieronymus: Nõ memini me legisse mala morte mortuum, qui libenter exercuit opera pietatis. Habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri.

De triplici actu pietatis, & de religione, cuius actus interiores sunt deuotio & oratio, exteriores verò adoratio & sacrificij oblatio, & de adoratione latriæ, duliæ, & hyperduliæ.

Cap. LXXXV.

Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa. Vtcunque iam expediti de virtute pietatis & dono, nũc de effectibus illius breuiter prosequamur. Habet enim hæc pietas actus triplices. Quorũ

Actus pietatis. primus in cultu Dei consistit, id est, in professione & amorosa reuerentia, ac omni subiectione diuinæ maiestatis, nõ propter debitum, sed propter condignum: quia Deus honore & reuerentia, ac omni subiectione dignissimus est: & ex eo sequitur, propter eius reuerentiam etiã honorare Sanctos eius, tanquam comparticipes bonitatis & beatitudinis eius. Secundus actus est in veneratione sacræ Scripturæ, siue intellectæ, siue non intellectæ, vt ei, propter reuerentiam, quã exhibet, non contradicatur, sed firmiter credatur, tenaciter inhæreatur, solicitè custodiatur, & fideliter dispensetur, & secundùm eam sine offensione cõuersetur *in medio nationis prauæ & peruersæ.*

Philip. 2. Tertius actus est in honoratione proximi, vt in reuerentia superiorum, in conformitate æqualium, & in subuentione miserorum. Et hi tres actus eandem regulã & mensuram habent, scilicet diuinam reuerentiã, qua Deus dignissimus est. De vltimis duobus actibus dictum est supra: qui nihilominus in actu primo virtualiter includuntur: quia nemo potest piè affici ad Deũ, nisi,

nisi amet sanctitatem, nec amare potest sanctitatem, nisi foueat fraternam charitatem. Summa igitur Christianæ pietatis consistit in reuerentia venerationis diuinæ, sicut in Ecclesiastico dicitur: *In diebus peccatorum corroborauit pietatem*, id est, cultum diuinum. Secundò in custodia sanctitatis intrinsecæ, quia non potest homo piè affici, nisi amet sanctitatem. Hæc autem pietas, secundùm Bernardum, est iugis Dei memoria, continentia intentionis, actio ad intelligentiam eius, indefessa affectio in amore eius vt nulla vnquam seruum Dei, nō dicam dies, sed nec hora inueniat, nisi vel in exercitij labore, & proficiēdi studio; vel in experiētiæ dulcedine, & fruendi gaudio. Tertiò in affluētia miserationis fraternæ, de qua dicit Bernardus: O pietas clementissima, quæ non desinit sua largiri, non solùm his, vbi nullū inuenit meritū; sed etiā ijs, vbi totum videtur contrariū. De primo igitur actu prosequendo, sciendum est, quòd religio non quemlibet cultum, sed cultū Dei significat, qui est primus actus pietatis. Dicitur enim religio à religando, in quantum nos reeligat Deo tanquam indeficiēti principio. Vel dicitur ab eligendo, in quantum religiosus eligit ea, quæ melius in Deum, tanquam in finem vltimum, dirigunt. Seu dicitur à reeligēdo, in quantum reeligiosus religit, & recuperat id, quod peccando negligenter amisit. Est enim religio cultus vel honor Deo deditus, sicut dicit Tullius, quòd religio est, quæ superiori quidem naturæ (quam diuinam vocant) curam cæremoniamque, id est, honorem & reuerentiam singularem affert: & hoc ratione creationis, gubernationis, conseruationis, & saluationis, quæ quatuor habemus à solo Deo. Cæterùm, in cultu religionis ad colendum Deum, tria requiruntur in hominibus, scilicet fides, spes, & charitas: de quibus postea videbitur. In fide, quid credendum; in spe, quid sperandum; & in charitate, quid amandum. Habet etiam hæc religio quosdam actus proprios & immediatos, quos elicit; & quosdam alios imperatos, quos mediantibus virtutibus producit & imperat, ad diuinam reuerentiam eos ordinans. Actus igitur immediati & proprij, quos elicit, & per quos ordinatur homo ad solum Deum, sunt duplices. Sunt enim duo interiores; scilicet deuotio, & oratio. Duo verò sunt exteriores; scilicet adoratio, & sacrificij oblatio. Quod sic patet. Nam ad deuotionem pertinet promptam habere voluntatē ad exequendum ea, quæ pertinent ad diuinū cultum vel famulatum, id est, ad Dei honorē & reuerentiā. Sed hoc est actus religionis. Per orationem similiter exhibetur honor Dei & reuerentia, quod

Pietas in quo consistit. Eccles. 49.

Religio vnde.

Religio quid.

Religioni requiri tria.

Actus quib⁹ quis ordinatur ad Deum.

est proprium religionis, in quantum homo se Deo per orationem subijcit, & orando profitetur se indigere Deo, sicut suorum auctore beneficiorum. Adoratio verò similiter ordinatur ad Dei reuerentiam: quia adorare est ad Deum, qui solus est adorandus, totæ mentis intentione tendere. Denique, sacrificium Deo offerre ex hoc solùm habet laudē, quòd fit propter diuinam reuerentiam. Et hoc etiam est actus religionis, eò quòd sacrificium soli Deo est offerendum. Quia sacrificium exterius est signum interioris sacrificij, quo nos Deo offerimus, sicut nostræ principio creationis, & fini nostræ beatitudinis. Adoratio verò triplex est, λατρείας, δουλείας, ὑπὲρ δουλείας, quia adoratio est quædam reuerentia, quæ debetur alicui propter aliquam excellentiam. Est ergo quædam reuerentia, quæ soli Deo debetur, & incommunicabilis alijs: qualis est adoratio λατρείας, eo quòd à solo Deo dependet, vt à principio creante, conseruāte, & beatificante: cuius λατρείας proprius actus est oblatio sacrificij, quod offerri debet soli Deo: quia omne sacrificiū offertur propter remissionem culpæ, propter infusionē gratiæ, & propter adeptionem gloriæ, quæ tria fiunt à solo Deo principaliter: ideo talis honor est incommunicabilis omni creaturæ. Est etiam alius honor communicabilis creaturæ, qualis est adoratio δουλείας, quæ reddit honorem debitum homini, vel ratione dominij, vel alicuius excellentiæ à Deo sibi communicatæ. Est & alius honor creaturæ communicabilis excellenter & singulariter, qualis est adoratio ὑπὲρ δουλείας, quasi super duliam ad latriam accedēs: quæ creaturæ debetur ex vnione maxima, vel affinitate ad Deū, vt patet in Christi humanitate, quæ creata est tam pulchra, tam sancta, tam perfecta, quòd singulariter ei debetur adoratio hyperduliæ. Et etiam patet in beata Virgine Dei Matre. Honor enim illi debitus est cuiusdam prærogatiuæ singularis: vtpote in qua habitauit plenitudo diuinitatis nouem mensibus. De adoratione denique crucis Christi sciendum, quòd crux, si consideretur à nobis vt res quædam insensibilis, puta lignum sculptū vel pictum, tūc ei nullus honor debetur, eò quòd honor solum modò debetur creaturæ rationali. Si verò consideretur in quantum est res quædam Christi, tunc à nobis est adoranda, adoratione quidem hyperduliæ: tamen honor maior tunc debetur Beatæ Virgini quàm cruci. Cùm enim coniunctio ad Christum sit causa honoris: ideo vbi maior coniunctio ad Christum, ibi maior honor exhiberi debet. Sed Christo cōiunctior est Mater Christi, quàm crux Christi, ideo &c. Si denique crux consideretur, vt est imago

Adoratio.

Latria.

Sacrificiū.

Dulia.

Hyperdulia.

Crux Christi quomodo veneranda.

imago Christi crucifixi, tunc maior honor est exhibēdus cruci quàm Beatæ Virgini, quia tūc crux adorari debet adōratione latriæ: cùm Beata Virgo solùm adōratur adoratione hyperduliæ. Alia autem instrumenta passionis & mortis Christi, sicut claui, lancea, corona spinea, & similia, non adorantur à nobis adoratione latriæ, sicut crux Christi: quod est ex eo, quia non repræsentant imaginem Christi sicut crux, quæ dicitur *signum Filij hominis*, quod apparebit *in cælo*. Et quamuis huiusmodi arma passionis Christi ex contactu sacri corporis & sanguinis Christi decenter adoremus, vt dicit Damascenus, non tamen adoratione latriæ, sicut crucem adoramus. Et hæc quidem adoratio principaliter mente fieri debet: quia principaliter consistit in interiori Dei reuerentia, quæ ex speciali mentis deuotione procedit, & ordinatur ad eam habendam, conseruandam, & augmentandam. Vnde apud Iohan. dicitur: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*. Secundariò verò fieri debet corpore, vt sic per ea, quæ per corpus exhibemus, affectus noster inflammetur ad Deum diligendū, & ei se subijciendum. Sic etiam oratio principaliter fieri debet affectibus, secundariò debet exprimi verbis, iuxta illud Apostoli; *Orabo spiritu, orabo & mente*. Deniq; religionis actus imperatos, quos producit mediantibus virtutibus, quibus imperat, tāgit sanctus Iacobus, vbi dicit: *Religio munda & immaculata hæc est. Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo*. Vbi primò tangitur actus imperatus à religione, & elicitus à misericordia, cùm dicitur: *Visitare*, &c. secundò tangitur actus imperatus à religione, & elicitus à temperantia, cùm additur, *& immaculatum se custodire ab hoc seculo*.

Instrumēta passionis Christi veneranda. Matth. 24.

Ioan. 4.

1. Cor. 14.

Iacob. 1.

De virtutibus Theologicis in generali, & in speciali de fide secūdùm tres actus eius interiores: quæ sunt credere Deum, Deo, & in Deum. Cap. LXXXVI.

QVæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Cantic. 6. *Quæ est ista*, scilicet anima Christiana tam admirabilis, tam venerabilis, tam commendabilis, quæ solet esse tam abiecta, tam vilis, *quæ* proculgraditur sicut *aurora consurgens*, à tenebris ignorantiæ, cæcitatis, & infidelitatis, ad lucem notiæ, veritatis, ac credulitatis, & de virtute in virtutem proficiendo? Et hoc simul surgēs intellectu pariter & affectu, iu-

ctu, iuxta illud: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Coloss. *Pulchra vt luna*, scilicet in receptione luminis fidei & gratiæ: *electa vt sol*, per eleuationem spei, & perfectam imitationem Christi; *terribilis, vt castrorũ acies ordinata*, scilicet per charitatis vnionẽ, & firmissimam munitionem? vt dicere possit cum Apostolo: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? &c.* Rom. 8. In quibus verbis tanguntur tres virtutes Theologicæ, de quibus iam vltimo loco prosequendum est. Primò igitur quæri potest, Vtrum sint aliquæ virtutes Theologicæ, præsertim cùm, vt dicitur 7. Ethicor. Virtus est dispositio perfecti ad optimum. Dico autem perfectum, quòd est dispositum secũdùm naturam: sed quod est diuinum, est supra naturã hominis. Et iterum, sunt virtutes Theologicæ quasi diuinæ, vtpote quibus ordinamur in Deum, qui est primum principium, & vltimus finis rerum. Sed homo ex ipsa natura rationis & voluntatis, habet ordinẽ ad principiũ primũ & vltimũ finem. Non ergo habitus aliqui virtutũ Theologicarum requiruntur, quibus ratio & voluntas ordinẽtur in Deum. Ad hoc dicendum secundùm Thomam prima 2. q. 62. quòd per virtutem homo perficitur ad actus, quibus in beatitudinem ordinatur. Est igitur duplex hominis beatitudo vel felicitas. Vna quidem humanæ naturæ proportionata, ad quam homo peruenire potest per principia naturæ suæ. Alia naturã hominis excedens, ad quam diuina sola virtute peruenire potest, secundùm quandam diuinitatis participationem, sicut dicit Petrus, quòd per Christum facti sumus *diuinæ naturæ consortes.* 2. Pet. 1. Et quia talis beatitudo proportionem excedit humanę naturæ, hinc naturalia principia hominis, ex quibus ad bene agendum procedit secundùm suã proportionẽ, non sufficiunt ad ordinandũ hominem in prædictã beatitudinẽ. Oportet igitur, quòd superaddãtur homini diuinitus aliqua principia, per quæ sic ordinetur ad finem supernaturalem, sicut per principia naturalia ordinatur ad finem connaturalem, non tamen absq; diuino adiutorio: & hæc principia dicũtur virtutes Theologicæ: tum, quia Deũ habent pro obiecto, in quantum per eas rectè ordinamur in Deũ: tum, quia à solo Deo nobis infunduntur: tum, quia sola diuina reuelatione huiusmodi virtutes in sacra Scriptura traduntur. Vnde quamuis essentialiter hæ virtutes excedũt naturam hominis, aliquo modo tamen participat homo, sicut lignum ignitum participat materiam ignis:, & sic quodammodo fit particeps

Felicitas hominis duplex.

Virtutes Theologicæ.

œps diuinæ naturæ, per quem modum Theologicæ virtutes homini conueniunt ſecundùm naturam participatam. Et quamuis ratio & voluntas ſecundùm proportionem ſuam naturaliter ordinantur ad Deum, prout eſt naturæ principium & finis: tamen ratio & voluntas ſecundùm ſuam naturam non ordinantur ſufficienter ad ipſum, ſecundùm quod eſt obiectum beatitudinis ſupernaturalis. Vnde ſicut virtutes intellectuales & morales perficiunt intellectum & appetitum hominis, ſecundùm proportionem humanæ naturæ; ſic virtutes Theologicæ ſupernaturaliter intellectum & appetitum hominis perficiunt. Anima namque, quantum ad partem ſuperiorem, in qua conſiſtit imago Trinitatis, per tres virtutes Theologicas rectificatur: quia, ſicut imago Creatoris conſiſtit in Trinitate perſonarum, & vnitate eſſentiæ; ſic imago recreationis in trinitate conſiſtit habitum cum vnitate gratiæ, per quos tres habitus virtutum anima fertur in ſummam Trinitatem, ſecundùm tria, tribus perſonis appropriata. Fides enim dirigit in ſummè verum, credendo & aſſentiendo: & ſic facit aſſentire Deo. Spes autem in ſummè arduum, imitando & expectando: & ſic facit confidere Deo. Charitas autem in ſummè bonum, deſiderando & amando: & ſic facit diligere Deum,

Veruntamen fides eſt radix & origo noſtræ ſalutis. De qua dicit Auguſtinus: quòd ſicut in radice arboris nulla prorſus apparet pulchritudinis ſpecies, & tamen quicquid eſt in arbore pulchritudinis, vel decoris, ex illa procedit: ſic ex humilitate fidei quicquid meriti, quicquid beatitudinis anima ſuſceptura eſt, ex fidei fundamento procedit. Nam vbi fides non eſt, ſpes eſſe non poteſt. *Accedẽtem enim ad Deum oportet credere, quia eſt, &* quòd *inquirentibus ſe remunerator* eſt, alioqui quæ ſpes eſſe poterit? Vbi autem non eſt ſpes; charitas eſſe non poteſt. Quis enim amet, de quo nihil boni ſperet? Per fidẽ ergo promouemur ad ſpem, & per ſpem proficimus ad charitatem. *Eſt* ergo *Fides*, ſecundùm Apoſtolum: *ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium. Eſt*, inquam, *ſubſtantia*, id eſt, fundamentum ſubſtans ædificio ſpirituali, quod eſt gratia & gloria. Fides enim facit iam aliqualiter res ſperandas in nobis ſubſiſtere per gratiam, & tãdem faciet per gloriam. *Eſt*, inquam, *rerum ſperandarum*, quia fides per aſſenſum in nobis ſubſiſtere facit res ſperandas. Dicitur etiã *argumẽtum*, nõ concluſio, quia probat de non apparentibus quòd ſint, & non probatur.

Fides. Heb 11. Ibidem.

Actus fidei interior.

Additur etiam, *non apparentium*, quia fides sua luce & veritate manifestat ea, quæ non apparent, præterita, præsentia, & futura. Cæterum interior actus fidei triplex est, & ideo fides dicitur tribus modis, vt dicit Alexand. de Hales in iij. Primus actus fidei est, credere Deum, scilicet quòd Deus sit: & tunc fides dicitur habitus gratuitus, sed imperfectus & informis, eleuans tantùm intellectum supra se ad assentiendum primæ veritati propter se. Nam qui solum eleuat intellectum, & non mouet, affectum per amorem, habitus informis denominatur, ex qua, scilicet fide, motus elicitur, qui est credere Deum, prout credēdus est trinus & vnus, Creator & Redemptor. Secundus actus fidei est, credere Deo, id est, credere vera esse, quæ Deus dicit. Et tunc fides dicitur habitus acquisitus ex ratione vel testimonio: & ex ea potest elici motus, qui est credere Deo, id est, dictis eius fidem adhibere. Tertius actus est, credere in Deum, id est, per charitatem tendere in Deum. Et tunc fides dicitur habitus gratuitus perfectus, & charitate formatus, eleuans intellectum pariter & affectum ad assentiendum summæ veritati & amandum propter se: ex qua motus elicitur, qui est credere in Deum, id est, secūdùm Augustinum credendo amare Deum, credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & eius membris incorporari. Et hic est actus fidei, quem à nobis exigit Deus. Veruntamen hi tres actus non sunt actus diuersi, sed vnus & idem actus, diuersum habens respectum ad obiectum fidei. Nam credere Deum, est actus fidei & intellectus, qui terminatur in vnum. Credere Deo, est actus fidei secūdùm quòd ratio inclinat voluntatem ad assentiendum Deo. Sed credere in Deum, est actus intellectus secundùm quòd determinatur à voluntate. Sicut enim amare, simpliciter est actus voluntatis; sic amando credere, est actus fidei per charitatem motæ ad actū suum. Hinc dicit Bonauentura in Centiloquio: Ad hoc, quòd fides perfectè tendat in Deum, requiritur adiunctio charitatis, quæ ordinat ad amorem Dei, & ad operationem boni, & ad perpessionem mali, & ad dilectionem proximi. Vnde, secundùm Apostolum ad Galatas, *fides* est operans per dilectionem, hæc scilicet quatuor: Primò, affectionem vel dilectionē finis. Nisi enim Deum diligeret, nunquam eum consequeretur: & sic credendo amat. Secundò, operatur inclinationē vel motionem: quia nisi quis Deum diligeret, nunquam moueretur, vel ad Deum iret: & sic credendo, ad Deum vadit. Tertiò, operatur coniunctionem vel adeptionem: quia nisi quis inclinaretur, vel moueretur ad Deū, nūquam ei con-

Credere Deum.

Credere Deo.

Credere in Deum.

Galat. 5. Fidei effectus.

ei coniungeretur: & sic credendo Deo adhæret. Quartò, operatur participationem vel communionem. Nam ex adeptione finis perducitur quis in participationem perfectionis finis: & sic credendo membris eius incorporatur.

De fide mortua ex defectu operis vel rectæ intentionis, & de fide viua, quæ suo lumine quinque facit in homine, & de articulis fidei.
Cap. LXXXVII.

QVæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna? &c. In his verbis notatur progressus virtutum Theologicarũ, quæ prouehunt hominem ad summam perfectionem. Theologicæ namque virtutes sunt alijs supereminentiores, quia virtus infusa nobilior & eminẽtior est omni virtute acquisita. Nimirum cùm vna & eadem virtus, prout est infusa, est alterius rationis & maioris perfectionis, quàm prout est acquisita, sicut patet de fortitudine acquisita, quæ est virtus politica, & eadem infusa, quæ est donum Spiritus sancti: & sic differunt tam specie, quàm perfectione. Nam operatio virtutũ, tam moralium, quàm etiam intellectualium, est dirigere & ordinare hominem in finem naturalem. Sed operatio virtutum Theologicarũ, est dirigere & ordinare hominem ad finem supernaturalem, quæ est visio diuinæ essentiæ.

Duplex igitur fides distingui potest. Prima dicitur mortua: tum propter defectum operis, quia sic latitat in corde, quòd non erumpit in opere. Vnde & illud sancti Iacobi: *Fides sine operibus mortua est.* Tũ ex defectu rectæ intentionis, quia non sufficit bene operari, nisi & opus bonum intentione recta perficiatur. Talium enim fides impotens inuenitur ad eliciendas debitas operationes, & rectas intentiones charitate formatas & viuificatas: sicut lux extinctæ candelæ propter sui modicitatem insufficiens est ad dirigendum gressus hominum, ad præcauenda pericula, ad discernendum per electionem quid formosum, quid deforme: etsi verbis *Deum se* confiteri gloriantur, *factis* tamẽ *negant*. Hinc ait Bernardus: Credis in Christum, fac opera Christi, vt viuat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, actio probet: terrenum opus non curuet, quem fides cælestium erigit. Alioqui si te confiteris *nosse Deum, factis autem* negas, planè non rectè, sed impiè linguã Christo, animam dedisti diabolo. Vides quòd non facit hominem rectum *fides* recta, quæ non *operatur* ex dilectione? Quæ enim sine dilectione

Fides mortua. Iacob. 2.

Tit. 1.

Galat. 5.

est, non habet vnde diligat sponsum: sed nec opera, quamuis recta, rectum cor efficere sufficiunt *sine fide* & dilectione, sine quibus *impossibile est placere Deo*. Qui non placet Deo, non potest illi placere Deus. Nam cui Deus placet, Deo non placere non potest.

Heb. 11.

Fides viua.

Secunda verò fides dicitur viua, vtpote charitate formata, quæ est quidam viuificus radius in humanum intellectum gratis de fonte vitę descendens, iuxta illud Psalmist. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Lumen vultus* est gratia iustificationis, qua pars intellectiua (quæ est imago creata) nobiliter insignitur. Hoc lumē est totum & verum bonum hominis, quo signatur vt denarius imagine regis. Et hic quidam viuificus radius sicut lux accensæ candelæ gestantem illuminat, procedentem dirigit, & ad optatum terminū sine offensione perducit, torporem excutiens, vitandis resistens, exequenda & perficienda viscerosius amplectens, quia ne vacua maneat ab opere, nobis indicat hîc esse locum & tempus pugnæ. In mundo namq; secundùm Bernardum, velut in stadio certaminis positi sumus, vbi Christus mortuus est. Qui ergo liuorem, vel plagam hîc non susceperit, in futuro iudicio miles inglorius apparebit: quia non decet sub spinoso capite nutrire corpus delicatum. Vnde principaliter hic radius quinque in nobis operatur. Nam primò, intellectum nostrū illuminat, vt sciat credenda, amplectenda, & fugienda, pellens ab anima triplices tenebras, scilicet ignorantiæ, perfidiæ, & mortalis culpæ. Quia fides, secundùm Augustinum, est illuminatio mentis ad summam veritatem cognoscendam & diligendam, & in ea omnem ignorantiam, perfidiam, & culpam abhorrendam. Secundò, fidei radius intellectum nostrum vita gratiæ viuificat, qua scilicet attrahimur & incitamur ad omnia Deo grata viuaciter exequenda: quia per fidem Deo copulamur, & per intellectum viuificamur, sicut *iustus ex fide* viuere dicitur, credita non solùm affectu complectendo, sed etiam effectu exequendo: paratus nō solùm ad operandum ardua, sed etiam ad sustinendum grauia, vt Deo suo perfectè placeat & fideliter inhæreat. Tertiò, fidei radius totū hominem purificat, quantum ad effectum & voluntatem, iuxta illud: *Fide purificans corda eorum*. Ex hoc autem res impura dicitur, quia rebus vilioribus miscetur, sicut argentum plumbo mixtum, dicitur impurum: quod tamen auro mixtum, non dicitur impurum. Sic creatura dicitur impura, quando rebus caducis inordinatè per affectum inhæret, & se per inordinatum amorem immiscet, quæ per fidem chari-

Radius fidei.

Habac. 2. Rom. 1.

Actor. 15.

charitate formatam in Deum tendens, purificatur, & virtute charitatis perficitur. Ostendit enim huiusmodi fides Deum esse summum bonum, cui soli, despectis cæteris, per amorem semper & fideliter est inhærendum. Quartò, fidei radius hominem nobilitat, quia Dei filium eum constituit. Et sine tali fide, secundùm Augustinum, nemo potest ad filiorum Dei numerum peruenire. Vnde ait Ioannes: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*: nimirùm cùm & corda credentium Deus inhabitat. Cor autem est in pectore, Anima in corde, Mens in anima, Fides in mente, Christus in fide. Hinc dicit Apostolus *Christum habitare per fidem in cordibus* nostris. Vnde solum cor hominis est capax rationis, & susceptibile mysteriorum Dei: quod fide purgatum atque politum etiam ipsam diuinitatis substantiam considerat, etsi non comprehendit, & omnia mysteria fidei Christianæ fide percipit inconcussa, nihil dubitans: licèt rationem non videat. Vnde super illud Iob: *Non videbit* riuos *butyri & mellis*, dicit Gregorius. Butyrum nascitur ex carne, & significat Christi humanitatem: mel verò descendit ex aëre siue rore, & significat Christi diuinitatem. Ex his duobus fluunt riuuli contemplationis humanitatis & diuinitatis, quos solùm fideles in tanta quandoque plenitudine percipiunt, vt videant quæ dicere non valent. Nam quando Deo quis iungitur in vera fide, ipse Deus non solùm adest concupiscentiæ superandæ, ac molestiæ perferendæ, sed etiam menti illuminandæ, sic quòd per fidem attingit inaccessa, vt dicit Bernardus. Est enim sapientia, qua fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur. Qua quidem sapientia non pollent plurimi fideles, quamuis ipsa fide plurimi polleant, ita quòd per fidē eorum intellectus illuminatus & confortatus, attingit etiam hanc veritatem indubitanter, quòd verè Christus in Sacramento est, & vera deitas est in Christo. Quintò, fidei radius hominem inuincibilem reddit. Hinc dicitur ad Ephesios: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*. Nam Sancti *per fidem* vicerunt *regna, operati sunt iustitiam*. Denique de articulis fidei sciendum est, quòd si respectus habetur ad illos, qui primò Symbolū tradiderunt, tunc sunt duodecim articuli, secundùm numerum duodecim Apostolorū, qui Symbolum instinctu Spiritus sancti composuerunt: ideo vocatur Symbolum, ἀπὸ τοῦ, quòd est simul, & βόλος, quòd est, morsellus; quia vnusquisq; Apostolorū morsellum vnum, id est, partem

Ioan. 1.

Iob 20.

Ephes. 3.

Ephes. 6.

Hebr. 11.

Articuli fidei.

tem appoſuit Si verò reſpectus habetur ad ea, quæ radicaliter ſunt credenda, tunc ſunt quatuordecim, quorum ſeptem pertinent ad diuinitatem, & ſeptem ad Chriſti humanitatem. Et ſecundùm Theologos, poſt tempus reuelatæ gratiæ, tam maiores, quàm minores tenentur habere fidem explicitam articulorum Incarnationis Chriſti, præcipuè quantum ad ea, quæ communiter in Eccleſia ſolennizantur, & publicè proponuntur. Vnde, ſecundùm Thomam in ſecunda Secundæ, licèt omni tempore fides eadem fuerit de myſterio Incarnationis Chriſti apud omnes, diuerſimodè tamen ſecundùm diuerſitatē temporum & perſonarum. Nam ante ſtatum peccati fidem explicitam habuit homo de Incarnatione Chriſti, ſecundùm quòd Incarnatio ordinabatur ad conſummationem gloriæ, non autem ſecundùm quod ordinabatur ad liberationem à peccato: quia homo non erat præſcius peccati. Poſt peccatum verò fidem habuit explicitam, non ſolùm de Incarnatione, ſed etiam de eius Paſſione, & Reſurrectione, quibus humanum genus à peccato & morte liberaretur. Et quāntò Patres antiqui Chriſto fuerunt magis propinqui, tantò magis fidem explicitam habuerunt. Dicit enim Gregorius, quòd ſecundùm crementum temporum creuit ſcientia ſanctorum Patrum. Tempore verò reuelatæ gratiæ, tenentur omnes habere fidem explicitam de articulis Incarnationis Chriſti, vt dictum eſt, & etiam fidem explicitam ſanctiſsimæ Trinitatis, vtpote ſine qua myſterium Incarnationis Chriſti explicitè credi non poteſt. Sufficit tamen quòd minores alios articulos de diuinitate credant implicitè. Implicitè verò credere, eſt credere quicquid Eccleſia credit.

De ſpe, cuius certitudo oritur ex tribus, & de triplici ſigno manifeſto æternæ ſaluationis. Cap. LXXXVIII.

Spes. QVa eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna? &c. Expediti de prima virtute Theologica, iam de ſecunda, ſcilicet ſpe, breui ſtylo proſequamur. Eſt autem ſpes expectatio certa futuræ beatitudinis, ex Dei gratia & meritis proprijs prouenies. Dicitur autem expectatio certa, quia proprius actus ſpei eſt, non ſolùm ſperare, ſed etiam expectare futurā beatitudinem. Spes enim tendit in aliquod bonum poſsibile nobis adipiſci: & hoc duobus modis. Vno modo ſecundùm virtutem propriam: & hoc modo dicitur ſpes ſperare tantùm. Alio modo per virtutem alienam: & hoc modo

propriè

propriè dicitur expectare velut ab alio expectare. Quæ duo tangit Apostolus ad Rom. dicens: *Si autem quod nō videmus, speramus; per patientiam expectamus.* Et hæc expectatio dicitur certa: quia sicut fides innititur primæ veritati, quæ fallere non potest; ita spes innititur summæ liberalitati, quæ deficere nō potest, *Scio*, inquit Apostolus, *cui credidi & certus sum, quia potens est seruare depositum meum in illum diem.* Rom. 8. 2. Tim. 1.

Spes beatitudinis.

Hanc autem certitudinem consequendi beatitudinem electi primò concipiunt, ex æterna Dei ordinatione, qua nos creando prærordinauit ad eam consequendam. Secundò, ex auxilio diuinæ omnipotentiæ. Tertiò, ex auxilio diuinæ misericordiæ. Quartò, ex infinita Dei liberalitate. Quintò, ex liberi arbitrij ad peccatum inflexibilitate, quia non ponunt suprædictis obstaculum alicuius peccati. Verumtamen aliqui spem habentes futuræ beatitudinis, deficiunt à cōsecutione beatitudinis; non quidem ex defectu diuini auxilij, quod in quatuor primis consistit, sed ex defectu liberi arbitrij ponentis obstaculū peccati. Et ideo, secundùm Gregorium, nihil nobis est securius, quàm sub spe semper timere, ne mens incauta desperando se in vitijs deijciat, aut extollendo de donis ruat. Securitas quidem esse debet in spe, sed timor in conuersatione, vt & illa certantes foueat, & ista torpētes pungat: quia *beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperāt super misericordia eius.* Sic enim sancti viri sub spe sunt certi, quòd tamen semper sint de tentatione suspecti. Semper enim ad aduersarij certamen erigendus est animus, semper contra occultas insidias cautela prouidenda: quia tentatio *est vita hominis super terram.* Quidam tamen post conuersionem ad pœnitentiam, nimis indiscretum timorē & metum habent de peccatis: quibus consulit super Cantica Bernardus, dicens: Suadeo vobis amicis meis interdum flectere pedem ab anxia recordatione viarum vestrarum, & arripere itinera planiora serenioris memoriæ beneficiorum Dei, vt qui in vobis confundimini, ipsius intuitu respiretis, & experiamini illud Psalmistæ: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Interpoletur ergo lætiori recordatione diuinæ benignitatis cor vestrum, ne fortè prætristitia magis induretur, & desperatione plus pereat. Misceamus absynthio mel, vt salubris amaritudo salutem tunc dare possit, cùm immixto temperata dulcore bibi poterit. Nam maior est Iesu pietas, quàm quæuis iniquitas: & si sentitis de vobis in humilitate, *sentite* tamen magis *de Domino in bonitate.* Nemo namque benefaciens, de Dei pietate, misericor- Psal. 146. Iob 7. Psalm. 36. Sapien. 1.

diaq; desperare debet: quia si Deus peccatorib⁹ parcit, quãtò magis iustis clementer & misericorditer cõdescendit? Et ideo, secũdùm Richardum, de exterminatione mali post dignam satisfactionem & concupiscentiam edomitam, debemus consolationem recipere, & ad spem veniæ, securitatisque quietem animum reformare, plusque diligere securam, & absque timore in Dei pietate confidentiam, quàm pestilentẽ desperationis desidiam. Hinc, secundùm Gregorium est, qui seruile æstimat Dominicam in iudicio formidare præsentiam, ac ne in cõspectu patris veniat, illa agit, per quæ se filium recognoscat. Discit iudicem tota expectatione diligere, ac salubriter timendo renuit timere: timet filialiter, vt non timeat seruiliter. Alioqui incassum de spe præsumit, qui timere Deum in suis operibus renuit. Quòd si vacillat adhuc trepida conscientia, de timore se penitus transferat in amorẽ: quia

1.Ioan.4. sola *perfecta charitas foras mittit timorem.* Et tunc accipiet *spiritum adoptionis filiorum, in quo* clamabit: *Abba, Pater.*

Rom.8. In eo namque, quòd nostra deuotio se habet ad Deum, non vt ad iudicem vel dominum, sed vt ad patrem vel sponsum, in eadem deuotione stat ipsa attestatio, & nobis infunditur, *quòd filij Dei sumus,* quòd fit per Spiritum sanctum.

Obiectum spei. Deinde tangit obiectũ spei, quod est futura beatitudo, quæ propriè consistit in Dei visione. Dicit enim Apostolus ad Hebræos, quòd *spem sicut anchoram habemus animæ tutam, & firmam, & incedẽtem,* id est, incedere facientem, *vsque ad interiora velaminis,* id est, ad cælestem beatitudinem nobis velatam: quia beatitudo futura nobis in via est velata & occulta. Hanc autem firmam spem operatur Spiritus sanctus, præsertim in his, qui iustitiæ semitas ingredi non refugiunt, certissima signa cordibus eorum imprimens, quòd remissionem peccatorũ consecuti sunt. Et quanto perfectior & sanctior eorum vita fuerit, tanto maior certitudo comitatur de peccatorum remissiõe, & æterna beatitudine. Vnde certitudo spei oritur ex tribus, scilicet ex abundanti infusione gratiarum, ex abundantia meritorum, & ex prægustatione æternorum. Quæ tria Spiritus sanctus operatur in electis, gratiam infundens, ad diligendum Deum; vires administrans, ad bene operandum; & spiritualem dulcedinem donans, ad cælestia prægustandum. Hunc enim spiritum dat Deus intimis suis, quasi quoddam pignus æternæ felicitatis, per quod ad interioris spei certitudinem roboratur.

Spei certitudo.

2.Cor.1. Vnde super illud Apostoli: *Qui dedit* nobis *pignus Spiritus,* dicit Gregorius:

gorius: Ad hoc enim pignus accepimus, vt de promissione, quæ nobis fit, certitudinem teneamus. Donum ergo Spiritus sancti pignus dicitur, quia per hoc anima nostra ad interioris spei certitudinem roboratur. Tandem subiungit modum, vel medium attingendi præmium illud, dicens: Ex gratia Dei, & proprijs meritis proueniens. Spes autem non præsupponit merita in actu, sed in proposito. Cùm enim spes sit habitus infusus, sicut fides & charitas, ex pura Dei gratia causatur. Sed ideo sperat aliquis, quia per merita, quæ proponit, ad beatitudinem se peruenire sperat. Et quamuis opera nostra non sint meritoria, nisi ex Dei gratia, tamen sine meritis aliquid sperare non est spes, sed præsumptio dici potest: nec quisquam perfectus cõfidit in suis meritis, vt sunt opera propria, sed vt diuinæ gratiæ sunt opera, dicens cum Apostolo: *Gratia Dei sum id quod sum.* Vnde, secundùm Bernardum in sermone de Septuagesima, quædam sunt signa salutis & indicia manifesta, vt indubitabile sit eum esse de numero electorum, in quo signa illa permanserint. *Tres sunt*, inquit, *qui testimoniũ dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis.* Christus enim proprium sanguinem dedit in redemptionem, aquam simul de latere suo produxit in ablutionem, ac Spiritum sanctum emisit, qui *nostram adiuuaret infirmitatem.* Quis autem habet testimonium effusi sanguinis, nisi qui continet à peccatis? Is enim abijcit iugum miseræ seruitutis, quod est signum suæ redemptionis, quam operatur sine dubio Christi sanguis. Alioqui nõ est via ad regnum sine primitijs regni, nec sperare potest cæleste regnum, cui necdum super propria membra regnare donatur. Deinde ab aqua testimonium habet, qui *dignos pœnitentiæ fructus* agit, *in gemitu* suo laborãs, & *lachrimis* lectum conscientiæ lauans. Addatur & illud Ezechielis: In quacunq; hora peccator ingemuerit, *omnium* peccatorum suorum *non recordabor* amplius. Denique, nouum superuenisse spiritum noua conuersatio testatur, amplectendo ardua, & sustinendo grauia: quia secundùm Gregorium, beatorum mens, quò duriora pro veritate tolerat, eò certius æternitatis præmia sperat. Nam in Deum tantò spes solidior surgit, quantò pro illo quisque grauiora pertulerit. Et quia vita vitæ mortalis, spes est vitę immortalis: ideo sic in æternitate animum figit, quòd exterius nulla mala, quæ tolerat, sentit.

Modus spei.

1. Iohan. 5.
Ioan. 19.
1. Cor. 15.
Rom. 8.

Lucæ 3.

Psal 6.
Ezech. 18.

De charitatis emptione, & de amore naturali, & quomodo differunt amor, dilectio, & charitas. Cap. LXXXIX.

Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Cantic. viij. Sicut dicit Gregorius, vbi abundat amor æternorum, mox vilescit possessio labentium. Et ideo *si dederit homo*, qui sapientia regitur, *omnem substantiam domus suæ pro dilectione* diuina habenda & conseruanda, scilicet *omnem substantiam* tam naturæ, seipsum abnegando propter Deum: quàm fortunæ, temporalia propter Deum contemnendo, & mundanæ complacentiæ propter Deum vilipendendo, *quasi nihil despiciet eam*, charitatis valorem considerando. Quia sicut *sapientia*, sic & charitas pretiosior est *cunctis opibus*: & omnia, quæ desiderantur, huic nō valent *comparari*. Hinc Hugo charitatem hanc comparare cupiens: O charitas, inquit, si scirem quanti valeres, pro te pretium appenderem. Sed fortè excedis angustias meas, nec inuenire potero pretium tuum penes me. Dabo tamen quod habeo, & totum quod habeo, & tota domus meæ substantia te commutabo: & cùm totum dedero, *quasi nihil* iam reputabo. Omnes delectationes carnis meę, omnes iucunditates cordis mei propter te libenter impendam, vt te solam possidere valeam. Tu sola mihi charior, tu sola vtilior, tu sola suauior, tu sola iucūdior, amplius delectās, amplius satians, tutius saluans, felicius conseruans. Sed noli diffidere ô homo. Omnes enim hac charitate satiare desiderat, qui nos omnes ad hunc vitæ fontem dulciter inuitat, dicens: *Omnes sitientes, venite ad aquas*, scilicet tam gratiæ, quàm charitatis: *& qui non habetis argentum, properate, & emite*, scilicet vinum charitatis, & lac puritatis. Porrò de propria moneta margaritam hanc comparare necesse est, non de his, quæ *Domini* sunt: cuius *est terra, & plenitudo eius*, omnia scilicet temporalia, corporalia, spiritualia, & æternalia. Intra nos latet pretium huius margaritæ. Aperienda est ergo bursa nostra, & moneta propria tradenda. Bursa nostra cor nostrum est, in qua moneta nostra recondita latet, scilicet scelera & peccata: quæ per humilem contritionem, & verā confessionem tradita, Dominus & fons amoris pro mercantia amoris libenter acceptat. Audi Dauid soluentem hoc pretium: *Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino*. Audi margaritam diuinæ dilectionis recipientem: *Et tu remisisti impietatem peccati mei*. O pelagus amoris incomprehensibilis, quid agis? quid sustines? O sublimitas sapientiæ Dei, *quæ exuperas omnē sensum*, qualiter ex amore quodāmodo stulta effecta videris, nummos scelerum nostrorum affectanter acceptans, & amplissimum tuæ charitatis donum clementer indulgens, vt amo-

Prouer. 8.

Charitatis laus.

Isa. 55.

Psalm. 23.

Psal. 31.

Philip. 4.

vt amore tuo beatos nos in æternum efficias. Cõsidera nunc ô homo, quid das, & quid recipis. Quid carius eo, quod emitur; & quid vilius eo, quo emitur? Dicit enim Apostolus, quòd *plenitudo legis est dilectio:* quia cuncta præcepta, & eorum adimpletio salutifera originaliter emanant à radice charitatis, tanquam à fontali suo principio, & in ipsam vltimò ordinantur, tanquam in finem & terminum completium. Nam præcepta primæ tabulæ, quæ sunt tria, emanãt à dilectione Dei, & finaliter nos in Deum ordinant. Itaque perfecta Dei dilectio primò mentem vnit diuinæ potestati & vnitati: quia perfecta Dei dilectione sic homo vnitur Deo, quòd omnes actiones suas in Dei l. 1 dẽ ordinat & honorem, potentiam eius cum obsequio venerãdo, & vnũ Deum fideliter credendo. Secundò verò per eam omnes locutiones suas refert in honorem deificæ veritatis: & sic ordinatur in reuerentiã oris, quæ debetur diuinæ veritati. Tertiò denique per eam omnes affectiones suas refert in honorem diuinæ bonitatis, eidem per amorem perfectum suauissimè inhærendo, vt sic faciat sabbatum spirituale. Præcepta verò secundæ tabulæ consequenter emanãt à proximi dilectione, & finaliter nos ordinant respectu proximi. Quia cõstat, quòd qui proximum veraciter diligeret, ipsum libenter honoraret, & eius necessitati studiosè subueniret, & nunquam nocumentum aliquod illi inferret corde, ore, vel opere. In quibus includuntur præcepta secundæ tabulæ, & omnia iam dicta præcepta per legem naturæ, sunt in corde cuiuslibet hominis implicitè naturaliter insita. Præcepta verò de dilectione Dei & proximi continentur in illis decem præceptis, sicut principia in conclusionibus proximis, ita quòd omnia præcepta decalogi referuntur ad illa duo, sicut conclusiones ad communia principia. Lex autem naturæ continet ipsa præcepta in genere, cùm dicit: Quod tibi vis fieri, hoc alijs facito: Et non facias alijs, quod tibi fieri non vis. Et ius à tali ratione naturaliter proueniens, dicitur naturalis æquitas, ex qua ratione naturali iura positiua deriuantur. Ad maiorem autem euidentiam sciendum, secundùm Dionysium, de diuinis nominibus, quòd communiter & vniformiter vtendũ est in diuinis nomine amoris, dilectionis, & charitatis. Quamuis amor est propriè simplex operatio affectus: dilectio verò est ipsa operatio, in quantum includit in se actum rationis eligentis, & præponentis amatum omnibus alijs, secundùm illud Canticorum: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus:* Charitas autem dicitur ab eo, quod est charum, quando sic amatum

Rom. 13.

Dilectio Dei quid efficit.

Tobiæ 4. Matth. 7.

Dilectio.

Cantic. 5.

Charitas.

amatum alijs intenso affectu præfert, quòd eum sibi inæstimabili pre-
Cant 1. tio ponit, cùm sponsa dicens: *Si dederit homo omnem substantiam do-*
mus suæ pro dilectione, id est, ex dilectione, propter dilectum, *quasi ni-*
Philip 3. *hil despiciet eam, omnia*, cum Apostolo, quasi *stercora* reputans, *vt*
Christum lucrifaciat. Charitas tamen non est nisi amor boni. Vnus igi-
Capit. 4. tur est amor increatus, secundùm Dionysium, qui sua supersubstanti-
ali & vniuersali appetibilitate ingignit amorem creatum omnibus
rebus: qui scilicet amor est inclinatio quædam, & coordinatio amā-
tis ad bonum amatum. Vnde quando nominamus amorem diuinū,
siue Angelicum, siue intellectualem, siue animalem, siue naturalem, a-
moris nomine designamus quandam virtutem vnitiuam: quia amor
est connexio, & vinculum, quo rerum omnium vniuersitas, ineffabili
amicitia, insolubiliq́ue vnione copulatur. Commentator quoque vo-
cat ibidem amorem naturalem quandam inclinationem ad bonum,
quæ non præsupponit aliquam cognitionem. Et hæc inclinatio rebus
omnibus est indita naturaliter à Creatore, quòd inclinetur ad conser-
Iob 37. uationem sui esse, quod est bonum eis. Hinc dicitur apud Iob: *Frumē-*
tum desiderat nubes, id est, ad hoc naturalem habet inclinationem. Vo-
cat autem amorem animalem quandam inclinationem in bonū, quæ
præsupponit cognitionem sensitiuam. Et hic amor tantùm est in his,
in quibus est appetitus sensibilis, sicut in brutis & hominibus. Vocat
etiam amorem intellectualem quādam inclinationem in bonum, quæ
præsupponit cognitionem rationis, quæ est in homine. Et sicut in ho-
mine triplex inuenitur appetitus, sic etiam in eo hæ tres amoris dif-
ferentiæ pariter inueniuntur. Amor enim dicitur illud, quod est prin-
cipium, quo tendit appetitus in finem, id est, in bonum amatum, vn-
de generaliter omne agens quodcunque sit, quicquid agit, ex aliquo a-
more agit. Et omnes animæ passiones secundùm vim concupiscibi-
lem ex amore causantur, siue sit gaudium de præsenti bono, siue dolor
de præsenti malo, siue spes de futuro bono, siue timor de futuro malo.
Appetitus naturalis. Et sicut inordinatus amor sui est causa omnis peccati, sic ordinatus
amor sui & verus amor Dei est origo fontalis omnis boni. Primus
igitur appetitus dicitur naturalis, quia nihil aliud est, quàm inclina-
tio naturalis in id quod est sibi conueniens: & est in omnibus rebus
naturalibus, quia omnes appetunt, quod eis conuenit secundùm su-
am naturam, non per apprehensionem suam, sed per apprehēsionem
instituentis naturam: sicut sagitta fertur in signum non cognitione
propria,

propria, sed virtute sagittantis,& eam in signum dirigentis. Et iste appetitus dicitur amor naturalis, sicut etiam quòd omne leue tendit sursum, & omne graue deorsum, tanquam ad loca sibi connaturalia. Et hoc amore omnes diligunt Deum boni, & mali,& infideles. Quia dicit Augustinus in libro Soliloquiorum,quòd Deum amat omne,quod amare potest, siue sciens,siue nesciens. Alioqui, secundùm Bernardũ, inexcusabilis est omnis etiam infidelis, si non diligit Deum toto corde,tota anima,tota virtute. Clamat enim intus ei innata & non ignota rationi iustitia, quòd ex toto se illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat. Secundus appetitus dicitur sensitiuus, qui sequitur quidem cognitionem appetentis,non tamen ex iudicio libero, vel electione libera, sed ex quadam necessitate:& tunc ipsa complacentia boni sensibilis, per quam appetitus sensitiuus fertur in bonum sensibile, dicitur amor sensibilis vel sensitiuus. Tertius appetitus dicitur intellectiuus, qui consequitur apprehensionem appetentis secundùm liberum iudicium, quia fit cum propria cognitione,& libera electione. Et talis appetitus dicitur voluntas. Et hic amor dicitur intellectualis, habens, secundùm Bernardum, quatuor gradus. Primus, est diligere se propter se. Secũdus, diligere Deum propter se. Tertius diligere Deum propter Deum. Quartus, diligere se tantùm propter Deum.

Appetitus sensitiuus.

Appetitus intellectiuus.

Gradus amoris.

De charitate increata & creata, virumne eadem dilectio sit respectu diuinarum personarum & creaturarum, & de nimia charitate eius ad nos. Cap. XC.

SI dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione;quasi nihil despiciet eam. Charitas (vt dicit Prosper in libro de vita contemplatiua)est voluntas recta ab omnibus terrenis & præsentibus prorsus auersa, iuncta Deo inseparabiliter, & vnita, igne quodam sancti Spiritus (à quo est, & ad quem refertur) incensa, omnis inquinamenti extranea, correptionis nescia, diuinæ contemplationis auida, in omnibus semper inuicta, salus morum, mors criminum, vita virtutũ, virtus pugnantium, palma victorum, causa bonorũ meritorum, præmium perfectorum: sine qua nullus Deo placuit, cum qua nullus peccare potuit, fructuosa in pœnitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseuerantibus, victoriosa in Martyribus, operosa in omnibus fidelibus. Ex qua, secundùm Augustinũ, nascitur strenuitas morum, puritas affectionum, sublimitas intellectuum, sanctitas desideriorum, cla-

Charitatis encomium.

ritas operum, fœcunditas virtutum, & dignitas meritorum Hæc, inquam, *charitas*, qua Deus ſuper omnia, & in omnibus diligitur propter ſe, & proximus propter Deũ & in Deo, ab Apoſtolo ponitur *finis præcepti*: quia omnia quæ ſunt in præcepto, tendunt ad charitatem, vt magis ac magis augeatur. De qua quæri poteſt, Vtrum ſit aliquid creatum in anima, præſertim cùm ſit infinitæ virtutis, hominem perducens ad bonum infinitum, & ipſi animæ noſtræ ſpiritualem vitam cõferens, ſecundùm illud 1. Ioannis: *Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.*

1. Tim. 1.

1. Ioan. 3.

Charitas ſitne quid increatum.

Ad hoc reſpondet Magiſter Senten. lib. 1. diſt. 17. dicens, quòd charitas non eſt aliquid creatum in anima, ſed ipſe Spiritus ſanctus, mentem inhabitans, id eſt, ipſe motus dilectionis eſt à Spiritu ſancto, non mediante aliquo habitu, ſicut à Spiritu ſancto ſunt alij actus virtuoſi, mediantibus habitibus aliarum virtutũ. Quod Magiſter dixit propter excellentiam charitatis. Et habuit huius opinionis ſequaces. Communiter tamen hoc improbant Doctores, & ponunt charitatem, quæ eſt habitus creatus, animam informans: quia charitas, qua Deum diligimus, eſt virtus, qua Deus non tantùm cooperatur in nobis, ſed etiam qua noſtra voluntas Deo cooperatur. Adiutores enim Dei ſumus, & ideo neceſſe eſt, quòd ab illa ſumma charitate relinquatur in nobis aliquod exemplatum in affectu noſtro, per quod moueatur illi cõformiter. Voluntas enim libera eſt, & nata moueri ad oppoſita: & ideo in nobis ponitur virtus charitatis creatæ, non propter defectum à parte Dei nobis cooperantis, ſed voluntatis noſtræ ſibi cooperantis, nec motus charitatis ita procedit à Spiritu ſancto mentem humanam mouente, quòd mens humana ſit mota tantum, & nullo modo ſit principium huius motus, quia hoc eſſet contra rationem voluntarij, cuius principium oportet in ipſo eſſe. Et quia charitatis actus naturam potentiæ volũtatis excedit, ideo oportet quòd aliqua forma naturali potentiæ ſuperaddatur, per quam ad actum dilectionis inclinetur: alioqui actus iſte eſſet imperfectior naturalibus actibus, & etiam actibus aliarum virtutum, nec per conſequens eſſet facilis & delectabilis: cùm tamen nulla virtus ad actum ſuum tantam inclinationẽ habet, & tam delectabiliter operatur ſicut charitas: ideo neceſſariũ eſt, quòd ad actũ charitatis aliqua habitualis forma ſuperaddita ſit naturali potẽtiæ ad actum charitatis ipſum inclinans, & delectabiliter operari faciens. Vnde licèt effectiuè Deus eſt vita animæ per charitatem, & corporis per

animam

animam, tamen formaliter charitas est vita animæ, sicut anima vita corporis. Et sicut anima immediatè vnitur corpori, sic charitas animę: & formaliter operatur efficacia formæ secundùm virtutem agentis, qui formam inducit. Duplex ergo distinguitur charitas, scilicet increata, quæ Deus est; & creata, quæ Dei donum est. Vnde Bernardus: Re- Charitas
ctè dicitur charitas, & Deus, & Dei donum. Itaque charitas dat chari- duplex.
tatem, substantia accidentalem. Vbi dantem significat, nomẽ substantiæ est: vbi donum, qualitatis. Et si quæritur, Vtrũ sit eadem dilectio diuina respectu creaturarum, quæ est respectu personarum in diuinis, quia tunc esset summa, quæ nec posset intẽdi, nec remitti. Ad hoc breuiter dicendum secundùm Alexandrum de Hales, quòd sicut dilectio personarum in diuinis adinuicẽ est summa, quia ibi est summum bonum tam ex parte voluntatis quàm ex parte voliti, quia Pater Filio, & econuerso, non potest velle maius bonum, quàm vult: sic dilectio diuina ad creaturas, etiam est summa per comparationem ad voluntatem diligentis, quia non potest esse maior, nec intendi, nec remitti. Et
hoc innuit Christus, dicens: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Sed Ioan. 15.
per comparationem ad ipsum volitum, quòd ex dilectione Deus efficit in creatura, vel quod iam factum ei placet, tũc potest esse maior dilectio, quia potest ipsum facere melius, & ei maius bonum velle. Non tamen stat per eum, sed per homines, quòd exigente eorum ignauia & ingratitudine non fiunt meliores, & vbi vasa vacua non sunt, oleum gratiæ & charitatis stare necesse est. Vnde quantò meliores sunt creaturæ in ordine & gradu suo, tantò magis sunt diligibiles: quia bonum ratione boni diligibile est. Et ideo quantum est in qualibet creatura de bono, tantum est diligibilis, & ab eo plus diligitur, qui voluntatẽ habet bene mensuratam & ordinatam, sicut in Deo. Porrò illa auctoritas Hugonis, qua dicitur, Ea vis amoris est, quòd necesse est amantem esse talem, quale est id quod amat, secundùm Alexandrum de Hales intelligitur propriè, vbi amans amato minus nobile est simpliciter, vel secundùm quid. Quamuis enim amatum sit minus nobile simpliciter sicut nummus, tamen, quia homo id affectat, seipsum illo tanquam amato supponit, & sic quodammodo trãsformatur in illud. Sic autem non est in Deo, quia verbũ illud non intelligitur de dilectione, quæ est voluntas boni, qualis est dilectio Dei, sed intelligitur de dilectione, quæ est affectio, quæ quodammodo transformat amantem in amatum. Amor autem diuinus non est amor affectionis inclinans ad

alterum, sed potius inclinans & trahens ad seipsum. Amor enim diuinus potius amata trásformat & conformat ipsi amanti, quàm econtra, ita quòd diuinum habens amorem, diuinam induit similitudinẽ: imò *manet in Deo, & Deus in eo*, & omnem amorem in creaturis dulciflua charitate regerit in Deum, *vt sit Deus, omnia in omnibus*. Ad quẽ amorem nos trahere voluit Ambrosius ineffabilibus amoris indicijs, de quibus dicit: Considera affectum diuini amoris paratũ. Quasi enim morituri filij susceptit periculum, quasi orbitatis auxit dolorem, ne tibi periret fructus redemptionis. Tantum enim Deo fuit studium tuæ salutis, vt propemodũ de sua periclitaretur, dum te lucraretur. Ille propter te dispendia nostra susceptit, vt diuinis te insereret, & cœlestibus consecraret. Deus enim summus omnium, propter te factus est minimus omnium. O vim amoris. Quis enim hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione diues, affectu pietatis potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Denique seipsum *exinaniuit*, vt scias amoris esse, quòd plenitudo effusa est, quòd altitudo adæquata est, quòd singularitas associata est, quòd diuinitas humanata est. Nemo ergo se diffidat amari, qui iam amat: Libenter enim amor Dei nostrum amorem, quem præuenit, subsequitur. Nam quomodo redamare pigebit, quos sic amauit nondum amantes? Dilectionis pignus Spiritum sanctum habes, & fidelem testem Iesum, & hunc crucifixum. O geminum ipsumque firmissimum erga nos Dei dilectionis argumentum. Christus moritur, & meretur amari: Spiritus afficit, & amare facit. Ille facit cur ametur, iste vt ametur. Ille multam dilectionem suam in nobis commendat, iste dat. In illo cernimus, quod amemus; ab isto sumimus, vnde amemus. Charitatis ab illo occasio, ab isto affectio. Si igitur multum amati, multum amemus, vt multum amantes, plurimum amari mereamur. Quia nihil est, quod mentem facit Deo charioré, quàm si in ipso intimè delectemur, quod fit per validam charitatem. Et qui Deum diligit, delectationem non perdit, sed mutat in melius, & delectatur securius. Considera nunc ô anima mea, si tantam tibi dilectionem ostendit Deus in via, in Filio suo pro tua salute offerens suam diuinitatem, & animam nobilissimã, carnemque suam innocentissimam, ac in Spiritu suo charitatem eminentissimam, ô quantam tunc exhibebit in patria, vt meritò diceret Propheta: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.*

Amoris vis.

1. Ioan. 4.
1. Cor. 15.
Philip. 2.
Psalm. 16.

Quòd

Quòd charitas est radix & mater, fundamentum & summa, vita & forma excellentissima, & regina omnium virtutum: & de impretiabili pretio eius. Cap. XCI.

SI dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Amor ipsius animæ si rectus est, dicitur charitas: si prauus, dicitur cupiditas vel libido. Charitas autem est motus animæ ad fruendum Deo propter ipsum, & se ac proximo propter Deum. Cupiditas est animæ motus ad fruendum se & proximo, ac quolibet corporeo, non propter Deum: Et quantum destruitur regnum cupiditatis, tantum augetur regnum charitatis: quia venenum charitatis est cupiditas: nutrimentum charitatis, diminutio cupiditatis: perfectio, nulla cupiditas. Sicut enim abhorret cælestia, cuius dilectio spargitur ad infima, sic econtra liberè se quis spiritualibus per amorem conglutinat, cùm de terrenis affectibus nihil supereſt, quod eius mentem in aliena desideria conuertat. Ad quod hortatur Augustinus dicens: Discite amare in creatura Creatorem, & in factura factorem, ne te teneat quod ab illo factum est, & amittas eum à quo & ipse factus es. Hæc igitur charitas dicitur radix & mater omnium virtutum, quia per illã omnes aliæ virtutes nutriuntur: nec habet quicquã viriditatis ramus boni operis, si non permanserit in radice charitatis. Et ex appetitu finis cõcipit actus omnium aliarum virtutum, eis imperando: quia sicut voluntas imperat omnibus viribus, sic charitas omnibus virtutibus, super eas illam habens eminentiam, quòd licèt earum proprios actus non eliciat, sed eliciuntur ab habitibus proprijs; ipsis tamẽ imperat, & à proprijs habitibus elicere facit, vt postea videbitur. Dicitur etiam fundamentum & maxima virtutum, quia omnes alias virtutes valenter sustentat, & in eis omne meritum causat. Nam secũdùm Richardum, propriè loquendo de meritò, secundùm quod consistit in actu remunerabili de condigno in vita æterna, sic omne meritũ est charitatiua Dei dilectio. Per hoc enim quòd voluntas per charitatem Deũ diligit propter se, & super omnia; vult alios actus esse rectos propter illum, cui propter se & super omnia adhæret, quod est ipsos ad vltimum finem referre debito modo. Et sicut rectitudo est in actu ex sui conformitate ad regulã suã, quæ in naturalibus est natura, & in artificialibus ars, & in moralibus ratio recta: & lex diuina: sic etiã illud, quod est in merito formale, sicut ipsa remunerabilitas, quæ in ipso est ex sui

Charitas quid.

Cupiditas quid.

Charitas radix virtutum.

Charitas fundamentum virtutum.

debita relatione in vltimum finem, & ex consequenti ipsa ratio remunerabilitatis, quæ in merito est formalis, ex charitatiua Dei dilectione causata est. Vnde omne meritum, quantum ad illud, quod est in merito formale, consistit essentialiter, vel causaliter in charitatiua Dei dilectione: & efficacia meriti per prius est attribuenda charitatis actui, quàm actui aliarum virtutum, eò quòd ipsa completiua sit omnium virtutum, & in ipsius actu connectitur ipsum meritum. Et quia reddit omnia pretiosa, ideo per aurum designatur in Apocalypsi: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, vt locuples fias.* Et sicut aurum est pretiũ omnium thesaurorum, & quicquid aliud est appretiabile, totum auri pretio æstimabitur; sic etiam cũcta cogitata, affectata, locuta, & operata, charitatis pretio coram Deo commensurantur, qui non ponderat effectum, sed affectũ. Hinc dicitur 24. quæst. 1. cap. Odi, in fine: Dominus interrogat cor, non manum. Et quantò puriori feruentioriq́ue amore placitum aliquod Deo facimus, tantò redditur ei gratiosius. Inde laudatur paupercula vidua, offerens *duo minuta*, non quia multa & magna fecit, sed quia ampla charitate perfecit. Vnde Diuus Bernardus: Fidenter, ait, loquor, charitas faciet, vt ne illorũ fructu fraudet, quorum instituta non sequor. Et fieri potest, quòd bonum frustra operaris, quòd autem diligam frustra bonum quod operaris, omnino fieri non potest. O quanta fiducia charitatis: alius operatur non amãs, & alius amat nihil operans. Ille quidem opus suum perdit: istius verò *charitas nunquam excidit.* Ratio horum est, quia cunctum obsequiũ Deo impensum, aut illi impenditur ex amore recto & puro, qui est amor gratuitus, non quærens quæ sua sunt: aut timore pœnæ vel vindictæ, aut alia quacunque ratione, sese potius, quàm Deum respiciente. Si impenditur amore puro, tunc illum credit esse bonũ, & tali obsequio dignum, quia nulli rectus & purus amor impenditur ab alio, nisi credat illum merito suæ bonitatis amore huiusmodi esse dignum, & per consequens illud obsequium est merè gratuitum, ac propriè loquendo, solùm remuneratione dignum. Qui verò Deo nõ gratis reddit obsequium, sed ex quadam necessitate vel coactione cuiuscunque suppositionis, non propriè dicẽdus est remuneratione dignus, sed magis illi pretium opere suæ elocatæ reddendum est. Vides nunc quia thesaurus iste charitatis infinitæ est vtilitatis? tum, quia quolibet actu charitatis mercatur regnũ Dei, dicente Domino: *Qui dederit calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine meo, nõ perdet mercedem suam.* Nec solùm

Apoc. 3.

Marc. 12. Lucæ 21.

1. Cor. 13.

Matth 10. Marc. 9.

opera

opera de genere bonorum meritoria reddit charitas & aurea, sed etiam opera indifferentia reddit aurea, in dilectū ea per debitam intentionem regerens, ac etiam *omnia* alia siue prospera, siue aduersa, siue mixta, siue bona gratiæ, siue mala pœnæ, & etiam mala culpæ, *cooperantur* enim hæc *in bonum* charitatem habenti. Tam pretiosa namque & efficax est apud Deum charitas sancta, quòd habenti cooperatur in bonum etiam peccata, vt dicit Glossa super illud: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Nec enim minor est in bono dilectio diuina, quàm in malo diuina offensa. Si igitur arroganti bona conuertuntur in malum, quia non operatur ad Dei gloriam, sed ad laudem propriam, cur non magis charitas diuina sua virtute pristina mala cōuertet, & cooperabitur in bonum, qui cuncta facit ad Dei gloriā? Tum etiam, quia sicut diues efficitur, cui omnes mercantiæ & cōtractus lucrosi redduntur: sic mille millies ditiores charitas efficit in mercantijs omnium virtutū & operum virtuosorum, sicut ostendit Apostolus, dicens: *Charitas patiens est*, scilicet quantum ad habitum patientiæ in anima, & ideo non deficit in aduersis, sed pingescit. Et sicut aurū percussum dilatatur, sic pressa charitas augetur. *Charitas benigna est*, id est, bene ignita, bonum pro malo reddens: *Charitas nō æmulatur*, inuidendo alienæ felicitati, vel prosperitati, &c. Rom. 8. 1. Cor. 13.

Dicitur tertiò charitas esse vita & forma virtutum. Est, inquam, vita, quia in sola charitate consistit vita tam virtutū omnium, quàm animarum. Sicut enim sola viuificat animas, sic & virtutes actionesq; virtuosas, eas meritorias reddens, ac viuidas, Deoq; gratas. Vnde Bernardus: Fons vitæ est charitas, nec animam illam viuere dixerim, quæ de illo non hauserit. Haurire verò quomodo potest, nisi præsens sit ipsi fonti, qui charitas est, quæ Deus est? Hinc Propheta ait: *Quærite* Dominum, id est, amorem æternum, qui Deus est, & hoc per amorem, *& viuet anima vestra.* Audi Apostolum vitam hanc expertum, cùm ait: *Viuo* ego, scilicet vita naturæ; *iam non ego*, vita culpæ; *viuit verò in me Christus*, vita gratiæ per charitatem, sicut ignis ferrum transformat in igneam qualitatem. Est etiam forma virtutum, non quidem exemplariter, aut essentialiter, sed magis effectiuè, quia formam omnibus virtutibus imponit, eas ordinans ad vltimum finem. Dicuntur enim proprie virtutes in ordine ad actus formatos. Quartò, charitas est excellentissima & regina virtutum. Excellentissima quidem, quia maximè nos deiformes efficit: Tum ratione liberalis exhibitionis, quia

Charitas vita virtutum. Psal. 68. Galat. 2.

Charitas forma virtutum.

Charitas regina virtutum.

sicut Deus ex amore purè puro tribuit omnia dignis & indignis, sic charitas liberaliter exequitur omnia diuina obsequia & mãdata. Tum etiam ratione conformis vnionis, quia sicut filij nectuntur patri nexu amoris, & vniũtur, sic homo Deo per charitatẽ adhærẽdo spiritus vnus efficitur. Vnde dicit Augustinus, quòd charitas est virtus, quæ animi nostri rectissima affectio est, quæ cõiungit nos amicitia Deo, qua ipsum diligimus Hoc etiã orat Christus, dicens: Oro Pater, *vt in nobis sint* cõ-
Ioan. 17. summati in *vnum. sicut & nos vnũ sumus.* Tũ deniq; ratione finalis quietationis, quia cùm amor sit pondus spirituale, facit in Deum tendere, & in Deum quiescere, sicut corporalia per sua pondera firmari habẽt & stabiliri in locis proprijs. Est etiam regina virtutum & imperatrix, quia quamuis charitas, sicut alia quæque virtus, proprium habet actũ quem elicit, scilicet diligere Deũ & proximum, ita quòd ab ea nullus alius actus elicitur: super cunctas tamen alias virtutes hanc habet eminentiam, quòd earum actus à proprijs habitibus elicere facit, & eos informat meritorios reddens & Deo gratos.

De subiecto charitatis, quod est voluntas, quam dirigit, erigit, & perficit: nec potest in ea charitas diminui, sed potest augeri. Cap. XCII.

SVrge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius. Cantic. 4. Verba sunt hæc vel Dei imperantis, vel hominis instanter deprecantis, vt ab horto fidelis animæ procul *Aquilo* remoueatur aduersitatis, frigiditatis, & malignitatis. Siquidem *ab*
Ierem. 1. *Aquilone* panditur *omne malum*, diabolica flante malitia. *Et veni Auster* spiritualis prosperitatis, & intimæ charitatis: *perfla hortum meum*, id est, ipsam mentem, seu voluntatem, flatu Spiritus sancti, id est, charitate Dei & proximi: *& fluant aromata illius*, scilicet charitatis, in omnes virtutes & virtuosas operationes, vt reddantur Deo gratæ, & hominibus odoriferæ.

Subiectum charitatis. Vnde nunc ordine debito videndum est de charitatis subiecto, quod per hortum aptè significatur: vtpote quod semen charitatis efficit fructiferum & gratum Deo. Pro quo notandum, quòd hæc charitas, vt dicit Archidiaconus, nascitur in appetitu, scilicet cùm quis appetit fieri voluntatem Dei super omnia. Nutritur autem in cogitatione, cùm scilicet in hoc cogitat, & in hoc proficit. Roboratur autem in operatione, tandemq; perficitur, cùm ab hoc se nõ auertit propter aliqua mala, quæ

la, quæ sibi adueniunt. Sed quia propter defectus naturales & impedimenta corporalia hæc plenè consequi non potest in hac vita, cupit *dissolui, & esse cum Christo*, vbi perfectius hoc adipisci sperat, vt Dei voluntas in omnibus fiat. Veruntamen duplex est appetitus, scilicet sensitiuus & intellectiuus, qui dicitur voluntas: & vtriusque obiectum est bonum, sed diuersimodè: quia obiectum appetitus sensitiui est bonũ per sensum apprehensum; sed obiectum appetitus intellectiui est bonum sub communi ratione boni, prout est apprehẽsibile ab intellectu. Sed charitatis obiectum est bonum diuinum, quod solo intellectu cognoscitur. Et ideo charitatis subiectum est appetitus intellectiuus, id est, voluntas. Et quamuis liberum arbitrium non est alia potentia à voluntate, tamen charitas non est in voluntate secundùm rationem liberi arbitrij, cuius actus est eligere, quia electio est eorum, quę sunt ad finẽ: voluntas autem est ipsius finis, vt dicitur 3. Ethicorum. Hinc charitas, cuius obiectum est vltimus finis, magis dici debet esse in voluntate quàm in libero arbitrio. Et congruè satis, quia sicut charitas imperat omnibus virtutibus, sic voluntas omnibus potentijs. Cæterùm, quamuis amor Dei, qui fundatur super communicatiõe bonorum naturalium, in nobis causetur naturaliter, quia secundùm Dionysiũ, omnibus diligibile & amabile est bonũ diuinũ, quod est obiectũ charitatis, vel etiã acquiritur ex bonis actibus præcedentibus: tamen amor Dei, qui charitas dicitur, & fundatur super communicatione bonorum supernaturalium, non inest nobis naturaliter, nec acquiritur per potentias naturales, quia naturæ facultatem excedit & naturalis effectus suã causam non excedit: licèt actus virtuosi præcedentes hominem disponant ad recipiendum charitatis infusionem, tamen acquiritur per gratuitam Spiritus sancti infusionem, qui est amor Patris & Filij, cuius participatio in nobis est ipsa charitas creata, quæ se habet in voluntate vt in subiecto. Quamuis enim actus charitatis, qui est diligere, est actus intellectus vt dirigentis, tamen est actus voluntatis, vt eligentis, imperãtis, & exequẽtis. Sicut enim vis rationalis aliquo habitu, scilicet fide perficitur: & vis irascibilis alio habitu, scilicet spe, perficitur: sic etiã vis cõcupiscibilis habitu charitatis perficitur, nõ tamẽ illa vis concupiscibilis, cuius bonũ est obiectum apprehẽsum per sensum, sed solùm bonum diuinum, quod solo intellectu cognoscitur, vt dictum est: & ideo solùm habet esse in appetitu intellectiuo, scilicet in voluntate. In qua tria principaliter facit. Primò, voluntatem dirigit:

Philipi. Appetitus duplex.

Charitatem in voluntate efficere.

quia charitas est amor rectus & ordinatus, qui voluntatem & omnes eius affectiones facit rectas & ordinatas. Secundò, voluntatem erigit: quia pondus charitatis sursum agit, deorsum se & omnia contemnens propter Deum. Vnde ait sanctus Augustinus: Ponderibus suis aguntur omnia, & loca sua petunt; leuia sursum, & grauia deorsum. Amor meus, pondus meum, eò feror quocunque feror. Vnde sicut amor inordinatus mentem deflectit ad infima, sic amor charitatis erigit ad cœlestia. Tertiò, voluntatem perficit, eam summo bono perfectè coniungens, & faciens vnum velle & vnum nolle. Sicut enim ex dilectione non conuenientis voluntas læditur & deterioratur, iuxta illud Oseæ: *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*: sic ecõtra ex dilectione cõuenientis voluntas perficitur & melioratur, quia talis est dilectio Dei, quæ regulat etiam secundùm Deum omnes operationes, intentiones, affectiones, passiones, & similia; vt sic fiat *Deus omnia in omnibus*. Et hęc quidem diuinitus infusa charitas in nobis diminui non potest, neque per actum peccati mortalis, quia mortale charitatẽ totaliter corrumpit tam effectiuè, quia charitati contrariatur? quàm etiam meritoriè, quia taliter peccans dignus est quòd illi Deus totaliter subtrahat charitatem: nec etiam per actum peccati venialis, nec quidem effectiuè, quia ad charitatẽ non attingit, sed tantùm ad feruorem charitatis: nec etiam meritoriè, quia Deus non plus vel prius se auertit ab homine, quàm homo à Deo. Similiter etiam diminui nõ potest per cessationem ab actu virtutis, directè loquendo, sicut virtutes ex actibus acquisitæ. Cuius ratio est, quia conseruatio vniuscuiusq; rei dependet ex sua causa. Sed causa virtutis acquisitæ sunt actus humani, quibus cessantibus etiam acquisita virtus diminuitur, sed hoc in charitate locũ non habet, quia solùm infunditur à Deo. Et sic actu charitatis cessante, non diminuitur charitas directè, nec corrumpitur si desit culpa mortalis: quamuis indirectè loquendo, charitatis diminutio dici potest ipsa dispositio ad corruptionem ipsius, quæ fit per venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operũ charitatis. Sed per mortale totaliter corrumpi potest, quia subiectum charitatis est ad bonum & ad malũ vertibile, secundùm arbitrij libertatem. Sed ipsa charitas in nobis augeri potest, non quidem per hoc, quòd charitati charitas additur, sicut quidam volunt; sed per hoc, quòd charitas intenditur in subiecto, sic quòd subiectum magis ac magis charitatẽ illam participat, secundùm quod magis reducitur in actum illius, & illi magis subditur, sicut ferrum in

Oseæ 9.

1. Cor. 15. Charitas possit minui.

Charitatem augeri posse.

igne

igne positum magis ac magis ignitur. Non tamen est intelligendum, quòd in quolibet actu charitatis ipsa charitas augeatur, sed quilibet actus charitatis disponit ad augmentum charitatis, in quantum ex vno actu charitatis pronior redditur ad agẽdum secundùm charitatem: & sic habilitate crescente, prorumpit in actum feruentiorem dilectionis, quo conetur ad charitatis perfectionem, & tunc charitas augetur in actu, cui augmento charitatis nullus terminus poni potest in statu viæ: tum quia charitas secũdùm rationem propriæ speciei terminum augmenti non habet, eò quòd est participatio quædam infinitæ charitatis, quæ est Spiritus sancti: tum etiam, quia causa agens charitatem est infinitæ virtutis, scilicet Deus: tum denique, quia crescente charitate, semper in subiecto supercrescit habilitas ad vlterius augmentandũ charitatem: quia capacitas creaturæ rationalis per charitatem augetur, & per ipsam cor dilatatur, secundùm illud: *Dilatamini* in charitate. & iterum: *Cor* meum *dilatatum est.* Et ideo semper remanet habilitas ad maius augmentum. Vnde ait S. Bernardus: Necesse est animam crescere & dilatari, vt sit capax Dei. Pòrrò latitudo eius, dilectio eius, sicut ait Apostolus: *Dilatamini* in charitate. Nam si anima minimè, cùm sit spiritus, corpoream recipit quantitatem, tamen illi confert gratia, quod negatum est à natura. Crescit quidem & extenditur, sed spiritualiter crescit, nõ in substantia, sed in virtute. Crescit & in gloria. *Crescit* etiam *in templum sanctum in Domino.* Ergo quantitas animæ æstimatur dè mensura charitatis, quam habet. O quanta est illi animæ beatæ beatitudo, quæ diuinam in se præsentiam, & digna inuenitur susci-pere, & sufficiens capere: imò cui sufficiunt deambulatoria spatiosa, secundùm illud: *Inhabitabo in illis*, & deambulabo. Deambulat enim in nobis præsentia maiestatis, si latitudinem inuenit charitas.

2. Cor. 6.
Ibidem.
Ephes. 2.
2. Cor. 6.
Leuit. 26.

De quinque dotibus charitatis, quibus anima consecratur, & dignissima Dei sponsa efficitur. Cap. XCIII.

SVrge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius. Dicit Augustinus de verbis Domini: Magna est misericordia Dei nostri, dedit enim dona hominibus. Quæ dona? Spiritũ sanctum. Donum quippe dat æquale sibi, quia donum eius Spiritus sanctus est, & vnus Deus tota Trinitas. Quid præstitit nobis Spiritus sanctus? Audi Apostolum: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritũ sanctum, qui datus est nobis.* Vt ergo ames Deum, habitat in te Deus, vt

Psal. 67.
Rom. 5.

amet se de te, id est, ad amorem suum moueat te, accendat te, illuminet te, excitet te. Restat igitur vt intelligamus habere Spiritum sanctum qui diligit, & habendo mereri, vt plus habeat; & plus habendo, vt plus diligat. Hæc ille. Dicit enim Chrysostomus, quòd omnes species iustitiæ, quas habent serui Dei in veritate, possunt habere serui diaboli in simulatione: solam autem charitatem Spiritus sancti non possunt habere. Et ideo hanc priuatam speciem charitatis sibi seruauit Spiritus sanctus, quia per nullum testimonium sic cognoscitur, vbi sit Spiritus sanctus, sicut per gratiam charitatis. Vt igitur agnoscamus, quæ charitatis dona nobis à Deo donata sunt, sciendum, quòd per infusam nobis charitatẽ quinque dona Deo gratissima pariter recipimus, quibus & ipsa anima consecratur & efficitur dignissima Dei sponsa. Primum donũ est, spiritualis vitæ veritas. Sicut enim in charitate cõsistit omnium virtutum vita & forma, sic etiam in ea consistit ipsius animæ vita. Dicit enim Augustinus: Sicut vita corporis est anima, sic animæ vita Deus est: & sicut expirat corpus, dum amittit animam; sic expirat anima, dum amittit Deum. Deus dimissus, mors animæ; amissa anima, mors corporis. Et licet corpus nostrum mori possit, tamen idipsum quo diligimus, scilicet anima, mori nõ potest, nisi cùm nõ diligit Deum, cui mors est non diligere Deũ. Vnde dicit S. Bernardus super Cantica: Videtur mihi Dei dilectionem quasi aliarum dilectionũ esse animã, quæ & in seipsa plenissimè viuit, & alijs sui præsẽtia vitalẽ impartitur essentiam, absentia mortem inducit. Vt igitur homo se diligat, in ipsõ Dei dilectio inchoatur. *Qui* verò *non diligit, manet in morte*. Vt diligat proximum, capaciori quodammodo sinu concipitur, vbi diuinus ille ignis paululum conualescens, cæteros tãdem quasi scintillulas quasdam in sui plenitudinem miro modo absorbeat. Totam enim animi dilectionem ad illud sublime & ineffabile bonum adducens, vbi nec ipse à se, nec proximus diligatur, nisi in quantum vterque deficiens à se toto penitus in Deũ transferatur. Denique, anima nostra quodammodo se habet ad Deum, sicut materia ad suam formam, & perfectibile ad suum perfectiuum. Nam ipsa materia ante susceptionem formæ est imperfecta, sine decore, sine virtute, sine actione. Habita verò forma, statim venit ad perfectionem, iuxta eiusdem formæ proprietatẽ. Sic & anima Deo nondum vnita per viuificum amorem, in quadam morte spirituali permanet, sine decore, sine virtute, & sine actione, quantum ad actus viuificos meriti vitæ æternæ. Deo verò tanquam fontali

Dona charitatis.

Vita.

1. Iohan. 3.

fontali principio totius vitæ per charitatẽ coniunctæ, datur vita quædam diuina, mediante amore tanquam qualitatiua & harmoniaca dispositione. Hinc vltima perfectio ipsius animæ. Deus est, & centrum locusque naturalis omnium desideriorum suorum. Secundum verò donũ est amoris diuini connaturalitas. Nam diuina bonitas, quæ Spiritui sancto appropriatur, nullam aliam virtutem in humano corde collocat, sic illi connaturalem, sicut charitatem. *Deus* enim *charitas est* increata; à qua purus quidem & infinitus actus amoris procedit. Et animã humanam creans Deus, *ad imaginem* vtique charitatis & similitudinem infiniti actus amoris sui creauit illã. Ideo postquam ad vsum liberum rationis peruenerit, ex esse proprio quandam habet aptitudinem ad amandum; sine qua subsistere nequaquam potest. Ipsa tamen per liberum arbitrium in medio constituta dinoscitur, vt ad amandum quocunque voluerit, se diuertere possit. Et hæc in anima aptitudo diligẽdi, quædam est imago Dei, à qua vlterius procedit quidam velox & efficax amoris actus, clãrius in se repræsentans illam similitudinem infiniti actus amoris diuini. Ex quibus relinquitur, quòd nulla virtus ita connaturalis est in homine increatæ charitati, sicut ipsa charitas infusa. Tertium itaque donum necessariò sequitur ex secundo, quod est ipsius diuinitatis admiranda conformitas. Super omnes enim virtutes, felicem animam ipsa charitas Deo cõformat: quia *Deus charitas est*; & ideo melius per charitatem, quàm per quamcunque virtutem aliam, tanquam per Deo consimiliorem anima conformiter in Deum transformatur. Si enim (vt refert Philosophus 2. Politicæ) dicit Aristophanes, quòd amantes desiderant vnũ fieri ex duobus, & Tullius de amicitia dicit, quòd is est amicus, qui est tanquam alter idem. Sed quia ex hoc sequeretur, aut ambos aut alterum eorum corrumpi, ideo quærunt vnionem, quæ conuenit & decet, scilicet vt in actibus amicitiæ adinuicem coniungantur. Hoc tamen multo excellentius fit in creatura rationali cũ suo Creatore. Vnde dicit Hugo de arrha animæ, quòd ea vis amoris est, vt te talẽ esse necesse sit, quale est illud, quod amas, & cui per affectum cõiungeris, in ipsius similitudinẽ ipsa quodãmodo dilectiõis societate transformaris. Et sic charitas trãsfert amantẽ in similitudinẽ amati, in quantũ potest, non solùm quantũ ad voluntatẽ, sed etiam quãtum ad operationes arduorum & difficilium. Hinc dicit Iohannes Abbas, quòd charitas secundùm qualitatem est similitudo, quantum hominibus est possibile: secundùm ope-

Cõnaturalitas. 1. Ioan. 4. Sap. 2. Conformitas. 1. Iohan. 4.

rationem verò est animæ ebrietas: secundùm proprietatem est fons fidei, abyssus lõganimitatis, & mare humilitatis. Sicut enim ignis materiam in se conuertit in quam agit: sic etiam amor diuinus animam in se connertit, quam accendit. Et hæc feliciter expertus, innuere voluit, qui dixit: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et beatus Augustinus, quo nihil manifestius: Qualis, inquit, est hominis dilectio, talis est homo. Si terram diligis, terra es; si cælum, cælum es. Si autem diligis Deum, non audeo dicere, Deus es; sed Prophetam audi dicentem: *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes.* Et hanc conformitatem maximè talis operatur dilectio, quæ plenissimè & viscerosissimè ad amorosum complexum inimicorum extenditur. Talis enim, Euangelio teste, censetur simili Altissimo, & filius *Altissimi.* Quartum proinde donum sequitur ex prædictis, quod est ipsius animæ formositas. Nam, secundùm Doctores, imago Dei in *anima cõsistit* in naturalibus proprietatibus, & potentijs eius: similitudo verò consistit in gratuitis, id est, in virtutibus, diuina charitate formatis, & decoratis, præcipuè tamen in ipsa charitate, sine qua deformis iudicatur omnis anima quibuscunq; virtutibus alijs florere videatur, quia reliqua gratiarum dona largitur Deus & his, quos reprobat: solam autẽ charitatem, quasi seipsum, his tantum, quos diligit in præmium seruatur. Creatura namq; rationalis, & intellectualis lis carboni similis est, quo nihil fragilius, nihil econtrà durabilius, nihil etiam obscurius dũ extinctus fuerit, nihil igni similius dum ignitus fuerit. Sic anima humana nihil fragilius mutabilitate, vel durabilius vitæ perpetuitate, nihil obscurius extincta charitate, nihil formosius formata charitate. Quid enim torpescit in diabolo, nisi peccatum? vt pote cuius natura ineffabili pulchritudine, & nobilitate condita, sed charitate priuata, & iniquitate deformata. Vnde ait Hieremias: *Denigrata est super carbones facies eorum.* Dum verò ipsa natura tam Angelica, quàm humana, diuinæ charitatis igne fuerit succensa, protinus efficitur pulcherrima, Deoque simillima. Quid enim ignitus carbo, nisi ignis censeri debet, cùm iam ignis est effectus forma carbonis? Sic & ipsa anima charitatis igne decorata, ita vt iam charitas effecta sit eius forma feliciter. Quintum donum est amoris diuini suauitas. Nulla nanque virtus tantam facit experiri delectationem, complacentiam, & suauitatem, sicut charitas, tam in Deo, quàm in creaturis: quia, vt dicitur in libro de spiritu, & anima, hæc est requies cordis nostri, cùm in Dei amore per

Ibidem.

Psal. 81. Ioan. 10.

Lucæ 6. Formositas.

Animã similari carboni.

Thren. 4.

Suauitas

desíde-

desiderium figitur. Hæc est vita cordis nostri, cùm Deum suum contemplatur, & in sua contemplatione suauiter reficitur, & dulce est illi semper ad desiderandum, amandum, & laudandum. Vbi autem est amor, secundùm Bernardum, ibi non est labor, sed sapor: quia amanti nihil est difficile, nec satiari potest desiderio, qui non nisi desiderare concupiscit, cum Psalmist. dicente: *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.* Hinc etiam anima Deū amans amore non satiatur, quia Deus amor est, quem qui amat, amore amat. Amare autem amorem, facit circulum, vt nullus finis esse debeat amoris, vel mensura: quia, secundùm Dionysium, amor æternus ostenditur, sicut quidam circulus æternus, per optimū ex optimo in optimum inenarrabili conuersione circumiens. Et in hoc circulo spiritus amans complectitur, & ad infinitum amorem complectendum inuitatur, & semper de copia facit inopiam: quia licèt datur ei ad plenitudinem, nunquam tamen ad satietatem, vt verificetur quod scriptum est: *Qui edūt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient:* O pelagus immensurabilis diuinæ dulcedinis, cùm te amare sit edere: quomodo te amantes sic reficis, vt magis esuriant, cùm repleti fuerint, nisi quia tu charitas immensa simul es cibus & esuries? Qui te non gustat, prorsus esurire te nescit. Ad hoc enim cibas, vt esurire facias. *Esurientes,* inquit, *impleuit,* non satiauit, *bonis.* Amoris enim bona eò minus satiant, quò magis replent. Bona, inquam, *quæ præparauit Deus* diligentibus se, vt bona dilectionis esse non ambigas, quæ nimirum deliciæ sunt æternitatis, omnisque suauitatis paradisi cælestis, & quicquid iucundum mente concipi potest, imò plus quàm concipi potest in infinitum. Hæc, inquā, amor æternus *præparauit* diligentibus se, sed abscondit *timentibus* se, donec *perfecta charitas foras* mittat *timorem,* mentis oculos obuelantem. Ex tunc enim feliciter experiri faciet, *quam magna multitudo dulcedinis* diuini amoris sit in apotheca perpetuæ felicitatis.

Amorem esse circulū. Eccli. 24. Lucæ 1. 1. Cor. 2. Psalm. 50. 1. Ioan. 4. Psal. 30.

Quòd obiectum charitatis est summum bonum, & quòd est triplex causa amoris, & qualiter etiam naturaliter Deus diligitur super omnia ab omni creatura.

Cap. XCIIII.

Electus ex millibus: caput eius aurum optimum. Canticor. v. *Electus* iste Christus est, à Patre pro nobis electus præ millibus Angelorum, & electorum, in sacrificium nostræ reconciliationis, in pretium no-

um noſtræ recuperationis, in medicum noſtræ curationis, in magiſtrũ noſtræ eruditionis, & in exẽplar noſtræ imitationis. Ac meritò propter hoc à nobis eligendus præ millibus, in ducem noſtræ cæcitatis, acſpõſum acceptiſsimum intimæ charitatis: præſertim quia *caput eius*, id eſt, diuinitas (quia *caput Chriſti Deus*) *aurum optimum*: per quod intelligitur increata charitas, ad quam ſemper ſuſpirare, & inhiare debet dilectionis noſtræ ſedulitas. Ad proſequendũ igitur ordine congruo de charitatis obiecto, ſciendum eſt, quòd triplex eſt cauſa amoris. Prima eſt ſimilitudo, quia, vt dicitur in Eccleſiaſtico, *omne animal diligit ſibi ſimile*. Ex hoc enim, quòd aliqui duo ſunt ſimiles, quaſi formam vnam habentes, ſunt vnum quodammodo in forma illa, ſicut duo homines ſunt vnum in ſpecie humanitatis: & ideo affectus vnius tendit in alterum, ſicut in vnum ſibi; & vult ei bonum, ſicut & ſibi: & ille modus ſimilitudinis cauſat amorem amicitiæ, vel beneuolentiæ. Eſt etiam alia quædam ſimilitudo, ſcilicet cùm vnus habet aliquid in potentia, & in quadam inclinatione, quod alius habet in actu: ſicut non habens virtutes in actu, tamen eas habet in potentia, & inclinatione, & diligit ipſas virtutes in alijs. Licèt enim non omnes homines huiuſmodi virtutes habeant ſecundùm habitum completum, tamen eas habent ſecundùm quædam ſeminaria rationis, ſecundùm quæ qui non habet virtutem, diligit virtuoſum, tanquam ſuæ naturali rationi conformem. Secunda verò cauſa amoris eſt cognitio, quia dicit Auguſtinus 10. de Trinitate, quòd nullus amare poteſt aliquid niſi cognitum. Cuius ratio eſt, quia bonum eſt cauſa amoris per modum obiecti. Bonum autem non eſt obiectum appetitus, niſi prout eſt apprehenſum: & ideo amor requirit aliquam apprehenſionem boni quod amatur. Et ideo, ſecundùm Philoſophum 8. Ethicorum: Viſio corporalis eſt principium amoris ſenſitiui: ſimiliter & cõtemplatio ſpiritualis pulchritudinis, vel bonitatis, eſt principium ſpiritualis amoris.

Amoris cauſa. Eccli. 13. Similitudo.

1 Cor. 11.

Cognitio.

Tertia denique cauſa amoris eſt bonum, quia amor pertinet ad appetitiuam potentiam, quæ eſt vis paſſiua. Et eius obiectum cõparatur ad ipſam, ſicut cauſa motus, vel actus ipſius. Ex quo patet, quòd oportet illud eſſe propriè cauſam amoris, quod eſt obiectum amoris, ſed proprium amoris obiectum eſt bonũ. Amor enim importat quandam connaturalitatẽ, vel cõplacentiam amantis ad amatum, & vnicuque bonum eſt id, quod eſt ſibi connaturale, & proportionatum. Ex his relinquitur, quòd amoris cauſa propriè eſt bonum ſimpliciter, vel ſecun-

Bonum.

ſecũdùm quid. Dicit enim Auguſt. 8. de Trinit. Non amatur certè niſi bonũ. Veruntamẽ, quia charitas fundatur ſuper cõmunicatione bonorum ſupernaturaliũ, naturæ facultatẽ excedens, ideo eius obiectũ formale eſt ſumma bonitas, vel ſummũ bonum ſecundùm eſſe quod habet in re, & ex cõſequenti eſt eius obiectũ ſecundùm eſſe quod habet in noſtra mente. Cuius ratio eſt, quia eſſe reale diuinæ bonitatis idem eſt cum ipſa bonitate: ſed eſſe ſuum quod habet in noſtra mente ratione cognoſcibilis, eſt ipſum eſſe noſtræ menti repræſentari, vel aliquo modo ab ea cognoſci, modò noſtra voluntas per charitatẽ primò & principaliter tendat per dilectionẽ in ipſam ſummã bonitatem in ſuo eſſe reali, quod eſt idem cum ea, & ex conſequenti diligit eam noſtræ mẽti præſentari, & à noſtra mente cognoſci, quod eſt vita æterna. Principale igitur & formale obiectum charitatis eſt ſummum bonum, quo ſolo plenariè voluntas beatificari poteſt, vtpote in quo pleniſsimè poſſidetur omne bonũ, in quo omnia, quæ in amato deſiderari poſſunt, milleſies millies ſupereminent omni verborũ eloquio, & amãtis affectu tantùm attingi poſſunt, vt dicat: *Secretũ meũ mihi.* Proximus autem licèt ex charitate ſit diligendus, non tamen eſt principale & formale obiectum charitatis, quia per charitatem ipſum nõ diligimus, niſi in Deũ, vel propter Deum. Cæterùm, quia non eſt diligibile niſi bonum, ideo ſecundùm quòd res plus habet de bonitate, etiam plus habet de diligibilitate. Hinc in ordine diligibilium ipſe Deus, qui ſummum bonum eſt, primatum obtinet. Vnde in actibus charitatis eſt ordo talis formaliter, quia charitatis actus reſpectu diligibilium ſunt ordinati: & ideo charitatem habens, ſpecialiter illud complectitur ſuper omnia, in quo principaliter eſt illud bonum, ſuper cuius communicationem fundatur omnis amicitia charitatis, quia ab ipſo principaliter illa communicatio dependet. Sed amicitia charitatis fundatur ſuper æternam beatitudinem, quæ per eſſentiam in Deo eſt, & in alio nullo, niſi per participationem. Deus enim eſt commune bonum, & fontale, à quo ſolo depẽdet cõmunicatio beatitudinis æternæ, & ideo principaliter & ſuper omnia diligẽdus eſt Deus, & propter ſe. Eſt autẽ impoſsibile ſecundũ legẽ charitatis, amare aliquid aliud plus vel æqualiter Deo, quia charitas diligit Deum ſicut ſummũ bonum, & ideo diligit eum ſuper omnia. Diligit etiã Deum ſicut finẽ vltimũ, & ideo diligit eum propter ſe. Quòd autem diligitur ſuper omnia & propter ſe diligitur dilectione fruitionis. Quòd verò propter aliud, diligitur,

Obiectum charitatis.

Iſa. 24.

Ordo charitatis.

dilectione vsus. Cùm ergo charitatis sit omnia ad Deum tanquam ad finem vltimum referre, sicut ponderis est corpus ad locum proprium inclinare, ideò charitas facit nos Deum plus quàm nosipsos diligere. Imò, secundùm Thomam 2.2. diligere potest quis etiam amore naturali Deum super omnia, & plus quàm se, quia naturæ bonũ ab eo recipitur. Nam super communicatione bonorum naturaliũ nobis à Deo facta, fundatur amor naturalis, quo scilicet homo nõ solùm in suæ naturæ integritate Deum super omnia diligit, etiam plus q̃ seipsum, sed quælibet creatura suo modo, id est, vel intellectuali, vt Angelus: vel rationali, vt homo: vel irrationali, vt bruta animalia: vel saltẽ amore naturali, sicut lapides, & alia quæ cognitione carent. Quia vnaquæque pars plus naturaliter amat bonum totius, quàm particulare bonũ proprium, quòd manifestatur ex opere. Quælibet enim pars inclinationẽ habet principalem ad actionẽ communem, & vtilitatem totius. Apparet etiam hoc in virtutibus politicis, secundùm quas ciues pro cõmuni bono dispendium rerum propriarum, & personarum interdũ sustinent, quantò magis creatura tam rationalis, quàm intellectualis Deũ diliget, super omnia, & propter se? Quia dicit Bernardus: Inexcusabilis est omnis etiam infidelis, si non diligit *Deum toto corde, tota anima, tota virtute*. Clamat nempe intus ei innata, & nõ ignota rationi iustitia, quòd ex toto se illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat. Nam & Angeli dilectione naturali plus diligunt Deum, quàm seipsos. Dicit enim Augustinus, quòd tales Deus creauit Angelos, vt illum præ se diligerẽt, cuius potestate tales se creatos esse cognouissent. Et hoc ideo, quia volũtas naturalis sequitur iudicium naturale ipsius intellectus. Sed omnis intellectus naturali sua rectitudine summum bonum iudicat esse summè diligendum, & præ omnibus, & propter seipsum. Hinc naturalis voluntas non solùm Angeli, sed etiam naturæ rationalis, hoc iudicium sequitur naturali motu suo, Deum diligens super omnia amore amicitiæ. Amandus est enim Deus, quia amore dignissimus est, nec esse debet respectus ad propriam vtilitatem, sed solùm ad diuinam complacentiã. Talis enim amor purus & gratuitus est, per se sufficit, per se placet, ac propter se, ipse meritum, ipse præmiũ sibi. Verus enim amor seipso contentus est, præter Deum aliud amoris sui præmium non requirens, sponte afficit, & spontaneum facit, non requirens quæ sua sunt. Non tamen sine præmio Deus diligitur, nec est amor vacuus, nec mercenarius. Habet quidem præmiũ, sed id quod amat,

Deus quatenus amandus.

amat, quod vtiq; meretur amando. Præmium sanè, necdum amanti poponitur, amanti debetur, & in amore perseueranti redditur. Vnde meritò Deus præ omnibus, & in omnibus est amandus, & propter seipsum amãdus, quia nihil iustius, nihilq; fructuosius amari potest. Multum enim amari meruit à nobis, qui & immeritis dedit seipsum nobis. Sic enim Deus Pater nos inimicos gratis amauit, quòd *cùm adhuc inimici essemus*, per Filium suũ nos sibi reconciliauit. Causa igitur amandi Deum, Deus est, tam efficiens, quàm finalis. Nam ipse dat occasionẽ, ipse creat affectionem, desiderium ipse consummat: ipse amor, & nostrum præparat amorem, & remunerat. Præcedit benignior, repẽditur iustior, expectatur suauior: se dedit in meritum, se seruat in præmium: se apponit in refectione animarũ sanctarum, & se distrahit in redemptione captiuarum. Cui laus, & actio gratiarum in æternum. Rom. 5.

Quomodo diligitur Deus ex toto corde, tota mente, tota anima, & tota virtute. Cap. XCV.

Electius ex millibus: caput eius aurum optimum. Caput Christi diuinitas, quod est *aurum optimum*, quia ipsa est increata charitas, *pretiosior cũctis opibus, & omnia, quæ desiderãtur, huic non valent comparari.* Hinc quærit Augustinus libro de moribus Ecclesiæ: Dic mihi quæso te, quis sit diligẽdi modus? Vereor enim, ne plus minusve quàm oportet inflammer desiderio, & amore Domini mei. Prouer. 3. Modus amãdi Deũ.

Respondet Bernardus, quòd modus diligendi Deũ erit sine modo, quia ipse prior dilexit nos, tantus & tantum, & gratis, tantillos & tales. Quis ergo finis nostri, vel modus esse debet amoris? præsertim cùm amor noster iam non gratuitus impenditur, sed rependitur debitus. Amat immensitas, amat æternitas, amat supereminens charitas, amat Deus, cuius *magnitudinis non est finis*, cuius *sapiẽtiæ non est numerus*, cuius *pax exuperat omnem* intellectum, & vicem repẽdere volumus cum mensura? Talis ergo dilectio tendens in Deũ tendit in infinitum, quia Deus infinitus, & immensus est: & ideo dilectio nostra tendẽs in infinitum, debet esse sine modo, sine mẽsura, sine fine. Et hoc præcepit Dominus cùm dicit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, & ex tota anima tua, & ex tota virtute*, vel *fortitudine tua*. Ad euidentiam autem huius præcepti, quod vocatur *mãdatum magnũ in lege*, sciendum est, quòd dilectio est actus voluntatis, qui significatur hîc per cor. Cor enim, secundùm Philosophũ decimo tertio de Ani- Psalm. 144. Psal. 146. Philip. 4. Deut. 6. Matth. 22. Marc. 12. Lucæ 10. Matth. 22. Cor hominis.

malibus, inter omnia membra prius formatur, & secundùm Auicennam, est primum membrum in vita, & primum principium venarũ, & neruorum, à quo deriuatur per totum corpus animæ influẽtia, vitalium motuum causatiua, quia ab ipso est origo prima spirituum, qui sunt dilatatiui influentiæ ipsius animæ: & ideo cor est principium omnium motuum corporalium. Sic etiam spiritualiter voluntas est primum receptaculum vitæ spiritualis, id est, ipsius charitatis, ac per consequens, est principium omnium motuum spiritualium, imperans omnibus viribus, sicut charitas imperat omnibus virtutibus. Primò ergo iubemur Deum diligere *ex toto corde*, id est, ex tota voluntate, vt scilicet per charitatem voluntas totaliter feratur in Deum, vt non remaneat in corde locus vacuus charitate Dei, quo intret amor inordinatus, quia non intrat diabolus quando cum Deo totus animus est occupatus. Diabolus enim vacantia corda diligit, mundata perquirit, sed vbi Deum reperit, cum magna confusione discedit. Omnia igitur referantur in Deum, vt eius honor & beneplacitum in omnibus præponatur. Totum etiá quod ad Deã pertinet, diligi debet, tam iustitia, q̃ misericordia, & quæcunq; alia Deo attributa. Per hoc enim præceptum intendit Deus, vt in omnibus euentibus homo per volũtatem totaliter vniatur Deo, quod perfectè fiet in patria, cùm *Deus* erit *omnia in omnibus*. In via quidem implebitur, sed imperfectè, & alius alio perfectius, quantò magis accedit per quandam similitudinem ad patriæ perfectionẽ. Hic verò totum cor hominis, etsi nõ actu semper in Deum feratur, habitualiter tamẽ in Deum semper ferri potest, ita quòd nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat. Et hæc est perfectio viæ, cui peccatum veniale non contrariatur, quia non tollit habitum charitatis, cùm non tendat in oppositum obiectũ, sed solùm impedit charitatis vsum. Vnde diuus Basilius super illo: *Ex toto corde tuo*, dicit, quòd dicitur, in *toto corde*, nõ recipit fixionẽ in cætera. Nam quantulumcunq; dilectionis in infimis expenderis, hoc necessariò tibi deficiet à toto. Quantum enim anima ab eius dilectione emanauerit ad illicita, tantum interim minui necessarium est amorem ad Deum. Nullã ergo partem relinquat, quæ vacare, & quasi locum dare debeat, vt alia refluere incipiat: sed quicquid aliud diligẽdum in animam venerit, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit. Tunc enim est optimus homo, cùm tota vita sua pergit in incommutabile bonum. Hæc ille. Sed quæri potest, Vtrum ad illum modum diligendi obligamur, quem

Diligere ex toto corde.

1. Cor. 15.

quem hîc Dominus videtur exprimere, quem tamen modum obseruare videtur impossibile: quia *corpus quod corrumpitur, aggrauat animam*, ita quòd in hac vita totaliter in Deum ferri nō potest. Ad hoc respondet Bonauentura, quòd Doctores cùm aliquando dicunt hunc modum dilectionis impleri posse, quādoque verò dicunt impleri nō posse, in hac vita, ex hoc admonemur, quòd vno modo ad dictū dilectionis modum obligamur implendum, scilicet quòd amor Dei totum cor possideat, ita tamen, quòd non excludat omnem affectum extraneum, sed tātùm affectum ipsi Deo oppositū, hoc est, quòd nihil diligatur supra Deū, vel æqualiter Deo: & sic diligit *Deum ex toto corde* qui diligit eum propter se, & super omnia. Alio modo excitamur ad ipsum desiderandū, vt quòd sic Deum toto corde diligat, quòd omnem affectum extraneum excludat, & tunc plenè perfecteq; cordi dominatur. Et hæc totalitas haberi non potest ante adeptionem gloriæ: & ideo modus ille diligendi non obligat viatores ad impletionem sui; sed exprimitur in præcepto, vt sciamus quò per amorē tendere debeamus, & vt nemo se perfectum arbitretur, quousq; perfectionē illā assequatur. Interim autem, vt dicit Hugo, quantum potes, tantum diliges. Possibilitas tua, erit mensura tua: quantò plus amas, tantò plus habes: & quantò plus habes, tantò felicior es. Extendere ergo, & dilatare quātum potes, vt totum impleatur quod in te est. Noli timere quasi deficere debeat ille, si nimis capax fueris. Si vas non deficit, oleum sufficit. Cor tuum vas est: Amor illius oleum est. Quamdiu habes vas, ille infundere non cessat. Hæc ille. Porrò voluntas cùm intensè fertur per amorem in vltimum finem, tunc sunt alia tria actuum principia, quæ mouentur vlterius à voluntate. Primò, mouetur vis intellectiua, significata per mentem, ad assentiendum his, quæ sunt fidei, & ad meditandum de Deo dilecto, carnem pro nobis assumente, prædicante, patiente, moriente, resurgente, ac de alijs ineffabilibus charitatis eius indicijs. Vnde Psalmista ait: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* Vnde sanctissimus Bernardus gratus esse volens: *Diligam*, inquit, *te Domine fortitudo mea, firmamentum meum, refugium meum, liberator meus*, & quicquid optabile, & amabile dici potest. *Diligam te* Deus meus pro dono tuo, & modo meo, minus quidem iusto, sed non minus posse meo. Non enim possum vltra quàm possum: potero verò plus, cùm plus donare dignaberis, nunquam tamen prout dignus haberis. Vnde si Socrates, vt refert Aulus Gellius,

Sapien. 9.

Diligere Deum ex tota mente.

Psal. 76.

Psal. 17.

amore sapientiæ,& præsertim virtutum inuestigandarum, ita cogitabundus stare consueuerat, vt per diem naturalem immobilis eisdem vestigijs orare, atq; oculis in locum eundem directis, tanquam quodã secessu mentis, atque animi facto à corpore perseueraret: & Carneades amore Philosophiæ tantum cogitationibus inhærebat, quòd manum ad cibum ponere obliuiscereturr, animæ tantùm vita fruens, velut alieno corpore circundatus: quid igitur faciet Christianus ad illa ineffabilia charitatis indicia contuenda vocatus, quæ Deus multifariè, multisq; modis exhibuit in creatione, recreatione, præseruatione, reconciliatione? &c. Vnde ait S. Augustinus: O anima mea, si cogitare potes qui & quales in comparatione tui sunt abiecti, qui gratiam, quæ data est tibi, consequi non valebant. Audisti certè ab initio, vsque nunc, quàm multæ generationes hominum transierunt, quæ omnes sine cognitione Dei, & pretioso sui sanguinis in interitum æternum delapsæ sunt. Omnibus illis redemptor tuus, amator tuus te prætulit, quando tibi gratiam largitus est, quã nullus illorum percipere meruit: tu sola præ illis electa es. Et cur illud in te factum sit, nullam præter tui amatoris charitatem aliam causam assignare poteris. Secundò mouetur vis appetitiua inferior, quæ per animã significatur, vt parti superiori conformetur: quia sicut sphæra superior motu suo mouet inferiores, sic voluntas appetitum sensitiuum, vt dicitur 3 de Anima. Et hoc propter vim amoris, præsertim diuini, mouentis efficaciter ipsam volũtatem, quæ carnalia desipere facit, & amara, laboriosa, ac ardua reddit dulcia, grata, & leuia: adornans amantis faciem in vi concupiscibili, & irascibili, quæ sunt velut genæ ipsius sponsæ. De quibus sponsus ait: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis*, dum scilicet vis concupiscibilis dirigitur, ad purum amorem dilecti, quo desipit omnis inordinata concupiscentia: & irascibilis incenditur ad perfectam imitationem dilecti, qua complectitur etiam dulci affectu quodcunque arduum, amarum opprobriosum, & iniuriosum. Tertiò, mouetur vis executiua exterior, quæ per fortitudinem, vel virtutem significatur, vt etiã actus noster exterior obediat Deo ad operandum bona, cauendum mala, & patiendum iniuriosa ex dilectione diuina.

Diligere ex tota anima.

Cantic. 1.

Diligere ex tota virtute.

Sponsi & sponsæ collocutio qualis intelligitur, & cur amoris affectio nomine sponsi, & sponsæ exprimitur.

Cap. XCVI.

Dilectus

Dilectus meus mihi, & ego illi. Canticor. ij. Nunc breui stylo perstringamus illud dulcifluum epithalamiũ spiritualium nuptiarum, quia de eo plura tacta sunt in opusculo præsenti in diuersis locis: quorum tamen aliqua repetere non grauabor. Dicit Bernardus super Cantica: Sponsa locuta est, & dixit sponsum intẽdere sibi. Veruntamen si quis horum, quæ dicũtur, cupit adipisci notitiam, amet. Amor enim hîc vbique loquitur. Alioqui frustra ad audiẽdum legendumve carmen amoris, qui non amat, accedit, cùm omnino capere nõ potest ignitum eloquium pectus frigidũ. Ista collocutio sponsi & sponsæ, quia spiritus sunt, oportet spiritualiter intelligi. Nam spiritus est verbum, spiritus est & anima: habentq; linguas suas, quibus se alterutrum alloquantur, seque præsentes indicent. Et verbi quidem lingua fauor dignationis eius est: animæ verò deuotionis feruor est. Elinguis est anima, quæ hanc non habet, & nõ potest illi sermocinatio esse cum verbo. Ergo cùm verbum linguam suam mouet, ad animam loqui volens, non potest anima non sentire. *Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus.* Et rursus, cùm anima linguam suam mouet, verbum multò minus latere poterit: quia nisi ipso stimulante, deuotionis lingua minimè mouetur ad loquendum. *Dilectus,* inquit, *meus mihi,* supple loquitur, *& ego illi.* Quid ille loquitur, ô sponsa dilecti? *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.* Et quid tu illi? *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decòrus. Lectulus noster floridus.* Hinc Bernardus: Verbo igitur animæ dicere: *Pulchra es,* & amicã appellare, est eidem infundere vnde & amet, & amari se præsumat. Ipsi verò verbum, vicissim nominare dilectum, & fateri pulchrum, quod amat & amatur sine fictione, & fraude adscribere illi, & mirari dignationem, & stupere ad gratiam. Itaque verbi locutio, est doni infusio: & animæ responsio, est cum gratiarũ actione admiratio. Et ideo plus anima diligit, eò quòd in diligendo se victam sentit: & ideo plus miratur, quòd in dilectione se præuentam agnoscit. Eadem etiam tangit Dominus apud Osee, dicens: Ablactabo *eam,* scilicet fidelem animam, ab omni concupiscentia, & passione inordinata, *& ducam eam in* solitudinem, id est, in abstractione affectus ab omni creato: *& ibi loquar ad cor eius.* Super quo dicit Albertus Magnus de veris virtutibus, quòd locutio Domini in corde est de arduis gratijs menti securitatem præstare. Cæterùm, quia cunctis alijs affectionibus multũ præeminet amo-

Epithalamium spiritualium nuptiarum.

Colloquiũ amantium.

Hebr. 4.

Cant. 2. Cant. 4.

Locutio Verbi.

Oseæ 2.

ris affectio in naturæ donis, præsertim cùm ad suum recurrit principium: ideo spiritus amoris hãc affectionem exprimere voluit nomine sponsi & spõsæ: nec sunt inuenta æquè dulcia nomina, quibus verbi & animæ dulces exprimerentur affectus, quẽadmodum sponsus & sponsa: vtpote quibus omnia sunt communia, nil proprium, nil à se diuisum habentibus: vna vtriusque hæreditas, vna domus, vna mẽsa, thorus vnus, vna voluntas, & vnus spiritus. Nam si carnale matrimonium duos in vna carne constituit, cur non potius copula spiritualis in vno spiritu duos glutino charitatis adunit? Res miranda, & omni dulcedine complectenda. Iesus Christus in humanitate venire disponens, vt animam ad maiorem prouocaret dilectionem, sponsi more & nomine se repromisit adfuturum, dicente Propheta: *Et ipse tãquam sponsus procedens de thalamo suo*, scilicet vteri virginalis. *Exultauit vt gigas ad currendam viam*, scilicet assumptæ mortalitatis, velut ex æquo se coniungere volens animæ amorosæ, spiransque purissimum, & intensissimũ amorem, & à sponsa requirens illius amoris vicissitudinem, qualis amor vigere debet inter spõsum, & sponsam. Dicit enim Gregorius super Cantica, quòd Deus cùm vult timeri, Dominum se nominat: cùm vult honorari, Patrem: cùm vult amari, sponsum. Cùm se Dominum nominat, indicat quòd creati sumus. Cùm se patrem nominat, indicat quòd adoptati sumus. Cùm se sponsum nominat, indicat quòd cõiuncti sumus. Quantò quoque dignior est honor, quàm timor, tantò plus gaudet Deus pater vocari, quàm Dominus: & quantò charior est amor, quàm honor, tantò plus gaudet vocari sponsus, quàm pater. Sed dicis: Vnde persuaderi potest animæ pauperculæ, quòd eam Deus more, & amore sponsi sibi coniungere venit? cum dignior ille, indignior illa post lapsum esse non possit, & inter vtrosque *magnum chaos firmatum* esse videtur. Nam qui dixerunt, vniuersum esse velut vestigium Creatoris, quodammodo nos intelligere fecerunt, remotissimam distantiam illius ab vniuerso: & dederunt vtcunque occasionem imaginandi magnitudinem eius super vniuersi magnitudinem incomparabiliter eminentem. Breuiter respondeo, quòd hoc ei persuaderi potest tam ex beneficijs creationis, quàm recreationis. Primò, quantũ ad beneficium creationis. Dicit enim Hugo, quòd Deus creauit spiritum rationalem sola charitate, nulla necessitate, vt eum suæ beatitudinis faceret participem. Et vt aptus esset tanta beatitudine perfrui, fecit in eo dilectionem spiritualem, palatum quodammodo per hanc illum sensi-

Sponsus Iesus.

Psalm. 18.

Dominus. Pater.

Lucæ. 16.

Beneficium creationis.

sensificans ad gustum internæ dulcedinis, quatenus per ipsam dilectionem ei infatigabili desiderio inhæreret, & inhærendo ipsum, quo beatificanda erat, bonum, & ex ipso quodammodo per affectum sugeret, & de ipso per desiderium biberet, & ipsum per gaudium possideret, quia dicit Philosophus 10. Ehicorum, in contemplatione optimi diligibilis, poni vltimam felicitatem hominis. Si ergo, secundùm Anselmum in Monologion, Deus ex nihilo dedit rationalem essentiam, vt amans esset, quid dabit amanti, si amare non cesset? Si tam grande est, quòd amori famulatur, quàm grande est, quod amori recompensatur? Et si tale est amoris fulcimentũ, quale est amoris emolumentum? Nam si rationalis creatura, quæ sine hoc amore sibi est inutilis, sic eminet in omnibus creaturis, vtique nihil potest esse præmium huius amoris, nisi quod supereminet in omnibus creaturis. Etenim idipsum bonum, quod se sic amari exigit, non minus ab amante se desiderari cogit. Quid ergo summa bonitas retribuet amanti, & se desideranti, nisi seipsam? Nam quicquid aliud tribuit, non retribuit, quia non compẽsatur amori, nec consolatur amantem, nec satiat desiderantem. Charitas est ergo causa efficiẽs creaturæ rationalis, & participatio diuinæ bonitatis est causa finalis. Hinc dicit S. Augustinus: O quàm stultum est amorem tam potentis non concupiscere; & quàm impium, tam multũ amantẽ non redamare? Dilige ergo illum propter se, dilige te propter illũ. Dilige illũ, vt illo fruaris: dilige te, vt ab illo diligaris. Dilige in donis illius, quæ tibi data sunt ab illo, illum tibi, & te illi: quia hæc est pura, & casta dilectio, nihil habens sordidum, nihil amarum, nihil transitoriũ. O anima mea mirabilis, & amabilis creatura, quia Deo tuo singulariter electa, dic fiducialiter cum Iob Propheta, & ingemina: *Domine, quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuũ?* Iob 7. Si enim homines nihil sunt in corde suo, tamẽ aliquid magni latet de eis in corde diuino. O Pater misericordiarũ, qui nec decipis, nec deciperis, & tamẽ *erga* eos *apponis cor tuũ?* Scio quia *vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuũ.* Et si quasi nihil sunt in indicio veritatis tuæ, tamẽ aliquid Matth. 6. magni sunt in affectu pietatis tuæ. Quid ergo sunt? Vtiq; regnũ Dei, dicete Domino: *Regnũ Dei intra vos est.* Vbi dicit Gregor. Nazian. Forsitan regnũ Dei nobis insitũ dicit inditã animabus nostris lætitiam per Spiritum sanctum. Ea enim est velut imago, & arrha perennis lætitiæ, qua in futuro seculo Sanctorum animæ gaudebunt. Et Apostolus dicit, quòd hoc *regnum Dei* in nobis, *est iustitia, pax, & gaudium* Rom. 14. Lucæ 17.

Rom.14. *dium in Spiritu ſancto*: de quo regno poſtea latius videbitur. Eſt, inquã, anima ſancta templum Dei, & habitatio Altiſsimi. *Templum*, inquit
1 Cor.3. Apoſt. *Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Et *elegit eam in habitationem ſibi*,
Pſalm.131. dicens: *Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo, quoniam elegi*
Pſal.44. *eam.* Eſt inſuper filia Dei, eodem dicente: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & cõcupiſcet rex decorem tuum.* Et Iohannes in Canonica ſua: *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & ſimus* Eſt de-
1 Ioan.3. nique ſponſa Dei, quã vt ſibi in ſponſam aſſumeret, & ad dilectionem reciprocam incitaret, naturam humanam aſſumpſit, vt ſeipſum exinaniendo, ſponſam ſuam exaltando nobilitaret. Vnde dicit Bernard. Si non fecit ille, quod ſponſus, ſi non tanquam ſponſus amauit, ſi non zelatus eſt tanquam ſponſus, noli acquieſcere te ſponſam arbitrari, ô anima ſancta.

Quàm eminentiſsimè & fideliſsimè ſponſus intendere dignatus eſt ſponſæ, tam in beneficijs creationis, quàm recreationis.

Cap. XCVII.

Dilectus meus mihi (ſcilicet intendit) *& ego illi.* Videamus nunc quomodo ſponſus, cui cura ſæculorum incũbit, ſponſæ ſuæ ſingulariter intenderit, tam in beneficijs creationis, quàm recreationis, vt non immeritò ſe dilectam ſponſam eius eſſe confidat, & glorietur, dicens: *Dilectus meus mihi intendit, quia benignus, & miſericors eſt. & ego illi*, quia non ſum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia, & ego illi gratiam pro gratia. Ille meæ liberationi, ego illius honori. Ille meæ ſaluti, ego illius voluntati. Ille mihi amorem verum, tam in beneficijs creationis, quàm recreationis, & ego illi fidelitatis affectum.

Beda.

Beneficium creationis.

Vnde quantum ad beneficium creationis, anima primò facta eſt ad imaginem Dei. Dicit enim Auguſtinus, lib. de diffinitione animæ, quòd anima eſt ſubſtantia creata inuiſibilis, immortalis, Deo ſimillima, nullam habens imaginem niſi Creatoris ſui. Vel, anima eſt vita perpetua, per memoriam, intelligentiam, & voluntatem ad imaginem Dei facta; capax virtutis & gratiæ, vel vitij; ſuſceptiua pœnæ, vel præmij arbitrij libera; potentijs, habitibus, & affectionibus decorata; carens figura, pondere, & colore; paſsibilis, & mutabilis, eò magna, quò capax æternitatis; eò recta, quò eſt apperens bonitatis; eò beata, quò particeps eſt diuinitatis, gerens in ſe naturalem imaginem,

Anima qd ſit.

ſecun-

secundùm quòd homo naturalem habet aptitudinem ad Deum intelligendum & amandum. Et hæc est imago creationis, quæ reperitur in omnibus hominibus, vt dicit Glossa super illud: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Secundùm hanc enim anima immediatè, & ex nihilo à solo Deo creata, capax est ipsius Dei. Et ideò quicquid Deo minus est, animam implere non potest. Sicut enim anima vegetabilis apperit esse, & sensibilis appetit bene esse: sic anima rationalis appetit optimè esse, nec vnquam quiescit, donec optimo coniungatur. Quapropter vi amoris in Deum, tanquam in centr ũproprium, mouetur, vt in ipso summè delectetur, & quieretur. Deus enim est eius patria, & habitatio, ac fontalis origo, quia creata à Deo, vita à vita, simplex, immortalis, vt nõ longè lit à Creatore suo, cui appropiare videtur simplicitate essentiæ, ac perpetuitate vitæ. Creata est enim anima magna à magno, recta à recto bona à bono: eò magna, quò capax est æternorum: eò recta, quò appetens est superiorum; eò bona, quò Deo vnita? vt sic feliciter redeat vnde profluxit. O anima mea, vnde sumpsit exordium profluxus tuus? Nõne ex illa abyssо diuinitatis? velut essentia de essentia, vita de vita, intelligentia de intelligentia, lumẽ de lumine: sed creaturaliter, non essentialiter; non dea de Deo, sed deificanda à Deo. Cuius tanta est connexio, quòd nunquam est abolenda, nunquam in æternum separãda. Sicut enim sol in sua rota lux quædam est essentialis, vbiq; radios suos dispergens sine sui diminutione: qui licèt radijs essentiam suæ claritatis non communicat, æternam tamen contiguationẽ præstat, qua radios suos in esse conseruat: ita quòd eodem momento, quo contiguatio illa dissipatur, etiam esse ipsius radij euacuatur. Sic anima profluxa ab ipsa diminutionis abyssо, quandã retinet æternam contiguationem, vnde cum origine sua conseruatur & alitur, quam super omnia cõplecti concupiscit ac perfrui. Præterea sciendum, quòd rationalis anima, quantum ad essentiam suam, est imago diuinæ essentiæ. Et hæc imago est secundùm indistinctionem, cuius imaginis reformatiua est ipsa gratia diuina, quæ reducit ipsam imaginem etiam ad diuinam similitudinem. Sed anima, quantum ad suas potentias, est imago ipsius Trinitatis. Et hæc est imago secundùm distinctionem, cuius imaginis reformatiua est ipsa virtus, quæ reducit ipsam imaginem ad diuinam similitudinem. Nam sicut Deus vnus est in essentia, trinus in personis: sic anima est vnius naturæ, tres habẽs vires, scilicet intellectum, voluntatem, & memoriam. Et sicut ex Pa-

Anima ad imaginem Dei. Psal. 4.

Animæ nobilitas.

Imago Dei in anima, & eius similitudo

tre generatur Filius,& ex vtroque procedit Spiritus sanctus: sic ex intellectu generatur voluntas,& ex vtroque procedit memoria. Et sicut est Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, non tamen tres dij sunt, sed vnus Deus,& tres personæ: sic anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ, sed vna anima, & tres vires, quibus imaginem diuinam in sua natura gerit mirabiliter. Et his iubemur diligere Creatorem, vt quantum diligimur, diligatur, & in memoria semper habeatur.

Anima creata ad Dei similitudinem.

Secundò facta est anima ad Dei similitudinem, quæ similitudo cõsistit in gratuitis, scilicet in diuina gratia nobis collata, & virtutibus, maximè in charitate: quia gratia perficit naturam. Pro quo notãdum, quòd est gratia increata, scilicet Spiritus sanctus, qui se tribuit ijs, qui sunt sine peccato mortali. Et dicitur gratia, secundùm quod dicitur donum: & dicitur donum, secundùm quod dicitur amor: quia secundùm suam proprietatẽ est amor,& vt amor procedit à Patre & Filio. Cùm ergò Spiritus sanctus est amor, imò prima virtus amoris, hinc est, quòd cùm nobis Spiritus sanctus datur, in diuinam speciem nos trãsformat, vt sit anima Deo assimilata. Porrò ex illa parte debemus intelligere gratiam creatam, quasi similitudinem, & dispositionẽ ex parte animæ rationalis, ex qua habet, quòd fit accepta Deo, & assimilata. Nam ibi est forma transformans: & hæc est gratia increata. Et ibi est forma transformata, quæ derelinquitur in transformato, scilicet in anima ex ipsa transformatione. Et hæc est gratia creata, quæ etiã est necessaria,& ex parte animæ recipientis, quæ se non potest habere per immediationem ad gratiam increatam, nisi prius disponatur, vt latius patet superius. Deniq; ratio, cur ad diuinam similitudinẽ imprimendã animæ sanctæ, maximè requiritur diuina gratia,& virtus gratuita charitate formata, est ista: Quia, secundùm Linconiensem, licut cera mollis fortiter applicata sigillo, recipit imitatoriam similitudinem omnium formarum,& figurarum sigillo insculptarum: sic in anima per amoris copulam à summa pulchritudine impressa, non erit alicuius pulchritudinis absentia, sed in illa refulgebit imitatoriè pulchritudo, quæ super ipsam est impressa, vt ei veraciter sponsus dicere valeat: *Tota pulchra es amica mea.* Quantũ etiam ad beneficium recreationis, primò pro nobis humanam naturam assumpsit: quia duplex est animæ nostræ vita. Vna, qua viuit in carne: alia, qua viuit in Deo. Duo quoq; sunt in homine sensus: & ideo Deus homo factus est, vt vterque sensus

Gratia increata.

Gratia creata.

Cant. 4. Vita animæ duplex.

Sensus homo-

bonum

bonum suum haberet, in quo reficeretur. Vnus interior, qui reficitur in contemplatione diuinitatis: alius exterior, qui reficitur in contemplatione humanitatis, vt sic totum hominem in se beatificaret, & tota cõuersatio hominis ad ipsum esset, & tota dilectio eius in ipso esset, cùm à sensu carnis videretur per carnẽ, & à sensu mentis videretur per diuinitatis contemplationem. Hoc enim erat totum bonum hominis, vt siue ingrederetur, siue egrederetur in factore suo *pascua inueniret.* Ioan. 10.

hominis duplex.

Considera nunc, ô homo, quanta fuerit erga te dilectio Dei tui, quòd vellet Deum hominem, & hominem quodammodo Deum fieri, & sic te post lapsum quærere, & post offensam te plus, quàm prius exaltare. Nunquid exaltationem culpa tua promeruit? Certè non. Sed ne amplius ab eo fugeremus, nostram naturam inseparabiliter sibi vnire voluit. Hinc meritò dicit Chrysostomus: quòd nemo amatorum carnalium, etiamsi sit in hoc vltra modum insanies, sic exardescere potest in amorem dilectæ suę, sicut Deus effunditur in amorẽ animarũ nostrarũ. Secundò verò in assumpta natura pro nobis redimẽdis, abluendis, adornandis, instruendis, alliciendis, ad imitationem instigandis, mira Ieere. 12. gessit, & sustinuit, sicut locutus est per Hieremiam: *Reliqui*, inquiẽs, *domum meam, dimisi hæreditatem meam: dedi dilectam animam meam in manum inimicorum eius.* O insuperabilis amor charitatis, qui insuperabilem superasti, & cui omnia subiecta sunt, omnibus quodammodo subieciſti, dum victus amore Deus, seipsum *exinaniuit, formam serui accipiens*, non modò *inuentus vt homo*, sed vt *opprobrium hominum, & abiectio plebis. Vidimus*, inquit, *eum* tanquam *leprosum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & percussum à Deo, & humiliatum.* O *nouissimum*, & altissimum; ô humilem, & sublimem, ô *opprobrium hominum*, & gloriam Angelorum. Nihilne merebitur tanta vilitas, imò & tanta charitas, quæ habet hunc modum, imò quæ excedit omnem modũ? *Propter nimiam* enim *charitatem qua dilexit nos Deus*, vt seruum redimeret, nec Pater Filio, nec sibi Filius ipse pepercit. Verè *nimiam*, quia mẽsuram excedit, modũ superat, & supereminet vniuersis. Vix pro iusto quis moritur. Iste moritur ex amore pro inimicis, & iniustis, ab iniustis, & cum iniustis, vt inimicos faceret intimos, seruos fratres, captiuos cohæredes, exules reges, diaboli prostitutas proprias dignissimas sponsas. Propterea nanq; tam diu exulauit, tam fideliter in labore desudauit, tam valenter hostẽ debellauit, tam potẽter sponsam eripuit, & in bello tandẽ occubuit, eã redimẽs per supplicium, quo nullũ iniustius

Philip. 2. Psal. 21. Isaiæ 53.

Ephes. 2.

1. Pet. 4.

per opprobrium, quo nullum vilius; per pretium, quo nullum pretiosius; per mysterium, quo nullum profundius; & per exemplum, quo nullum perfectius.

Sponsus dat & petit totum cor sponsæ, & qualis esse debet anima, vt dicatur meritò Dei sponsa. Cap. XCVIII.

Osee 2.

Dilectus meus mihi, & ego illi. Dilectus meus mihi spiritualis desponsationis fidem indulget, dicens per Osee: *Sponsabo te mihi in fide, sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, in misericordia & miserationibus sponsabo te mihi in æternum, & ego illi* gratanter consentio. Pro quo notandum, quòd hæc nomina sponsus & sponsa, dicuntur à spondere, quia mittebant olim sibi mutuo cautiones, quibus spondebant in iura matrimonij se consentire, & fideiussores dabant, quibus id se seruaturos obligabãt, vt patet ff. de sponsa. l. 2. Et quædam sunt sponsalia de futuro, quædam de præsenti: & in vtrisq; sponsalibus requiritur consensus voluntatis, & animorum. Vnde dicitur 27. quæst. 2. cap. Sufficiat solus secundùm leges cõsensus eorum, de quorum quarumq; coniunctionibus agitur: qui solus si defuerit, cætera etiam cum ipso coitu ritè celebrata frustrantur. Matrimonium enim nõ facit coitus, sed voluntas. Hæc ibi. Hinc sponsus Christus cor sponsæ suæ petit in matrimonio spirituali, dicens: *Fili, præbe cor tuum mihi.* Nulliq; fructuosius, iucundius, & honorabilius sponsa cor suum præbere potest. Tali nanq; sponso cor dare cõuenit, qui solus cordi sufficere potest, vt sponsa cum Psalmista dicat: *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* In solo nanque Deo cordis est sufficientia. In omnibus alijs cordis egestas. Cùm igitur, ô anima, sponsus tuus de te totum suum fecit, dices: Cùm *exaltatus fuero à terra, omnia*, id est, totum cor humanũ, *traham ad meipsum*, scilicet per dilectionẽ, in quo totum suum habere testatur, vt versa vice de ipso totum tuum facias, ipsum laboris tui finem constituendo, pro eius amore cuncta bona perficiendo, & mala patiẽter perferendo: alioqui qua fronte de ipso totum suum facere denegabis, qui de te totum suum tam dignanter effecit? Et hoc fit per verum amorẽ, per quem cordis dominium transfertur in amatum. Amor enim non sinit suos esse amantes, sed amatorum. Hinc illi, quem diligimus, vulgariter cor nostrum dedisse dicimur. Et solus amor Dei, qui est cõiunctio conuenientis cum conueniẽti, facit matrimoniũ spirituale. Charitas enim, quæ secundùm Apostolum, *perfectionis est vinculum*, in Deũ perfe-

Sponsus vnde.

Sponsalia.

Cor Deo offerendũ. Prouer. 23.

Psal. 72.

Ioan. 12.

Matrimoniũ animæ cum Deo Coloss 3.

perfectè facit consentire: & ideo perfectum facit matrimonium inter Deum, & animam, iure quodam matrimonij Deum cordi, & cor Deo ligans, ac in tantum Deo constringens, vt *qui* sic *adhæret* Deo, *spiritus unus efficitur* cum eo. Vide nunc ô anima, si tuus amor est ad donandũ, vbi melius illum collocare poteris, quàm in eo, qui est *speciosus forma præ filijs hominum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi?* si verò ad vendendum, nonne & ipse emit pretio magno sui sanguinis, dulciter amore te præueniens, & fideliter redimens? Est enim pro amore tuo pretium sui sanguinis iam persolutum, & tibi venale liberaliter expositum, cui nulla merces æquiparari potest. Imò Deus trinus & vnus in amoris tui se pretium exposuit, vt vel sic cordis tui, bonæq; voluntatis tuæ dominiũ plenius consequatur. Si deniq; tuus amor est ad auferendum, quæ violentia maior ad amorem tuum obtinendum inferri potest, quàm mori taliter pro amore? In hoc enim Christus *commendat charitatem suam*, quòd ex amore *pro nobis mortuus est, cùm adhuc* inimici *essemus*. Vnde dicit Bernard. Nulla est maior dilectio, nullus amor syncerior, nullus affectus ardentior, nulla charitas sanctior, quàm quòd mortuus est pro nobis innocẽs, nihil quod in nobis amaret, inueniens. Hoc autem totum fecit, vt dura corda nostra emolliret, ac insensibiles, ac mortuos affectus nostros quasi excitãdo susciteret. Veruntamen iste sponsus est virgo, virginisq; filius, qui sponsam virginem habere desiderat. Et secundùm legem, summus sacerdos *virginem* ducit *vxorem*. Hinc ait Apost. *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo*. Quòd dicit ad animam, quam *Christo* vult *exhibere*, & *virginem*, & *castam* virginem. Sed ne paueas anima, quia quoties per gratiam mundata fueris, virgo reputaris. Anima nanq; virgo censetur, quæ redditur à peccati corruptione libera, & per dilectionẽ integra, vnum petens, quærens, & diligens, & illud *vnum*, quod *est necessarium*, quòd facit charitas, cuius officium est vnire. Hoc enim interest inter matrimonium carnale & spirituale, quod in carnali virgo corrumpitur, sed in spirituali anima corrupta virgo efficitur. Vnde dicit beata Agnes: Quem cùm amauero, casta sum; cùm tetigero, mũda sum; cùm accepero, virgo sum. Porrò, secundùm Bernardum, audi qualem te esse oportet, si vis esse spõsa Dei: Da mihi, inquit, animã nihil præter Deum amantem, & quod propter Deum est amandum: cui viuere Christus non tantum sit, sed & diu fuerit: cui studij, & otij sit prouidere *Dominum in conspectu* suo *semper*, cui sollicitè *ambulare cum*

1. Cor. 6.

Psal. 44. Coloss. 2.

Rom. 5.

Leuit. 21. 2 Cor. 11.

Anima virgo

Luc. 10.

Agnes.

Anima spõsa Dei.

Psal. 15. Mich. 6.

Deo ſuo, nõ dico magna, ſed vna ſit voluntas, & non deſit facultas. Nam quia multi ſunt cognati, quamuis non ſimiles, & ex cognatione ſe diligunt: ſunt etiam multi ſimiles, quamuis non cognati, & ex hac ſimilitudine ſe diligunt. Vbi verò ſimul hæc duo concurrunt, neceſſarium eſt vt vehementior ſit vis amoris. Nunc verò, & identitate naturæ veſtitus ipſe Deus, maiora ſigna dilectionis oſtẽdit, & maxima ſuis operibus exhibuit. Quid igitur, non plurimum ſponſus redamabit ſponſam, id eſt, fidelem animam, qui eam intentiſsimum, & fideliſsimum amorem ſpirantem iam agnouit? Deus enim, cùm ſit ſummus, decet eum habere ſummũ amorẽ ad ſuum diligibile, qui vigere debet inter ſponſum, & ſponſam. Licèt igitur ſponſa ſuo ſponſo eſt multum inferior, tam genere, quàm ſpecie, & dignitate; tamẽ eo affectu ſe diligi nõ dubitet, quo ſponſa diligitur à ſponſo: cùm ex longinquo Filius Patris cæleſtis aduenit, vt hãc ſibi ſponſam aſſumeret, & quã tantũ adamauit adhuc fœdã, necdũ redamantẽ, vt pro illa carne indui, & taliter mori non dubitaret, *vt* vel ſic ſua morte, ſuoq; ſanguine redderet eam pulchram, & *gloriosam non habentem maculã* neq; *rugam*, putasne dealbatã, & exornatã, ac plurimum redamantem non diliget, tãquam ſponſam digniſsimã? Vnde ergo tibi, ô anima, gratia tam inæſtimabilis, vt eius ſponſa dici merearis, & eſſe, cuius pulchritudinẽ Sol, & Luna mirantur? Ad cuius nutum vniuerſa mutantur, *in quem deſiderant*, & *Angeli proſpicere?* O quid retribues Deo tuo *pro omnibus quæ retribuit* tibi, vt ſis ſocia menſæ, ſocia regni, ſocia thalami, vt introducat te rex in cubiculum ſuum? Vide nunc quid de Deo tuo ſentias, vide quantũ de eo præſumas, vide quibus brachijs vicariæ dilectionis redamãdus, & amplectendus ſit, qui tanti te æſtimauit, imò qui tanti te fecit. De latere ſuo te formauit, cùm in cruce pro te obdormiuit. Propter te à Deo Patre exiuit, & eadẽ natura ſe induit, vt adhærẽs ei ſpiritus vnus efficaris cum eo. *Audi* ergo *filia, & vide*, & conſidera quãta ſit dignatio Dei tui erga te; *& obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui*, deſere carnales affectus, dodiſce mores ſeculares, obliuiſcere cõſuetudines noxias: ſciens quia iſtæ ſunt nuptiæ deſponſationis, non copulationis; præparationis, non conſummationis. Deniq;, cur anima Deum amãs cenſetur Dei ſponſa triplex ſubeſt ratio: Prima, quia talis anima Deo ſociatur amore caſto. Nam amor ipſius animæ nunquam quieſcit, niſi in illo ſolo. Quantumcunque ipſa cum creaturis adulterat, nũquam quietari poteſt, donec in illo ſolo caſto amore cõquieſcat, qui ſecundùm

Ephes. 5.

1. Per. 1. Pſal. 115.

Pſal. 44.

Connubij myſtici ratio.

Augu-

Augustinũ, intrat in animam omni voluptate dulcior, omni luce clarior, omni honore sublimior, omni amore secreto interior. Et iterum: Quis mihi det, vt venias in cor meum ô Deus meus, & inebries illud, & obliuiscar omnia mala mea, vt amplectar te solum vnum bonum Deus meus? Secunda ratio est, quia fidelis anima non potest ab aliquo fœcundari fructu boni operis, nisi à solo Deo. Solus enim vehemens amor Dei complectitur omnia grata in Deum, & omnia ingrata propter Deum: per charitatem complectens inimicum, vt amicum; confusionem, vt honorem; pœnam, vt oblectationem; mortem, vt vitam; & sic de alijs, vt sic in nullis prosperis insolescat, in nullis aduersis charitas tepescat, sed semper respondeat dilecto: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum* scilicet tam in aduersis, q̃ in prosperis. Tertia ratio est, quia ab eo solo donis virtutum subarrhatur, quæ nullus dare potest, nisi solus Deus. Anselmus autem in Prosologio addit quartam rationem, dicens: Quatuor sunt, propter quæ fidelis anima sponsa Christi dicitur: Dona gratiarum, quibus subarrhata est in baptismate: castus amor, quo illi sociata est in vnctionis chrismate: proles virtutum, quibus fœcundata est diuini verbi dogmate: thorus immaculatus, quo illi in æternum socianda est, omni semoto procul ænigmate. Psal. 56. 107.

Matrimonium spirituale inter Christum, & animam, quomodo initiatur, confirmatur, & consummatur; ex recordatione beneficiorum Dei. Cap. XCIX.

Dilectus meus mihi, & ego illi. Sicut matrimoniũ carnale inter virum, & mulierem initiatur per verba de futuro, & confirmatur per verba de præsenti, perficiturq; per copulam mutuam subsequentem: sic etiam spirituale matrimonium inter Christum, & animam, initiatur per fidem in baptismo, cõfirmatur in profectu virtutum, & perficitur in gloria, quando inseparabiliter coniungitur anima Christo. Initiato verò matrimonio, iam dicũtur sponsus & spõsa, quia se sibi alterutrum spondẽt, vt nec ille, nec illa alteri nubat. Inter diem verò despõsationis, & nuptiarum spatium interponitur, quo cõuenire debeant. Quod quidem sapiẽter, & vtiliter statutum est, vt interim visitatio mutua frequentetur, & amor mutuus crescat, & augeatur, ac impatiens desiderium cupitæ copulæ, quò magis differtur, amplius ignescat. Et quia, secundùm Sallustiũ: Animæ cupienti nihil satis festinatur: diem nuptiarum indictam properantius adesse desiderant.

Matrimonij mystici initiatio.

Sic & tu, ò anima, Christi sponsa iam effecta, dum dies cupitæ copulæ tardat, at deas amore, æstues desiderio, & anheles suspirio, & sicut ait quidam: *Pallet omnis amans:* & in te pallor, & macies certissima signa sint amoris: Nam si te sponsus marcescere viderit impatienti desiderio, copulæ diem accelerabit, offeret oscula, iunget amplexus, vt cantare valeas in iubilo: Ecce quod concupiui, iam video; quod amaui, iam teneo. O lætum diem talium nuptiarum, & felicem sponsam tali coniugio dignam. Interim sponsa diligenter attendat, quale sponsus exhibet amorem, vt condignam amoris illius reddat vicem.

Beneficia Dei ad animam.

Veraciter enim amans in amato singula reuoluere solet, quæ dilectionis affectum excitare, & augere valeant, scilicet ipsius amati conuersationem, pulchritudinem, dulcedinem, beneuolentiam, fidelitatē, & in multis exhibitam charitatem: quia, secūdùm Augustinū, ad Dei dilectionem in nobis excitandam, nutriendam, & augmentandam, nihil ita valet, sicut beneficiorum eius frequens, & diligens consideratio. Quod & ipse perficiens, ait: O anima mea, si cogitare potes, qui & quales in comparatione tui abiecti sunt, qui gratiam, quæ data est tibi, consequi non volebant. Audisti certè ab initio vsque nunc, quàm multæ generationes hominum transierunt, qui omnes sine cognitione Dei, & pretio sui sanguinis in interitum æternū delapsæ sunt: omnibus illis Redemptor tuus, amator tuus, te prætulit, quando tibi gratiā largitus est, quam nullus illorum percipere meruit. Tu sola præ illis electa es. Et cur id in te factum sit, nullam præter amatoris tui charitatem aliam causam assignare poteris, nec aliud habes, nisi quòd saluā te fecit, quia voluit. Et iterum: Miser ego, quantum deberem diligere Deum, qui me fecit, cùm non eram; & redemit, cùm perieram? & de nihilo fecit me, non lapidem, non arborem, non auem, nō aliquod de animalibus; sed hominem esse me voluit. Dedit mihi viuere, & discernere. Perieram, & ad mortalem descendit, mortalitatē susceptit, passionem sustinuit, & morte vicit, & sic me restaurauit: In peccatis meis vemundatus eram: venit ille post me vt redimeret me, & tantum dilexit me, vt sanguinis sui pretium impenderet pro me: & tali pacto reduxit me de exilio, & redemit me de seruitio, & nomine suo vocauit me, vt memoriale suum semper esset mecum. *Vnxit* me *oleo lætitiæ*, quo ipse vnctus erat, vt ab vncto essem vnctus, & à Christo vocarer Christianus. Sic gratia *eius* & *misericordia* semper præuenerunt me: nec pro his omnibus quid illi rependam habeo, nisi tantùm, vt diligā eum ex toto cor-

Actor. 10. Psal. 44. Hebr. 1. Psal. 58.

to corde meo. Non enim melius aut decentius, quàm per dilectionē rependi potest, quod per dilectionem datum est. Erit ergo mihi dulce de ijs semper loqui, semper cogitare, semper gratias agere, vt eum pro omnibus beneficijs suis valeam semper laudare & amare. Olim enim computrui in oculis tuis Domine, mihi placens, & hominibus complacere cupiēs. Et quid erat quod me delectabat, nisi amare, & amari: Et exhalabantur nebulæ de limosa concupiscētia carnis, & obfuscabāt cor meum, vt non discerneretur serenitas dilectionis tuæ à caligine libidinis, cùm nihil blandius sit tua charitate, nec amatur quicquam salubrius, quā illa præ cunctis formosa, & luminosa veritas tua, vbi requies certa reperitur. Tu enim es plenitudo, & indeficiens copia incorruptibilis suauitatis. Quies est apud te, & imperturbabilis vita. Qui intrat in te, intrat *in gaudiū Domini* sui, & non timebit, & habebit sē optimè in optimo. Hæc sparsim Augustinus. Hinc hortatur Anselmus dicens: Considera nunc anima mea, intendite omnia intima mea, quantum illi debeat tota substantia mea. Certè Domine, quia me fecisti, amori tuo debeo me totum: quia me redemisti, debeo me totum: quia tanta promisisti, debeo me totum. Imò tantum amori tuo debeo plus quàm me, quantū tu es maior me, pro me dedisti te. Fac me Domine precor gustare per amorem, quod gusto per cognitionem. Trahe me totum in amorem tuum, & fac totum tuum dilectione, quod tuum est conditione. Hæc ille.

Amoris vim cōsistere in tribus.

Hugo verò dicit in tractatu de amore, quòd tota vis amoris nostri consistit in tribus. Primò, quòd mens aliquid ad fruendum eligat, scilicet summum bonum, alioqui quicquid aliud mens ad fruendū præter DEVM in seipso, aut proximum in Deo, vel illecta, vel decepta elegerit, metas veræ dilectionis exit. Secundò, quòd ad id quodam interno desiderio sese extendat, dicēdo cum Propheta: *Omnia ossa mea dicent: Dòmine, quis similis tibi?* Psal. 34. Tertiò, quòd id agat, quo ad desideratum peruenire valeat. Et tunc sine dubio amare dicendus est. Et hæc quantò quis feruentius, instantiusque peregerit, tantò magis & diligit: quam dilectionem debita forma sponsa studeat exequi exēplo sponsi, de quo dicit Bernardus super Cantica: Quòd DEVS nos dilexit tam dulciter, quòd carnem induit: tam sapienter, quòd culpam cauit: tam fortiter, quòd mortem sustinuit. Et quos in carne visitauit, non carnaliter amauit; sed in prudentia spiritus, æmulans nos *æmulatione* Dei, non hominis. Et quos quæsiuit in carne, dilexit in spiritu, redemit in

Dei s quomodo dilexerit. 2. Cor. 11.

virtute. Plenum prorsus omni suauitatis dulcedine, videre hominem hominis conditorem. In carnis assumptione, condescendit mihi; in culpæ vitatione, consuluit sibi; in mortis susceptione, satisfecit patri, amicus dulcis, consiliarius prudens, adiutor fortis. Huic securus me credo, qui saluare me velit, nouit, possit. Carnis quidem assumpsit veritatem, exhibens in illa consolationem infirmo: sed peccati similitudinem in ea prudenter abscondens, laqueum deceptionis diabolo. Porrò, vt Patri nos reconciliaret morte fortiter subijt, & subegit, fundens pretium nostræ redemptionis sanguinem suum. Ergo nisi dulciter amasset, in carcere nos non requisisset. Iunxit affectioni sapientiã, qua tyrannum deciperet: iunxit & patientiam, qua Patrem offensum placaret. Sic à Christo Christiane disce, quemadmodum diligas Christum. Disce amare dulciter: & ne illectus à mundi gloria, seu carnis voluptatibus, ab amore Domini abducaris, dulcescat tibi præ his sapientia Christus. Disce amare sapienter: & ne deceptus spiritu mendacij, & erroris seducaris, luceſcat tibi veritas Christus. Disce amare fortiter: & ne oppressus aduersitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Christus. Zelum tuum inflammet charitas, vt sit feruidus, ne teporem habeat: informet scientia, vt sit circunspectus, ne discretione careat: firmet constãtia, vt sit inuictus, ne sit timidus. Hoc enim præcepit Dominus dicens: *Diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo*, id est, ex toto, & pleno cordis affectu: *& ex tota anima tua*, id est, ex tota ratiõis vigilãtia, & circũspectione: *& ex tota virtute tua*, id est, vt nec mori pro amore eius pertimescas: *quia fortis est vt mors dilectio*. Sit ergo suauis & dulcis Dominus Iesus affectui tuo, contra malè dulces vitæ carnalis illecebras, vt vincat dulcedo dulcedinem, quẽadmodum clauum clauis expellit. Sit nihilo minus prænia lux intellectui, & dux rationi, vt cautus sis in tua conuersatione, vitare nimiam & indiscretam vehementiam. Sit etiam fortis & constans amor tuus, nec cedés terroribus, nec succumbens laboribus. Amemus ergo affectuosè, circumspectè, validè, scientes amorem cordis, quem & affectuosum dicimus, absq; eo, qui dicitur animæ, dulcem quidem, sed seducibilem: illũ verò absq; eo, qui est virtutis, rationabilem, sed fragilẽ esse. Hæc Bernardus inter, alia. Eadem tria etiam tangit Hugo in tractatu de amore, dicens: Interest sanè, quantum quis in dilectione fuerit affectuosus, discretus, & fortis: tantum enim erit & perfectus. Affectus enim proficit contra aduersas dulcedines, discretio contra deceptiones, fortitudo con-

Deus quomodo sit redamandus.

Deut. 6. Matth. 22. Marc. 12. Luc. 10. Cant. 8.

do contra persecutiones. Si quis autem noscitur in his tribus esse perfectus, non solùm feliciter, sed & suauiter amat. Sanè si non poterit esse affectuosus, sit tamen discretus & fortis: & si non ad præsentem suauitatem, non minus proficiat ad futuram felicitatem.

De matrimonio confirmato, & comparatione amoris sponsi & sponsæ, ac de duobus bonis matrimonij quæ sunt, fides & proles, & quomodo hæc spiritualiter sint inter Deum & animam. Cap. C.

Dilectus meus mihi, & ego illi. Secundò verò matrimonium spirituale confirmatur in profectu virtutum, vt verius iam dicere possit sponsa: *Dilectus meus mihi*, scilicet intendit, *& ego illi*. Quid sibi vult inter tam dispares ista comparatio, vt sponsa dicat: *Dilectus meus mihi, & ego illi?* Itane huic intēta est illa maiestas, & cui cura seculorū incūbit, ad sola transfertur negotia, vel potius otia amoris & desiderij huius. Ita planè. Nam etsi prouidentiam cæteris creaturis nō negamus, curam tamen sponsa vendicat sibi Apostolo Petro dicēte: *Omnē solicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Quasi diceret: Intendite illi, quia intendit vobis. Quid mirum, si curā illius habet, q̄ adeò dilexit, quòd pro illa semetipsum liberaliter obtulit? Vides quomodo non solùm de amore suo te certum reddat, si tu diligis eum; sed etiā de sua solicitudine, quam pro te gerit, si te senserit solicitum sui? Vigilas tu, vigilat ipse. Et quantumcunq; acceleraueris ipsas anticipare vigilias, eum inuenies, non præuenies. *Ego*, inquiens, *diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me, inuenient me.* Nam magis amat, & ante. Amor enim illius amorem animæ parit, & illius præcurrens intentio animam facit intentā, solicitudoque solicitam. Si hæc anima scit, imò quia scit, miraris, quòd illam maiestatem, quasi cætera non curantem, soli sibi gloriētur intendere: cui soli, postpositis curis omnibus, ipsa tota deuotione intendit. Mirum dico quidem, sed verum, animam Deum videntem haud secus videri, quàm si sola videatur à Deo, moxque Deo conformatur, & in eandem imaginem transformatur. Ea ergo fiducia dicit illum intendere sibi, seque illi, nihil præter se & illum intendens. O quàm *bonus* es Domine *animæ* te *quærenti*, affectuosè, discretè, fortiterque diligenti, te sponsum exhibens, occurris & amplecteris. O felix anima, quæ tantæ dulcedinis benedictione meruit præuenire, cui tantæ suauitatis comple-

Matrimonij mystici confirmatio.

1. Pet. 5.

Prouer. 8.

Amor spōsi ad spōsam.

Thren. 3.

xum donatum est experiri. Vides quàm magna res est amor, si tamen ad suũ recurrat principium, si suæ origini redditus, si suo refusus fonti, semper ex eo sumat, vnde iugiter fluat. Meritò siquidem cunctis alijs renuntians affectionibus, soli & tota incumbat amori, quæ ipsi amori respondere habet amore in rediligendo. Nam & cùm se totam effuderit in amorem, quantum est hoc ad illius fontis perenne profluuium? Non enim pari vbertate fluere possunt amans & amor, anima & verbum, sponsa & sponsus, creator & creatura, non magis quàm sitiens & fons. Quid ergo? Peribit propter hoc, & ex toto euacuabitur nupturæ votum, suspirantis desiderium, amantis ardor, & præsumẽtis fiducia? Non. Nam si minus diligit creatura, quia minor est, tamen si ex tota se diligit nihil deest vbi totum est. Propterea sic amare, nupsisse est. Hæc Bernardus inter alia.

Matrimonij bona quæ sint.

Cæterùm, iam prosequamur de bonis matrimonij, quæ sunt fides, proles, & Sacramentum, quæ tangit Dominus apud Oseæ, dicẽs: *Sponsabo te mihi in fide*: vbi tangit primum bonum, quod est fides, id est, fidelitas, quam sibi inuicem debent exhibere coniugati. Conseruatur autem fides inter Deum & animam, quando cor Dei & animæ sibi inuicem subijciuntur & obsequuntur. Apponat igitur anima Deo cor suum, sicut & animæ Deus apposuit cor suum, ita vt miraretur Iob, dicens: *Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Vnde sponsus ex amoris vehementia, non curauit quid de se fieret, dummodò sponsam dilectam consequeretur & possideret. Sic curare non debet sponsa quid fiat de ea, dummodò sponsum suum consequi & possidere valeat, propter sponsum seipsam, & omnem aliã creaturam nihili pendens, sicut sponsus seipsum & sua penitus neglexisse visus est, dicens: *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam: dedi dilectam animam meam in manum inimicorum eius.* Et hæc fidelitas in tribus consistit. Primò, vt sponsa soli sponso intentione recta ac deifica dulciter & perseueranter intendat. Amor enim vehemens semper sursum vult agi, nec vllis infimis rebus retineri. Vult esse liber & alienus ab omni affectione extranea, quia amore nihil dulcius, nihil fortius, nihil altius, nihil latius, nihil iucũdius, nihil melius inuenitur, quia nascitur ex Deo, nec potest nisi in Deo super omnia quiescere, perfectè contemnens omnia prospera, & complectens omnia aduersa, vt in dilecto quiescat super omnia. Secundò, vt in dilecti amore duntaxat delectetur. Et hoc significatur per annulum desponsationis. Sicut enim

Oseæ 2.

Fides inter Deum & animam.

Iob 7.

Ierem. 12.

Fidelitas sponsæ in tribus.

enim digitum annulus nec excedit, nec exceditur, sed eidem adæquatur, sic cor ei, cui desponsatum est, debet adhærere, nec amorem alienũ quemcunq; recipere. Quia sicut anima duo corpora simul inhabitare non potest, sic nec duos amores diuersos, scilicet Dei & mundi, simul susc ipere potest. Ideo, secundùm Augustinum, totum exigit te, qui fecit te. Vnde sicut ignis, qui simpliciter leuis est, secundùm Philosophũ, fertur ad locum, qui simpliciter est sursum, & eum transcendere non valens, cõtra naturã motus recti circumuoluitur in sphæra circa ipsam. Sic semper amor Dei purus, ad altissimum Deum eleuat, & tamen ad eius comprehensionem conscendere non valens, mouetur semper circa diuina, sub ratione diuina, cuncta contemplando & amando, *vt sic Deus omnia sit in omnibus.* Semper enim amor Dei mouetur sursum in amatum, cætera contemnendo, inquantum in suis naturis subsistunt, quæ reputat Apostolus *vt stercora, Deum* diligens *ex toto corde,* cogitando omni industria, qua potest, quomodo Deo placeat: *& ex tota anima,* collocando in eo, tanquam in vltimo fine, cuncta desideria sua, *& ex tota mente,* in Deum directa, & eidem ex amore vnita, sic delectando in operibus bonis, ex eorum connaturalitate, quòd nulla fatigatione, quam nec percipit, ab eisdem deflectatur, vtpote cui nihil dulcius, quàm respicere in mandatis Dei, quæ sunt ei *desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum, & dulciora super mel, & fauũ.* Et hoc est tertium, in quo consistit fidelitas, quòd soli dilecto placere studeat.

1. Cor. 15.

Philip. 2.

Deut. 6.

Psal. 18.

Secundum bonum matrimonij est proles spiritualis in agendo, cauendo, & sustinendo: quæ proles procedit ex semine diuinæ grátiæ, & libero arbitrio, quibus filij spirituales procreantur. Et hoc bonum matrimonij notat sponsus, cùm adiungit: *Sponsábo te mihi in iustitia, & iudicio, & misericordia, & miserationibus.* Vbi tangit primò iustitiã, quã sibijpsi debet: secundò misericordiam, quàm debet proximo. Hæc autem est iustitia, qua generaliter declinat ab omni *malo,* & facit *bonum:* quæ tamen facienda sunt cum iudicio discretionis, præsertim quantum ad opera satisfactionis & pœnitentiæ: misericordia verò, & miserationes spectant ad proximos, vt misericordia in donando, vel condonando: miseratio verò in compatiendo. Vnde dicit D. Chrysostomus: Qualem vis vt tibi se Deus exhibeat, talem te proximo studeas exhibere, scilicet charitatiuum, beneuolum, mitem, mansuetum, pronum ad indulgendum, & in omnibus gratum, patientiaque decoratum. Nam in confirmatione matrimonij per verba de præsenti, so-

Proles mystica.

Osee 2.

Iustitia.

lent in quibusdam locis astantes se verberare mutuò, dicentes: Tene de nuptijs: sic sponsus tuus in nuptiarum confirmatione, scilicet passionis tempore, cum tota animi promptitudine de nuptijs opprobria, liuores susceptit & vulnera, ne partem suam de nuptiarum ictibus portare grauetur & sponsa. Vnde Bernardus: Notam tibi fecit Deus dilectionem suam, experiatur & tuam. Nō illum vicêre peccata tua, teq; illius flagella non superent: sustinuit te dilectus, sustine & tu dilectū. Alioqui quādo redisses ad eum, nisi tibi ille perseueraſſet, nisi clamasset: *Reuertere, reuertere Sunamitis?* Esto igitur & illi perseuerans, vt nullis ab eo flagellis aut laboribus auertaris: quia *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et tunc verum exhibes amoris indicium, quia, secundùm Chrysostomum, in tantum succensus ardet amore Christi perfectus amator, vt etiā si ipsas immortales flammas adhibeas, nesciat, non sentiat, non vratur: quia multo vehemētior est ignis Christi, quo per amorē intus vritur. Ardentiori namq; desiderio constrictus, ita suffert omnia, quòd ex his, quas patitur, pœnis, solatia magis amoris sui capiat, quàm dolores corporis sentiat. Dolor enim non est, nisi vbi amor & gaudium carnis fuerit. Qui ergo in carne viuunt, in carne sentiunt, & illis dolor corporis est grauis, quia suaue fuit eis gaudium corporis. Qui autem in spiritu viuunt, in spiritu sentiunt, nō in carne. Vnde etiam illis deuastatio carnis non est grauis, quia non fuit illis suaue gaudium carnis. Ita enim debet amari sponsus Christus, & sic eius amor debet animam hominis à rebus præsentibus alienam facere, quòd nec ipsam sentiat corporalem pœnam: seipsum enim quodammodo perdere tanquam quòd non sit, & omnino non sentire seipsum, à seipso etiam exinaniri, & penè annullari cælestis est conuersationis, non humanæ affectionis, quibus maximè promeretur sponsus. Vnde dicit Origenes super Cantica, quòd plurimi Græcorum ostendere conantur, non aliud esse, nisi vim amoris, quæ animam de terris ad celsa cæli fastigia perducit, nec ad summam peruenire beatitudinē, nisi amore animi desideria prouocantis.

Cant. 6.

Matth. 11.

Amor dolores non sentit.

De tertio bono matrimonij spiritualis, quod est Sacramentum inseparabilitatis, quod requirit mutuam vnionem, & felicem liquefactionem. Cap. CI.

Sacramentum matri.

Dilectus meus mihi, & ego illi. Tertium verò bonum matrimonij spiritualis est Sacramentum, vt anima sponsa nunquam à Christo spon-

ito sponso separetur, sicut Christus nunquam separatus fuit, nec separabitur ab Ecclesia: & ideo subnectit sponsus dicens: *Sponsabo te mihi in sempiternum*, quod fit per inseparabile glutinum charitatis, de qua dicit Augustinus: Charitas est affectio animæ rectissima, Deo nos coniungẽs Charitas est sponsa Christi, amor Spiritus sancti, dulcedo animæ, gaudium conscientiæ, scala cæli, ianua Paradisi, Imperatrix & Regina virtutum. Charitas est concordia mentium, vnitas voluntatum, dulcedo & gaudium Angelorum, beatitudo omnium electorum. Charitas est inter opprobria secura, inter odia benefica, inter iras placida, inter insidias innocẽs, in iniquitate gemẽs, in veritate respirans, in virtute congratulans. Amor enim, secundùm eũdem, vbi venerit, cæteros omnes traducit & captiuat affectus. Amor per se sufficit, per se placet, & propter se. Ipse meritum, ipse præmium, ipse causa, ipse fructus, ipse vsus. Amor nos coniungit Deo, faciens vnum spiritum è duobus, & vnum velle & nolle. Amor Dei vehemens solùm Deum complectitur, cætera fastidit & contemnit, quicquid meditatur, quicquid loquitur, amorem sapit, amorem redolet. Magnum omnino bonum est amor, qui omne onerosum facit leue, & æqualiter fert omne inæquale, omne amarũ facit dulce, & omne pœnale facit delectabile. Magna res omnino est amor, quo anima per seipsam fiducialiter accedit ad Deum. Deo constanter adhæret, Deum familiariter percunctatur, consulitque de omni re. Amor enim dignitatis & reuerentiæ nescius, Deo familiariter loquitur, nihil timens, nihil hæsitans, sed audens fidutialiter ad Verbi nuptias adspirare, & cum Deo fœdus inire societatis, ducereque suaue iugum amoris. Amor enim dat familiaritatem, familiaritas ausum, ausus gustum, gustus famem, frequentans illud Psalmistæ: Sicut *desiderat cernus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*. Hæc omnia facit amor, si se Deo similẽ exhibet anima per voluntatem, cui similis est per naturam, diligens Deum sicut dilecta est. Amat siquidem Deus, vt ametur, & cùm amat, nihil aliud vult, q̃ amari, sciens ipso amore beatos qui se amauerint. Renuntians igitur anima cunctis alijs affectionibus, tota sola soli incumbat amori, se totã effundens in amorem illius, cui respondere habet in reddendo amorẽ. Per amorem enim venit Deus ad homines, venit in homines, factus est homo: cuius *delicia sunt esse cum filijs hominũ*. Nostrę verò deliciæ erũt, cùm ad eum veniemus, & *eum sicuti est, videbimus*, & tũc *similes ei erimus*, eritque de cætero manifesta & plena cognitionis visio, vera dilectio,

monj mystici. Oseæ 2.

Charitas quid.

Psal. 41.

Prouer. 8.

1. Ioan. 3.

ctio, firma coniunctio, societas indiuidua, similitudo perfecta, & vita beata. Et sic matrimonium spirituale perficietur in gloria, inseparabili coniunctione ipsius animæ cum Christo & perfecta. Vt igitur, ô anima, digna fias illius felicissimo amplexu, hæc omnia inferiora contemne, & illius amori iugiter inhærere stude, quia sine amore nunquã potes esse, sed alligata amori terreno, viscum habes in pennis, nec volare potes. Solus amor sanctus ab hoc visco te solutam eleuat ad diuina. Quia, secundùm Chrysostomum, anima cum igne diuino fuerit ignita, ad nihil eorum, quæ sunt in terra, de reliquo respicit, nec ad gloriam, nec ad verecundiam, sed ad vnam solam, quæ detinet eam, charitatis flammam: nimirum cùm gustata gutta charitatis diuinæ, iam desipit omnis dulcedo transitoria, & sola dulcescit suauitas, charitasq; diuina. Cæterùm Sacramẽtum matrimonij spiritualis requirit omnimodam inseparabilitatem sponsi & sponsæ: & ideo duo principaliter præsupponit, scilicet mutuam vnionem, & felicem liquefactionẽ. Ad quæ duo feliciter adipiscenda, requiritur in sponsa castus amor, & vehemens. Castus amor nullum medium admittit, & vehemens arctius stringit & perfectius vnit. Solus enim amor castus propriè Deum colit vt sponsum, purissimum spirans amorem, & nuda nudo sponso iungitur, ab omni affectione & intentione peregrina depurata. Vnde ait Augustinus: Deus gratis vult se coli, gratis vult se diligi, hoc est, castè amari. Solùm propter se amandus est Deus, non propter aliquid præter se. Et omnia quæ amantur, propter eum solum amanda sunt: quia talis dilectio casta est, vt dicat cum Psalmist. *Mihi adhærere Deo bonum est.* Ad charitatem etiam vehementem hortatur Origenes super Cantica dicens: In diligendo Deum nullus modus, nulla mẽsura est habenda, nisi hæc sola, quòd tantum exhibeas quantum potes. Mensura tua sit possibilitas tua. Hæc enim dilectio est *iugum* Domini *suaue, & onus leue. Iugum*, inquam, quod non premit, sed vnit; *& onus*, quod pennas habet, non pondus. Quid enim suauius, quàm mũdi contemptu mundo se cernere altiorem, ac in conscientiæ bonæ verticem consistentem, Deoq; per amoris cõplexum vnitum, sub pedibus habere totũ mundum, nil videre quod appetat, nullum quem metuat, nulli cui inuideat, nihil quod ab alio posset auferri, suum esse, nihilq; quod sibi posset ab alio inferri, malum esse? Ecce quid vehemens amor agit in anima sancta. Quanta in huiusmodi amore iucunditas, qua timor omnis excluditur? quanta in iucunditate tranquillitas, qua omnis ira compescitur?

Ad Animã.

Matrimonio mystico necessaria.

Psalm. 72.

Matth. 11.

tur? quanta in tranquillitate securitas, qua totus mundus contemnitur? vt meritò iam dicat sponsa: Annuntietis dilecto, *quia amore langueo*. Qui languor confert ad mortem peccati, ad contemptū mundi & sui, ad feruidum amorem dilecti. Primum igitur quod requirit Sacramentum matrimonij spiritualis, est vnio sponsi & sponsæ. Spiritus enim sponsæ, cùm per amorem intimum adhæret Deo, per voluntatis conformitatem efficitur vnus cum eo. Dicit enim S. Thomas, quòd anima vnitur Deo morum & virtutum conformitate, voluntatū identitate, & intima charitate. Quæ nimirum vnio spirituum, aëri conuenienter assimilatur, qui scilicet illuminatus in se, lumē solis incorporat, ita quòd ex aëre & lumine vnum lumē fieri videatur. Similiter & ferro, quod per magnetem magnetis affectum induit & proprietatē vt & aliud ferrū ad se trahere valeat. Præterea, quia Deus spiritus est, & similitudo vnionis causa est, non mirum, si spiritus rationalis, debitè purificatus, spiritui diuino, cui iam similis effectus est, vniatur. Spiritus verò noster sic assimilatus, qualificatus, & affectus per amorem, qualificat etiam & afficit corpus proprium, tanquam suum formabile seu materiale, per redundantiam spiritus ad corpus: quo fit, vt proprium corpus sic habituatum, sic affectum, induat & gerat quasdā proprietates ipsius spiritus, proprijs vel derelictis, vel multum ab actione sua suspensis. Hinc dicit Aristoteles, quòd in virtuoso omnia consonant rationi. Sic si spiritus noster à Deo tractus, trahit & ea, quæ sunt corporis, ex quo resultat vnio mirabilis spiritus ad Deum, & corporis ad spiritum, eò quòd spiritus noster per amorem perfectum, suo perfectibili sic coniunctus, statim quietatur, satiatur, & stabilitur, tanquam suam perfectionem adeptus, & finem suum, vel centrum consecutus. Secūdum autē est felix quædam liquefactio, de qua dicit sponsa: *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est*. Vbi dicit Bernardus: O dulcis cōfabulatio Dei in anima, & cum anima, quę sine lingua strepituq; labiorum formatur, & in silentio sine aure percipitur: solus audit cui loquitur, & alienus excluditur: quorum virtute & auditu corda liquescunt, liquescendo deficiunt ab eo quod fuerūt, & deficiēdo perficiuntur in eo in quem fluunt, scilicet in amatum interna aspiratione colloquentem. Sicut enim ignis materiam in se cōuertit, in quam agit; sic etiam amor diuinus animam in se conuertit, quam accendit. Et sicut varia metalla igne resoluta pariter in vnum cōfluunt, sic Deus & anima à se diuersa per amoris ignem liquescendo in vnum spiri-

Cantic. 5.

Vnio sponsi & sponsæ.

Liquefactio. Cant. 5.

tum confluunt, dum per felicem liquefactionem in illam vnitatem anima dulciter effluit, quam à Patre sponsus expostulans, ait: *Rogo Pater, vt vnum sint in nobis, sicut & nos vnum sumus.* Vnde dicit Ioan. 17. Origenes super eodem verbo, quòd diuinæ cõsolationis felicissimus effectus est liquefactio. Liquescit enim mens, dum deuotiõe mollescit, vt spõsus in ea suauiter cubet, & nihil duri ei obsistat. Liquescit, dum deuotione calescit, vt dilectus in ea calorem diuini amoris inueniat, & quasi quidam contactus spiritualis fiat, qui maximam delectationem generat. Liquescit, dum deuotione superefluit, vt Deus solus in ea solũ dominium & plenum obtineat: tunc omnis motus, omnis visus, omnis impetus eius, feliciter in æternitate terminatur.

Quòd Deus inhabitat animam tanquam regnum per iustitiam in rationali, per pacem in irascibili, & per gaudium spiritus in concupiscibili: & de triplici hierarchia mentis. Cap. CII.

EGo *dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Cantic. vij. Quasi diceret: Quia dilectus meus ascendit *in palmam*, vt me sibi acquireret, & totum amorem meum sibi vendicaret, *ego dilecto meo* me totam offero, ad regendum me tanquam regnum, totam me præparo ad inhabitandum, tanquam habitationis locum, domum, vel templum: quia *ad me* à pœnis liberandam, à peccatis mundandam, gratia decorandam, virtutibus adornandam, gloria sublimandam, & æternaliter inhabitandam, *conuersio eius.* Deus enim animam fidelem velut imperiale regnum optimè dispositam, regere & inhabitare dignatur. Et ideo dicit Dominus: *Regnum Dei intra vos est*, quod scilicet regnum Dei Apostolus ad Romanos specificat, dicens: *Non est regnum Dei esca & potus*, sicut Epicurei asserebãt, qui voluptatem carnis summum bonum esse dicebant: *sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Et sic regnum Dei tres habet ciuitates principales, quæ sunt, iustitia, rectificans iudicia rationis: pax, tranquillans imperia facultatis: gaudium, adimplens desideria voluntatis. Iustitia in rationali, pax in irascibili, & gaudium in concupiscibili.

Regnũ Dei in anima quod.

Luc. 17. Rom. 14.

Regni eiui tates tres.

Et hæc tria sunt velut imago quædam & arrha perennis lætitiæ futuri seculi. Prima ciuitas dicitur, iustitia, charitate diuina formata, quæ est virtus generalis in declinando malum, & faciendo bonum. Quæ iustitia licet primò perficitur ex quodam timore, & cum quadam difficul-

Iustitia.

ficultate, tamen in augmento gratiæ dilectionisque diuinæ redditur non solùm facilis, sed etiam delectabilis & saporosa, iuxta illud Psalmistæ: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum*, scilicet charitate. Et sic amor Dei, qui est Deus, regnat in nobis per iustitiæ libertatem, quasi in regno proprio. Hoc enim quotidie petimus, dicentes. *Adueniat regnum tuum* Secunda ciuitas vocatur pax, quæ fundata est in quieta tolerantia aduersitatum. Tunc enim quis veram pacem inuenit, cùm iniurias & aduersitates ardenter requirit, habitas gaudenter suscipit, & irrogantes velut intimos diligit. Et sic Deus in nobis regnum pacis liberè possidet. Tertia ciuitas dicitur gaudium in Spiritu sancto, quæ fundata est in conscientiæ puritate, & in certa spe futurorum, iuxta illud: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Super hanc ergo triplicem vim animæ, totum eius regnum fundatū est, quam Philosophi partes animæ vocauerunt, non quidem integrales, sed virtuales, quia potētiæ eius sunt. Per hoc enim regnum anima deiformem vitam hic inchoare debet, vt in cælo feliciter consummare valeat, dicente Domino: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Sicut enim imaginem Dei gerimus in mente, sic etiā vt veri filij Dei tenere debemus eius similitudinem in operatione: quia cuius opera facimus, eius filij sumus, vt dicit Iohannes. Nam perfecta deiformis imitatio & adoratio, secundùm Linconiensem, est renouatio spiritus rationalis, & conformitas ipsius, prout est possibile secūdùm amorem, scientiam, & operationem ad Deum; ad quam deiformem adornationem attinget nostra possibilis adornatio, vt amor referatur ad Spiritum sanctum, scientia ad Filium, & operatio ad Patrem.

Pſal. 118.

Matth. 6. Pax.

Gaudium.

2. Cor. 1.

Matth. 5.

Ioan. 8.

Hierarchia mentis.

Est enim in nobis primò amor boni in genere, deinde sciētia bonorum in specie, ex quibus proceditur in operationem singulariū bonorum scitorum, & amatorum. Rationalis ergo creatura, quantum est possibile, debet secūdùm amorē, scientiā, & operationē assimilari Deo, & ad eius imitationē reduci deiformiter. Dicit etiam Dionysius, quòd vniuscuiusque hierarchiæ, id est, bene ordinatæ personæ perfectio, est ad imitationem Dei secundùm propriam operationem esse reductam, & fieri Dei cooperatricem; quod efficacius omnibus diuinam ingignit conformitatem, & repræsentare facit diuinam operationem in seipso, secundùm quod est possibile. Porrò ne diuinarum operationum illuminationes confusæ, & indistinctæ videantur, ideo tam Angelici, quàm Ecclesiastici gradus diuisi sunt in primas, medias

& vltimas, vel infimas ſanctas ordinationes, virtutes, & ſurſum actiones, ſecundùm quas vnuſquiſque tam Angelus, quàm homo hierarchicus, id eſt bene ordinatus, percipit ſecundùm propriam capacitatem Dei purgationem, illuminationem, & perfectionem, quæ ſunt deiformes operationes Deo nos conformantes, ſcilicet cùm ad Deũ bene ſumus ordinati, ſecundùm operationes ſupremas; & ad noſmetipſos, ſecundùm operationes medias; & ad exteriora, ſecundùm operationes infimas. Et ſic deiformes erunt operationes noſtræ, Deoque acceptæ; quia per eas purgamur, illuminamur, & perficimur. Et hanc hierarchicam imitationem in ſe ſponſa conuenienter oſtendit, cùm dicit: *Manus meæ ſtillauerunt myrrham.* Quod exponit Vercellenſis, dicens. Per manus ſtillantes myrrham, ſignificantur operationes hierarchicæ, id eſt, bene ordinatæ. Nam ſicut Deus inſtillat dona gratiarum, & perfectionem operationum primæ Angelicæ hierarchiæ, & illa inſtillat mediæ, & media vltimæ, ſicut patet per totam Angelicam hierarchiam: ſic anima in ſuo ſupremo recipiens à Deo perfectionem operationũ ſuarum circa ſuperiora, vlterius illa ſtillat in mediam perfectionem operationum ſuarum, reſpectu interiorũ: ac illa vlterius ſtillat in vltimam mentis hierarchiam perfectionem ſuarum operationum, reſpectu exteriorum. Et hæc eſt diſtillatio gratuitæ myrrhæ, quæ præſeruat operationes à vanæ laudis putredine, & ab humani fauoris fœtore, vt Pater cæleſtis honorificetur, & proximus ædificetur. Tunc enim (vt dicit Haymo) opera noſtra plena ſunt coram Deo, quando virtutes datæ, & exercitatæ, vitijs non maculantur, & exterius humana gloria non quæritur.

Cant. 5.

Operationes hierarchicę qui fiant.

Cæterùm, quia, ſecundùm Linconienſem, intellectus humanus gratia adiutus in ſuo ſupremo, habet vt amore ferueat cum Seraphin, ſcientia luceat cum Cherubin, ſpiritualis effectus omnia iudicet cum Thronis, ideo vt deiformiter operetur, quò ad Deũ, ad ſimilitudinẽ ſupremæ hierarchiæ Angelicæ, neceſſe eſt, vt, in quantum poteſt, Deum, vt ſummum bonum diligat, vt ſummam veritatem cognoſcat, & vt ſummam æquitatem in ſe teneat: eritque tunc verè ordinatus ad Deum per deiformes operationes. Secundò verò, ſi ſecundùm medias operationes bene circa noſmetipſos ordinati eſſe voluerimus, oportet ſecundùm Linconienſem, quòd in media hierarchia noſtra dominemur cum Dominationibus: omne ſcilicet impediens participationem diuinæ dominationis dominatiuè ſpernendo, & ſuppeditando.

Et vt

Et vt fortes ſimus cum Virtutibus, omnium ſcilicet virtutum opera, ſecundùm gratiam nobis datam, ſtudioſè proſequendo cum effectu. Et vt ordinati ſimus cum Poteſtatibus, omnibus ſcilicet motibus, & impulſionibus inordinatis poteſtatiuè reſiſtẽdo; prædictaque (vt poſſumus) inferioribus communicando: & ſic erimus bene ordinati per deiformes operationes circa noſmetipſos. Tertiò denique, ſi ſecundùm infimas operationes ad exteriora bene voluerimus eſſe ordinati, oportet, ſecundùm Linconienſem, quòd in infima hierarchia noſtra principemur cum Principatibus, omnia ſcilicet alia ad primum principium reducendo, vt ſcilicet ad primum principium exemplariter omnia reuocemus, & vt cum Archangelis veritatem reuelemus, lumen veritatis alijs verbis & factis oſtendendo, & vt cum Angelis indigentibus piè aſsiſtamus, pietatis opera deuotè cunctis indigentibus exhibendo: & ſic erimus, quò ad exteriora, bene ordinati, per deiformes operationes. Vnde, ſecundùm Bernardum, homines huiuſmodi, ſicut in ſanctitate vitæ, & interioris hominis contemplatione, ac diuinitatis fruitione iam futuræ vitæ beatitudinem in hac vita prælibare videtur, & imitari: ſic etiam de corporũ ſuorum glorificatione, quam ibi plenè percepturi ſunt, in hac vita nonnihil percipiũt. Accepta enim illa gratia, qua habitãtes in vnum, ſeipſis in Deo, & Deo in ſeipſis fruuntur, ipſius carnis ſic ſentiunt ſè viciſſe omnes contradictiones, vt vniuerſa ſubſtantia carnis non ſit eis niſi inſtrumentum boni operis. Nam etſi ipſius miſerijs, & infirmitatibus contabeſcunt, ſed ex hoc in ipſo interiore homine fortius conualeſcunt, dicentes cum Apoſtolo: Quando enim *infirmor, tunc* fortior *ſum*, & *potens*. Senſus etiam nouã quandam percipiunt, & propriè ſpiritualem gratiam, oculos ſimplices, & aures obtemperantes, & aliquando in feruore operationis tanta odoris ignota quædam fragrantia ſpirat, tanta guſtus, (etſi non guſtando,) tantum per mutuum tactum ſpiritualis charitatis incentiuum fit, vt ſibi videantur intra ſeipſos ſpiritualis cuiuſdam voluptatis gerere Paradiſum. Vultus etiam, & totius corporis compoſitione, vitæ, & morũ; & actuum decore, mutuæ etiam ſeruitutis in deuotionis exhibitionibus, & pijs ſuſceptionibus cuiuſdam gratiæ beneplacito ſibi inuicem conueniunt & conuiuunt, vt verè ſint *cor vnum, & anima vna* in Domino. Corporum enim ſuorum gloriam iam hîc initiant, & puritate conſcientiæ, & gratia conuerſationis mutuæ, & perfectè eam habituri in perenni vita prænuntiant. 2. Cor. 12. Actor. 4.

Anima est templum Dei quod est mundandum, ornandum, & sanctificandum: Et de amore pulchro ex tribus. Cap. CIII.

EGo dilecto meo, & ad me cõuersio eius. Quasi diceret: *Ego dilecto meo* cœnaculum, habitaculum, vel templum mundum præparo: *& ad me* inhabitandum, adornandum, & sanctificãdum, *conuersio eius.* Vnde dicit diuus Augustinus in libro Soliloquiorum: Mundum cœnaculum decet te Deus, qui nunquam nisi à mundis cordibus videri potes: multo magis nec haberi. *Quos autem* prædestinasti, ipsos, *& vocasti*, mundasti, & sanctificasti, vt dignum habitaculum sint tuæ maiestati, cum quibus, & in quibus tu delectaris, habitans cum eis, & in medio ipsorum, id est, in memoria, & cogitatione. Anima enim nostra sic capax facta est tuæ maiestatis, quòd à te solo, & à nullo alio possit impleri. Cùm autem habet te, plenum est desiderium eius, nec aliud exterius restat, quod desideret. Imples autem eos, qui præter te nihil aliud desiderant, & facis eos dignos te, sanctos, beatos, immaculatos, & amicos Dei: qui omnia *vt stercora* reputant, vt te solum lucri faciant. Quis mihi det, vt venias in cor meum Domine, & inebries illud, vt obliuiscar mala mea, & vnum bonum meum amplectar te Deus meus? Feci*sti* enim nos, & inquietum est cor nostrum, donec in te requiescat. Primò igitur habitaculum Dei, vel templum mundari debet, exemplo Tarquinij senatoris Romani, qui (vt refert Augustinus libro quarto de ciuitate Dei capite vigesimo tertio) volens Romæ Capitolium dedicare, & conuertere in templum ad honorem summi Dei, tanquam locum digniorem, & aptiorem, vidit eum à dijs occupatum, nec audens aliquid attentare contra eorum consensum, per augurium requisiuit omnes deos magnos, & paruos, quòd inde vellent recedere, summoque Deo locum dare. Tunc respondit Iupiter, qui de dijs magnis erat, quòd sic; & per consequens omnes dij magni, & parui dixerunt, quòd essent parati recedere, & magno summoq; Deo locum dare. Veruntamen tres dij parui, scilicet Terminus, Iuuentas, & Mars recedere noluerunt. Quod aduertens Tarquinius, propter istos templum summo Deo adaptare non omittebat, eos etiam ponens in templo, sub figuris tamen occultissimis, ita quòd à paucissimis etiã peritis, agnosci poterant. Capitolium est anima peccatis varijs velut dijs alienis occupata, quæ mundanda est, & præparãda in templũ sanctum Domino, vt de ea dicatur: *Templum* Domini *sanctum est, quod estis vos.*

Rom. 8.

Prouer. 8.

Philip. 3.

Templum animæ mũdandum.

1 Cor. 3.

Eijci-

Ejiciendi sunt igitur dij magni, & parui per veram contritionem, confessionem, & satisfactionē, sicut Marcus dicit, quòd de Magdalena Dominus eiecit *septem dæmonia*. Sed tamen tria sunt genera concupiscētiarum, veluti tres dij parui, quæ aboleri penitus non possunt. Primus dicitur Terminus, qui semper esse vult in termino, scilicet supremo, & significat superbiam vitæ, vel appetitum dominandi. Hic enim spiritus elationis non vult eijci, quamuis possit deprimi. Secundus dicitur Iuuētas, qui, secundùm Huguitionem, erat Deus luxuriæ, & significat concupiscentiam carnis, & appetitum voluptatis: qui similiter nō potest eijci, sed tantùm reprimi per fugam. In cuius argumentum Tercoboles, secundùm Philosophum, sunt lapides formā humanā habentes, & in sexum vtrumq; se distinguentes, qui reperiuntur in monte quodam Orientis, & quamdiu fuerint separati, sine igne manere comperiuntur: si verò casu masculus fœminam contigerit, continuò ignem euomunt, & inuicem inflammantur. Tertius dicitur Mars, qui fuit Deus belli, & significat concupiscentiam oculorum, id est, rerum exteriorum, vel appetitum congregandi. Nam propter meum, & tuum bella sumunt initium. Vel, Mars significat appetitum rancoris cuiuscunq;, scilicet operis, oris, vel cordis. Talinanque succo nutritur diabolus. Et hi tres dij, quāuis non possint eijci, debēt tamē taliter occultari, quòd nec per opus, vel signū; nec per verbum, vel consensum, aliquatenus valeant dinosci: & sic in nobis diuinū Dei tēplum mundabitur. Vnde, secundùm Augustinum, Xystus Pythagoricus, qui scilicet floruit, anno Christi tertio, dixit inter alia quòd libertatē arbitrij permisit Deus hominibus, vt purè sine peccato viuentes, similes fiant Deo. Templū Dei est mens pura, & altare optimum est ei cor mundū: vir castus, & sine peccato, potestatē accipit à Deo esse filius Dei. Hæc ille. Secūdò, tēplum debet ornari, & decorari varijs virtutibus charitate formatis In cuius figura legitur 3. lib. Regum, quòd Salomon, postquā in templo fieri fecit, & sculpi Cherubin, *& palmas*, ac picturas varias, *& tornaturas; celaturasq;* quasi prominentes de pariete, & egredientes ad ornandum templum: omnia decorauit *auro purissimo*, & *vestiuit*: nihilque fuerat in templo, quod non tegeretur auro. Per quod ipsa charitas denotatur, quæ sola præstat perfectum decorem omnibus virtutibus, & animabus. Vnde dicit sponsus ad sponsam perfecta charitate decoratam; *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Nam quæ veraciter amat anima, vera amica est. Et solus amor essen-

Macc. 16.

Tercoboles

Templum animæ ornandum. 3. Reg. 6.

Cant. 4.

tialis, purus, & intensus, omnimodam pulchritudinem confert, multitudinem peccatorum operiens, & abolens, omnes virtutes informans, omnia bona meritoria reddens, & soli dilecto fideliter inhærens. Est igitur dilectio quædam pulchra, quæ reddit totam animam pulchram, Deoque gratissimam. Pro quo notandum, quòd aliquid dicitur esse pulchrum ex tribus. Primò ex puritate, sicut vitrum, vinum, aqua, & similia dicuntur esse pulchra, quando sunt pura. Secundò ex ordinabilitate, sicut homines, imagines, animalia, & similia dicuntur esse pulchra, quãdo partes vel membra sunt adinuicem proportionabiliter ordinata. Tertiò ex nobilitate, sicut quæcunq; ex auro, vel argento facta, magis dicuntur pulchra, quàm ex schemate, vel lapide facta. Quæ tria pariter in dilectione pulchra concurrere debẽt, vt illa dilectio dicatur pulchra. Primò, quæ procedit ex puro subiecto, i. est, ex anima pura, ab omni inordinata affectione, & passiõe defecata, in nullo se quærens, sed in omnibus diuinum beneplacitum amplectens. Alioqui *modicum fermentum totam massam corrumpit*. Secundò, quæ procedit ex ordinato affectu, seruans ad sua diligibilia debitum ordinem diligendi. Quare ait Bernardus: Ordinauit Deus in rebus diligendis charitatem, vt sciamus quid prius, quid posterius, quid minus, quid magis, quid per se, quid per aliud diligatur. Solus enim Deus propter se diligendus est, omnia alia in Deum, vel propter Deũ diligenda sunt: & quantò magis de bonitate Dei participant, tantò magis diligenda sunt. Tertiò, quæ dirigitur, & fertur in obiectum nobile, & quantò nobilius obiectum, tantò pulchrior dilectio. Sed quæ fertur in summum bonum, summè nobilitat animam. Vnde sicut animam omnis peregrina dilectio degenerat, sic eam sola diuina dilectio nobilitat & deificat. Quia, secundùm Augustinũ, talis est anima, quale est illud, quod amat. Si terram amat, terra est: si cælum, cælum. Et si Deum diligit, dicit ei Propheta: *Ego dixi: Dy estis, & filij excelsi omnes*. Nam intimè diligenti, & in amore languenti, nihil satisfacere potest, præter vnum; sicut & nihil sapere potest, præter vnum. Vnum amat, vnum sitit, vnum concupiscit, ad vnum anhelat, in vnum spirat, ad vnum inardescit, in vno quiescit, & vnum solum est, ex quo satiari potest. Nihil dulcescit, nihil sapit, nisi hoc vno condiatur: quicquid aliud se offert, citò reijcitur, & conculcatur, quod suo affectui non militat, vel huius desiderio non deseruit. Nam omne desiderium expellit, omne studium excludit, omne exercitium violenter opprimit, quod

Pulchrum quid dici.

Dilectio pulchra.

1. Cor. 5.

Psal. 81.

Vnum.

quod suæ concupiscentiæ deseruire non prospicit: ac totum videtur intolerabile, quod in vnum desiderij sui finem non concurrit. Et hic quidé agiratur amore, de quo dicit Bernardus: O amor sanctus & castus, ô affectio dulcis & suauis, ô pura & defecata intentio voluntatis; eò certè defecatior & purior, quò in ea de proprio iam nihil admixtũ relinquitur, eò suauior & dulcior, quò totum diuinum est quod sentitur. Sic enim affici, deificari est. Tertio, templum Dei oportet sanctificari, iuxta illud Leuit. *Sancti estote, quoniã ego sanctus sum* Et hoc quatuor modis, secundùm quadruplicem expositionem huius nominis sanctus. Nam sanctus primò idem est, quod sine tinctura, id est, peccato: quia sicut tinctura panno colorem aufert naturalem, totum penetrans pannum, sic peccatum animæ baptismalem aufert innocentiam, & penetrat totum hominem. De qua sanctificatione dicit Apostolus: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Secundò, sanctus idem est, quod sine terra, ἅγιος enim Græcè sanctum est Latinè. vel, ἅγιος idem est, quod sine terra. Et sic nos sanctificare debemus, inferiora cuncta contemnendò, cum Apostolo dicẽtes: *Omnia* arbitratus sum *vt stercora, vt Christum* lucrifacerem, vt sic in Deum amore puro viuaciter erecti simus. Tertiò, sanctus est idem quod sanguine tinctus. Olim enim hostiæ sanguine tingebantur, & purificabantur, & omnia penè in sanguine mundabantur. Sic etiam nos sanctificare debemus, respergendo *vtrumque postem*, scilicet concupiscibilis & irascibilis, & superliminare rationalis. Vnde B. Agnes ait: Sanguis eius ornauit genas meas Quartò, sanctus idem est quod firmus, & sancitus: & ideo leges dicuntur sanctæ; quia firmæ. Sic etiam nos sanctificare debemus per patientiã, sicut Apostolus ait: *Pacem sequimini cum omnibus:* Glossa, etiam cum persecutoribus, *& sanctimoniam*, id est, perfectionem & perseuerantiam in bonis operibus, *sine qua nemo videbit Deum* Hanc firmitatem, & sanctitatem assecutus fuit Apostolus, quando dicebat: *Certus sum*, quòd *neque mors, neque vita*, &c.

Templum animæ sanctificandũ. Leuit. 11. 1. Pet. 1.

Sanctum dici.

2. Cor. 7.

Philip. 3. 1.

Exod. 12.

Agnes

Heb. 12.

Rom. 8. 1.

Quòd charitas virtualiter in se continet omnes virtutes, & vtrum obligat ad subeundum mortem, & ad perfectionis opera, & an diligit propter mercedem.

Cap. CIIII.

EGo *dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Iam de effectibus ipsius charitatis quædam breuiter prosequamur. Est enim charitas, secundùm Rabanum, ignis, in meditatione mentem purificans à sordibus vitiorum: lux est, in oratione mentem irradians claritate virtutum: mel in gratiarũ actione, mẽtem dulcorans dulcedine diuinorũ beneficiorum: vinum est, in contemplatione, mentem suauis sapore inebrians, & iucunda dulcedine: sol est, in æterna beatitudine clarificãs serenissimo lumine, & suauissimo calore, exuberãs ineffabili gaudio, & perenni iubilatione. Charitas enim, vt dicitur in tertio Sententiarum, est virtus gratuita, voluntatem in esse suo perficiẽs in ordine ad actum diligendi promptè, & faciliter propter se, & super omnia summum bonum. Vnde sicut vnum simplex, summum, & perfectissimũ bonum est, in quo perfectè est omne bonum, & cui nullum bonũ deest; sic charitas est vna virtus, in se continens omnes virtutes: sed propter diuersos effectus eius ex diuersis extrinsecis occasionibus, vel causis illatis, quibus se, vel contra malum opponit, vel ad bonum extendit, diuersa sortitur officia, & nomina. Virtus enim, secundùm Augustinum, est amor ordinatus, vt scilicet amet, quod debet, & sicut debet, & quantum debet. Quantum verò amas aliquid, tantum odis & fugis eius contrarium vbi potes.

Charitas virtutum.

Charitas ergo cùm se extendit ad Deum, dilectio Dei dicitur: cùm ad proximum, dilectio proximi dicitur: cùm eius miseriæ compatitur, misericordia nuncupatur: cùm æquanimiter aduersa tolerat, patientia vocatur: cùm odientibus benefacit, benignitas nuncupatur: cùm non extollitur in prosperis, humilitas vocatur: cùm obtemperat superioribus, obedientia dicitur, & sic de alijs: sicut etiam *Spiritus sanctus* dicitur *vnicus*, scilicet in se; & *multiplex*, scilicet in effectibus. Cuius ratio est: quia licèt charitas, sicut quælibet alia virtus, proprium habet actum, quem elicit, qui est diligere Deum & proximum, ita quòd ab ea nullus alius actus elicitur: Sicut etiam proprius actus fidei, quem elicit, est credere: & actus spei, sperare: actus prudentiæ, recordari præterita, ordinare præsentia, prævidere futura: actus iustitiæ reddere vnicuique quod suum est: actus fortitudinis, animum firmare cõtra aduersa: actus temperantiæ, animum moderare contra illicitos motus, & sic de alijs: nihilominus tamen charitas hanc habet eminẽtiam super cunctas alias virtutes, quòd licèt earum proprios actus non eliciat, sed eliciuntur à proprijs habitibus: tamẽ ipsos actus imperat, & à proprijs

Sapien. 7.

prijs habitibus elicere facit, ac meritorios reddit. Quod ostendit Apostolus, dicens: *Si habuero omnem fidem, & si distribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeã, nihil mihi prodest.* Habent enim omnes virtutes connexitatem, & fertilitatem in charitate, & omnes actus virtuosi, vel ab ea eliciuntur, seu virtualiter imperantur. Hinc in præcepto charitatis tota *Lex pendet & Prophetæ.* Sola namque *charitas* est, quæ non deficit in aduersis, quia *patiens* est: quæ non rependit iniurias, quia *benigna est*: quam non cruciat aliena felicitas, quia *non æmulatur:* quam conscientia mala non pungit, quia *non agit perperam:* quæ honore non extollitur, quia *non* est inflata: quæ præesse nõ nititur, quia *non est ambitiosa:* quam cupiditas non coarctat, quia *non quærit quæ sua sunt:* quam aliena mala non lætificant, quia *non gaudet super iniquitate:* quam errores non excæcant, quia *congaudet veritati:* quam persecutiones non frangunt, quia *omnia sustinet:* quam pusillanimitas non confundit, quia *omnia sustinet* quã perfidia non indurat, quia *omnia credit*, etsi non omnibus credit: quam desperatio non absorbet, quia *omnia sperat:* quæ morte nõ vincitur, quia *charitas nunquam excidit*, & *fortis est vt mors dilectio.* Hinc meritò dicit Apostolus: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei.*

1. Cor. 13.

Matth. 22.

Cant. 8.

Rom. 8.

Hic ergo primò quæri potest, Vtrum charitas quælibet obliget ad subeundum mortem pro Christo, sicut ille pro nobis animam suam posuit. Ad hoc dicendum, quòd pro loco & tempore, vbi datur talis optio, quòd vel iustitia deseratur, vel vita perdatur, ibi omnes, quantumcunq; sint imperfecti tenenter subire mortẽ, & præeligere magis Deo dilecto mori, quàm ipso offenso viuere. Sed vbinõ imminet talis necessitas, nec talis optio datur, sed tantùm offert se opportunitas manifestandi diuinam gloriã, & ædificandi Ecclesiam, tũc, si se morti quis exponit, talem mortem subire, supererogationis, & perfectionis est, ad quam non omnes tenentur, quia citra dictam necessitatem positus subterfugere potest, & seipsum occultare, dicente Domino: *Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Secundò quæri potest, Vtrum charitatem perfectam habentes, teneantur ea quæ perfectiõis sunt adimplere, præsertim cùm, secundũ Gregoriũ, crescẽtibus donis, rationes etiam crescunt donorum, & cui plus committitur, etiam plus exige-

Mors quatenus eligenda pro iustitia.

Matth. 10.

Genus perfectionis.

exigetur ab eo. Ad hoc dicendum, quòd, secundùm Bonauenturam, quinque sunt genera perfectionis. Primum est iustitiæ, & sufficientiæ, quæ consistit in Dei mandatorum adimpletione. Et ad hoc omnes obligantur, etiam imperfecti. Tamen perfecti ad hoc eò magis obligantur, quò magis bonum percipiunt, per quod diuinum mandatum adimplere possunt. Secundum est religionis, quæ perfectio cõsistit in obseruatione consiliorum Dei, ad quæ regula professa obligat. Et ad hoc genus perfectionis soli profitentes obligantur. Tertium genus est perfectio prælationis, quæ consistit in regimine subditorum, & ad illud obligatur officium illud suscipiens, & non alius. Quartum genus est perfectio operationis, quæ consistit in ostensione exemplorum, ad euitandum scandalum pusillorum. Vnde licèt quis non obligetur ad aliquid simpliciter, vel secundùm se, tamen quandoque obligatur ad illud, propter scandalum pusillorum euitandũ. Hinc dicit Apostolus:

1 Cor. 6. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Quintum genus est perfectio tranquillitatis, quæ consistit in consummatione difficillimorum

1. Iohan. 4. optimorum, sicut *perfecta charitas foras mittit timorem.* Et Philosophus dicit, quòd perfecta virtus optimorum est operatiua. Sed ad hoc quis non obligatur, nisi secundùm conscientiæ dictamen. Vnde generaliter ad quatuor vltima perfectionis genera quis non obligatur, existens in charitate perfecta, quantum est ex obligatione diuini mandati, nisi superinducatur aliqua noua obligatio ad huiusmodi genera perfectionum adimplẽda, quamuis quis teneatur semper proficere in bonorum operũ multiplicatione, & iustitiæ exercitatione.

Seruiendũne Deo ob mercedem.

Tertiò quæri potest, Vtrum Deus diligendus, & seruiendus est propter mercedem, præsertim quia charitas diligit Deum, sicut summum bonum, & ideo diligit Deum super omnia: quia quantum res habet de bonitate, tantũ etiam habet de diligibilitate, cùm nihil diligendum sit nisi bonũ. Sed Dei bonitas in infinitum excedit bonitatem totius creaturæ. Charitas etiam diligit summum bonum sicut finem vltimum, & ideo diligit illud propter se. Quod autem diligitur propter se, & super omnia, diligitur dilectione fruitionis, & per consequens non debet diligi propter mercedem. Ad hoc dicendum, secundùm Richardum, quòd Deũ diligere, & ei seruire propter mercedem, tripliciter accipi potest. Vno modo pro mercede increata, quæ Deus est, sicut dicitur in Genesi: *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Et

Genes. 15. Lucæ 15. tales sunt mercenarij boni, de quibus dicit Glossa super illud Lucæ:

Quan-

Quanti mercenarij, &c. Qui futuræ mercedis intuitu digna operari sa-
tagunt, quotidianis supernæ gratiæ reficiuntur alimentis. In qua mer-
cede recipienda, secundùm Thomam, de æterna beatitudine, non at-
tendit anima principaliter, quod est sibi vtile, sed purè super omnia,
quod est Dei magnificum. Nam Deo valde honorificum, & magnifi-
cum est hominem vniri Deo in illa beatitudine, sic quòd in illa vnio- Honorificũ quid Deo.
ne obliuiscetur anima naturæ suæ, hoc est, quòd super se non flecte-
tur, propriam non quærens voluntatem, & gloriam, sed tantum quod
erit laudabile Creatori. Deum iugiter laudans, & glorificãs ex omni-
bus viribus suis, vtpote ad quam laudem creata dignoscitur. Et licèt
in Dei laude nõ potest esse sine magna delectatione, nullo modo tamẽ
propter commodum proprium eum laudare desiderat, sed purè pro-
pter Deum, qui creauit hominem ad laudandum eum æternaliter,
non propter suam, sed propter hominis beatitudinem ampliandam.
Ideo quantò quis in Dei seruitio proprium commodum hîc minus
respicit, & diuinum beneplacitum plus quærit, tantò famulatus eius
erit Deo gratior, communi vtilitati fructuosior, sibijpsi suauior, & in
æternum apparebit glorioſior. Alio modo potest accipi pro mercede
creata, quæ tamen nobilior est quàm motus charitatis viæ, cuiusmo-
di merces est clara Dei visio, & eius perfecta fruitio: & sic etiam Deus
diligi potest ex charitate propter mercedem, sicut propter finem, non
in quo quiescitur (qui propriè finis vltimus est, & bonum increatum)
sed qui est ipsa quies, quæ vltimus finis non est, quamuis sit in fine vl-
timo. Tertio modo potest accipi pro mercede temporali, & sic Deus
non est diligendus propter mercedem, sicut propter finem, quia re-
omnis temporalis est minus digna, quàm motus charitatis.

Quòd duplex est ordo charitatis, & de his, quæ sunt ex charitate diligenda, & quòd alius erit ordo charitatis patriæ quàm viæ. Cap. CV.

INtroduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Eccliit.
Cant. 2. Sicut cella aquaria significat pœnarum memoriam, ex qua
timor exoritur, qui lauat à peccatis, iuxta illud Sapientis: *Timor
Domini expellit peccatum*: sic cella vinaria significat beneficiorũ Dei
memoriam, de qua scilicet elicitur amor qui inebriat, per quam, scili-
cet memoriam, *ordinauit in me charitatem*. Beneficiorũ enim eius me-
moriam mihi iugiter, & efficaciter ingerit, quòd eum diligam super

omnia, & etiam in omnibus creaturis, secundùm quòd de illius bonitate participant. Sciendum est igitur, quòd duplex est ordo charitatis. Vnus, quo crescit in seipsa: & sic quinque sunt gradus charitatis. Primò namque, charitas concipitur in bona voluntate, sicut in subiecto. Secundò, nascitur in exteriori operatione, maximè pietatis, & misericordiæ. Tertiò, nutritur in deuotione. Quartò, roboratur in patientia, & præmij expectatione. Quintò, perficitur in cœlestis dulcedinis prægustatione. Secundus autem ordo attenditur in comparatione ad dilecta, vbi, secundùm Augustinum, eleuatur natura à gratia, vt super omnia diligamus, quod est supra nos, id est, Deum. Secundò, quod est intra nos, id est, animam propriam. Tertiò, quod est iuxta nos, scilicet Angelum, & animam proximi. Quartò, quod est infra nos, scilicet corpus nostrum. Quintò, quod extra nos, scilicet corpus proximi. Et in his ordinat in nobis charitatẽ, id est, facit nos eam habere bene ordinatam. Pro quo nota, quòd prima ratio diligendi ex charitate est ipsa summa bonitas, propter quam omnia diligenda sunt, quæ ex charitate diligenda sunt. Et quia charitas est pondus inclinans ad summum bonum, & perfectam beatitudinem, ideo omne illud diligere facit, quod est beatum, & beatificabile. Contingit igitur aliquid esse beatum tripliciter. Primò, per essentiam, sicut solus Deus, qui est commune, & fontale bonum, à quo solo dependet communicatio beatitudinis æternæ: & ideo principaliter ex charitate diligendus est. Cùm enim non sit diligibile, nisi bonum, ideo secundùm quòd res plus habet de bonitate, plus etiam habet de diligibilitate. Et quælibet amicitia specialiter illum respicit, in quo principaliter est illud bonum, super cuius communicationem fundatur amicitia, eò quòd ab ipso principaliter dependet illa communicatio. Ideo anima per charitatiuum amorẽ ordinatè mouetur ad diligibilia, sic quòd hic ordo fit per ipsam charitatem inclinatiuè, quia voluntatem inclinat ad diligibilia, secundùm plus & minus, secundùm quòd plus vel minus participant de illa summa bonitate, cæteris paribus. Secundò, contingit aliquid esse beatum per primam influentiã, sicut spiritus intellectualis, vel rationalis. Sunt igitur Angeli tanquam summi boni participes ex charitate diligendi: nimirũ, cùm nos cordialiter diligant tam affectu, q̃ effectu. Nam de vtroq; dicit Origenes super lib. Numerorũ: Agunt Angeli diem festum lætantes super his, qui refugientes consortia dæmonum, per exercitia virtutum festinant Angelicis se sociare consor-

Charitatis ordo.
Grad⁹ charitatis.
Diligendi modi.
Diligendi ratio.
Beatum dicitur tripliciter.
Angeli amandi.

consortijs. Et iterum: Adest vnicuique nostrum, etiam minimis, qui sunt in Ecclesia, Angelus bonus, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro nostris actibus corrigendis, & miserationibus poscendis, quotidie videat *faciem Patris*. Similiter & homines, æternæ beatitudinis capaces, ex charitate diligẽdi sunt. Charitas enim vera non est, nisi quis diligat omne diligibile. Diligibile verò à charitate est omne illud, quod est possibile peruenire ad æternã beatitudinẽ. Et ideo nõ habet aliquis charitatẽ, nisi diligat omnes illos, qui sunt in statu viæ, siue sint amici, siue inimici: quia sicut longitudo mãdati se extẽdit ad omnẽ differentiã tẽporis, sic latitudo ad omnẽ personã hominis viatoris, optando illi profectum spiritualem, & æternã beatitudinem; sicut Deus *nihil* odit *eorũ quæ fecit*, quamuis dicatur in libro Sapientiæ: *Similiter odio sunt Deo impius & impietas eius*. Nam homo, in quantum homo nõ oditur à Deo, sed impietas sua per se, & homo per accidens oditur ratione impietatis suæ. Si ergo Dei inimicus à charitate Dei excludi non potest, quãtò minus inimicus proprius? cùm plus ponderanda sit diuina iniuria, quàm propria. Veruntamen, si quis obstinatus fuerit in malitia (quod dico propter Antichristum) tunc non esset hoc modo diligendus, sed eo modo diligendus est, quo diabolus. Pro quo sciendum, quòd diabolus est nomẽ naturæ in malitia obstinatæ, & ideo diligi nõ debet ex charitate, nisi ratione suæ naturæ, quæ bona est, & à Deo est: non tamen natura eius diligenda est ex charitate amore amicitiæ, quo rei dilectæ vitam æternã optamus, sed ex charitate Dei iustitiã diligere debemus in eius æterna punitiõe, iuxta illud Psalmist. *Lætabitur iustus cùm viderit vindictã*. Sed illam naturã ex charitate diligere debemus, volendo conseruari eam ad Dei gloriam: sicut etiam diligimus creaturas irrationales, nõ quòd velimus eis bonum æternæ vitæ, sed in quantũ eas permanere volumus ad Dei gloriã, & hominum vtilitatẽ. Tertiò contingit aliquid esse beatificabile per quandam redundantiã, sicut corpus humanum, in quod gaudium gloriæ redundabit per coniunctionẽ sui ad animã beatam. Nam quia corpus cum anima agit, & patitur ea, quæ Deo sunt placita, non mirum, quòd & conregnabit. Hinc est etiam, quòd corpus nostrum ex charitate, est diligibile. Dicit ergo sponsa: *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem*, quod est necessarium. Nam scire quid facias, & nescire ordinem faciendi, non est perfectæ cognitionis modus. Ordinis namque ignorantia, conturbat meritorum formam, vt dicitur 3. Sententiarum,

Diligibilia quænam.

Sapien. 11. Sapien. 14.

Diabolus.

Psal. 57.

distinct.29 Ordinem dilectionis illi peruertunt, qui aut mundũ, qui contemnendus est, diligunt; aut corpora sua minus diligenda, plus diligunt; aut proximos non sicut sẽ diligunt; aut Deum plus quàm seipsos non diligunt. Item corpus nostrum, quia pars nostri est, ideo à nobis est diligendum, vt saluti eius, & fragilitati naturaliter consulamus, & agamus quatenus spiritui ordinatè subiectum, ad æternam beatitudinem perueniat. De dilectione proximi habes in cap. sequenti, & de pœnit. distinct. secunda, cap. Charitas. Cæterùm alius erit ordo charitatis in patria, quàm in via. Pro quo nota, quòd duplex est ordo charitatis. Vnus, qui respicit charitatem secundùm se, quæ scilicet attenditur secundùm gradus, & differentias boni, magis boni, & maximi boni. Et ille manebit in patria, quia essentialis est charitati. Et in statu beatitudinis erit perfecta obedientia naturæ, respectu gloriæ, ita quòd tunc omnino natura gloriæ conformabitur, vt sicut efficietur corpus spirituale, & obtemperabit per omnia spiritui, quamuis nunc oporteat spiritum condescendere corpori, sic per omnia natura conformabitur ordini gratiæ, & gloriæ, qui secundùm boni differentias attenditur. Erit etiam ibi perfecta conformitas nostræ voluntatis respectu diuinæ: & ideo non magis diligemus illud, quod nobis magis erit propinquum; sed illud, quod erit Domino magis beneplacitum. Erit etiam ibidem affluentia perfecta, & redundantia cõmunis lætitiæ; quia multiplicabitur gaudium hominis multiplicatione perfecta, vt tantũ gaudeat de bono vniuscuiusq; proximi, quantum de suo: quod esse non posset, nisi proximum sicut seipsum diligeret. Vnde Anselmus in Prosologio ait: In illa perfecta charitate innumerabilium Angelorũ, & hominum bonorum, vbi nullus minus alium, quàm seipsum diligit, nõ aliter gaudebit quisque pro singulis alijs, quàm pro seipso. Alius est ordo, qui attenditur ratione naturæ substratæ, vtpote illi, qui est secundùm differentias boni proprij, & alieni; propinqui, & remoti. Et hic ordo non remanebit in patria, pro eo, quòd illi statui non competit, vt dictum est, sed tamen habetur in via: quia Deus vult, quòd hic in diligendo seruet homo rectam inclinationem naturæ; quamuis nõ velit, quod seruet inclinationem corruptam. Dictat igitur iudicium rectæ rationis, & instructio naturæ, quòd secundùm ordinem charitatis amor salutis propriæ præponendus est amori salutis alienæ. Nam sicut appetit natura suam inclinationem, sic & charitas suam perfectionem: sed natura magis appetit conseruationem sui in se, quàm in suo simili: sic

Charitas patriæ.

lis: sic per consequens, & charitas. Nam vnumquodque plus appetit perfectionem in seipso, quàm in suo simili. Et quodlibet pondus plus trahit corpus in quo est ad situm sibi debitum, quàm trahit ad corpus sibi annexum. Hinc est quòd charitas prius appetit Deum vnire nobis, & in nobis habitare, nosque in ipsum tendere, ac in ipso quiescere, quàm appetat in aliquo alio, qui nobiscum habet aliquam similitudinem. Vnde sicut essentiale est naturæ appetere esse, sic etiam est essentiale gratiæ appetere Deo cõplacere, & Deo adhærere. Et ideo Deus à nobis exigit, quòd magis diligamus salutẽ propriam, quàm alienam. Alioqui, *qui sibi nequam est, cui bonus erit?* Et si obijciatur, quòd Deus non magis diligit nos, quàm proximos; sed magis diligit proximos nobis meliores, cuius dilectioni nos conformare debemus. Ad hoc dicendum, quòd magnitudo actus diligendi ex charitate, nõ tantùm pensatur secũdùm magnitudinem boni diligibilis: sed cum hoc etiam secundùm proximitatem diligentis ad diligibilitatem; quia actus charitatis non tantùm est ab habitu charitatis, sed est à virtute diligentis, quæ est volũtas. Ille enim actus elicitur à voluntate per charitatem. Vnde quia nullius proximi bonitas tantum excedit bonum diligentis ex charitate, quantum proximitas diligẽdi ad seipsum excedit approximationem sui proximi ad eum: ideo debet homo magis diligere seipsum minus bonum, quàm quemcunq; alium proximum magis bonum. Eccli. 14.

De præcepto, diliges proximum tuum sicut teipsum; ad quod requiritur, vt sit amor verus, iustus, & sanctus.

Cap. CVI.

INtroduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. In nullo actu charitatis diligitur proximus, quo non diligitur Deus explicitè, vel implicitè. Ratio est, quia nullus actus elicitur ab habitu, nisi in virtute sui principalis, & formalis obiecti. Sicut enim secũda mouentia non mouent, nisi in virtute primi mouentis; sic inferiora obiecta non mouent, nisi in virtute obiectorum primorum, & formalium. Primum autem & formale obiectum charitatis, est Deus, sub ratione, qua est summum bonum, in quo solo plenè voluntas beatificari potest. Et ideo quicquid voluntas ex charitate diligit, diligit in virtute summi boni, non tantum mouentis per modum causæ efficientis; sed etiam per modum finis, & obiecti. Explicitè quidem Obiectum charitatis.

dem,cùm actu de ipso cogitamus. Implicitè verò,cùm ex charitæ proximum diligendo, non nisi implicitè de Deo cogitamus, scilicet cogitando de aliquo bono honesto, propter quod ex charitate mouemur ad diligendum proximum. Cùm enim voluntas mouetur in illud,quod est ad finem propter finem,tunc actu mouetur ad vtrumq; Ideo quocunq; charitatis actu diligitur proximus, illo eodem explicitè,vel implicitè diligitur Deus; nec potest ex charitate diligi proximus,nisi in ordine ad Deum. Et ita qui sanctè & spiritualiter diligit proximum,quid in eo diligit nisi Deum? sic & in seipso nihil diligere debet nisi Deum. Hinc conuenienter de dilectione proximi præceptum datur, cùm dicitur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Vbi tangitur, & diligendi ratio,& dilectionis modus. Ratio quidem diligendi tangitur in eo, quòd proximus nominatur. Propter hoc enim ex charitate debemus alios diligere,quia sunt nobis proximi,tam secundùm naturalem Dei imaginem,quàm æternæ gloriæ capacitatem. Nec refert vtrum dicatur proximus,vel frater, vt habetur 1.Iohannis; vel amicus, vt habetur in Leuitico: quia per omnia hæc eadē affinitas designatur. Omnis enim homo censetur noster proximus frater,vel amicus. Modus verò dilectionis tangitur,cùm additur: *sicut teipsum*, quod non est intelligendum, quòd aliquis proximū æqualiter sibi diligat,sed similiter sibi. Et hoc tripliciter. Primò quidem,ex parte rationis dilectionis, vt scilicet proximum non diligat propter propriam vtilitatem,vel delectationem, sed ea ratione, quòd velit proximo bonum,sicut sibijpsi vult bonum: vt sic dilectio proximi sit vera. Est enim de natura veri amoris, quòd homo velit ei bonum,quem amat,& sic diligit eum sicut seipsum. Exēpli gratia: Cùm homo naturaliter seipsum diligat, motus ipsius amoris in duo tendit, Primò, in seipsum, cui vult bonum. Secundò, in bonum, quod optat sibijpsi. Et quamuis vtrumq; dicatur amare, tamen amore vero diligit seipsum, cui bonum illud optat,ac illud bonum quasi per accidens amare comprobatur,& abusiuè propter proprium vsum: & sic non amore vero diligit illud, sed in illo propriè seipsum amore vero diligit. Sicut enim exteriora alia sumere potest in vsum suum,sic & homines, quos sic diligit, quia sunt vtiles sibi, vel delectabiles, & ideo eos non amore vero diligit sicut seipsum, sed sicut vinum,& similia. Vnde dicitur de pœnit. distin.2.cap.Proximos diligimus sicut nos, si non propter aliquas vtilitates nostras, non propter speranda beneficia, non propter

Charitas ad proximum. Matth.22.

1.Ioan.4. Leuit.19.

Diligendus proximus.

propter affinitates, vel consanguinitates; sed propter hoc tantùm, quia sunt naturæ nostræ participes, diligimus. Alioquin (vt dicit Cicero lib. de Offic.) si amicitiam ad fructum nostrum referimus, & non ad illius commodum quem diligis, non est amicitia, sed mercatura quædam vtilitatum nostrarum, prata, arua, & pecudes hoc modo diliguntur, quòd ex eis fructus capiuntur.

Secundò verò, ex parte regulæ dilectionis, scilicet vt non condescendat proximo in aliquo malo, sed solùm in bonis, sicut & suæ voluntati satisfacere debet solùm in bonis, vt sic dilectio proximi sit iusta. Nam hoc iustitia de iure requirit, vt minori bono maius, & maiori maximũ præponatur. Sunt igitur in nobis tria gradata bona. Supremum est anima, medium corpus, & infimum terrena substantia. Quẽ gradatum amorem naturaliter insitum habet omnis homo, vt minus diligat terrenam substantiam, q̃ corpus propriũ, & corpus quàm animam: licèt quidã reperiantur ita miserabiliter obcæcati, quòd hũc dilectionis ordinem in se peruertunt propter corpus animã contemnentes, & propter terrenam substantiã diuersis periculis corpus exponẽtes. In quibus patet manifestè, quòd ad semetipsos esse non potest iustus ordo dilectionis, sed potius semetipsos odiunt, iuxta illud Psalmistæ: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Quod si se iusto ordine non diligit, quomodo proximum ordine iusto diligere potest? Veruntamen, vt dicit Cicero lib. de Offic. nulla est excusatio peccati, si peccaueris amici causa. Nam cùm conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam permanere, si virtute defeceris. Vnde refert Valerius lib. 6. quòd P. Rutilius cùm amici cuiusdam iniustæ rogationi resisteret, ac is per summam indignationem dixisset: Quid ergo opus est mihi amicitia tua, si quod rogo non facis? Respondit: Quid mihi tua, si propter te inhonestè aliquid facturus sum? Et cõcludit ibi Cicero, dicens: Hæc, inquit, lex in amicitia sancitur, vt neque rogemus res turpes, nec rogati faciamus. Aequum enim est primùm ipsum virum esse bonum, ac seipsum per se diligere; deinde alterũ sibi similẽ quærere, cuius animum ita cum suo misceat, vt penè vnũ efficiatur è duobus. Si deniq; quis ordine iusto se diligit, tunc proximum sicut seipsum diligere debet, vt primò & principaliter exoptet sibi bona spiritualia: secundò bona corporalia, & tertiò loco bona temporalia. In his tamen tribus gradibus, semper seipsum proximo suo præponere debet, vt intelligi datur in præcepto: *Diliges proximum sicut teipsum.* Tertiò denique,

Psal. 10.

nique, ex parte finis, vt quis proximum diligat propter Deum, ſicut & ſeipſum propter Deum diligere debet, vt ſic dilectio proximi ſit ſancta. Pro quo ſciendum, quòd illud propriè ſanctum eſſe dicitur, quod ad Dei gloriam ordinatur: Sicut altare dicitur ſanctum, & templum eò quòd eſt Deo dedicatum. Sic amor ſanctus dicitur, quando Deo ſanctificatur, hoc eſt, quando in ipſum, vt in ſummum bonum, purè refertur. Cùm enim Deus fons eſt omnium bonorum, ad ipſum diligendum tanquam ad commune bonum quilibet naturaliter inclinatur, ſicut flumina à mari egredientia, ad mare reuertuntur. Quodam etiam inſtinctu naturali commune bonum particulari præfertur, & vnaquæque pars ad bonũ totius inclinatur, & ordinatur. Hinc manus percuſsionibus exponuntur, vt cor & caput à periculis conſeruentur, cùm ex eis humani corporis vita dependeat. Simili modo quodã inſtinctu naturali quilibet ſemetipſum in Deum ordinat tanquam in beatitudinis fontem, ſicut pars in bonum totius naturaliter ordinatur. Sed hoc plenius perficitur per virtutem charitatis, qua diligit homo ſeipſum propter Deum. Et quia Deus præcipit proximum diligere ſicut ſeipſum, ideo ſalutem animæ proximi ſui debet quærere, ac eum ſicut ſeipſum debet ad Deum dirigere, in agendis, in cauendis, & in ſuſtinendis. Et hic amor propriè dicitur ſanctus. Eſt enim quidam amor naturalis inter ſanguine iunctos, cum ſe diligunt, eò quòd ex eiſdem parentibus geniti ſunt: ſed hic non eſt amor ſanctus, nec ad ſalutẽ ſufficiens, quia, ſecundùm Gregorium, aliud eſt quod ſponte impenditur naturæ, aliud quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientiæ. Hi nimirum, & proximum quidem diligunt, & tamen illa ſublimia dilectionis præmia non aſſequuntur, quia amorem ſuum non ſpiritualiter, ſed carnaliter impendunt. Eſt & alius amor ciuilis, ſicut inter illos, qui propter hoc ſe diligunt, quia municipes ſunt eiuſdem ciuitatis, vel ſub eodem principe conſtituti, legibus eiſdem gubernantur, aut quia ſunt eiuſdem officij, negotij, ſtudij, militiæ, ſocietatis, conuerſationis, & ſic de alijs, ex quibus contrahitur amor amicitiæ. Veruntamen licèt huiuſmodi duas primas conditiones attingere poſſunt, vt ſint amatores veri, & iuſti; non tamen tertiam, niſi per charitatem ordinentur in Deum.

Affectus ſextuplex dilectionis erga proximos exhibendus.

Cap. CVII.

Intro-

INtroduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Dicit Ecclesiasticus: *In tribus* beneplacitum *est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus.* Quorum primum est, *concordia fratrum*, vel cohabitantium, seu quotidie simul conuersantium. *Concordia* propriè dicitur, quæ ex charitate causatur, in quantū charitas multorum corda coniungit in aliquod vnum, quod est principaliter bonū diuinum: secundariò verò bonum proximi, de quo in libro Iob dicitur: *Qui facit concordiam in sublimibus suis.* Secundum est, *amor* amicorum, *proximorum*, scilicet in Deum, & inimicorum, propter Deum. Hoc enim *est iugum* Domini *suaue, & onus leue.* Illud enim *iugum est* suauis combinatio fraternæ dilectionis in Christo, quantum ad amicos: *& onus* istud est amorosa supportatio fraternæ defectionis, vel inuectionis propter Christum, quantum ad inimicos: vtrumque *suaue & leue*, proximū veraciter amanti: quia vtrunq; pacificum, & diuinæ tranquillitati proximum. Alioqui (secundùm Gregorium) nemo, cùm quempiam diligit, habere se charitatem putet, nisi prius vim ipsam dilectionis suæ examinet. Nam vera charitas est, cùm in Deo diligitur amicus, & propter Deum diligitur inimicus. Ille enim propter Deū diligit eos, quos diligit, qui iam & eos diligere scit, à quibus non diligitur. Probari enim charitas per solam odij aduersitatem solet. Ille ergo securus amat, qui propter Deum & illum amat, à quo intelligit se non amari. Alta sunt hæc, & multis ad exhibendum difficilia, sed tamē ista est vestis nuptialis. Hæc Gregorius. Tertium est, *vir & mulier sibi bene consentientes*, hoc est, in bono, non in malo: vel, per virum rationem, & per mulierem sensualitatem intelligere possumus: quæ dum in bono sibi inuicem consentiunt, pacem veram, quæ singulorum cordium est, inueniunt. Vnde ad implendum perfectius Dominicum præceptum de dilectione fraterna, sextuplici affectu se quis erga proximum exercere debet. Primus est affectus cordialis vnionis, vt quantum in se est, & quantum secundùm Deum potest, cum alijs vnum se sentiat, ac omnium velle rectum pro se reputet. Et hoc operatur charitas, quæ liquet humana corda cùm in cor hominis diffusa fuerit, & illud humile, ac purum inuenerit: tunc enim omnia aliorum bona transformans in se, facit sua. Solum namque liquidum est, quod omni formæ congruit, quod optimè cordi veraciter amantis conuenit: *Factum est*, inquit Psalmista, *cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.* Sed charitas liquescens, cordis puritatem exigit: Et *beati mūdo corde, quoniam*

Ecclī. 25.

Iob 25.

Matth. 11.

Affectus vnionis.

Psal. 21.

Matth. 5.

niam ipsi Deum videbunt. Hi enim sunt mundi corde, qui simplici oculo & mundo corde in Deum intendentes, inter immunda mundi, mundum habentes aspectum, proximum in Deo duntaxat charius amplectuntur. De quo oculo dicitur in Canticis: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in vno oculorum tuorum.* Hinc *multitudinis credentium erat cor vnũ, & anima vna* in Domino: quia puritas eos mundauerat ab humano contagio, & charitas per transformationem eos collocauerat in vno cordis amorosi glutino. Secundus est affectus propriæ humiliationis, & fraternæ honorationis, quo scilicet affectu quis omnes reuereretur & honorat, omnes sibi præfert, omnibusq; tanquam dominis suis humili corde se subdit, iuxta illud: *Omnes honorate, fraternitatem diligite.* Et: *Honore inuicem præuenientes.* Nec solum affectu, sed etiam actu proximo secundùm Deum in omnibus condescendendo, honorem, ac gratitudinem ad quodlibet humilitatis obsequium gratanter impendendo, & se promptũ exhibendo, tam in condonandis iniurijs, quàm in supportandis miserijs & defectibus, eò quòd se vilior em multum, & talibus dignissimum reputat, iuxta illud: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Tertius est affectus trãquillæ supportationis. Difficillimum quippe est in humana conuersatione non oriri scandala, tum ex fragilitate, tum ex ignorantia, tum ex malitia, quæ regnat in hoc sæculo nequam. Igitur ille commendandus est, qui aliorum non solùm imperfectiones, sed etiam inuectiones magnanimo & tranquillo corde sufferre noluit cùm hoc tanti meriti sit & virtutis, vt in eo cõplectantur omnes leges & Prophetæ, iuxta illud: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legẽ Christi.* Et hæc fraterna charitatiua supportatio fieri debet opere, ore, & corde. Primò fieri debet opere, iuxta illud: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malũ.* Et iterum: *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonũ est, sectamini inuicẽ & in omnes.* Quod vt facilius peragatis, secundùm quod dicitur ad Hebræos: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus, aduersum semetipsum contradictionem, vt* non *fatigemini animis vestris deficientes.* Et, vt dicitur alibi: *Induite vos sicut electi Dei,* scilicet per æternam prædestinationem, & *sancti,* scilicet per Sacramentorum participationẽ; & *dilecti* Dei, scilicet per præsentẽ iustificatiõem; *viscera misericordiæ,* scilicet *benignitatem,* id est, animi dulcedinem ad benefaciendum etiam inimicis; *humilitatem,* qua maiora pati vos dignos recognoscatis; *modestiam,* scilicet ad seruãdum modum in omnibus.

Cant. 4. Actor 4. — Affectus humiliationis. — 1. Pet. 2. Rom. 12. — Ibidem. Affectus supportationis. — Galat. 6. — Supportandus proximus. Rom. 12. 1. Thes. 5. Hebr. 12. Colossi.

bus agendis, & sustinendis; *patientiam*, cum æquanimitate; *supportantes inuicem*, scilicet onera, imperfectiones, & similia; *& donantes* iniurias, & alia iniustè illata, purè & integrè, *si quis aduersus aliquem habet querelam: sicut &* Christus *donauit* nobis, non vlciscendo, non improperando, non minus diligendo. Secundò fieri debet ore, iuxta illud: 1. Petis. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed econtrario, benedicentes: quia in hoc vocati estis.* Nam *& Christus passus est* 1. Pet. 2. *pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius: qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Qui cum malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniustè: qui peccata nostra* tulit *in corpore suo super lignum.* Tertiò etiam fieri debet corde, per benignitatem: quæ est quidam animi dulcor, excludens omnem amaritudinem, inuidiam, & nequitiam, & hominem habilitans ad internam lætitiam, & beneuolentiam, ac in exteriori conuersatione reddens hominem affabilem & benignum. Dicuntur etiam benigni, quos bonus ignis amoris feruere facit ad benefaciendum proximis, etiam aduersarijs. Dicit enim Augustinus in Enchiridio: Magnum est erga eum, qui tibi nihil mali fecit, esse beneuolum & beneficum. Illud verò multo grandius & magnificentissimæ bonitatis est, vt & tuum quoque diligas inimicum, & ei benefacias. Quartus affectus est pijssimæ compassionis in aduersis, quo mens aliorum mala sentiat sicut sua: principaliter tamen in malis aliorum spiritualibus tam pœnæ, quàm etiam culpæ: secundariò verò in corporalibus, & temporalibus aliorum aduersitatibus & iacturis, sicut Apostolus de se dicit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Hac compassione lachrymatus est Iesus, *videns ciuitatem* Hierusalem, & dixit: *Quia si cognouisses, & tu*, vtique fleres. Lucæ 19. Præuidit enim iacturam illam grandem animarum, & corporum, ac etiam rerum exteriorum. Nimirum cùm de lege naturę sit, *si quid patitur vnum membrum, compatiuntur ei omnia membra.* Quintus affectus est piæ cõgratulatiõis in prosperis, quo scilicet quis de alieno bono lætatur sicut de suo: præsertim de profectu spirituali, deinde de profectu cõporali & tẽporali, in quantũ non est contrarius saluti, iuxta illud. *Gaudete cum gaudentibus.* Et quia *bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonũ*, hinc oportunitate quandoq; se offerente cordialis cõgratulationis affectũ etiam verbis, & signis ostẽdere debet: sicut cum gratulatur *vnum membrum*, ei *congaudent omnia membra*, vt dicit Apostolus:

Affectus cõpassionis.

2. Cor. 11.

1. Cor. 12.

Aff. cõgratulationis.

Rom. 12. Luc. 6.

1. Co. 12.

Ephes. 4. *Sumus enim inuicem membra* in corpore mystico. Sic Moses cùm æ-
Num. 11. grè ferret Iosue, quòd in populo prophetarent Heldad, & *Medad*, respondit: *Quid æmularis pro me? Quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis spiritum suum* Deus? Sextus affectus est Christiformis ob-
Affectus oblationis. lationis, vt scilicet exemplo Iesu Christi paratus quis inueniatur, pro omnium, & singulorum etiam inimicorum salute ponere animam suam. Tunc enim verè diligit proximum suum sicut seipsum, Vnde Io-
1 Iohan. 3. hannes ait: *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suã posuit: & nos debemus animas ponere pro fratribus* nostris: sicut plus tenemur diligere animam proximi, quàm corpus proprium; quia bonitas animæ proximi, bonitatem nostri corporis excedit, eò quòd directè est capax Dei per cognitionem, & amorem, quod nostro corpori non conuenit.

Theologiæ mysticæ Libri primi
FINIS.



INTRO

IN SECVNDVM LIBRVM MYSTICÆ THEOLOGIÆ R. P. FRATRIS HENRICI HARPHII ORDINIS MINORVM,

Fratris Petri Pauli Philippi, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Doctoris, admodum necessaria Introductio.

HOMINIS naturam ad excellentiam appetẽdam vehementer procliuem esse subtilissimus ille naturæ indagator agnouit, qui eius occasionem arripuit, qua illam ex felicissimo statu, in quo condita fuerat, deturbaret: Eritis, inquit, sicut Dij, scientes bonum & malum. Genes. 3. Quibus etiam verbis vel inuitus significauit, in quo consistat excellentiæ nostræ veritas, etsi eam ad illicita impius ipse, inuidusq; detorsit. Non potest enim quippiam sublimius excogitari, quàm esse Deo similem: ac verum bonum, quod & summum est, contemplari, quicquid ei contrarium esse potest, ita nosse; vt quemadmodum illud super omnia ardentissimè diligimus, ita istud præ cunctis, quæ in hoc, vel futuro seculo cõtingere possunt, odio ingenti, atque perpetuo prosequamur. Nam hoc pacto naturæ nostræ conditio, quæ naturali eius similitudine insignita est, perfectissimè, & amplificatur & persicitur. At verò miserrima profectò ratione iam factum est; vt hæc tam ardens excellentiæ cõsequendæ libido in omnibus alijs rebus exarserit, vt nulla sit vel mentis, vel corporis excitatio, nulla ars, quantumlibet vilis, in qua non conentur totis viribus homines excellere, nulli parcant labori, nihil damna faciant honoris, temporis, famæ, diuitiarum. Quicumque enim animum applicuerint, vel ad negotiationẽ, vel ad militiam, vel ad mechanicas artes, vt cætera omittam, in ijs reliquis præstare summa ope, studio, vigilijs, laboribus, periculisq; contendunt. Sola ferè videtur inculta iacere ars illa cælestis, quæ diuina sanè disciplina ad veram sapientiam animus excolitur. Nam quamuis multi sint, qui omni cura, cogitatione, atque opera in eam incumbant, sunt tamen paucissimi, ac penè nulli, si ad ingentem numerum comparentur illorum, qui eandem perpetuò augere, perficereq; deberent. Est nihilominus impressa nostræ menti fax quædam ardens, ac lucẽs, qua naturali vi impellitur, quantumlibet impij simus, & scelera illa arguere, reprehendere

hendere, horrere in alijs inspecta, quæ in nobis ipsis & agnoscimus, & amplectimur; integritatem verò, & sanctimoniam vitæ, si in aliquo illustrius coruscare videatur, amare, laudare, exoptare. Rapit enim ad sese vel renitentem animũ obiectus splendor virtutis, ac sanctitatis: in quo conformitas illa, quam ei inaccessibilis summæ bonitatis lux indidit, exerit miro modo vim suam, vt illud idem, quod peccatorum mole oppressus contemnit, nequeat non desiderare. Quod interuum bellum peccato quidem excitatum pijs mentibus, ad exercitationem victoriasq; comparandas relictum est; peccatoribus autem ad eos extimulandos, vt peccati turpitudine cognita, præstantiaq; virtutis ad hanc summa animi contentione ab illo transfugiant. Sed hos non rarò videmus inspectam lucem splendidioris sanctitatis mirificè deperire: illi perrari sunt, qui eam exolant pro dignitate. Est autem illa fortè eius rei causa, quòd tantò placet magis iustitiæ clarioris pulcherrima, & venustissima facies, quantò peccatorum sordibus comparata illustrius emicat; tum quòd (vt in Prouerbio dicitur) dulce bellum inexpertis est; neque ingentes difficultates, ac durissima illa certamina, quæ pro adipiscenda excellentia virtutis sustinenda sunt, deterrent animos eorum, qui nunquam perfectionis itinera sunt ingressi. Sed ea iudicio meo potissima ratio est, quòd ad sanctitatis excellentiam (quæ amplissimum quoddam fastigium præ se fert) sola subuehit profundissima suimet abnegatio, & humilitas cordis, quæ adeò videtur ipsi naturæ contraria, vt nihil supra: cùm proprium naturæ huic corruptæ videatur, suijpsius quærere commoda; vtilitates & honores proprios sectari: quæ omnia despicit, imò & abijcit profundum illud centrum humilitatis; ac si ad cælum quis volare contendens, semetipsum in profundissimi tartari ima, centrumq; demergat. Attamen hæc ipsa duo sunt; quæ miro modo inter se consentiunt, diuino profectò magisterio (neque enim alius artifex id potuisset) sibi inuicem coaptata; iuxta illud Christi axioma: Qui se humiliauerit exaltabitur. Cuius exemplar non solùm se ipsum verò proposuit, cùm ait: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, verùm etiam facto cùm proposito sibi gaudio crucem, confusione contempta præelegẽs factus est opprobrium hominum & abiectio plebis, & animam quoque suam ad infera loca propria voluntate detrusit. Voluit enim hoc exemplo nos omnes in sui imitationem inflammare, vt iter ad apicem perfectionis, & sanctitatis per eadem Creatoris, & Saluatoris nostri vestigia non modò non asperum, sed omni quoq; suauitate, ac dulcedine plenum iudicaretur. Qua ratione illam, quam expetebamus, scilicet veram sanctitatis excellentiam consequimur, quam initio diximus in eo consistere, vt Domino Deo nostro perquàm simillimi efficeremur. Fuêre autem permulti (sicuti & in dies singulos multi nascuntur) qui methodos varias excogitârunt, seu malumus dicere, quod est verius, quibus varia à D. O. M. reue-

Matt. 23. Matth. 11. Heb. 12. Psalm. 21.

reuelatæ sunt rationes itineris huius instituendi ad verã Christianæ vitæ perfectionem, consequendam. Sicut enim variæ sunt corporum constitutiones, ita ac longè multipliciora sunt ingenia animorum; nec omnibus idem, eodemq; modo conditum sapere potest. Quid verò refert qua linea, modò à centro modò ad calum perducamur? Sed qui de ea re fusius tractauerit, ac dilucidius eam ad methodũ quandam diduxerit, quàm R. hic Auctor F. Henricus Harphius Mechlinien sis, Ordinis Minorum Professor, ego non legi hactenus. Qui non ea, quæ ab alijs conscripta viderit, (quamuis non pauca se legisse præse ferat) sed quæ proprijs, diutissimis, sanctissimisque exercitationibus suis non solùm intellexerat, sed patiebatur diebus singulis, animæ id vehementius appetenti describere conatus est. Conatus est inquam: nam ineffabilia ea esse fatetur; & quæ si etiam exprimerentur verbis, non possent tamen intelligi nisi ab ijs, qui simili exercitatione ardentissima eadem experirentur. Atque is quidem primus est, qui in huius libri lectione cauendus est scopulus. Solent enim qui ista adeo mira, & insolita legunt, contrarijs quibusdam vndiq; allidi; dum sibi exercitationum spiritualium suarum quasi scopum quendam proponunt, consecutionem tum impassibilitatis cuiusdam sensuum, passionum, voluntatumque suarum, perinde ac si funditus mortui nullo possint, quamuis acutissimo stimulo pungi; tum contemplationis excellentissimæ, prorsusque ineffabilis: qua mira videant, & imperturbatis oculis perpetuò contemplentur. Quocirca vel superba quadam præsumptione supra vires suas audent: aut pusillanimitate perniciosiore à cœpto deterrentur. Quamobrem opportunum quidem videtur ista vniuersa legendo percurrere: quo mentis ardor erga felicitatis communicationem acrius accendatur, quam à Deo quibusdam amicis suis concedi cognoscet, & si in ænigmate id ac valde confusè cognoscet. Necessarium tamen est, vt ab imperfectionibus gradatim, & pedetentim, atque ordine quodam ascendatur. Neque enim doctrina ista non potest omnibus proponi, quamuis sceleratissimi illi fuerint, ac pessimis vitiorum omnium habitibus corruptissimi, si toto corde ad Deum suum conuersi, statuant ei fideliter deseruire. Sed ordinis ineunda ratio est: quam non obseruantes multos, qui huius & doctrinæ gustum suauissimum præsenserunt, etsi eam auidissimè susceperint, nihil tamen post multum etiam temporis profeciisse videmus. Quæ verò sit illa ratio, paucis ego iam statui demonstrare, ex aliorum tamen relatione, quique & propria discipulorum suorum grauissima, & diuturna experientia eam didicere.

Debent igitur (præsertim qui à grauioribus flagitijs initio conuertuntur) iuxta doctrinam capitis 14. aliquanto tempore fletibus incumbere, ea frequenter tum coram Deo, tum coram Confessore perito confitentes, & eorum, quæ vel proximo, vel quouis vitæ suæ tempore deliquerunt, grauitatem meditari, atque in labore vultus sui comedere panem compunctionis, & contritionis. Experientur au-

tem hi benignissimi Parentis sui Domini Dei nostri auxilium speciale, eos docentis, si diligenter animum aduerterint: sed & ad me meditationes sibi comparandas, de quibus c. 15. Auctor breuissimè loquutus est, lectio aliqua deuota Patrum illos plurimum adiuuabit: præcipuè verò ea, quam R.P. Frater Aloysius Granatensis nostri Ordinis Prædicatorum mira quadam facilitate, ac dulcedine scripsit. Vt verò peccati horrore concussi, amore virtutis, & sanctitatis se accendi perceperint, (neque enim fieri potest, vt frequentem illam cordis contritionem, & oblationem spiritus contribulati Dominus despiciat) tum frequentius incipiunt ea legere, quæ primis hisce duodecim capitibus Auctor de mortificationibus docet: ea tamen ratione; vt secundum, octauum, nonum, vndecimum, ac duodecimum caput intelligant altius quiddam docere, quàm hoc initio perficere possint. Quamobrem circa alia sese diligenter, ac sæpissimè examinent, quousque agnoscentes quo modo circa ea peccare soleant, remedium vulneribus suis adhibeant; proponantque illa seruare pro viribus: vehementi compunctione cordis & præteritorum memoriam renouantes, & earum culparum, quæ circa ista capita contraxerint, singulis diebus humiliter deflentes. Sunt enim capita sex, quæ post susceptũ diuinum hoc semen (ita namque appellare soleo ignitum illud virtutis desiderium, quod inter compunctionis lachrymas excitatum est) diligentius oportet ante istorum oculos obuersari tertium, quartum, quintum, sextum, septimum, ac decimum: quibus egregiè præparatur animus ad reliquorum intelligentiam percipiendam mente, opereq; præstandam: cùm tamen interea valde vtile sit, omnium aliorum quoque capitum lectionem continuò manibus, oculisque versare. Illa namque compunctionis lachrymæ, quasi diuinum quoddam oleum, ac balsamũ. fomentum efficiuntur amoris nascentis: quo oculus purgatur in dies magis, vt virtutis splendorem in omnibus his capitibus mirificè coruscantem perfectius, subtiliusq; dignoscat; vnde eundem amorem purgantem denuò vehementius inflammet. Neque verò hanc flammam sensatam esse oportere: sed sufficit, si intra intellectus, ac voluntatis quasi viscera contineatur; dum constantissima animi determinatione istorum documentorum obseruationem sibi proponit: quæ cum creuerit, exeret se in opus; minimumq; confirmabit, vt reliquorum etiam capitulorum exercitationi se dedat, ea tamen adhibita moderatione, vt tam secundi, quàm octaui, & noni, ac multò magis vndecimi, & duodecimi capitis primos tantùm gradus aggrediatur, reliquos desideret quidem, sed tamen nullo modo angatur animo, si neque etiam intellexerit perfectè, quid sibi velint. Satis erit hoc tempore (hoc enim exempli gratia asseram) eam sibi in omnibus operibus suis intentionem formare, quam rectam nuncupat, quæ nullo scilicet commodo suo temporali, vel spirituali moueatur, sed ob solam gloriam sui Creatoris: non quasi salutis suæ finem inde se consequi non speret, & hanc laborum suorum remunerationem

eam

nem non desideret, & postulet; sed quæ ea sese rectitudine dirigat in Deum, vt eius gloriam sic velit, vt quæ præterea consequuntura ferè non inspiciãtur, quamuis ex illa sint orituta. Hoc autem est illud à Christo breuissimè dictum: Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. Eadem proportione metiri oportet exercitationem patientiæ, & abnegationis propriæ; ne fortè ad altiora nobis anhelantes, incassum oleum operamq; perdamus. Hanc autem peccatorum suorum acerbam grauissimamque meditationem semper emollire debet consideratione ingentis misericordiæ, paternæq; pietatis Dei, quam sibi tot, tantisque modis demonstrauit; illa præsertim incredibili patientia & longanimitate, qua rebellem se adeo peccatorem tandiu pertulit, toties vocauit, benignissimeq; recepit: vt hinc fiduciam gaudem concipiat, qua cum adire thronum audeat gloriæ Dei, inde verò maximam reuerentiam, & humilitatem: quæ duæ illæ sunt Virgines, quibus Hester comitata ad Assuerum incedebat, postea quàm multis lachrymis, atque ieiunio Dei auxilium, & opem contribulato corde imploraue- Esther 15. rat. Vbi verò pluribus mensibus hoc modo se exercuerit, tria illa conabitur adiungere, quæ ca. 16. continentur; quibus ad obeunda hæc eadem, quæ cunctis duodecim primi capitibus leguntur seruata tamen adhuc moderatione prædicta, magnam comparabit virtutem, & promptitudinem. Quamdiu verò intra huius exercitationis limites continere se quisque debeat, non facilè statuere quispiam potest; cùm facilius quidam semestri solo perficiat, quod alter ne anno quidem integro posset; quòd ille naturali polleat inclinatione, vel maiore diligentia vsus, feruentius in idem incumbat. Quocirca, vt ex ca. 13. elici potest, propiæ constitutionis ingenijq; inclinationes inuestigãdæ sunt diligenter; vt scire valeamus, & quid illud sit, quod potissimum moderari debeamus, & qua ratione faciliore propensiones nostras ad virtutum omnium opera inflectere, atque dirigere.

Quamuis autem hoc toto tempore studium virtutis prætermissum non sit, sed cuncta, quæ ei aduersantur, summa sint cura, diligentiaq; reiecta, hactenus tamen eò mens operantis primùm dirigebatur; vt cordis compunctione, animi tumorem, superbiamq;, peccatorum quoque præteritorum recordationem contereret, ac deleret: vt ea vitaret, quæ offendiculo esse possent, occasionesq; peccandi: vt Dei erga se amorem tanta patientia hostem suum expectantem agnosceret, vt sancta quadam obstinatione propositum mentis confirmaret, quo statuit, quicquid elongare nos à Dei amicitia videretur, præ omnibus rebus cauere. Iam verò post diuturnos labores illos testimonium quoddam anima sibi perhiberi aduertet, quo spem non mediocrem concipiet eius nuptias, & amplexus optimum ac pientissimum Patrem Deũ non auersari: qui, quãuis post amatores plurimos fornicata fuerit, recipit eam tamen, contra vulgatam hominum consuetudinem, ad se humiliter reuertentem, omnium ignominiarum suarum oblitus. Quo fiet,

vt non amplius ad peccatorum remissionem, fugamq; primò reuocet, vti fecerat hactenus, mentis, studiorumque suorum intentionem, sed ad sese exornandam: vero illo, de quo cap. 20. tractatur, ornamento virtutum, simulque intentionis illam rectitudinem mirificè excolet, de qua supra iam dixerat, & quæ 22. capite repetitur. Quare apertissimè cognoscere vnusquisque potest: ea, quæ de intentione secundo capite dicebantur, non esse tanquam initia quædam assumenda exercitationum, cùm ab Auctore primus ille gradus hoc loco supremum quoddam fastigium constituatur, ad quod hæc viuendi ratio, quam actiuam ille voluit appellare, diligenter in via Domini ambulantem perducit: quamuis sint à principio proposita, tanquam scopus, ad quem hoc ipsum viuendi genus dirigeretur, & allicieretur eius pulchritudine animus, adhæc certamina subeunda libentius. Et rationem quidem ordinis huius inde colligere haud difficulter possumus, quia si cùm primùm quis aggrediturus iter salutis, ad altissimos illos gradus perfectionis conscendere conatur: & ad lucem præstantissimæ contemplationis, aut ad igneos ardores charitatis in Deum, ac proximos aspirare præsumit: grandem ædificij molem super ingentem arenarum aceruum construere nititur: vnde quolibet vehementiori vento flante, vel tentationis grauioris irruente flumine, cuncta facillimè concident, magnaq; fieri iactura operis, ac temporis: præsertim cùm non patiatur Deus (nisi forsan iratus superbæ menti) eos potiri amplissimis huiusmodi muneribus suis, quos corde humiles, atque ad pedes suos veraciter prostratos non esse cognoscit. Quemadmodum enim dat humilibus gratiam; sic eam superbis negat, quibus resistit. Ecquod est autem superbiæ tumoris que genus apertius, quam ad sublimia Dei dona audacter anhelare eum, qui suam indignitatem primùm non agnouerit? Quæ cognitio compunctione cordis potissimùm acquiritur, ac exercitatione humilitatis illius; quæ virtus ita omnium aliarum virtutum fundamentum est, vt vniuersas ad se congreget, & vi quadam naturali conglutinet ad quæ duo potissimum spectat hæc hactenus seruata ratio instituendæ vitæ, si diligenter aduertas, adiuncta semper magna illa spe de diuina erga se toties agnita misericordia, quæ talem dilexit, sustinuit, vocauit, atque in gratiam recipere voluit. Ex quibus illa proficisci nata est intentionis rectitudo, quæ, vt par pari tanto huic amori referat: si iniurius olim Domino suo fuit, iam quicquid aut agere, aut pati poterit; id totum nulla suæ vtilitatis ratione considerata, eam tantùm ob causam & agere, & pati constituit, vt Deus glorificetur, vt rem faciat, quæ sponso suo grata existat. Quapropter quæ olim duodecim illis capitibus legerat, ac iuxta ea præstare conabatur, conduplicat, non amplius eo fine, quo prius, vt vitet, inquam, peccata, & peccatorum occasiones: sed longè altiori; vt sponso suo placeat, vsuramq; sarciat prateriti temporis, & quam sponso suo intulerat facinoribus suis ignominiam, in illu-

Iacob 4. 1. Pet. 5.

in illustriorem gloriam & honorem virtutibus, ac virtutum operibus commutet. Quamobrem ab ipso quoque suo conuersionis initio summa diligentia cauebit, ne qua subrepat vnquam intentio, quæ subdolè diuinum hoc opus vel destruat penitus, vel inficiat, aut certè impediat: quod frequenter, ac ferè ad satietatem cap. 2. 17. 22. 43. & 45. Auctor repetit. Nouit enim quantum vel noceat, si intra huiusmodi scopulos ventorum impetu nauis hæc nostra feratur: vel quantum prosit, si longè ab eis enauigemus ad portum. Atque hoc totum ad eam vitam pertinet, quam ipse initio cap. 13 actiuam vocat: qua certè non mediocriter hominis extollitur animus, & conuersatio præillis, qui quamuis placere Domino, & peccata vitare studeant, communi tamen cursu, quasi per planitiem eum sequuntur, atque operam nauant, vt illius gratiam conseruent. Quemadmodum autem ijs, qui altissimas alpes transituri sunt, cùm ad primorum montium radices peruenêre, illud videri solet, tum demum se alpes totas conscendisse, cum altissimorum montium, quos vident, altitudinem superauerint: quod iter vbi confecerint, noui montes ijs, quos ante conspexerant, ac superauerunt, altiores apparent: Ita ijs, qui hoc viuendi genus constantia, ac diligentia summa sunt assecuti, vt scilicet non solum nihil velint, quod Deo placere non possit, sed præterea vniuersa velint, ac faciant, vt Deo rem gratam faciant, & quæ in eius gloriam referatur, eamq; ob causam & compunctioni cordis, & virtutum operibus studiosissimè, ac gnauiter vacent: statim noua quædam præstantiorq; perfectio, & quasi montis celsitudo se offert, ad quam contendere totis viribus ne esse est. Neque verò existimandum est, debere se confestim aspera illa iuga ascendendo tentare: sed pluribus diebus eam, quam hactenus perfectionem assecuti Dei dono videntur, exercitatione diligentissima cõfirmare. Sicut enim media semper aliqua iacet aut valles, aut planities ab vno ad alterum montem, hoc namque modo Natura sagax prouidere voluit, ne perenni ascensu vires itinerantium defatigentur, sed plano illo, aut etiam declini interuallo reparatæ ad nouum, & sæpè etiam asperiorem ascensum corroborentur,) ita confirmandus animus, & constabiliendus est exercitatione, & vsu acquisitæ virtutis: Ita tamen, vt cordis oculus attentissimè consideret, an nouus vllus mons sese offerat, & affectus ardenti discretoq; desiderio illius transcendendi teneatur, quã primum fuerit à Domino vocatione sua benignissimè prouocatus: neque præsumptione superba vltra vires suas se ingerens, neque timore, aut pusillanimitate nimia diuinæ aduocãti gratiæ resistẽs. Præsertim, quòd perseuerãti earum rerũ, quæ dictæ sunt hactenus exercitatione, ad nouæ vitæ contẽplatiuæ superiorem q; gradũ aptissimus redditur, imò ad illum progressus facit nõ mediocres. Docet hoc apertissimè Auctor, dum cap. 26. quæ impedimenta vitanda sint, admonens, & cap. 28 quæ affectiones animi moderandæ, atque mortificandæ sint, eadem, quæ cap. 5. & 4. de-

laruerat, fere ad verbum repetit: neque verò inutiliter, quia iam ad alium finem dirigenda tractantur. Principio namque vitiorum fugæ, virtutumque adeptioni vacatum est; nunc autem in plenam sui ipsius oblationem, atque abnegationem, ac in simplicem quendam effluxum in Deum, & vnius rei in rebus, quamlibet innumerabilibus Dei inquam Optimi Maximi intuitum comparandum incumbitur.

Ecce autem altius illud, quod ingerit sese oculis, fastigium, & quasi mons altissimus perfectionis, per quem ad contemplatiuam spiritualem vitam ascenditur, quæ animam vnit miro modo, nec patitur, vt in multiplicitate rerum, actionumq; innumerabilium consideret earum pluralitatem: sed quotcunque incumbant agenda, patienda, iubenda ve, siue temporalia illa, siue spiritualia sint, vel sibi, aliue conducant, vel noceant; ita propria (vt ita dixerim) specie ea expoliat, & ferma: forma verò, ac specie diuina maiestatis exornat: vt omnis eius intentio in tot concurrentium rerum tumultu feratur in vnum, solumq; Deū: Et hic quidem est secundus ille intentionis gradus, quem secundo capite Auctor proposuerat, vt splendidissimo fulgore suo animum nostrum ad se raperet, quem etiam cap. 22. repetijt, semper significans, tum demum debere nos secundum eum exercere, cùm post multos menses, & annos primum illum gradum fuerimus adepti. Ad huius autem secundi gradus consecutionem cap. 35. docet quomodo intellectiua pars exercenda sit: quo autem modo pars effectiua præparetur, longiori quadā circuitione quem modum scholasticum vocat, cap. 30. explicat, & cap. 31. qua alia compendiosiore ratione, quàm mysticam ei libuit appellare. Ad intellectiuam verò partem, vel affectiuam quoque modo scholastico præparandam lectio R.P. Fratris Aloisij Granatensis quamplurimum proderit, qui mira dulcedine, ac eloquentia, & communia, & propria Domini in nos beneficia pertractat, immensamq; materiam non confuso modo, atque incompositam præbet, sed grandi, & excellenti methodo dispositam, adeoq; digestam, vt eam cuicunque hominum sexui, statui, ac personæ applicuisse, & appropriasse videatur; neque desit quippiam nisi lectio frequens, ac deuota, quo in spirituale cuiuslibet nutrimentum, & substantiam conuertatur. Quod tum continget, cùm ad vnitiuum amorem peruenerit, de quo 33 cap. agitur, qui vtriusque modi finis vnicus est. Nam longiori quidem circuitu varia illa innumerabilium Dei perfectionum ac beneficiorū meditatio, eò nos ducit, quò breui semita nos perurget flagrantissimis, & frequentissimis aspirationibus ardor amoris: quo perenni fere desiderio optamus, petimus, & decernimus eum amare, à quo ineffabili quodam modo nos amari videmus, atque huius amoris flammas ardentiores singulis diebus accendere, summo quodam dolore (quo dulcissimè tamen conficimur) affecti, quia non est tam vehemens amoris incendium, & flamma, quàm vellemus. Non enim tam multa

quærit

quærit sic affecta voluntas, cur sufficit cognomisse, quoniam sic amandus est Deus, in eo cunctas amoris rationes vnitè complectens, quia Deus est, quamuis rationes singulas distinguere non possit. At verò eum, qui vel primo, vel hoc secundo compendiosiori modo ad hunc statum peruenerit, (quamuis ei semper illa, quæ c. 40. & 42. & 48. exponuntur grauiora pericula diligentissimè cauēda sint, nemo dubitet permouendum esse Spiritus sancti donis ad illa, quæ primis duodecim capitibus præsertim verò nono, vndecimo, & duodecimo continentur: ac nouis quibusdam illustrationibus edocendum de ijs, quæ ad eius salutem pertinent, atque progressus spirituales. Quænamque maior esse coniectura potest de infusa Dei gratia & charitate, deq; acceptis Spiritus sancti donis, de quibus trigesimo octauo capite agitur, quàm constans hic erga Deum amor, ac desiderium: quo veluti stimulo quodam acriori in illam semper curam, & cogitationem impellitur: vt Deum semper in conspectu suo prouideat, & intueatur vt eius amore magis ac magis semper inardescat: nullum alium honorem, vel vtilitatē vel commodum quærens; sed solùm his flammis amoris cōsumi, eamq; solam ob causam & vitare peccata, & implere præcepta, esse corde paratum ad omne illud esse, quod vel ei tribuere, vel ab eo auferre diuinæ maiestati placuerit? Tunc verò in hunc finem, modumq; viuendi, discretē quidem, sed instanter & constantissimè totis neruis incumbere debet: & diligentissimè aduertere, quodnam exercitationis genus ei offerat diuina benignitas atque ipsum loco præstantissimi beneficij suscipiat, siue arduum, siue facile sit. Illud autem tibi persuadeas, cuncta, quæ capitibus 40. 41. 44. 47. & inde ab Auctore tractantur, sensato (vt ita dixerim) experimento euenire ijs, qui his se modis fideliter exercuerint: tanta varietate, atque ordine, vt verbis exprimi nequeat.

Est autem hoc loco perquàm meditatissimè considerandum, eorum, quæ his capitibus ab Auctore explicantur, quædam ad nos, nostramque industriam pertinere: & quæ præstare summa contentione debemus. Tale est, ne de his vniuersis exercitationibus nostris plurimum confidamus, cap. 1. quodque magis etiam cauendum esse cap. 31. dicitur, ne de eis glorietur: vt iuxta doctrinam cap. 40. & 42. discretionis virtutem prudenter adhibeamus, vt aduertamus quodnā à nobis exigat exercitationum genus, ne diuinæ scilicet inspirationi prudentes, imprudentesve resistamus, cap. 46. & quatuor illi modi exercitationum nunquam satis laudati, & incredibilis vtilitatis affluentissimi, quos cap. eodem fusissimè verbis exponit: summa demum cōstantia cap. 47. & 49. explicata, dum spirituali languore mens arida discruciatur. Alia verò sunt, quæ à Deo potius in nobis aguntur, qualis est ille sensuum ad interna liquefactio, quam cap. 40. docemur, & ebrietas spiritualis, quæ cap. 41. dicitur ab homine contineri non posse, ne erumpat exterius vulnus illud amoris saluberrimum, quod cap. 44. explicatur. Et multo

magis talia illa sunt, quibus spiritualis huius contemplatiuæ vitæ, secundùm superiores animæ partes, aut eiusdem essentiam cõsurrectio declaratur. de quibus agitur quidem, sed modus, quo res tanta se habet, ipsomet Auctore teste, omnem superat vim orationis, neque intelligi potest nisi ab iis, qui vsu proprio cuncta cognouerint. Quamobrem dum ista legitur admodum contemplatiui viri doctrina, non illa debet esse intentio studiumq; legentis, vt ea, quæ premittuntur, intelligentiæ acumine perueſtiget, ac penetret. Hæc enim excellunt adeò, atque insolitum, dulcißimumq; de Deo gustũ insinuant, vt facillimè incauta mens quasi grauiori turbine impulsa in eas cautes, & scopulos allidatur, vt suauitates huiusmodi, excellentioremq; contemplationem curiosè desideret. Discernenda sunt igitur ea, quæ oportet à nobis ingenti cura, constantiaq; præstari, & illa discretè, sensimq; exequi, eo ordine, modo, & cautione, quas Auctor docet, semper optantes, & quasi finem intẽdentes desideriorum nostrorum, ad eam peruenire puri perfectionem amoris, qua omnium rerum memoriam æterna oblitione delentes, omnemq; vtilitatem, commoditatem, omnia gaudia, damna, cunctasq; tribulationes nostras, cuiuscunque generis, & quantumlibet grauia sint, nihili facientes Deo constantißimè seruire velimus, ea vel vnica ratione, quia id ipsum nos debeamus id illum deceat: & postremò, vt ardentißimi amoris nostri, & omnium, quæ vel gesserimus, vel patiemur, is ipse amor finis, & quam in hac vita expectamus, remuneratio sit. An verò non vides optime Lector, quàm longè altiore ratione eadem illa duodecim prima capita modò exerceantur: neque iam ad primos illos intentionis, patientiæ, abnegationisq; gradus sistatur animus, sed ad supremos, & ipsum perfectionis culmen ascendatur? & experimento cognoscitur quid inter deformem, ac simplicem intentionem interſit, quòd opere melius acutiusq; discernatur, dum iuxta cap. 27. summos diuinæ derelictionis angores perseuerantes fuerit homo perpessus: cuius differẽtiæ notionem capere à principio mens imperfecta non potuisset. Neminem autem decernere posse credidi, quamdiu se debeat hoc modo animus exercere. Illud non dubitauerim confirmare, totum huius vitæ cursum in hoc studio debere promptißime versari. Quid enim antiquius vel vtilius excogitari potest, quo omnes vitæ suæ vel longißimos annos, vel laboriosißimos referat? Est namque hoc viuendi genus participatio quædam æternæ felicitatis. Felicem profectò eum dixerim, qui continuata perenniter actione mentis in illud incumbere posset. Sed profectò mirabile dictu est, quòd cap. 56. Auctor admonuit, vt non solùm felices tunc huiusmodi viros esse existimemus, quamdiu ad excessus illos augustißimos assurgere possunt: sed etiam cum inde ad inferiora descendunt, quod fieri oportere, & qua ratione declarat: non affirmauerim tamen huic viuendi modo vigilandum esse diutius, ac lon-

ac longiore eius exercitatione animum confirmãdum: antequam ad tertium vitæ genus, quam supereminentem nuncupat, nitatur ascendere, etsi id probabile satis esse videatur. Cur autem non censeatur esse necessarium, ea ratio est: quia præparatio, & consurrectio, quæ in spirituali contemplatiua vita præmissa est maxima est ad illam, atque aptissima dispositio. Nam cap. 60. perfecta vocaliq; abnegatio, quam docemur, ac mortificatio exterioris, & interioris hominis nostri; & sex illa, quæ ad diuinæ claritatis perceptionem necessaria cap. 61. dicuntur, quæ etiam ornamenti loco in hac supereminenti contemplatiua vita constituuntur, & quæ cap. 62. ad rudiores edocendos, qua ratione internum sponsi thalamum pulsare quotidie valeant, allata sunt; vel hæc ipsa sunt, quæ in hac spirituali vita contemplatiua traduntur, aut certè illis ceu fundamentis immediatè superædificantur. Quod verò ad huius vitæ supereminentis opera spectat, illud vnum admonemus, quod & superius dictum est: distinguenda scilicet ea, quæ à nobis executioni fideliter, constanterq; mandanda sunt, ab ijs, quæ potius efficere in nobis Deus debet, quàm vt eorum nos causa esse existimemur: cumq; illa præstiterimus, horum, si saluti nostræ conduxerit, compotes, efficiemur, & quid illa sint; tunc experimento intelligemus. Hæc nobis, Lector optime, visa sunt adijcienda, quo facilius hoc iter aggredi possis, quamdiu meliori ductore te carere contigerit. Tu pro tua pietate nostri memor in tuis ad Deum precibus esto: ne quasi milliarius lapis alijs iter ad grandia ista monstrantes, immobiles, & insensibiles, vt fecimus hactenus, perpetuò maneamus. Roma in Conuentu Sanctæ Mariæ super Minerua die xxix. Octobris. M. D. LXXXV.

D. PETRVS BLOMEVENNA CARTHVSIANVS.

Huius sequentis Secundi Libri Mysticæ Theologiæ Interpres, candido Lectori S.D.

DIRECTORIVM Hocce, pie Lector, contemplatiuorum sub vulgari Teutonico ante aliquot annos quasi sepultũ reperi. Et cùm perpauci laici tam nobilem spiritualem materiam capere prævaleant, & rarissimè in vsum vel praxim trahere, litterati verò cum tædio vulgare idioma perlegant, & audire communiter contemnant; ego Petrus Blomeuẽna Leydensis Carthusianus, litteratorum minimus, primam huius Directorij partem in Latinam linguã vtcunq; transferre studui. Cumq; hoc nedum religiosis, sed & doctissimis atque laudabilis vitæ Sacræ Theologiæ professoribus quibusdam gratum fuisset, ita vt etiã transscribi sibi procurarent, tandem tactus tractusq; in memetipso, & aliunde admonitus, residuum, quod difficillimum erat, opitulante Deo, non sine magno labore transtuli, &, prout potui, emendaui. Materia etenim, cùm sit maximè ardua, difficultatem præbuit, & mendositas exemplarium laborem non minimum superaddidit, & in causa fuit, quòd non tam planè, clarè & emendatè traductio ipsa facta fuit. Vnde illis aliàs impressis libellis, & vsquequaque dispersis, & diuersorum statuum Christifidelibus cum magno affectu petentibus communicatis, reperto exemplari quodam Teutonico impresso, dedi operam, vt plerisque muratis, nonnullis etiam secundùm exemplar repertum correctis, planior fieret aliquantulum ipsa trãslatio, magis interdum sensum è sensu, (vt beatus Hieronymus docet,) quàm verbum è verbo (vt prius) interpretando. Fructus enim dulcissimi atque vtilissimi mihi, alijsque profuturi, facilè omnem laborẽ contemnere persuaserunt. Siquidem liber iste de suprema hominis tractat perfectione, & presentis viæ felicitate, per quam ad æternam beatitudinem citius peruenitur. Melius est autem, id est, honestius, vtilius, & delectabilius, aliquid scire, possidere, & degustare de rebus nobilissimis, (quamquam imperfectè, & cum minore certitudine,) quàm multa de rebus vilibus etiam

Materia libri sequentis.

etiam cum magna certitudine. Sapientia hic tradita, non solùm deuotissimis atque doctissimis, verùm etiam omnibus quantumcũque simplicibus bonæ voluntatis communis est, sic quòd interdum attingũt simplices deuoti, quod obtinere non prævalẽt literati. Etsi omnimodam perfectionem ac felicitatẽ hic descriptam, pauciſsimi forsan consequentur; tamen nemo est, qui vero corde accedat & non ficto, quin secundùm modum suum aut vires assequatur nobilissimum quiddã tam in illuminatione, quàm in amorosa degustatione, quod huius seculi pretio comparari non possit. Porrò ficti & curiosi & discoli in hac arte, id est sapientia, cuius magisterium sibi Spiritus sanctus reseruauit, non proficient: quia *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & subtrahet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Non* enim *in malevolam animam introibit sapientia.* Carnalibus & animalibus, qui, secundũm Apostolum, non sapiunt *quæ spiritus Dei sunt*, hæc spiritualia atque Angelica communicanda non sunt, secundùm Domini Iesu rectissimam prohibitionem, dicentis: *Nolite sanctum dare canibus; neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos.* Doctor etiam Christianissimus Iohãnes Gerson, in suo de mystica Theologia libro dicit: Sicut multis, qui clerici vel literati aut sapientes, vel Philosophi, aut Theologi nominantur, occultandus est sermo de mystica Theologia, sic plurimis illiteratis & simplicibus, fidelibus tamen, tradi potest. Beatus etiam Dionysius plerumq; obtestatur suum Timotheum, vt nullus imperitorum hæc audiat: imperitos vocans eos, qui vel non sunt fideles, vel qui tumentes iam Philosophia, maleq; viuentes, conculcant pedibus suis sordidis quicquid non sapiunt, quicquid etiam non intelligunt, canino dente lacerant. Hac autem prohibitione consulitur nedum ipsis spiritualibus, sed etiam carnalibus, ne peiores efficiantur. Sunt enim infirmi, & ideo talis cibus fit eis venenum & mors. Hinc est quod bonum illud, quod commendare & admirari debuerant, incipiunt persequi & denigrare. Verum est tamen, aliqua hic sub talibus verbis tradi, ex quibus possent eiusmodi malitię suæ velamen aliquod prætexere. Dicitur enim in hoc libro, quòd spiritus noster annihilatur, consumitur, expirat, moritur, & huiusmodi: & quòd Deus animæ coniungitur vt forma materiæ, & anima corpori, prout habetur, vbi agitur de ornatu vitæ contemplatiuæ supereminens. Et circa finem libri dicitur de spiritu nostro: Mortuus in se, & viuens in

Sapien. 1.

1. Cor. 2.

Matt. 7.

ipso lumine. Et post pauca: Efficitur idem lumen, quod recipit, scilicet eadem claritas. Et plura alia habentur, ex quibus pusillus posset scandalizari, & detrahendi occasionem sumere calumniator. Est igitur sciendū, quòd intentio Auctoris nō est, dubia exponere, aut de articulis fidei disputare, vbi summa diligentia circa proprietatem verborū, & loquendi modum requiritur, sed profunda quædā arcana, quæ contemplanti animæ eueniunt, insinuare. Ideoq; modo vtitur loquendi quasi hyperbolico, vt eorum excellentiam indicet, sciens quousq; credatur sibi. Norunt omnes, qui sacram Scripturam & Doctores legerūt, hunc scribendi modum esse vsitatissimum. Vnde Augustinus super illo verbo: *Nec ipsum arbitror mundum posse capere eos, qui scribendi sunt, libros*, dicit sic: Non spatio locorum credendum est mundum capere non posse, sed capacitate legentium comprehēdi fortasse non possent. Quamuis salua rerum fide, plerumque verba excedere videantur fidem. Quod non fit, quando aliquid quod erat obscurum vel dubium, causa & ratione reddita exponitur: seu quando id, quod apertum est, vel augetur, vel extenuatur, nec tamen à tramite significandæ veritatis erratur: quoniam sic verba rem, quæ iudicatur, excedūt, vt voluntas loquentis nec fallentis appareat, qui nouit quousq; credatur, à quo vltra quàm credendum est, vel minuitur loquendo aliquid, vel augetur. Hunc loquendi modum Græci ὑπερβολὴν vocant. Hæc Augustinus. Igitur pro aliqua & breui defensione eorum, quæ hoc in libro sub verbis dubijs traduntur, expedire videtur, vt similia ex sacra Scriptura atq; Catholicorū Patrum dictis, quæ vel piam intelligentiam requirunt, vel per hyperbolem ponuntur, assignentur. Et primò occurrit illud Psalmistæ: *Ad nihilū redactus sum, & nesciui.* Et Paulus ait: *Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Christus.* Itemque: *Mihi viuere Christus est.* Et iterum: *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est.* Et Gregorius: Nisi quis à seipso deficiat, ad eum, qui supra ipsum est: non appropinquat. Et Augustinus: Vita corporis anima est, vita animæ Deus est, &c. Item Augustinus in lib. Confessionum narrat quasi Dominū sibi dicentem: Cibus sum grandium: cresce, & manducabis me: nec tu me mutabis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Et Alanus, loquens de sapientia, ait: Hominem in Deum deificæ mutationis auctoritate conuertit. Et Dominus ad Patrem: *Vt sint vnum*, inquit, *sicut & nos vnum sumus.* Ex hoc posset hæreticus inferre: Pater & Filius sunt vnum in natura & essentia, ergo fideles erunt vnum cum Deo in essen-

Intētio Auctoris libri iequ. ntis.

Ioan. 11.

Psal. 72.
Galat 2.
Philip. 1.
1. Cor. 6.

Ioan. 17.

essentia. Deficeret tempus pariter & papyrus, si huiusmodi allegationibus insistere vellemus. Si cui placet, legat libros de itineribus æternitatis, & de septem donis Spiritus sancti, qui ascribuntur S. Bonauenturæ, in quibus materia præsentis libri (quamuis alio modo) pulcherrimè traditur, munitos per totum diuersis diuersorũ & antiquorum Doctorum auctoritatibus, & inueniet ibidem loquendi modum mirabilem. Nunc restat vt ad dubia catholica interpretatione aliquid respondeamus. Christus Dominus ait: *Ego & Pater vnum sumus.* Ioan. 10. Et tamen alibi in eodem Euangelio ait: *Pater maior me est.* Ioan. 14. Sacra Scriptura seipsam per seipsam exponit, & defendit, dum in vno loco vnam, & in alio ponit veritatẽ aliam. Sic est in proposito. Licet enim Auctor dicat spiritum annihilari, tamen in alio loco eiusdem libri dicit, manente naturali essentia. Est enim nimis stultum credere, quòd Auctor libri huius (vir doctissimus, de quo inferius aliquid referam) voluerit per talia verba superius expressa, asserere animã rationalem annullari, vel in Deũ conuerti, cùm secundum fit omnino impossibile, & primum absurdissimũ, vt videlicet cùm quis beatus fieri deberet, oporteret eum in nihilum redigi, cùm vtiq; qui non est, beatus esse nõ possit. Quomodo enim cognosceret & diligeret Deum, & frueretur eo, (in quibus beatitudo consistit) qui non esset? Igitur talia verba intelligẽda sunt de annihilatione dissimilitudinis spiritus nostri ad Deũ, & etiã propriæ actionis, à qua quodãmodo cessat spiritus noster, dum inactionem, hoc est, in quã spiritus Dei operationẽ, patitur. De qua ait Apo- Rom. 8. stolus: Qui *spiritu Dei aguntur*, hi *filij sunt Dei.* Et de annihilatione dissimilitudinis dicit Gregorius super illud Prouerbiorũ: *Verte impios, & non erunt.* Prouer. 12. Non quia omnino non erunt in essentia, sed scilicet nõ erũt in impietatis culpa. Quod autem dicit Auctor, quòd Deus animæ coniungitur sicut forma suæ materiæ, aut anima corpori, non est similitudo adæquata & propinqua, sed remota. Pro tanto verò hæc similitudo ponitur, vt quantam anima perfectionem in eo, quod Deo cõiungitur, recipiat, innuatur. Sicut enim forma est perfectio materiæ, & corpus vitã, & omne bonũ, ab anima accipit; sic Deus, per excellentissima sua dona, est perfectio animæ, & vita eius, & finale bonũ Hic etiam loquendi modus in Scripturis habetur. Vnde Paulus ad Galatas dicit: *Donec formetur Christus in vobis.* Et Ambrosius super illud: *Cùm intraret Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisæorũ Sabbatho manducare panem,* dicit sic: Nam & qui compositi nũc sumus, vnũ erimus,

& in animæ ſubſtantiam transformabimur. Quæ transformatio vtiq; intelligi non poteſt de naturali aut eſſentiali transformatione corporis in animam, ſed ſolummodo de glorificatione corporis per redundantiam gloriæ animæ glorificatæ in corpus. Ego verò illo in loco obviandum ſcandalum ſic tranſtuli: Deus animæ coniungitur quodãmodò ſicut forma, licèt (quodammodò) in Teutonico non habeatur. Et quod dicitur, anima efficitur idem lumen, quod recipit, vel quod fiat Deus, non eſt intelligendum eſſentialiter, ſed participatiuè, ſicut de ſpeculo illuminato dicitur, quòd ſit lumen, & quòd carbo ignitus ſit ignis. Chryſoſtomus etiam de S. Paulo dicit: Vt miſſum in igne ferrũ totam profectò ignis efficitur, ſic Paulus charitate ſuccenſus, effectus totus eſt charitas, cùm tamen ſolus *Deus charitas* ſit. In Pſalmo quoque dicitur: *Ego dixi, Dij eſtis*. Hæc ad tollendum ſcandalum dicta ſufficiant, cùm Prologus nõ ſuſtineat declarationem prolixiorem, ſed lector beneuolus ſit, & inueniet quòd propter pauca quædã verba in hoc libro per hyperbolen dicta, non eſt hic liber reijciendus, ſed ipſa verba ſunt catholica interpretatione intelligẽda, cùm oſtenſum ſit, quòd Scriptura & dicta Sanctorum huiuſcemodi verbis ſunt plena. De hoc verò quod dicitur, in conſurrectione vitæ ſpiritualis contemplatiuæ, quò ad vires animæ inferiores, quòd videlicet fiunt mirabiles mutationes in homine contemplatiuo, nemo dubitet. Ego vidi innumeris vicibus, imò ferè quotidie, immutationem totius hominis exterioris fieri in quodam fratre talem, qualem nunquam credidiſſem, niſi vidiſſem. Hoc dico, non eſt multũ mirabile, ſi corpus mutetur, dum anima tantã patitur permutationẽ, cùm experientia doceat, quòd paſſionata anima quacunque paſſione, puta ira, odio, gaudio, & cæteris, ſtatim corpus conſpicuè alteratur: In vita Sanctæ Catharinæ Senenſis, de hac immutatione corporis mira leguntur.

1 Ioan. 4. Pſal. 81.

Methodus ſuccincta in vitam internam & contemplatiuam: qua cognita facilior in ſequentes libros captus pio Lectori præſtabitur, eiuſdem Interpretis.

SEd ne terrorem inexpertis, & adhuc fortè carnalibus incredulitatem res iſta excellentiſsima incutiat & deſperationem; volo aliqualem viam demonſtrare, perquam poſsint in via contemplatiuæ vitæ inchoare ambulare: quam cùm ingreſsi fuerint, reperiant modo meliores, ſecundùm quod eos Spiritus ſanctus docere dignabitur. Plu-

res enim audientes de vitæ contemplatiuæ iucunditate & perfectione, ambulare gestiunt: & ignorantes omnino quid sit vita contemplatiua, inanes remanent: & narrantes alijs qualiter soli sederint, & tamen contemplando nihil viderint, audientes in risum conuertunt: & propter hoc vitam contemplatiuam dimittunt. Est etiam alia causa, quia si bene inchoant & sapienter, non tamen perseuerat, eò quòd ipsis gratia in principio non arridet, vel etiam propter laborem mortificandi seipsos, &c. Quicunque verò (quantumcunque hebes & indoctus) fecerit quod monetur pro præparatione facere, aliquid recipiet secundùm modum suum, quod nobilius erit omnibus rebus transitorijs. Veruntamẽ bene vtẽtibus multũ prodest perspicacitas ingenij, & lectio sacræ Scripturæ atque Doctorum. Pro simplicibus ergo & ignorantibus hæc mihi videtur formula congruere, vt scilicet volens contemplari, oculos interiores aperiat, & credat Deum esse spiritum, & vitæ intellectualis, & infinitæ maiestatis, & sine comparatione omnẽ præcellere creaturã. Sciat quoque quòd Deus seipsum solus comprehendat, plenissimè seipsum cognoscendo, diligendo, & fruendo. Et quia infinitus est Deus, sapientia sua infinita est & amor & gaudium. Hoc est etiam sciendum, quòd nulla est in Deo commutabilitas, & nullum accidens: sed quicquid de Deo dicitur, aut in Deo est, hoc est ipsemet Deus: Non enim accipit esse aliunde, sed ipse est sua essentia & suum esse. Ideoque nunquam potest Deus esse in potentia ad intelligendi actum aut diligendi, sed est vnicus perpetuus actus. In quo actu necessariò procedit vnicus perpetuus conceptus diuinæ mẽtis, qui dicitur Verbum, aut Filius Dei, nihil aliud existẽs, quàm Deus immensæ maiestatis. Veruntamen procedit à Deo intelligente seipsum in seipso, & hæc processio, generatio appellatur, & Verbum sic procedens, Filius, eò quòd de ratione filiationis sit, quòd viuẽs procedat à viuente secundùm rationem similitudinis in identitate naturæ. Non tamen est Verbum aliud esse, vel substantia, vel natura, quàm est ille, à quo procedit: sed in hoc solùm differt, quod scilicet procedit. Deus enim vnico actu intelligendo seipsum & omnia perfectissimè, naturali necessitate (nõ autem necessitate coactiõis) producit hoc Verbum, communicans illi omnia sua, eò quòd intelligere diuinum sit natura diuina. Vnde quicquid est: in illo actu intelligendi, est necessariò de natura & substantia diuina, aliàs esset actus ille imperfectus. Verùm Deus intelligendo non procedit. Verbum autem mentis suæ ab eo procedit: &

Formula contemplatiuæ vitæ.

Deus.

Verbum.

hoc ſecundùm rationem ſimilitudinis, quod nulli eſt communicabile: idcirco eſt perſona diſtincta. Eſſe enim incommunicabilem, perſonam diſtinctam facit in natura intellectuali. Eſt ergo Verbum Dei, perſona diſtincta ab eo, à quo procedit vel generatur: quia illi generari, aut procedere ab alio, cõpetere nunquam poteſt. Et ſicut Verbum dicitur Filius, ita ille à quo generatur, & ad quẽ refertur, dicitur, & eſt Pater. Quia verò Deus eſt bonum & amabile infinitum, in eo, quòd ſeipſum perfectè cognoſcit, procedit per ſimilitudinẽ amoroſæ inclinationis, ſecundùm modum voluntatis, amor, & Spiritus ſanctus appellatur: qui amor, aut quæ amoroſa inclinatio (vt ita loquar) in Deũ, non eſt ibi accidens, ſed eadem ſubſtantia & eſſentia cum Patre & Filio: quia Deus eſt perpetua, ſubſtantialis, & gaudioſa ſuijpſius fruitio. Vnde nihil eſt aliud quam Pater & Filius: ſed quia ab vtraq; perſona procedit, quod nõ eſt illis communicabile, propterea eſt etiã perſona diſtincta. Quapropter ſancta Trinitas non eſt niſi vnus ſpiritus intellectualis vel ſuperintellectualis, intelligens & amãs in actu incommutabiliter. In quo actu eſt aliquis generans, & ſpirans; non tamen generatus, nec ſpiratus: & aliquis generatus, & ſpirans: non tamen generans, neq; ſpiratus: & aliquis nec generans, nec generatus, nec ſpirans, ſed ſpiratus. Sic tamen hæc omnia ſunt vnum, quod tota Trinitas non eſt niſi ſimpliciſſima vnitas: quia ſic vnicuique perſonæ conuenit ſua proprietas, vt tamẽ quicquid eſt vna, hoc ſit & alia. Quia verò delectatio ex coniunctione boni cõuenientis cogniti oritur, & ſumma delectatio ex cõiunctione ſummi boni, quæ cõiunctio ſi inamiſſibiliter fiat, eſt beatitudo: hinc colligitur, quòd Deus eſt ſibijpſi beatitudo infinita. Eſt enim Deus, bonum delectabile, infinitum, & vnitum ſibijpſi permaximè, & perpetuè, quia non eſt niſi vnicus actus. Vnitus autem eſt Deus ſibijpſi per amorem proportionatum, ſcilicet infinitum, ex quo reſultat gaudium infinitum: aliàs amor eſſet imperfectus, ſi non correſpõderet tali amabili, atq; fruibili. Quia verò ad imaginẽ Dei homo conditus eſt, poteſt hæc quis in ſeipſo aduertere. Quando enim intellectus noſter reflectit ſe ſuper ſẽ, concipit verbum mentis de ſeipſo actualiter intelligente, & ſe cognoſcendo diligit gaudioſè. Sed imperfecta eſt noſtra cognitio etiã in minimis rebus, nec plura ſimul cognoſcimus, & verbum noſtrum citò corrumpitur. Amor etiam noſter valde vilis eſt, & gaudium modicum, & mixtum, &c. In contemplatione verò incipit ſpiritus noſter ab illa infinita ſapientia in hac vita illuminari,

Proceſſio in diuinis.

Delectatio in diuinis.

Animu rationalis.

nari, & ab illo immenso nobilissimo amore inflammari, & verũ gaudium prægustare, & sic renouari, & nobilitari, donec ad illã plenitudinem Dei post hanc vitam perueniat, vbi replebimur in omnib⁹ bonis, sed non comprehendemus, eò quòd Deus bonum sit infinitum, ad quod finietas nostra nullã habet comparationẽ. Præfatas verò illuminationem, & dilectionis inflammationem, atque futuræ beatitudinis prægustationem totis viribus optare debemus, vt ad veram atq; perfectam beatitudinem dignè præparemur. Verum, necesse est quòd homo disponat se vt talia percipere dona valeat & mereatur: quod fit per mortificationes, & exercitia, & cætera, quæ in hoc libro, & cõsimilibus traduntur. Qui verò se mortificare nolunt, & exercitare non norunt, aut certè in speculatiuis scientijs gloriantur, & hanc mysticam sapientiam ignorant, vitam contemplatiuam apprehendere nõ possunt. Sciendum præterea, quòd non solùm seipsum Deus perfectè, & immutabiliter cognoscit, diligit, atque perfruitur, sed cognoscit etiam omnia in seipso plenissimè: *qui vocat ea quæ non sunt*, nec fuerunt, nec erunt, *tanquam ea quæ sunt*. Dicit Psalmista: *Non est similis tui in dijs Domine*. Si esset aliquid quod Deus nesciret, etiam quantumcunq; minimum, vel quod ab eo non esset conditum, esset vtiq; aliquid Deo simile, scilicet quod illud sine Deo sciret, aut sine Deo produxisset. Et sic Deo dici posset: Multa quidem scis, & produxisti, sed tamen illud te latet, aut illud à te non est. Sunt ergo omnia à Deo cognita, & producta, in quẽ nulla cadit imperfectio. Omnes arenas, & pluuiæ guttas, & omnes cogitationes, & intentiones cordium, & omnia minima & maxima, vilissima quoque, ac nobilissima perfectissimè considerat à seculo, & in seculum, nec vnquam obliuiscitur. Et omnia gubernat sine solicitudine, & labore, semper & vbique totus præsens per essentiam, præsentiam, atq; potentiam. Nouit etiam omnes respectus, & comparationes creaturarum. Capiatur vnus lapis: hic respectũ habet ad omnes & singulas creaturas, scilicet ad omnes & singulas arenas, stellas, guttas, &c. mutato lapide parum, statim sunt omnes respectus mutati, hos omnes sine labore nouit Deus. Cogitet vnusquisq; penes se hæc & alia innumerabilia, & inueniet quod de Deo dignè miretur. Post hæc generalia homo ad se reuertatur, & fidei oculis videat, quòd summa intelligentia, scilicet Deus, in ipsum oculos suos dirigat, quòd omnes cogitatiões & intẽtiones cordis sui; verba pariter, & facta; totam animã, & corpus penetrando consideret. Et ex prædictis omnibus concipiat imaginem

Perfectio Dei.

Rom. 4. Psal. 85.

Præsentia Dei in anima.

Dei, tanquam cõtinuè eum attendentis. Et hanc considerationẽ frequentet,& cogiter,vel etiã ore promat,cum reuerẽtia & timore dicẽs: Dominus videt me. Cõcipiat ergo propositum in animo suo,quod velit illi summo Domino vniuersorũ,reuerẽdissimo,optimo, amorosissimo,& amabilissimo,ac benefactori maximo cõplacere, & inuenire gratiã in oculis eius,dicendo:O vtinã in oculis summi Dei gratiã inuenire possem.O vtinã illi placerẽ. O vtinã puro corde diligerem eum, & cætera huiusmodi innumerabilia. In tertia persona iaculatoria hæc formet,quæ postmodum in secunda persona fient, dum se in Domini familiaritatẽ senserit admissum.Faciet etiam semel in die breuem,vel longam recollectionẽ,prout vnctio docebit,& secundùm quod tempus permiserit,in quiete,aut in labore manuũ:tamen difficilius fit huiusmodi in labore: & concepta in mente diuina præsentia, quod consuetudine facillimũ est,cõposito quasi quodã fasciculo principaliũ beneficiorũ, scilicet creationis, redemptionis, conseruationis, promissæ glorificationis,& similiũ,Deo pro his gratias agat. Postea de peccatis (in generali propositis)doleat & veniã deprecetur. Deinde gratiã petat,& illuminationẽ,& pœnitentiã,atq; in virtutibus profectũ, &c. & studeat se in præsentia Domini, eius sanctissimæ voluntati conformare corde non ficto,quia Deus intuetur cor, sed & corde hanc recollectionem facere debet,& nõ ore. Habeat firmissimum propositũ nunquã peccãdi, nec venialiter quidem ex proposito,ac deliberatione; sed potius doleat de eis sicut de verè,& purè malis. Insuper cõsilia saniora,& quæcunq; ad perfectionẽ perducũt, præeligat in præsentia Domini,& omne beneplacitũ Domini proponat pro posse velle adimplere. Quòd si natura immortificata reluctata fuerit, ratione cõtradicatẽ idẽ quantum potest,& Domini auxiliũ poscat humiliter. Cõfundatur quoq; in præsentia Domini,quòd sanctũ suum beneplacitũ non diligit toto corde,& quòd propositũ suum, scilicet velle diuinũ beneplacitũ perficere, nõ seruat propter alia trãsitoria,quæ magis diligit.Sic cõtemplatio sua incipiet (iuxta consiliũ Bernardi super Cãtica) à suijpsius notitia, dum scilicet considerabit, q̃ immortificatus sit, quàm ingratus, q̃ tepidus, quàm carnalis,quàm vilis in anima & in corpore,displicere incipiet sibijpsi,&c.Simpliciores autẽ,& qui exercitatos necdum habent sensus, possent hoc,aut simili modo incipere: Omnipotens sempiterne Deus, conditor cæli & terræ,vniuersorum Dominus,& cõseruator moderatorq̃; omniũ infallibilis,quẽ nulla latet cogitatio, qui me ad imaginẽ & simi-

Collectio mentis in beneficijs Dei.

Contẽplatio ad Patrem.

& similitudine tua creasti, & ad præsens tempus in esse tam nobili conseruans, per vnigenitum Filium tuum laboriosissimè ex mera charitate liberasti, ad agnitionem benedicti nominis tui, & ad tam sanctam religionem, & dignitatem, scilicet sacerdotij, peruenire fecisti, à multis animæ & corporis malis & periculis atque tribulationibus, ab innumeris quoque peccatis peccatorumq; voraginibus, & à damnatione perpetua sæpissimè liberasti, & ad æternam beatitudinem elegisti, prout me cõfidere de tua misericordia fecisti. Pro his, & innumeris alijs bonis, quæ operatus, & operaturus es in me, & in omni creatura, tibi sit honor & gloria, gratiarum actio, cordiale seruitium, castus timor, & syncera dilectio in omnia secula, Amen. Optime Domine fac me tandem esse gratum, & pessimis ingratitudinibus, & peccatis meis infinitis, tibi (non mihi) perfectè cognitis, clementer ignosce. Vince malitiam meam clementia tua. Dona mihi humilem, & discretam recognitionem, veram pœnitentiam, & emendationem. Fac me amplius te nunquam offendere sed amicitiam tuam prædulcissimam, & gratiam tuam pretiosissimam, affectuosissimè diligere, studiosissimè requirere, statum inuenire, cum perseuerantia per tuam infinitam dignationem, & misericordiam. Fortifica me in anima & corpore ad seruiendum tibi. Fac me debitè vti creaturis, & sobriè tantummodò pro tui nominis gloria.

Ad Filium. & Spiritum sanctum.

Pijssime Iesu tibi & sancto Spiritui gratiarũ actiones refero æqualiter, sicut æterno Patri. Qui voluisti de eodem Spiritu sancto concipi, nasci de purissima Virgine MARIA, & homo fieri. Quid tantæ charitati, & misericordiæ rependam? Quid mortali vitæ, & pœnitentiæ, quam pro nobis exhibuisti, & quòd te totum nobis impendisti, scilicet te ipsum tam gratiosum, & virtuosum, ac glorioſum exhibendo in familiari conuersatione cum hominibus, maximè pauperibus atq; simplicibus, in exemplari vita omnis perfectionis, in dulcissima prædicatione regni Dei, & gloriosissimorum miraculorum ostensione? Quid obsecro benignissime Iesu, & verissime amator, reddam pro persecutionibus, insidijs, tristitijs, sanguineo sudore, derelictione, captione, iniurijs totius noctis, nudatione, flagellatione, coronatione, crucifixione, tormentis crucis, crudeli morte, & tanta charitate, atq; dulcissima affectione, nec non & pro tam suaui spiritualis corporis & sanguinis tui refectione? Gratias ago quantum valeo optime Domine, & rogo fac me participem omnium meritorũ, & bonorũ tuorum, & fac

me gratum existere,& redamare,ac vicem rependere. Et rogo vt circa hoc reuerendissimum Eucharistiæ Sacramentum indignitati meæ,vilitati,irreuerentijs,& negligentijs meis clemẽter ignoscas. Et pijssime Iesu,tu qui es æterna Patris sapientia, doce me sapientiam, vt tu solus mihi sapias,& alia omnia desipiant,prudentiam, recta consilia, discretionem in conscientia mea, & sancto seruitio tuo. Fac me strenuum, adiuua me contra pusillanimitatẽ, errores,phantasias,scrupulositates, aperi mihi intellectũ in sacra Scriptura,non pro curiositate sed pro vera sapientia,& charitate tua conquirendis.Fac me intelligere beneplacitum tuum,& gaudiosè adimplere. Fac me reuerenter stare in oculis tuis,& sicut oportet. Libera me à cura,& solicitudine aliorũ,vt valeam tibi magis placere,& ad te sẽcurius, & citius peruenire. Cõforma me tibi in moribus,dona modestiam,humilitatem, obedientiam, patientiam,sobrietatem,castitatem,paupertatem , & quæcunque sunt ad statum meum necessaria. Benignissime Domine, viuifica me, vt odio habeam quæ odis,& diligam quæ diligis. Fac me fortiter in virtutibus proficere. Confirma me in sancta fide catholica debitè intellecta, in certa spe vt innitar super te:& fac me bene de te sentire, & dona mihi tui fiduciam.Dona mihi semper te colere pura mente & secura cõscientia,te castè reuereri atque diligere, ardenti affectu ad te anhelare, à te nunquam separari,sed citius ad te peruenire. Occide omnes carnales & seculares ac creaturales affectiones in me Et fac me filium gratiæ & gloriæ tuæ pro tua dignitate, & maxima liberalitate. Te vnice Domine Deus trinum in personis confiteor, Patrem,& Filium,& Spiritum sanctum,& vnum in essentia. Et tibi Domino Deo meo, ex cuius bonitate,& in cuius potestate omnia subsistunt, quem nihil latet, qui præsens es,& cor meum nunc & semper intueris, me totum commendo,& te secundùm quod in teipso es, suppliciter veneror, & adoro, subdendo me optabilissimo beneplacito tuo iugiter.Hic debet voluntas plenè manere Deo subiecta sine vlla cunctatione, aut retractatione. Paratur tamen hic laqueus indiscretionis, scilicet quòd quandoque quis putat necessarium sibi, vt in aliquo resignet se,in quo tamẽ nõ oportet,vel non expedit: & istud frustra, seu irrationabiliter impedit animi libertatem,& gustum diuinum,prout etiam supra tactũ fuit.Quia si repugnauerit animus, quando meritò se deberet resignare,scilicet tenendo in se quod non valet ita promptè,& gaudiosè propter Deum dimittere, hoc vtique tollet omne gaudium spirituale in

Trinitas.

Laqueus cauendus.

ista cor-

ista cordis effusione. Debet ergo te homo ponere contra se, auxilium Domini implorare, nec desistere donec vincat semetipsum. Ad hanc victoriam obtinendam multum valet assumere vigorem animi, & etiam propositum firmum, scilicet velle nedum omnia peccata siue mortalia siue venialia relinquere, & Domini præcepta seruare, sed etiam omne beneplacitum eius adimplere pro posse. Considerare etiam debet Dominum Deum suum esse præsentem, & considerantem expectantemque victoriam, quam coronet. Aduersarium etiam suum aduertere debet qualiter conetur, vt eum deijcere possit à sancto proposito, & dignè deridere. Confundi etiam debet animus in se propter teporem suum, & vires assumere. Impacabilis sit sibi hæc pugna, nec tædio vincatur, si statim victoriam non obtinuerit, vel cælestis cõsolatio non arriserit: sed cogitet, & omnino confidat, quia nõ erit inanis labor eius. Purgatur interim animus, vt cælestis dulcedinis capax fiat: & exercitatur, vt firmius teneat, quod per laborem postea recepe- Effusio cordis.
rit. In ista effusione exhibita sanctissimæ Trinitati, & in hac adoratione latriæ dicitur potissimè effundi, & relinqui potius, quàm in præcedentibus effusionibus exhibitis singulis personis: quia illæ fiunt per modum petitionum, quibus quis gratiam, vel donum aliquod impetrare nititur, per quod se diuinæ valeat voluntati cõformare: ista verò fit per modum plenariæ iam oblationis suiipsius, & perfectæ resignationis, & quasi iam adeptæ reformationis, & cõformationis quò ad omnia. Quia tamen omnes *iustitiæ nostræ* sunt *quasi pannus menstruatæ*, Isaiæ 64.
& omnia bona nostra permixta sunt multis imperfectionibus, (nobis etiam sæpe incognitis,) ideo facta prædicta effusione etiam quantumcunque deuotè, humiliato corde veniam deprecetur, his & similibus verbis, corde & non ore: Ignosce optime Domine imperfectionibus meis, &c. & dignare mihi donare veram effusionem cordis, & reformationem, & doce me colere, & diligere te in veritate. Tunc in feruore spiritus aliorum etiam memor sit mentaliter loquẽdo Deo: Miserere optime Domine omnibus, quos infinitæ tuæ bonitati specialiter consueui committere, & pro quibus teneor specialiter orare, & quos bonorum meorum spiritualium participes feci: & viuis, & defunctis vniuersis, qui possunt esse participes gratiæ tuæ. Miserere hæreditati tuæ pretiosissimo sanguine redẽptæ, Ordini nostro, domui nostræ, illi causæ, atq; afflictis. De his cõscripsi Tractatũ de effusiõe cordis, vbi latius hæc declarantur: hîc autem tantillum tetigisse sufficiat. Quãuis

verò ad Prologum hæc non pertineant, tamen hæc omnia percurrere dignum duxi, ne incipientes velle contemplari, & ingressum non inuenientes ignotæ viæ, totaliter recedant: & ne ingredientes idola in corde suo de Deo fabricent, quasi tres homines, pro tribus personis, & vnam horum naturam pro vno Deo, aut aliquid tale ridiculum cogitent. Sciant autem qui (sicut præmissum est) de diuina præsentia, & qualicunque proposito mortificandi se, & proficiendi in diuino beneplacito exercitare se voluerint, quòd paulatim videre incipient, quæ nunquam viderunt, non tamen corporalia, sed spiritualia, & gustare quàm *suauis est Dominus*, & cætera, quæ in hoc libro traduntur, experiri, secundùm vniuscuiusque capacitatem, si tamen perseuerauerint, & affectum in opus perduxerint. Multæ occasiones occurrẽt retrahentes à proposito, & cogitationes suggerent, quòd contemplatio amissio sit temporis, cùm tamen nunquam vtilius tempus expendatur, & quòd destructio sit capitis. Verùm quilibet considerare debet statũ suum, & vires pensare, & tota diligentia discretionem seruare. Aliàs non poterit perseuerare. Quando enim diabolus aliquem à bono retrahere non potest, tunc fraudulenter bonam voluntatem iuuat, & ad meliora impellit, vt sic talis periculosius * currat, quàm si feruens nõ esset. Vnde etiam nonnulli in furiam vertuntur, qui difficulter interdum totaliter curantur. Tria autem sunt quæ ad amentiam inducunt, scilicet nimia scrupulositas, indiscreta corporis austeritas, præsertim in subtractione somni, & cibi, & ipsius intellectus nimia curiositas in intelligendo, ratiocinando, &c. Cùm autẽ Deus dat dona sua prout vult, nec omnes vult esse æquales, vires suas, & mensuram propriam vnusquisque pensare iubetur, ne supra quam potest se extendendo, risui pateat, & potius stultus fiat, quàm contemplatiuus, aut sanctus. Non omnes possumus, quod Iohannes Baptista, aut Apostoli, aut Anthonius, &c. Beatus quippe Gregorius dicit, quòd quidam apti sunt ad vitam contemplatiuam, alij ad actiuam: qui si ad cõtrariam vitam applicantur, destruuntur. Hoc autem intelligendum est, quando totaliter applicantur ad vitam sibi penitus disconuenientem. Quia qui in his, in quibus nullum periculum est, se exercitauerit, scilicet in mortificatione apertorum peccatorum: & defectuum, & in profectu verarum virtutum, quod totum ad actiuam vitam pertinet, & in amorosa eleuatione mentis in Deum, inueniet vtiq; secundùm modulum suũ de contemplatiua vita, quod contentabitur, nec à Deo suo vacuus redibit.

Psal. 33.

*corruat.

Amentiam inducant quænam.

bit. Nemo facilè singularem se exhibeat, aut reuelationibus credat, nisi sit omnino certus, quòd à Deo trahatur & illuminetur. Ibi necessaria est discretio spirituum.

Sciendum vltimò, quòd cuiuscunque scientiæ, speculatiuæ videlicet, aut practicæ, aut etiam artis aliquis fuerit, si sciuerit simplificare mentem suam in præsentia Domini, poterit semper contemplari. Omnia quippe in cognitionem & amorem Dei ducunt, etiam in quocunque loco & tempore occurrentia. Sic Christus Dominus fuit viator & comprehensor, & *Angeli, qui sunt ministratorij spiritus*, quantumcunque transitoria dispensant, nunquam tamen ab intimis recedunt. Hos pro modulo nostro imitari possumus, diuina nos gratia adiuuante, vt in omnibus, & per omnia, quæ videmus, aut tractamus, in Deum amorosè ducamur. Vnde Gregorius in sexto Moralium: Si vigilanter, inquit, exteriora conspicimus, per ipsa eadem ad interiora reuocamur. Vestigia quippe Creatoris nostri sunt mira opera visibilis creaturæ. Tamen in hoc perfectos, magis terrestres Angelos, quàm homines dixerim. Porrò Auctor huius libri fuit frater Henricus Herp, Ordinis Fratrum minorum de Obseruantia, quondam Guardianus in Mechlinia. Hic cuidam viduæ benefactrici eiusdem Ordinis, filiæ confessionis hunc librũ in vulgari suo, id est, Teutonico tradidit, prout Patres infra scripti mihi dixerunt. Inter cætera verò Latina opuscula sua quendam egregium librum conscripsit, quem Eden, siue Paradisum contemplatiuorum intitulauit, qui sic incipit: Amice, ascende superius. Et habet totus liber ille Sermones triginta vnum eiusdem thematis, in quo egregiè agit de omnibus, quæ tractãtur in libro isto, sed multò diffusius. Mortificationes verò ibidem ordinatè non ponũtur, sicut in isto libro: sed sparsim in diuersis locis aliqua de ipsis tangũtur. Et ideo, quò ad simplices, hic liber vtilior apparet: quia ad mortificationes, & actiuam vitam, atque spiritualem contemplatiuam, quò ad vires animæ inferiores, plures attingere prævalent, quæ hic latius declarantur, quàm quò ad vires superiores, aut ad viram contemplatiuam supereminentem, quæ hic succinctim traduntur: ad longum autem in præfato libro tractantur. In transferendo frequẽter oculos habui ad librum Latinum prædictum, quem Eden contemplatiuorum appellari iam dixi: & plura ex illo in istum de verbo ad verbum posui, vbi vtrumq; per omnia cõcordare reperi, quod etiam iam amplius seruatum est. Multas etiam proprias dictiones Latinas Teu-

Hebr. 1.

Auctor horum librorum quis.

Eden.

tonicis aptas inueni in ipso Latino libro, quas per meipsum forsan nõ inuenissem: quapropter non potest facilè hic liber iterum corrigi, nisi Latinus præfatus liber adsit & legatur. Auctoritates insuper allegatas interdum prout Teutonicum sonuit, transtuli: interdum verò, vt in Scripturis, aut Doctoribus habentur, cùm scilicet ipsas inuenire in originalibus potui, adijciendo etiam nomen libri, seu auctoris. Habui in seculo duos Confessores, Patres venerabilis Ordinis Minorum de Obseruantia, qui præfati Patris Henrici discipuli fuerũt, & mira quidem mihi de eodem retulerunt. Inter cætera dixerunt mihi, quòd interdum in Missa ad quinque, aut sex horas stare consueuit totus præsudoribus madidus, etiam in vestibus; Veruntamen talem singularitatem postmodum dimisit, eò quòd diabolum se decipere volẽtem aduerterit. Diuiditur autem hic Liber secundus in quinque partes principales. In prima: agitur de 12. mortificationibus: in secunda de vita actiua: in tertia de vita spirituali contemplatiua: in quarta verò de supereminenti contemplatiua vita. Et vnicuique assignatur præparatio, ornatus, & consurrectio, vt patet in singulis. Veruntamen in vita spirituali contemplatiua est triplex consurrectio, scilicet quò ad vires animæ inferiores, & quò ad vires superiores, & quò ad vnitatem supereminentem animæ. Quinta pars est quasi præcedentium epitome, per tres collationes summam paucis complectens. Qui autem mortificationes legit, potest statim legere nouẽ resignationis gradus valde notabiles, qui ponuntur in præparatione vitæ contemplatiuæ supereminentis. Quia verò modica est scientia nostra, & vident oculi, quod nõ videt oculus, cùm dissensionis, aut erroris auctores esse nolumus, hunc librum & translationem eius pro venerabili Auctore eius, & pro meipso, correctioni sanctæ matris Ecclesiæ, & omnium melius sentientium libenter submitto. Quòd autem ipse Auctor se submittat, patet in ipso libro, vbi commendat eos, qui se obedientiæ sanctæ matris Ecclesiæ submittunt.

Introductionis in vitam contemplatiuam Interpretis
FINIS.

D. HEN-

D. HENRICI HARPHII, THEOLOGI PROFVNDISSIMI, ORTHODOXAQVE PIETATE præstantissimi, in mysticæ Theologiæ librum secundum.

PRAEFATIO.

GRATIA Domini nostri Iesu Christi charitas Patris, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus nobis. Amen. In Christo dilecta filia, vt satisfiat secūdùm posse meum, ingenti humili ac deuoto tuo desiderio, quo multipliciter optasti accipere à me doctrinam breuem & instructionem, quomodo quis peruenire possit ad veram, perfectam vitam, qua aliquis Deo simillimus, & in spiritu vnitissimus effici possit. scias duo ad hoc principaliter esse necessaria. Vnum est perfecta mortificatio, & separatio ab omnibus rebus, quæ possent aliquod impedimētum præstare, quò minus Deo appropinquare, & ipsi vniri possimus. Alterum, quòd oportet nos habere notitiam, quomodo acquirere debeamus amorosam permanentem vnionem inter Deum, & vires animæ nostræ. Prosequendo ergo primum, scias quòd oportet esse in nobis perfectam mortificationem, præcipuè in duodecim. Primò, mortificationem omnium affectuum erga res temporales. Secundò, omnium affectuum propriæ quæsitionis in agendo quælibet opera virtuosa, & in dimittendo mala. Tertiò, omniū affectuum propriæ sensualitatis. Quartò, omni-

sum affectuum amoris sensualis, naturalis, & acquisiti. Quintò, omnium affectuum erga cogitationes, & imagines rerum creatarum. Sextò, omnis curæ, quæ non est de insta necessitate, propter spiritualem vtilitatem, vel propter obedientiam. Septimò, omnis amaritudinis cordis. Octauò, omnium affectuum vanæ gloriæ, & propriæ complacentiæ, honoris mundani, & superbiæ. Nonò, omnium affectuum, oblectationem internarum, spiritualium, vel sensualium. Decimò, omnis scrupulositatis cordis. Vndecimò, omnis inquietudinis, & impatientiæ cordis in omni exteriori aduersitate. Duodecimò, oportet fieri mortificationem omnis propriæ voluntatis, in totali voluntaria resignatione ad omnem internam derelictionem sufferendam propter amorem Dei. Istæ sunt duodecim portæ spiritualis Paradisi cordis nostri, quod est Paradisus deliciarum Dei, quemadmodum ipsemet locutus est: Deliciæ meæ *sunt* esse cum filijs hominum. Prouer. 8.

Quæ portæ, *sicut Iohannes in Apocalypsi ait, constructæ sunt* ex singulis margaritis *virtutum, quibus anima reformatur, ita vt inferiores hominis vires non præpediant superiores, quin fluire valeant ad Deum, & in Deum.* Apoc. 21.

THEO-

THEOLOGIAE MYSTICÆ

LIBRI SECVNDI,

QVI DIRECTORIVM AVREVM CONTEMplatiuorum inscribitur, PARS PRIMA, complectens in se mortificationes duodecim.

De omnium rerum temporalium contemptu, & de tribus paupertatis gradibus. Cap. I.

PRIMA est mortificatio omnium affectuum rerum temporaliũ. Hic quæri posset, vtrum ad statum perfectionis sit necessarium, facere votum volũtariæ paupertatis, & resignationem rerum temporalium, cùm Dominus noster dicat in Euangelio: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* Ad hoc respõdet S. Thomas de Aquino, quòd perfectio non consistit essentialiter in paupertate siue in tribus votis, sed in sequela Christi secundùm interiores virtutes. Sed voluntaria paupertas & alia vota sunt instrumenta, adiumenta, & exercitia melius velociusq; peruenièdi ad perfectionem. Paupertas enim deponit impedimentum, quod in rebus temporalibus est, puta solicitudinẽ, & amorem earundem rerum, & superbiam, quæ ex ipsis oritur & nascitur, sicut de panno tinea. Veruntamen peruenìri potest ad perfectionem sine his tribus votis: quia Abraham perfectus erat, qui tamen diues erat, & habebat vxorem. Similiter omnes Episcopi sunt in statu perfectiori, quàm quicunque Religiosi, & tamen habent bona propria: & intelligitur istud etiam de alijs votis. Ex quibus verbis duo sunt notanda: Primum est, quòd qui omnia bona sua perfectè resignare valet quieto corde in Dei beneplacitum, siue ea ab eo auferat, siue conseruet, nec illis vti vult nisi ad suam necessitatẽ, & maiorem honorem Dei atque beneplacitum eius secundùm omnem suum

Matth. 19.

Vota religionis.

Paupertas quid.

Paupertas vera quæ.

intellectum, ac consideratis statu suo, conditione, natura, alijsq; punctis in hoc considerandis, si sciret Deo magis placere, vt omnia sua vēderet, daretque pauperibus, ad hoc paratus esset, ille habet perfectè voluntariam paupertatem. Quia Deus nō desiderat in tantum exteriorē temporalium rerum paupertatem, quantum interiorem in abstractione affectuum, & occupationum: quia hæc est essentia, & forma veræ paupertatis. De qua dicit Paulus: *Nihil habentes,* (scilicet in affectu,) 2. Cor. 6. *& omnia possidentes.* Et hoc fit, quando adeò liberi ab omnibus rebus temporalibus sumus, quòd si nobis (permissione diuina ad probandum nos) auferrentur, voluntatem nostram liberè nihilominus valeremus conformare voluntati Dei. Et esto quòd fragilitas naturæ parum in illo recalcitraret, quia homines sumus, secundùm hoc tamen Deus nos non iudicaret, dummodò deliberata voluntas rationis se paratam præstaret ad illud, & quieta in hoc permaneret, dicens cum Iob. 1. Iob: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factū est: sit nomen Domini benedictum.* Ista est essentialis paupertas, quam omnes electi perfecti quærere debent, & appetere, quò melius cor suum imperturbatum, quietum, ac nudū Deo semper offerre valeant. Et si huiuscemodi homines regnum possiderent, tamen veri voluntarij pauperes essent. Et licèt quandoq; sentiant in inferioribus ac bestialibus viribus oblectationē aliquam in prosperis, vel tristitiā in aduersis, hoc tamen non minuit perfectionem, dummodò in deliberata voluntate rationis se liberè resignent diuino beneplacito, & in superiori ratione quieti perseuerent. Secundò, ex his verbis notandum est, quòd illi, qui voluntariam paupertatem cum alijs votis vouerunt, propter hoc non sunt perfecti, sed obligauerunt se secundùm posse suū tendere ad perfectionem. Sunt autē notandi tres gradus voluntariæ paupertatis.

Paupertas professionis. Primus est paupertas professionis, vt est nihil proprium possidere: quæ paupertas valde imperfecta est, quando trahitur ad solam exterioris boni possessionem. Nam multi id quod non habent, eò auidius affectant, sicut superfluitatem comedendi, & bibendi, curiositatem vestium, & his similia. Affectus enim paupertatis est principale voti, & virtutis: propterea non sunt ipsi *pauperes spiritu,* hoc est, voluntate coram Deo, sed tantùm coram hominibus. Consequenter id teneas pro regula, quòd quocunq; vtuntur, etiam in necessitate naturæ, in vestibus, peplis, & huiusmodi si id possident cum affectu cordis, vt quasi vltimum finem constituant in his rebus, ita quòd si hoc ab eis per superio-

Canon.

periores suos auferretur, malè contentarentur, imò & murmurarent: hoc coram Deo cum proprietate possident, oportebitque eos de illo magnam rationem reddere.

Secundus gradus est paupertas vsus temporalium rerum, eorum scilicet qui nihil desiderant, nisi quod est eis de iusta necessitate; doluntque de superfluis, curiosis, & pretiosis. Isti in hoc laudabiles sunt, quòd ex suis affectibus eiecerunt omnia, quæ ipsis de iusta necessitate non sunt: sed in illo defectuosi sunt, quòd nimis magnum affectum habent ad res, quæ sibi necessariæ sunt. Quia quantæcunque necessitatis esse appareat aliqua res, & si vsus illius nobis concessus sit, tamen penitus nobis interdictum est, affectionem ad illam habere, vel in ea cum affectu requiescere. Paupertas vsus.

Tertius gradus est paupertas affectionis, quando fidelis Dei seruus in tantum trahitur ad affectum paupertatis, vt nulla res sit in creaturis, vel in rebus temporalibus, ad quam cor, & affectus inclinetur: quin etiam ipsa naturæ necessaria cum tædio, & nausea suscipit in subsidiũ, & vsum mortalis naturæ, vt eò melius libero, ac nudo affectu subuolare valeat intra nuda brachia crucifixi amati Iesu Christi Omnes ergo qui taliter temporalia possident, & tam liberi sunt in affectu, ac si ea non possiderent, sunt voluntarij *pauperes spiritu*. At omnes, qui sic paupertatem vouerunt, vt tamen in rebus temporalibus cum affectu quiescant, stant in proprietate coram Deo. Paupertas affectionis. Matth. 6.

De sui ipsius quæsitione euellenda, & de triplici intentione. Cap. 11.

SEcunda est perfecta mortificatio omnium affectuum propriæ quæsitionis in agendo quælibet opera virtuosa, & in dimittendo mala. Nam ista propria quæsitio ex seruili amore prouenit, quo seipsos nimis amant quidam, atque in omnibus plus suam vtilitatem & commodum quærunt, quàm beneplacitum diuinum: & ob hoc à Deo contemnuntur eorum bona opera, & ipsi iustè cõdemnantur. Hic scire debes, quod amor filialis, & amor seruilis omnino sunt similes in suis operibus, sicut sibi similes sunt duo pili vnius capitis, ita vt non bene possint discerni: attamen valde sunt dissimiles in intentione. Nam principalis intentio filialis amoris, in faciendo quodlibet bonum, vel in dimittẽdo malum, est Deum placare, cognoscere, placere, laudare, gratias agere, honorare, eius beneplacitam voluntatem ad- Amor filialis.

Amoꝛ ſeruilem cognoſci tripartiam.

implere. Amor autem ſeruilis cognoſci poteſt ex tribus. Primò, quòd ſerui in omnibus peccatis, quæ dimittũt, & in omnibus virtuoſis operibus, & exercitijs, quæ ſtudent implere, principaliter ſemetipſos quærunt, hoc eſt, vel vitare proprium incommodũ, puta confuſionem, redargutionem, amiſsionem temporalium, remorſum conſcientiæ, pœnam inferni, vel purgatorij, & ſimilia: vel conſequi propriũ commodum, vt laudem, honorem & gloriam humanam, temporalia bona, ſpiritualia bona, ſenſibilem gratiam, deuotionem, dulcedinem, viſiones, & ſimilia, aut etiam vitam æternam: in omnibus his amplius vtilitatem propriam quærentes, quàm beneplacitum Dei. Et propterea vitia cuncta dimittunt, magna quoque voluntariè, ſtrenuè, atq; hilariter operantur, deſpiciunt mundum, carnem propriam, amicos & affines: agunt pœnitentiam grauem, ingrediuntur monaſteria, ſtrictè obſeruant regulam ſuam, ſtatuta, ſilentium, ieiunium, diſciplinas, & ſimilia: & fruſtra agunt omnia, eò quòd nõ norunt neq; obſeruãt præceptum dilectionis Dei. Secundò ſciri poſſunt in hoc, quòd bona opera ſua, & exercitia magna reputant, potius in ſpe, & merito ſuorũ bonorum operum requieſcentes, quàm in libertate *filiorum Dei*, quos Chriſtus Ieſus ſuo benedicto *ſanguine* redemit, in qua tamen ſolùm requieſcere deberent. Idcirco mox, vt acquirunt aliquã ſenſibilem gratiam, deuotionem, dulcedinem, vel viſionem, ſtatim illis abutuntur in peccatum. Nam cadunt in ſuperbiam propriæ complacentiæ, & vanæ gloriæ, putantes *ſe aliquid eſſe, cùm nihil* ſint in veritate. Conſequenter in auaritiam cadunt, ſemper affectantes maiorem dulcedinẽ, deuotionem, reuelationes, & viſiones. Tertiò, cadunt in ſpiritualem guloſitatem, prædictis ſcilicet fruendo in voluptate naturæ. Vltimò in adulterium decidunt ſpirituale, ſcilicet quòd in tantum ſe dant ad acquirenda iſta à Deo, & ad fruendum, quieſcendumq; in ipſis, vt Dei, & beneplaciti ipſius penitus obliuiſcantur. Et iſtud notare poteris in hoc, quia ſubtracta deuotione, ſunt valde impatientes, inquieti, tædioſi, inuoluntarij atque peruerſi: & quærunt tunc ſolatium ſuum in creaturis, in actibus, verbis, affectibus, vel cogitationibus. Tertiò in hoc cognoſci poſſunt, quòd nunquam tam fideliter Deo ſeruirent, ſi ſciret ſe nullam à Deo mercedem temporalem pariter, & æternam recepturos: puta ſenſibilem gratiam, deuotionem, conſolationem, atque futuram gloriam. Iſtiuſmodi homines valde malè ſtant. Nam omnibus donis Dei abutuntur in ſuam maiorem damnationem.

Amor iſte ſeruilis ideo peruerſus, quia dilectionem propriam habet pro fine. Rom. 8. Apoc. 1. Galat. 6.

Hæc vera, quãdo finis conſtituitur in eis, quæ dixit Auctor.

Vt er-

Vt ergo omnis propria quæſitio mortificetur, oportet intentionē in faciendo quodlibet bonum,& in dimittendo malum, rectificari: & hoc in tribus gradibus: Quia eſt aliqua intētio recta, aliqua ſimplex, aliqua deiformis. Intentio recta operatur quodlibet bonum,& malum dimittit principaliter propter Deum, de qua loquitur Gregorius in Moralibus. Rectus eſt ille, qui in aduerſis non frangitur, qui ad temporalia non inclinatur,qui ad ſuperiora totus erigitur, qui diuinæ voluntati totus ſubijcitur. Intentio autem iſta quamuis recta ſit, non tamen eſt ſufficiens ad perfectionem, quia ſimplex non eſt, ſed ſtat in actiua vita ac multiplicitate : circa multa quoque diſtrahitur atq; turbatur,quanquam Deus omnium operum finis ſit, & intentio. Intentio ſimplex plus animam ornat, quia ſine medio plus Deo appropinquat, & ſpectat ad contemplatiuam vitam: quoniam non ſolùm agit, vel dimittit omnia principaliter,vt Deo placeat, ipſum honoret, collaudet,& confiteatur : ſed ordinat etiam omnia opera & exercitia in Deum, hoc eſt, ad fruendum Deo ſemper præſentialiter * cum omnibus ſuis viribus,in amoroſo quodam effluxu. Et dicitur ideo ſimplex, quia non ſolùm eſt recta, vt propter Deum virtuoſos actus perficiat, ſed etiam ſimplex ad quieſcendum ſimpliciter in Deo,& ad deuitandam omnem multiplicitatem. Nam ipſa eſt amoroſa quædam inclinatio interni ſpiritus in Deum, illuminata agnitione diuina, ornata fide,ſpe & charitate:& eſt internum fundamentum vitæ ſpiritualis: Iſta ergo intentio immediatè tranſit in Deum,quantum poteſt,principaliter ad Deo placendum,ad amandum eum,& honorandum: ſed iſtud non eſt tantùm propter Deum, nam ſeruat adhuc aliquid proprium, vt eſt quòd etiam in ſuo exercitatio habere affectat ſpiritualē conſolationem ac deuotionem. Et ſunt nonnulli, qui hoc propriè nō requirunt: attamen non ſunt tam voluntarij recipere omnem deuotionis,& dulcedinis ſubtractionem, ſicuti earundem gratiarum affluentiam: omnem aduerſitatem,ſicut proſperitatem: confuſionem,ſicut honorem: & ſic de alijs,niſi ad gradum tertium perueniant, qui deiformis intentio appellatur: quia hæc adeò ſe Deo vniuit, & aſsimilauit, vt quærat duntaxat, & affectet honorem, voluntatem, gloriam, & beneplacitum Dei, tam in aduerſis omnibus,quàm in proſperis. Beatus qui hoc à Deo adeptus eſt. Nam Bernardus dicit, quòd taliter affectum intentionis diſponere, eſt deificum atque deiformem fieri, & vnum cum Deo, Deo quoque cum Deo perfrui.

Quæſtionē propriam mortificandi modus.

Intentio recta.

Rectus qs.

Intentio ſimplex.

* Aliâs præſcate.

Simplex.

Intentio deiformis.

Sensualitatem tribus mortificandam modis, & de venialium peccatorum differentia. Cap. III.

Sensualitas voluptatis.

TErtia est perfecta mortificatio omnium affectuum propriæ sensualitatis. Hæc sensualitas consistit principaliter in tribus. Primò in voluptate, quæ fouetur in appetitu delicatorum cibariorum, & potuum, mollium indumentorum, lectorum, & similium. Attamè prædictis vti vnumquemque secundùm statum suum, conditionem, naturam, & infirmitatem, non est prohibitum, sed vti ex appetitu sensualitatis, quemadmodum Paulus dicit: *Carnis curam ne feceritis in desideriis.* Voluptas etiam consistit in omni lasciuia cogitationũ, affectuũ, verborum, operum, gestuum, ac variarum cum alijs personis conuersationum ex sensuali amore. Secundò consistit in vanitate appetitus mundani & humani honoris, glorię, laudis, fauoris, societatis: & appetitu fruendi in omnibus vanitate sensuum, videndi pulchra, nouos rumores audiendi, & huiusmodi. Tertiò consistit in curiositate, & aptitudine exquisita, domorum, camerarum, & omnium vtensiliũ, vestiũ, mundorum peplorũ, & similiter omnium rerũ, quæ in vsum venire possunt, vel haberi, quas sensuali quidã possidẽt affectu, ac pleno corde in eis quiescunt. Istas & omnes alias sensualitates in ridendo, fabulando, omnem etiam commoditatem, & solatium naturæ, quæ ex sensuali affectu quæruntur, oportet penitus mortificari: quia præpediunt ne homo in virtutibus progressum habeat, sed semper amplius retrocedat. Et causa huius est, quia spiritualia exercitia difficilia reddunt, & omnem deuotionem insipidam, sicut dicit Apostolus: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* Et licèt huiusmodi homines aliquando videantur habere deuotionem, & dilectionem Dei, tamen ficta, & deceptoria est, seu naturalis quidam affectus deuotionis, & amoris, quemadmodum videmus natura lætos, & amorosos, quocunq; se vertant, facilè incendi amore, & desiderio. Et quamuis Spiritus sancti bonitas huiusmodi hominibus aliquando larga sua gratia condonet deuotionem, lachrymas, sensibilem amorem, & similia, vti tamè his donis vtiliter, ordinatè, & salubriter non norunt. Magis verò inutilia sunt eis, quandiu in sensualitate sibijpsis mori non addiscunt: quoniam initium proficientis vitæ est mortificatio omnium affectuum venialium peccatorum.

Sensualitas appetitus.

Sensualitas curiositatis.

Rom. 13.

1. Cor. 2.

Vitæ proficientis initium.

Hic notandum, quòd magna differentia est inter labi in venialia ex propria affectione, & labi ex infirmitate vel occasione. Nam propter

pter naturæ nostræ infirmitatem omnia venialia peccata cauere non possumus, tamen omnes affectiones venialium in nobis mortificare bene valemus. Illi ergo ex naturæ fragilitate, & occasione duntaxat delinquunt, qui ante, & post, quando soli & liberi apud semetipsos sunt, non desiderant aliquid, quod peccatum sit, vel sensuale, vt vaniloquium, vanam societatem, bene manducare, & bibere, complacentiam suijpsius, & aliorum, vanam gloriam, & huiusmodi: dum tamẽ ad hæc aliquam occasionem acquirunt, citò ex naturæ fragilitate in venialia cadunt: sed quàm citò ad se redeunt, dolent inde, & sentiũt auersionem, & displicentiam eorum omnium, quæ à Deo elongare possunt: & hoc veniale paruum est, statimque à Deo per displicẽtiam remittitur. Illi verò ex propria affectione delinquũt, qui ante, & post, dum liberi ab omni peccatorum occasione existunt, desiderant occasiones habere, non propter peccatum, sed propter oblectationem; vt quòd affectant habere vanam societatem ad ridendum, confabulandum, ludendum, quòd affectant bene manducare, bibere, nouos rumores audire, curiosas vestes habere, & similia in centum modis. Tales, quamdiu affectum venialium non mortificant, non dimittuntur ipsis peccata, licèt sæpe ea confiteantur. Et quamuis nonnunquam videntur pro eis dolorem habere, tamen ille non prouenit ex vero syncero fundo cordis: neque tantus est, vt peccatorum affectiones penitus ex corde eradicare valeat. Istiusmodi etiam nunquam poterunt habere profectum in virtutibus, omnia bona opera eorum multis imperfectionibus sunt permixta, & gratia atque deuotione, quam à Deo suscipiunt, non rectè vtuntur. Ea propter, quemadmodum Caiphas prophetauit de Christo: *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat:* sic etiam expedit vt sensualitas sibijpsi moriatur, sentiendo scilicet perfectam auersionem ab omnibus, in quibus sensualitas assueuit quiescere, vt tota multitudo operum virtuosorum, pœnitentiæ, misericordiæ, bonorum exercitiorum, confessionis, & huiusmodi non pereat. O si agnosceremus quàm multi frustra absque vlla vel modica vtilitate operentur magna, profectò multum miraremur: quia sæpe quod coram hominibus magnum apparet, coram Deo fœtet.

Peccatorũ venialium discrimen.

Peccare ex infirmitate quid.

Peccare ex affectione propria.

Ioan. 11.

De mortificatione omnis inordinati amoris erga homines; & de varijs amorum differentijs. Cap. IIII.

QVarta est perfecta mortificatio omniũ affectuum secularis, naturalis & acquisiti amoris. Cuius hæc est ratio, quia omne quod aliquo amplectimur amore, cor imaginibus depinget, præsertim tempore, quo nos ad Deum conuertere voluerimus, & cor tunc distrahitur atque turbatur, & impurum ineptumq; redditur ad Dei seruitium. Si autem solum Deum amauerimus, atque amore eius omnibus creaturis & nobisipsis renuntiauerimus, diuina imagine depingemur, eiusq; amore sursum trahemur, ac in abyssо sui amori, absorbebimur.

Amor mũdanus. Vt ergo habeatur distinctio moriendi omni amoris sciendum in primis, quòd est amor quidam mundanus, qui mundo placere desiderat, & eidem timet displicere. Amor iste multa opera defectuosa & vitiosa facit ad mundo complacẽdum. Facit & multa bona opera magis pro mundano honore conquirẽdo, aut confusione vitanda, quàm ad placendum Deo. Omnia autem ista opera imperfecta sunt: Vel si huiusmodi opera propter Deum faciunt aliqui placet tamen ipsis vt inde laudentur ac honorentur, plus propter gloriã propriam & laudem, quam propter amorem Dei, aut ædificationem proximorum. Similiter econtrario committunt aut committere parati sunt defectus multos & peccata, virtutes quoq; omittere plurimas & profectum earum, ad euitandam amissionem bonorum temporalium, honoris, fauoris, amoris, vel potius quàm paterentur confusionem, irrisionem, reprehensionem, atque contemptum. De omnibus istis Dauid ait:

Psal. 52. *Qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.*

Amor naturalis. Secundò, est amor quidam naturalis, quem gerimus ad nosipsos, ad patrem, ad matrem, ad fratres, & sorores, & cæteros consanguineos. Amor iste à Deo prohibitus non est; quia ipsum in cor nostrum non sinere peruenire, naturæ nostræ non est bene possibile, sed ipsum bene regere secũdùm rationem rectam sub diuino amore, vna est summarum virtutũ: quia natura nostra subtilis est, & in omnibus quærit seipsam. Naturalis etiam amor ad cognatos, quantò magis licitus est, tantò difficilius vincitur. Propterea in isto probabatur Abraham à Deo iubente, vt

Genes. 22. filium suum ob amorem sui immolaret. Et quia diuinus amor superabat omnem naturalem amorem (nam paratus erat Isaac filiũ suum ob amorem Dei necare) idcirco amicus Dei appellabatur. Si volumus ad hoc felix nomen etiam peruenire, oportet nos in homine nihil aliud diligere quàm Deum, & quod Dei est, hoc est, virtutes & gratiam.

Diligendũ quidnam in homine.

Odiendum Similiter nihil in ipso odire debemus præter vitia: & hoc sine omni perso-

personarum acceptione, siue sit pater, siue mater, amicus, aut consanguineus, vicinus, vel hostis, ita quòd nullum quis adeò familiarem habeat amicum, in quo quemcunque amet defectum, vel cui suis vitijs aut defectibus applaudat, seu aduletur, aut cuius præsentiam, conuersationem, & familiarem societatem desideret, nisi in quantum propriæ, vel alterius vtile fuerit saluti. Nullum etiam tam magnum hostē habebit, vt in eo naturam aut virtutes odiat, vel eius salutem secundùm suum posse affectare, petere, & cooperari refugiat, aut attædietur, quādiu spem emendationis habere poterit, exemplo Christi Iesu, qui cum lachrymis & valida voce pro inimicis suis cælestem Patrem rogauit pro venia. Accipe generalem regulam, quòd omnis amor (sit naturalis, aut alius) qui homini in corde facit inquietudinem & imaginationes, præsertim tempore orationis, vel etiā anhelare facit ad videndū, ad alloquendum, vel ad habendum præsentem eum, qui diligitur & abest, nisi esset solùm propter animæ salutem & instructionem spiritualem, amor talis inordinatus est & defectuosus corā Deo, magnumq; impedimentum generat proficienti vitæ. Tertiò, est amor quidam acquisitus: & hoc duobus modis. Primò, frequenti præsentia & conuersatione mutuò habitis. Secundò, donis, seruitijs, subsidijs, & amicitijs alterutrum exhibitis. Ambo isti amores liciti sunt, sed periculosi, quia faciliter ducunt homines in amorem inordinatum, per quem ad peccata vel defectuositatem pertrahuntur, vel à virtutibus aut proficiente vita retrahuntur. Quartò, est amor quidam rationalis, qui crescit & oboritur ex consideratione virtutum aliorum hominum, vel Sanctorum, aut certè Domini nostri, ita quòd ratio nos trahit & cogit amare virtutes, & earum opera. Et sic contingit, quòd aliqui ex ingenita natura, vel ex studiosa exercitationis frequentia magnos habent affectus amorosos ad summum bonum (quod est Deus) diligendum, in tantum, vt semetipsos paratos inueniant ad mortem tolerandam propter Deum: & tamen cōtingere potest, quòd totum proueniat ex natura sine virtute charitatis, & sine gratia Dei. Idcirco nemo confidere debet in deuotione & sensibili amore, quia quantum sibijpsi propter Deum quis moritur, & præcepta eius atque consilia sequitur, tantum habet de charitate, & non plus.

Luc. 23.

Canon.

Amor acquisitus.

Amor rationalis.

De mortificatione vanarum & noxiarum cogitationum omnium, deque earundem nocumentis. Cap. V.

QVinta est perfecta mortificatio omnium affectuum erga cogitationes & imagines rerum creatarum, & affectuosa quædam conuersio ad omnimodam solitudinem, nō tantùm secundùm corpus, sed multò amplius secundùm cor & cogitationes, prout Seneca dicit in libro de quatuor virtutibus: Cogitationes vagas & somno similes non recipies: quibus si animum tuum oblectaueris, cùm omnia dispoſueris, tristis remanebis. Notandum quòd triplices sunt cogitationes. Primæ sunt cogitationes vanæ, quæ homini in affectu non adhærent, licèt incidant multipliciter cordi * instar maris fluctuantis, & auium volantium, & similium. Et cogitationes istæ, quamuis in seipsis malæ non sint, nec magna peccata, tamē magnum impedimentum præstant proficienti vitæ: suntque indicia vacui cordis, & tepidæ deuotionis. Quia vbi cor humanum plenum est diuino amore, ibi cedere oportet omnem vacuitatem & tepiditatem, sicut clauus clauo pellitur. Aliæ cogitationes nociuæ sunt, vt cùm homo trahit in cor suum imagines creaturarum aliquas, vel peccatorum cum sensuali oblectatione, licèt ad mortalis peccati consensum non perueniat. Cogitationes istæ ingens in corde damnum efficiunt, quia valde diuinæ gratiæ inactionem siue internam operationem præpediunt. Spiritum sanctum contristant, lectulum dilecti commaculant, insipidum omne spirituale exercitium reddunt. Si tamen huiusmodi cogitationes & imaginationes inciderent nobis importunè contra voluntatem nostram, & nos diligenter resisteremus, earum onus pro spirituali martyrio tolerando, tunc ad magnum nobis meritum prouenirent, nisi occasionem huiusmodi cogitationibus atque tētationibus præberemus per mortificata desideria sensualitatis, vt supradictum est. Quia isti præfati duo modi cogitationum communiter veniunt ex incuria & immortificatione nostra, puta quia studiosi non sumus ad trahēdum cor nostrum violenter ad bonas cogitationes, sed ex consuetudine effluere permittimus ad superfluas, inutiles, & noxias cogitationes, & in negligētiam tempus bene expendendi. Quia specialiter dum nobis gratia & sensibilis deuotio subtrahuntur, tædium habemus ad omne spirituale exercitium: & tūc ab extra solatium requirimus in vacando, in loquendo, in ridendo, & in omni vanitate. Cùm autem iterum nos introuertere volumus ad solitudinem, cor innumeris cogitationibus & distractionibus oneratum est & occupatum, ideóque in virtutibus proficere non valemus. Nam solitudo, silentium, & arcta obser-

Cogitationes vanæ. * aliàs sicut quòd mare fluit, & aues volant, & similia,

Cogitationes nociuæ.

Cogitationum malarum causa.

obseruatio cordis nostri, sunt principium & fundamentum proficientis vitæ. Tertius cogitationum modus est earum, quæ in seipsis bonæ sunt. sed mentem inquietant, siue sint de temporali cura licita, siue sint de spirituali cura, vt in scrupulosis, & pusillanimibus, & similibus: siue sint de cælestibus & æternis, sicut in curiosis & subtilibus perscrutationibus mysteriorum Dei, & æternæ vitæ. Homines subtilis ingenij, & ex natura actiui, difficilius quàm alij à cordibus suis huiusmodi cogitationes valent abigere. Attamen oportet eas penitus à corde repelli, in quantum præpediunt simplicem cordis quietem, quæ maximè nutrit amorosum in Deum effluxum. Nam quia Deus vnus est, melius simplicitate cordis inuenitur: & quia amor æternus est, melius desiderio & amore conquiritur. Non tamen volo quòd sine omni imagine & cogitatione esse debeas, sed propono tibi imaginem Iesu Christi: qui est splendor vel fulgor æterni luminis, *& speculum sine macula*, vt Sapiens ait. Hanc imaginem amoroso desiderio imitandi portabis in exteriori homine tuo, secundùm humanitatem eius in cruce pendentem: imprimesque tibi formam suæ abyssalis humilitatis, abiectionis, patientiæ, mititatis, & omnes alias abyssales virtutes vltra omnium hominum capacitatem. Imaginem hanc accipe in omni loco, in omni hora, in omni verbo, in omni opere, in omni * occupatione, intus ac foris, in prosperis & aduersis. Si comedis, intinge singulas buccellas panis in vulnera eius. Si bibis, cogita potum quem in cruce potauit. Si lauas manus, vel corpus, cogita sanguinem quo animam tuam lauit. Si vadis dormitum, cogita lectum crucis, & reclina caput tuum super ceruical spineæ coronæ. Et in his cogitationibus debes nutrire amorosam compassionem & desiderium imitandi vestigia eius. In interiori autem homine portabis imaginem abyssalis charitatis suæ, ex qua cuncta creauit, humanam naturam assumpsit, formam cunctarum virtutum dedit, amaram mortem sustinuit, vitam æternam parauit, & seipsum totũ promisit. Et hoc modo cogitationes commutabuntur in affectiones, & cognitio in amorem perfectum: quia amor operatur mortificationẽ naturæ, vitam spiritus, operationem superiorum virium, influxumq; in Deum, & separationem ab omni creatura.

Cogitationes inquietantes cor.

Simplificatio cordis.

Imago Christi in corde portanda. Sapien. 7.

*Alias tentatione. Sapien. 4.

De cura omni non necessaria reijcienda, atque de rerum externarum administratione. Cap. VI.

SExta est perfecta mortificatio exterioris curæ, quæ non est de iusta necessitate, propter spiritualem vtilitatem, vel propter obedientiam. Hîc sciri potest vera differentia actiuæ vitæ, quæ fideles seruos Dei efficit: & contemplatiuæ, quæ familiares amicos Dei facit. Nam quidam in sua conuersione eligunt obedire Deo, sanctæ Ecclesiæ, & suis superioribus: exercentq; se in virtutibus, in bonis moribus, in statutorũ & ordinationum diligenti obseruatione, quærentes in omnibus honorem Dei, & non seipsos. Sed altiorem perfectionem constituunt in exercitijs vitæ actiuæ, & in orationibus vocalibus, & in recogitando peccata sua, mortem, iudicium, aut etiam passionem Domini, duntaxat ad compatiendum: peruenireq; non valent ad cognoscendã exercitia veræ vitæ contemplatiuæ. Ratio est, quia in actiua vita magis ipsis complacet, & videtur eis magis meritoria esse: & hæc est causa, quare in cordibus eorũ magis sunt depicta opera quæ faciũt, quam Deus ipse, propter quem illa faciunt. Ideirco in corde diuisi sunt, distracti, & instabiles: quoniam passiones naturales adhuc viuunt in eis, quibus faciliter commouentur, quamdiu non perueniunt ad cõtemplatiuam vitam, quæ emori facit omnibus passionibus naturalibus, scilicet inordinatæ lætitiæ, tristitiæ, complacentiæ, vanæ glorię, impatientiæ, vanæ spei, inordinatæ verecundiæ, & similibus: propter quod etiam non possunt peruenire ad interiorem hominem & quietem, nisi prius ex toto intrinsecus recollecti, & Deo totaliter vniti sint: quia tunc primùm eis reuelantur internæ, familiares, occultæ, amabiles viæ Dei, loquiturq; Iesus in anima eorum: *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius:* sed dicam *vos amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Igitur qui internam vitã habere cupit, necesse est, vt eam feruenter desideret & petat à Deo, atq; ad eam studiosè se applicet: quia Dominus noster gratiã suã & opem (siue ad opera exteriora virtutum, siue ad interiorem hominem & exercitia dilectionis) elargitur, secundùm quod vnusquisque ad huiusmodi se disposuerit, suamq; diligentiam aut operam adhibuerit. Si ergo homo internus & illuminatus Dei amicus fieri vis, oportet vt cor tuum adeò purifices, vt nihil citra Deum in eo quiescat: & omnia exteriora opera & occupationes, quas dictante ratione vel obedientia perficies, absq; multiplicitate & solicitudine cordis agere discas, cum eleuato intellectu atque affectu ad Deum: quia tametsi labor, qui in silentio fit, valde laudetur: tamẽ multiplicitas, solicitudo, & distractio cordis re-

Ioan. 15.

Vita interna quomodo acquiratur.

Opera exteriora quomodo exercenda.

Solicitudinis superfluæ mala quæ.

dis reprobatur: quia infrigidant affectum amoris, exponuntq; hominem multis tentationibus & insidijs inimici, natura & sensualitas potentiores fiunt, atque magis seipsas quærunt in oblectationibus, in vanitatibus, & voluptatibus, ex quibus intellectus obfuscatur, spiritus sensibilis efficitur, & omne spirituale exercitium insipidum.

Tentationes omnes vincendi modus.

Si igitur volueris vincere omnes tentationes diaboli, carnis, & mundi, omnes fragilitates ac imperfectiones tuijpsius, omnesq; naturales passiones, labora omni tempore gestare internum & elevatum animũ & desiderium in Deum, semper magis sequendo internũ amoris exercitium, quàm exteriora opera virtutum. Nam distractiua occupatio cordis, etiam in licitis, sua consuetudine quandam superinducit animi distemperantiam, vel indispositionem, & euagationem cordis, quæ amputari etiam orationis tempore nequeat: & etiam non sinit inferiores animæ vires peruenire ad aliquam quietam recollectionem sui. Ad istud autem nemo perfectè peruenire potest, nisi affectus suus liber sit ab omni re infra Deum existente, & adeò in Deum raptus, vt seipsum contemnere sciat in omnibus propter amorem Dei: quoniã purus amor facit spiritum purum, simplicem, & ab omnibus liberum, in tantum, vt sine labore semper se conuertere in Deum possit. Nam vbi amor, ibi est oculus memoriæ, & cor affectus, ita vt tam paratum se inueniat ad suam introuersionem, quàm ad extrouersionem.

De omni cordis amaritudine tollenda, per amoris diuini dulcedinem. Cap. VII.

Amaritudinis cordis origo.

SEptima est perfecta mortificatio omnis amaritudinis cordis. Notandum, quòd amaritudines istæ cordis ex quintuplici origine procedunt. Primò, ex præsumptione propriorum virtuosorum operum in multa pœnitentia, aut exercitijs, & alijs operibus, quę bona coram hominibus apparent: sed ex proprio, superbo, immortificato corde prodeunt, & appellantur falsæ iustificationes, fœtentq; coram Deo: quia tales homines seipsos in huiusmodi exaltãt, multumq; proclines sunt ad aspernendum & iudicandum alios corde, vel etiam verbis, dicentes cum Pharisæo: *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* Nec aliqui homines periculosius istis stant, quia de proprijs virtutibus peiores fiunt, & faciles sunt ad alijs indignandum, malè de eis suspicandum, falsè iudicandũ, quemadmodum B. Gregorius dicit: Vera iustitia compassionem ha-

Lucæ 18.

bet, falsa verò indignationem erga homines fragiles & peccatores. Et istud est signum amaricatæ, elatæ, & inquietæ conscientiæ, quia S. Iohannes Chrysostomus dicit: Qui seuere discutit aliena, id est, aliorum defectus, nunquam propriorū reatuum veniam merebitur, quamdiu scilicet se de hoc non emendauerit. Si autem istud in consuetudinem duxerit, vix est spes habenda quòd se emendabit. Secundò, amaritudo ista venit ex suipsius acedioſa immortificatione. Et hæc amaritudo maximè habetur contra Prælatos siue superiores regentes, dum nolunt talium (scilicet immortificatorum & amaricatorum hominum) desiderijs acquiescere, sed magis ipsos exercitant in his, quæ contraria sunt eorum desiderijs. Nam tunc murmurare atque susurrare incipiūt contra superiores suos, & alios etiam ad indignationem superiorum suorum trahere desiderant. Hinc certò certius scias, nihil homini damnabilius esse coram Deo murmuratione, præsertim contra Prælatos & superiores. Quia, vt S. Augustinus ait, in nullo populus Israel in veteri Testamento Deum in tantum offendit, sicut quòd murmurauerunt aduersus Deum, hoc est, aduersus superiores, quos Deus ordinauerat, videlicet Moysen & Aaron, quemadmodum Moyses dicit in Exodo: *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominū.* De huiusmodi hominibus etiam vix spes est quòd proficiant in virtutibus: quia murmuratio est vetula filia dæmonis infernalis, cui cuncta pascere Monasteria commisit, quam isti sibi desponsauerunt. O maladictum peccatum, ó odibilis bestia. Nam omnia opera bona tu deuoras. Tu prænuntia es æternæ damnationis. Tu fomentum es ignis infernalis. Tu pauperem animam non deiformem, sed dæmoniformem efficis. Ob tuam odibilitatem *Dathan* & *Abiron* cum sua progenie oportuit *viuentes* descendere in infernum in corporibus simul & animabus. Propter te Chore cum ducentis quinquaginta viris * infernali igne cōburebantur & occidebantur, ac corpore simul & anima ad inferna deducebantur. Tertiò, amaritudo ista oritur ex inuidia, quam aduersus alios habent propter aliqua sibi facta in verbis, factis, signis, vel gestibus. Isti grauiter excedunt, Deumq; offendunt valde, omnia in peius interpretando & iudicando, quamquam in se mala non sint: & hoc ipsum prouenit ex eo, quòd optant in alio reperire, quod possint vituperare vel diffamare, aut quo alteri nocumentum inferre valeant. Et istud valde cauendum est, quia ex odij atque inuidiæ fundo procedit. Quartò, amaritudo ista oritur ex desiderio propriæ cōplacentiæ: quia scilicet

In murmuratores.

Exod. 16.

Murmuratio filia inferni.

Num. 16.

* Aliàs cælesti.

scilicet volunt videri, amari, laudari, pro deuotis haberi à suis superioribus, & ab his, cum quibus conuersantur, vel etiam à secularibus. Quando ergo vident quòd alius melius se habet, emendareque se nouit, plusq; amatur, exaltatur, vel laudatur, quàm ipsi, protinus ob hoc inuident illi, nituntur que ipsum minorare, & auferre famam eius per detractiones, & similia. Quintò, amaritudo hæc oritur ex propria peruersitate & malitia: & hoc duobus modis: Primò, ex mala, inquieta, & amaricata conscientia, in qua adeò redditur talis fastidiosus, vt omnibus, cum quibus conuersatur, sit oneri, & efficitur vas omnibus plenum peccatis. Et quia in seipso iniquus est, eisdem oculis cæteros intuetur, ac in peius: cuncta interpretatur, instar basiliſci, qui omnibus hominibus, quos videre potest, venenum infundit & necat. Nam tales de alijs non norũt aliter iudicare, quàm quales ipsimet sunt. Secundò sciendum est, quòd istiusmodi homines, ex quo ipsimet adeò iniqui & immortificati manent, inuident, quòd diuina gratia tantas virtutes in alijs operatur, & vellent, quòd alios deuotos, humiles, & virtuosos homines inde retrahere possent in eandem, in qua ipsi sunt, iniquitatẽ. Et quia id agere nequeunt, ideo deridentipsos, & persequuntur verbis, operibus, vel corde, peccantque in Spiritum sanctum. Inuidentia diuinæ gratiæ.

Omnes has amaritudines oportet tam perfectè vinci & consumi in suauitate diuini amoris, (si aliquem virtutum profectum habituri sumus) vt nostros etiam inimicos ac persecutores amplectamur in corde tam pleno amoris effectu, ac si essent meliores amici, quos habere possemus; prout etiam reuera sunt secundùm opera, licèt non secundùm suum affectum. Quia qui nos persequũtur, ad sublimius meritum nos perducunt, & ad altiorem gloriæ coronam. Peroratio.

De omni vana gloria & superbia calcanda, deque desiderio contemptus sui. Cap. VIII.

OCtaua est perfecta mortificatio affectuum vanæ gloriæ & propriæ complacentiæ, honoris seculi atq; superbiæ, in perfecta cognitione & desiderio omnis contemptus. In his verbis duo sunt principaliter prosequenda. Primũ est quòd oportet omni vanæ gloriæ & complacentiæ, quam aliquis in seipso habere potest de aliquo virtuoso opere, aut gratia Dei, seu dono, totaliter mori in perfecta agnitione suæ abyssalis vilitatis. Quia nihil tam nociuum homini spirituali, nec aliquid Deo plus displicet, quàm vana gloria, & propria complacentia. Gloria vana nihil Deo odibilius.

centia. Hinc legimus de sancta quadam virgine nomine Clara, quòd propter exiguam tentationem vanæ gloriæ, subtractus ei à Deo fuerit annis quindecim influxus diuinæ dulcedinis ac spiritualis illuminationis: nec prius potuerit redire ad ipsum influxum, etiã cum multis lachrymis, multo labore, & multis precibus. Nec hoc mirum videri debet, cùm hoc solo fideles serui ab infidelibus secernantur. Quia sicut seruus iustus potest ieiunare, vigilare, orare, eleemosynam facere, & alia opera virtuosa perficere in veritate: ita potest & infidelis secũdùm exteriorem apparentiam: hoc solo excepto, quòd non potest domino suo esse fidelis, vt scilicet propter eum dũtaxat hæc agat, & eius gratiæ tantummodò ascribat: quia sibijpsi ascribit, ac cum oblectatiõe in his gloriatur, exaltando se, & magnum reputando, vbi tamen se deberet humiliare: aliàs gratia se reddit indignum: eaque aburitur ad suam damnationem potius, quàm ad salutem Igitur satagere debet & recognoscere sine fictione omni gratia se indignum & peccatorem præ cunctis viuentibus viliorem. Et ad hoc perueniendum, tres oculi considerationis haberi debent. Primus considerabit multitudinem, turpitudinem, & magnitudinem suorum peccatorum, ingẽtem etiam ingratitudinem de diuina gratia, quam accepit (in auxilium virtutum, & auersionem à peccatis) donatam sibi à Deo. Secundus oculus considerabit quòd à multis peccatis præseruatus sit sola diuina gratia, & nõ sua resistentia: & quòd à Deo subtractæ sibi fuerint occasiones & tentationes magnorum peccatorũ, in quibus præ omnibus alijs grauiùs cecidisset, si ipsũ diuina gratia (sicut alios plurimos) dereliquisset. Tertius oculus considerabit diuinæ gratiæ profluam largitatẽ, quam sine meritis suis accepit: & quòd maximus in mũdo, peccator, si recepisset gratiam talem, Deo gratior existeret, meliusq; ipsam custodiret, & fidelius exerceret in opus, quàm ipse. Etiam licèt alius quilibet hodie maximus peccator existat, crastino die conuerti poterit, & viuere sanctissimè, sicut Paulus, Magdalena, & cæteri. Ex istis punctis peruenire poterit per gratiam Dei, ad cognoscendum veraciter (quantum in eo est) se maiorem totius mundi peccatorem: quia si bonus est, hoc est sola gratia Dei. Et sic poterit Deo gratus fieri ex vna parte, & humiliare seipsum ex altera.

Secundum est, quòd omni inordinato affectui humanæ laudis, honoris, fauoris, & complacentiæ, quis perfectè moriatur, desiderando ab omnibus contemni, illudi, confundi, abijci. O quàm parum hæ virtutes quæ-

Seruitutis discretio.

Oculus humilitatis veræ triplex.

Laus humana.

res quæruntur ac desiderantur,& multo minus acquiruntur. Nam etsi reperiantur qui non concupiscant honorari vel alijs placere: attamen valde pauci sunt,qui ex fundo cordis desiderent despici, confundi, illudi, & abijci. Et si appareat eis sæpe quòd seipsos contenant ex fundo cordis,& desiderent contemni,tamen quamdiu hoc sensibiliter experti non fuerint, puta improuisè magnam despectionem & confusionem accipiendo,& in primo ictu oculi illas recipiendo pleno affectu sine cordis retractione, tamdiu sibijpsis in hoc non confidant. Quia si dixeris,quòd talis tibi confusio & despectio non acciderit,ego tibi respondeo,quòd te Deus necdum satis fortem & mortificatum ad hoc cognoscit. Nam ad nihil est Deus paratior, quàm ad mittendum verè mortificato cordi omnem confusionem,despectionem,& exteriorem aduersitatem: quia nouit summa in hoc consistere merita, ad quæ suos charissimos amicos perducere cupit. Hoc Iesus in semetipso ostendit, quando mortem turpissimam suscepit,& in virginea Matre sua stante sub cruce,in sancto Iohanne Baptista, & in omnibus dilectis Apostolis suis. Despectio sui.

Notandum tamen hîc est, quòd nemo propter desiderium despectionis alteri debet dare occasionem probabilem se confundendi, ne sibi occasio fiat mortalium peccatorum. Sed si confusio aliqua vel despectio sibi præter sua demerita superuenerit, illam amore Dei pleno corde & affectu suscipere debet: quia hæc est via compendiosior ad magna merita, & vitam æternam.

De mortificatione omnis inordinatæ dulcedinis curiositatisque intellectus. Cap. IX.

NOna est perfecta mortificatio omnium affectuum erga oblectationes internas spirituales vel sensuales. Notandum quòd per sensuales internas oblectationes hîc intelliguntur omnes sensibiles gratiæ,deuotio, dilectio,& internæ dulcedines, quæ recipiuntur, & quibus fruimur in inferioribus viribus animæ, ita quòd natura & sensualitas hominis participes efficiantur. Ista etiam interdum accipiunt in peccatis mortalibus existentes & permanentes: sed communiter illi suscipiunt,quos à mundo & à peccatis Deus vult retrahere. Modò sunt nonnulli,quorum omnis labor & oratio ad Deum est, ad habendam sensibilem istam gratiam, deuotionem,atque dulcedinem,& quamdiu illam non habuerint, non libet eis aliquid boni operari: vi-

deturque eis nullius esse valoris quicquid agunt: & hoc ideo, quia putat sensibilem deuotionem & amorem esse veram charitatem Dei: in quo multum errant. Nam solum est donum Dei, adiumento existens homini ad melius seipsum mortificandum & retrahendum ab omni creatura & seculari lætitia, ac se totaliter resignandum in beneplacitam Dei voluntatem. Affectatibus ergo talia, vt sibijpsis eò melius in omnibus moriantur, ac studiosius diuino amori se mancipari possint, licitum est istam sensionem gratiæ, deuotionis, atque dulcedinis quærere, & à Deo petere. Sed qui ipsam quærunt, affectant, & petunt, quia delectabilis est, & quiescere in ea volunt ad fouendam oblectationem suam, grauiter contra Deum delinquunt. Et quamuis propter hoc mundanam & carnalem delectationem relinquant, hoc tamen non est alicuius valoris: quia internæ delectationes externas cunctas exuperant, ita vt externis pro internis libenter velint carere. Vbi autem internæ ipsis subtractæ fuerint, rursum ad externas se conuertunt, quia sine delectatione esse nolunt. Consequenter scire debes, quòd nemo sibijpsi videri debet esse alicuius sanctitatis, ex eo, quòd multum habeat sensualis amoris, deuotionis, & suauitatis, ac sæpius sibi gratia affluat: nam communiter huiusmodi nobis propter infirmitatem nostram & immortificationem eueniunt, vtpote qui aliàs Deum diligenter non quæreremus, nec seruiremus ei, neq; nosipsos totaliter à seculo abstraheremus. Et istud ex hoc notari potest, quia in initio conuersionis suæ sentit homo communiter magis huiusmodi deuotionem. Etiam frequenter sunt innati appetitus naturæ: quia vsque ad annum quadragesimum est natura multum instabilis, inclinabilis, & affectuosa, quærens in suo exercitio solatium interni saporis & oblectationis, ita quòd exercitia, quæ multi pro magnis & sanctis reputant, ex naturali affectione & dilectione veniant duntaxat, quemadmodum intuemur quotidie, quòd multum occupans se cum alio homine naturali, in tantum amore inflammatur, vt sibi videatur cor suum rumpendum. Similiter isti frequenter nudam naturalem affectionem fouent, vbi se putant magno diuino amore inflammatos. Quantum verò sibijpsis mori discunt in duodecim mortificationibus istis, quas prosequor, tantum de diuino amore & vera sanctitate habent, & non plus. Et scire debes pro generali regula, quòd omnia, quæ à DEO quærere & desiderare possumus, quæ non ordinantur ad nudam mortificationem & relictionem sui propter amorem Dei, permixta sunt cum natura & propria quæstione:

Deuotio sensibilis ad quid detur homini.

Cur nemo sibi arroget sanctitatem.

Instabilitas naturæ.

Canon.

tione. Et in isto potes notare, quàm citò natura seipsam quærat, etiam in illis, quæ multum diuina esse videntur. Et licèt diligenter ab vna parte propellatur & contemnatur, nihilominus occultè reuertitur ex alia parte, quærens seipsam, ita vt hoc perpenderet vel deprehendere non valeamus, & idcirco etiam pauci sunt, qui seipsos verè cognoscant, & perfectè deuincant.

Curiositas intellectus.

Secundò, per internas spirituales oblectationes intelliguntur delectationes, quas quis in viribus intellectualibus recipit, videlicet in visionibus, imaginibus, formis, & similitudinibus, vel in supereminenter Deum contemplando & cognoscendo. Hîc ergo notandum est, quòd quidam seipsos dumtaxat exercitant in viribus intellectualibus, & non affectiuis: neque finis eorum est, vt ex hoc ardẽti amore succendantur, sed vt notitiã habeant curiosam, quocunq; modo sciẽdi fiat, puta quomodo Christus est conceptus, natus, crucifixus: quomodo resurrexit, ascendit: & de omnibus ordinibus & gaudijs æternæ vitæ, & de distinctione sanctæ Trinitatis, & similibus: in quibus internas spirituales suas oblectationes cõstituunt, quas vocant contẽplationes, putantes hoc modo se ducere vitam contẽplatiuam. Sed isti multum valde aberrant à vera vita contemplatiua, quã propriè fundari oportet in ardẽti abyssali amore Dei, in quo vnusquisq; cum suo amore & affectu desiderare debet vniri & absorberi, vt in illo omnis dissimilitudo Dei subincẽdatur in perfecta suiipsius mortificatione. Nam istiusmodi homines indagare cupiunt, & etiam à Deo adipisci multorum secretorum notitiam, puta nunc naturali ingenio comprehendere, nunc verò à Deo notitiam aliquam inde recipere in exterioribus sensibus vel in interioribus viribus animæ, siue sint inferiores, siue superiores. Exempli gratia: Affectant oculis exterioribus videre Angelos, æternam vitam, infantulum in Sacramento, & similia, vel cantantes Angelos audire, aut externam in Sacramento dulcedinem sentire, & similia in omnibus sensibus. Et idem optãt intrinsecus in omni notitia, quæ recipi potest in visionibus, in imaginibus, in formis, in similitudinibus, in spirituali intelligentia, & in supereminenti agnitione Dei. Isti autem in his suas affectiones & oblectationes constituentes, multum gratis laborant, atque in periculoso sunt statu deceptionis. Nam frequenter inimicus, quando hoc notat, permittente Deo, ipsos decipit multiplici apparitione tam exterius in sensibus, quàm etiam interius, aut etiam in somno. Ipsi verò cùm desiderio

Cõtemplãtionis fundamentum quod.

Laqueus diaboli.

& oblectatione hæc suscipiunt, cum proprietate possident, gloriantur q; in huiusmodi, & se exaltant, magna de seipsis sentiunt, sibi sapientes fiunt, in suo sensu obstinati efficiuntur, & dæmonis filij. Idcirco, qui secure & fructuose se exercitare vult, omnia sua exercitia ordinare debet ad valde in in se excitandum amorem Dei, & non ad obtinendam astam notitiam eorum, quæ sibi necessaria non sunt. Et si aliquam cognitionem à Deo acceperit, tamé non debet in ea requiescere, vel nimium credulus esse, nisi prius studuerit sapienter & humiliter super hoc consulere illos, qui discretionem omniũ spirituum habent. In illo verò duntaxat requiescere debet, quòd propter amorem Dei se semper paratum inueniat ad standum in omni relictione.

Exercitium eorum.

Quies.

De scrupulis conscientiæ nimijs resecindendis, & de origine scrupulositatum. Cap. X.

DEcima est perfecta mortificatio omnis scrupulositatis cordis cũ perfecta confidentia in Deum. Hic sciendum est, quòd sunt aliqui, qui conscientiam suam quietare non valent, amara contritione, sæpe confitendo, aut magnam pœnitentiam faciendo, quin semper permaneant in tremebunda anxietate & timore, ac corde inquieti, sine vera spe & confidentia in Deo. Et quantumlibet magnũ conscientiæ scrupulum habeant, & quamlibet sæpe confiteantur, tamen non fideliter laborant emendare defectus, de quibus conscientiæ remorsum habent & anxiantur. Et istud est signum, scrupulositatem hanc non ex amore iustitiæ, sed ex timore diuinæ vindictæ descédere.

Scrupulositatis origo

Facit etiam ista conscientiæ scrupulositas sæpe aliqua esse peccata, quæ in seipsis peccata non sunt: venitq; ex duplici origine. Prima est inordinatus amor suijpsius, quia ex illo venit inordinatus timor, scilicet, quòd aliquis nimium formidat, quicquid naturæ contrarium est. Et ergo licèt appareat exterius istos seruare præcepta Dei & sanctæ Ecclesiæ, tamen præceptum charitatis non custodiunt; quia quicquid agunt, non ex charitate, sed ex timore & coactione, ne damnentur, perficiunt: ac per hoc non ex amore Dei, sed suij ipsorum id faciunt. Ea propter in Deo confidere nequeunt, quia Deo fideles nõ sunt: sed tota vita eorũ interior pauor est & formido, labor & miseria. Et quicquid agunt in orando, in laborando, in pœnitentijs, in operibus misericordiæ, totum faciunt ad expellẽdum istum timorem, sed nihil eos hæc iuuare possunt. Nam quantò amplius se diligunt, tanto mortem, iudicium,

dicium; ac pœnas inferni magis metuunt. Notari ex isto potest, inordinatum timorem venire ex amore suijpsius, quo vnusquisque appetit esse beatus, quamuis ei; qui eum beatum facere potest; sit infidelis. Alia origo scrupulositatis est ex hoc, quòd amor eorum ad Deum modicus est: quia paruus amor, paruam causat confidentiam. Et solus amor Dei perducit hominem ad veram spem & confidentiam diuinæ misericordiæ, bonitatis, liberalitatis, & gratiæ: quam confidentiam nulla virtus, quantumcunque magna appareat, nec vlla pœnitentia sine amore Dei potest dare. Nihil autem tam necessarium est volenti ad vitam perfectam peruenire, sicut magna spes & confidentia in Deo. O sancta spes, ô beata in Deo confidentia, dummodò non pertrahat aliquem ad incuriam & acediam suæ emendationis, sed magis excitet ad digniorem gratitudinem, & ad diligentiam acquirendi perfectius diuinam gratiam & charitatem, atque ad omnem virtutũ perfectionem, ad abijciendum omne quod sensuale est, & ad prosequẽdum quicquid ad suijpsius mortificationem deseruit, ad sufferendam quoque hilariter omnem aduersitatem: tunc huiusmodi spes sibi valde necessaria est & salutifera. Nam quantò plus sperat, tantò magis gratus est, seipsumque amplius emendat.

Timor inordinatus vade.

Confidẽtia in Deum.

De impassibilitate in aduersis habenda, & de tribulationis vtilitate. Cap. XI.

VNdecima, est perfecta mortificatio omnis inquietudinis & impatientiæ cordis in omni exteriori aduersitate, siue sit diffamia, derisio, detractio cum mendacio, aut damnum rerum temporalium, amicorum & affinium, siue alia qualiscunq; persecutio, quæ alicui permissione diuina accidere potest. Hic scire debes, quòd illi, qui se ad suijpsius mortificationem dare volunt, sæpe à Domino nostro multifariè tribulatione exteriori probantur, an perseuerare valeant in suo bono proposito, quemadmodum Angelus dixit ad Tobiam: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio* aduersitatis (exterior) *probaret te.* In hunc modum etiam Iob probabatur, qui similem sibi non habebat *in terra.* Nam cum omnia sibi ablata, vxorque sua & amici illi fuissent contrarij, nec non & ab hoste percussus fuisset *à planta pedis vsque ad verticem*, nihilominus permansit quietus & patiens corde, neque *peccauit labijs suis*, sed *dixit: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Si-

Tob. 12.

Iob 2.

Iob 1.

Matth. 26. 27. Marc. 15. Lucæ 23. militer Christus Iesus post omnem persecutionem Iudeorum, in captiuando, in percutiendo, in illudendo, in falsos testes producendo, in flagellando, in crucifigendo, quieto corde & amoroso affectu in cruce pendens, clamore valido, & abundantibus lachrymis pro suis inimicis rogabat dicens: *Pater* ignosce illis, quia nesciunt *quid faciunt*. Nec poterant illi tot pœnas & contumelias inferre, quin affectaret multò plura pati propter amorem Patris sui, & omnium hominum salutem. Omnibus etiam quos Dominus noster trahere disponit ad supremum statum meritorum, multa vult toleranda transmittere. O si sciremus, ex quanta charitate afflictionem mittat Dominus noster, quocunq; etiam modo veniat, multum eam affectuosè peteremus, & expectaremus, amoroseq; susciperemus. Nam afflictiones sunt dona charissima, quæ Deus secretis seu familiaribus amicis suis tribuit ad ornandas animas eorum, & perducendas ad veram Dei similitudinem. Quia nunquam tam subtilis imaginum sculptor extitit, qui tanta diligentia ac sollicitudine lineamẽta imaginis ad exemplaris (secundùm quod eam formabat) perfectionem trahere elaborauerit, quemadmodum Deus omnipotens ab æterno sua sapientia immensa præuidit atque præordinauit de secretis amicis suis, quomodo mediantibus huiusmodi afflictionibus ipsos perduceret ad perfectissimam similitudinem Christi Iesu. Propterea dicit Augustinus super Psal. Cùm cœperit homo Christianus cogitare & disponere, vt perfectè proficiat in virtutib⁹ & suijpsius mortificatione, statim incipit pati linguas aduersantiũ. Quicunq; illas nondũ passus est, nõdum profecit. Quicunq; illas nõ patitur, necdum conatur proficere. Notandum est autem tres esse patientiæ gradus. Infimus horum est, compescere seipsum à vindicta inferenda manibus, vel desideranda corde, quia gradus valde imperfectus est: quia sæpe ibi remanet cor amaricatum, de quo consurgunt murmurationes, susurrationes, detractiones, inuidiæ, suspiciones malæ, & similia. Ista sunt signa immortificati cordis atque inordinati amoris ad seipsum: quia omnis inordinata anxietas, tristitia, & inquietudo, ex inordinato oritur amore. Propterea dicit Gregorius. Qui æquanimiter aliena mala & persecutionem non tolerat, ipsi sibi per impatientiã testis est, quia à boni plenitudine, id est, virtutum & gratiarũ perfectione longè distat. Medius gradus est, cùm aliquis non solùm manus & desideria à vindicta cohibet, verùm etiam cor suum purificat & mundat ab omni amaritudine & inuidia. Et quamuis desideranter non patiatur, tamen

Aduersitas donũ Dei.

Gradus patientiæ.

tamen tolerat, humiliter recognoscendo se dignum illud (imò etiam multò plura) pati, & paulatim percipiens vbertatem gratiæ, quæ per hoc acquiritur, voluntatẽ suam parat ad patienter sufferendam omnẽ futuram aduersitatem: & hoc modo incipit sibi ipsa tolerantia fieri valde meritoria. Supremus gradus est patientia affectionis, quæ vt cõformis efficiatur Dominicæ passioni, & omnibus, quæ in ipsã contigerunt, omne contrarium, quod sibi obuiare potest, cum magno desiderio suscipit, & plura semper pati desiderat, dicendo cum Dauid: *Improperium expectauit* (scilicet cum desiderio) *cor meum, & miseriam.* Et istiusmodi homines sentiunt magnam abundantiam amoris Dei & dulcedinis, quæ ex ipsa tolerantia exprimitur, fluens per omnes vires animæ, per quam in tantum inebriantur in Deo, vt nullum videantur externum conuitium, damnum, vel pœnam sentire. Nam omnẽ persecutionem, quam patiuntur, reputant pro adiutorio veniendi ad dilectum; & omnes persecutores diligunt, tanquam veros adiutores ad vitam æternam. O felix anima, quæ ad istud peruenit, quia æternaliter in brachijs Iesu Christi requiescet. Psal. 68.

De perfecta propriæ voluntatis abnegatione, atque de obedientiæ gradibus. Cap. XII.

DVodecima est perfecta mortificatio omnis propriæ voluntatis in totali volũtaria resignatione, ad omnem internam derelictionem sufferendam propter amorem Dei. Notandum quòd nobilissimũ eorum, quæ Deus homini contulit, est liberum arbitrium, per quod solum peccata committit, aut virtutes perficit. Et ideo nihil homini tã nociuũ est, q̃ perfrui sua vitiata propria volũtate. Nam ipsa est quasi fundamẽtum, super quod omnis inordinatio peccatorũ congregatur & quiescit: sed si euerterimus hoc fundamentũ, corruent omnes *muri* Iericho, id est, omnis vitiosæ affectionis. Attamen istud non sic intelligas, quasi necessarium sit homini obedientiam vouere, vt ad perfectionẽ valeat peruenire: sed sicut supra dictum est de voluntaria paupertate, sic etiam hîc dico, quia illis necessarium est sub obedientia stare, qui exercitari ab alijs indigent, vt ad perfectionẽ perrueniant, eò quòd seipsos non bene valeant vincere & mori, propter modicũ amorem Dei & tractum, quem in se debilem adhuc sentiunt, & magnum tractum immortificationis & irresignationis, quẽ adhuc habẽt. Itaque quando huiusce modi homo bonæ voluntatis est, necesse est vt ad obedien-

Liberi arbitrij nobilitas.

Voluntas propria.

Ioſue 6.

Obedientia quibus necessaria.

dientiam se obliget, vt cæteris quoque temporibus dum iterum rebellionem & immortificationem naturæ suæ senserit, ab alijs compellatur seipsum relinquere. Sed qui perfecti sunt, aut si adhuc perfecti non sunt, tamen spiritu Dei & gratia eius atq; amore sic aguntur, vt oporteat eos totaliter mori voluntati propriæ, eamque relinquere, & sequi ab intra tractum ac placitissimam Dei voluntatem: istis non est necessarium sub obedientia stare & regi, quia sub diuina obedientia stant ad semetipsos relinquendum, & voluntatem Domini secùdùm omne eorum nosse in omnibus sequendum. Veruntamen necessarium est eis (scilicet perfectis prædictis) habere promptam voluntatem standi sub obedientia aliorum, si scirent Deo id magis placere. Propterea qui extra religionis statum remanet, non propter libertatem naturæ & sensualitatis, sed solummodò ob retinendam libertatem spiritus ad die noctuque propinquius meliusque coniungendum se Deo in omnibus exercitijs spiritualibus, in hoc laudandus est, & non vituperandus: sed oportet ipsum diligēter cauere, ne abutatur libertate sua, sed Dei obedientiam assumat in omnibus modis, vt iam prosequar.

Obedientia voti.

Tres itaque sunt obedientiæ gradus. Primus est obedientia voti, quod factum est in professione. Sed multi inueniuntur, qui quamuis operibus ab extra votum obedientiæ impleant, tamen ostendūt multis signis se ad hoc inuoluntarios: nec superioris voluntatem perficere cupiunt, sed vt superior iuxta voluntatem eorum iubeat, exoptāt: alioqui rebelles sunt, & murmurant, atque se excusant. Et istis esset multo melius obedientiam non vouisse, eò quòd votum ipsis laqueus damnationis factum sit: quia Bernardus dicit, quòd qui occultè vel apertè satagit, vt quod ipse vult, hoc ei Prælatus iniungat, ipse se seducit, & frustra sibi blanditur de obedientia Prælatorum. Non enim in ea re ipse Prælato, sed magis ei Prælatus obedit. Secundus gradus est obedientia conformitatis, cùm quis non tantùm operibus foris obedit, sed etiam voluntatem suam perfectè sui superioris voluntati conformat, in nullo se inuoluntarium ostendendo, vel excusando. vel querulando sibi esse nimis graue vel durum factu, etiam si quandoque appareat contrarium esse sensibus & naturæ. Istos tamen oportet diligenter aduertere, quòd obedientia talis licèt in operibus perfecta sit, in intentione tamen frequenter imperfecta est, vt cùm ex timore obediunt, ne reprehendantur, confundantur, non amentur, vel ne indignationem superiorum incurrant. Aut econtra obediunt, vt superioribus placeāt,

Obedientia conformationis.

ab ipsis

ab ipsis cari pendantur, laudentur, exaltentur, vel amentur, ita quod purè Deus solus finis eorum non est, sed quiddam humanum in illo quærunt, de quibus Deus locutus est: *Amen dico vobis, receperũt mercedem suam.* Et ob hoc satagit inimicus intentionem deprauare, dum opus bonum non potest impedire, vt ipsum per intentionem malã valeat possidere, quia dicit Gregorius: Si autem semel cor inordinatione prauæ intentionis inficitur, sequentis operis medietas & terminus ab hoste callido securè possidetur. Quoniam totam sibi arborem fructus ferre conspicit, quam veneni dente in radice prauæ intẽtionis viciauit. Igitur omnia obedientiæ opera quisque ad hoc perficere solummodò debet, vt perueniat ad maiorem misericordiam, complacentiã, gratiam, & familiarem vel secretam dilectionem Dei. Et cùm totum posse suum fecerit, nihilominus semper debet velle contemi & abijci à suis superioribus, & omnibus cum quibus conuersatur: quia hoc est signum verax, quòd propter Deum duntaxat omnia agat.

Matth. 7.

Obediẽtiæ opera quatenus exercenda.

Tertius gradus est obedientia vnionis, hoc est: Vt aliquis non solùm obediens existat opere & voluntate, verùm etiam omnis modus & causa voluntatis suæ vnitus sit voluntati præcipientis aut desiderantis. Ista obedientia proprie duntaxat ad Deum est, quia hæc illi à charioribus, familiarioribus seu secretioribus amicis suis exhibetur: quorum voluntas tam perfectè resignatur & vnitur voluntati Dei in in omnibus modis, vt vna voluntas sit facta, ita quòd quicquid circa eos Deus fieri permittit, totum ex ordinatione abyssali amoris & misericordiæ Dei prouenire fateantur, & summo affectu suscipiunt, quãtumcunq; etiam confusuum, damnosum, tædiosum, vel pœnosum sit. Notandum est tamen, in hac resignatiõe voluntatis ac relictione, multos esse gradus: quia reperiuntur qui parati sunt suscipere quicquid circa eos Deus forinsecus fieri permiserit, dummodò interna gratia, sensibili amore, & spiritus dulcedine frui eos permittat, quo solatio interno facilè omnem sufferre possunt aduersitatem. Isti adhuc sunt infirmi milites in amore Dei. Breuitatis gratia cæteris gradibus omissis, scias quòd supremus gradus resignationis voluntatis in placatissimam volũtatem Dei, est quòd voluntatis libertas perfectè moriatur propter amorem Dei omni propriæ affectionis sentimento, & tam citò & perfectè diuinam voluntatem sequatur in omnibus, quæ sibi euenire possunt in tempore, vel in æternitate, quẽadmodum vmbra sequitur medium vnde causatur. Et ista est summa libertas rationalis

Obedientia vnionis.

Resignationis grad⁹.

Libertas suprema rationalis creaturæ.

creaturæ, diuina volũtate perfrui duntaxat: quia per ipsam est homo æternus, & immutabilis factus in omni quod citra Deũ contingere potest, etiam si solus omnes inferni cruciatus ferre deberet, paratus esset propter amorem Dei sine omni cordis retractione. Insuper, per multiplices amorosas affectiones in Deum, inuenit se paratum, nedum ad suscipiendũ à Deo tam hilariter omnem internam derelictionem, aut subtractionem sensibilis gratiæ, deuotionis, amoris atq; dulcedinis, sicut ad suscipiendum omnem affluentiam eorundem donorum Dei, vt eius placatissimæ voluntati vnitus esse possit: verùm etiam tam vehementer accensus est ardore essentiali diuini amoris, quòd ex intimo cordis sui exoptat stare toto tẽpore vitæ suæ sine omni sensibili amore & gratia, cum solo nudo essentiali amore in omni interna derelictione, & cordis angustia sibi euenire possibilibus, nõ affectando quamcunque internam cõsolationem de Deo, quamlibet spiritualis existat:

Matth. 26. Lucæ 22.

quia super omnia desiderat in derelictiõe Iesum imitari, qui est status perfectissimus. Sic enim Iesus, dum maximã perfectionem opere adimplere deberet, adeò derelictus erat ab illo tẽpore, quo in horto orabat antequam caperetur, vsq; ad mortem suam, ab omni affluẽtia sensibilis amoris, gratiæ, atque dulcedinis (stans duntaxat in nudo essentiali amore) ac si non amicus, sed inimicus Dei fuisset: & hoc ideo, vt sua pœna & opera maiora essent, & essentialis suus amor magis probatus. Nam istud est excellentissimum virtutis opus, quod in terris Christus ostendit, & quod possit aliquis homo imitari. Ea propter nimis sunt inconsiderati, qui se adeò inuoluntarios ac tædiosos exhibent, & contristantur valde, cùm ipsis subtrahitur internus diuinus influxus: quia lætanter hoc propter Dei amorem sufferre, signum est puri amoris, & est sola via, quæ ad veram perducit perfectionẽ. O felix anima, quæ hoc modo moritur sibi ipsi, ô quàm nuda ab affectionibus efficitur peregrinis, quàm quieta corde, quàm pura à peccatis, quàm libera à pœnis, quàm aliena ab omni timore, ornata omni virtute, clarificata in intellectu, eleuata in spiritu, vnita Deo, & æternaliter beatificata.

Hactenus de primo, qualiter scilicet fieri oporteat perfectam mortificationem omnium, quæ aliquod impedimentum possent præstare, quo minus Deo appropinquare, & cum eo vniri possemus, dictũ sufficiat.

D. HEN-

D. HENRICI HARPHII, PIISSIMI,

ERVDITISSIMIQVE THEOLOGI,

MYSTICAE THEOLOGIAE

LIBRI SECVNDI PARS SECVNDA.

In se vitæ actiuæ præparationem ornatumque complectens.

De amorosa ad Deum conuersione. *Cap. XIII.*

SECVNDVM nunc prosequendum, est instructio quomodo acquirere valeamus perseuerantem amorosam vnionem, absque vllo medio inter Deum, & animæ nostræ vires. Licèt autem hoc ex parte docuerimus in illis mortificationibus, quas supra diximꝰ, (nam quemadmodum naturale est lapidi deorsum cadere, sic naturale est animæ mortificatæ, & viuificatæ per gratiam ab omnibus inordinationibus, & liberè existenti, sine medio in Deum fluere & eleuari in ipsum: quia Deus est naturalis locus animæ, ad quem creata est ad æternaliter requiescendum, & fruendum beatitudine) nihilominus necessarium est nobis alia quoque agnoscere. Nam quemadmodum oportet nos mori nobisipsis, si in Deo viuere debemus; ita oportet nos etiam paulatim discere in Deo viuere, & requiescere per practicum effluxum amoris Dei, qui nos Deo vniat, vt possimus verè discere mori nobisipsis, atque ita oportet nos vnum adipisci cum altero. Et quantò in vno plus profecerimus, tantò etiam in altero amplius proficiemus: quia vnum sine altero veraciter, & vtiliter habere non possumus. Nam duo sunt termini: Vnus est Deus, alter sumus nos, & voluntas nostra in medio stat. Si ergo se voluntas per amorem ad Deum conuerterit, per amorem se à nobis auertit: & quâtò amplius se ad Deũ conuertit, tãtò plus à nobis se auertit, adeò vt tandem se tam perfectè ad Deum cõuertat, vt etiam totaliter se à nobis auertat per contemptũ, perfectum nostri ipsorũ. Et simi-

liter e contra, dum se voluntas per amorem ad nosipsos conuertit, auertit se à Deo, ita quòd ipsa conuersio ad nosipsos, tandem tam magna efficitur, vt Deum omnino cõtemnat. Sic ergo auersio ab omni creatura & nobisipsis, & cõuersio ad Deũ, in vna pariter actione completur, licèt nos voluerimus in duobus punctis prosequi, vt melius intelligeretur. Prosequendo igitur secundum, sciẽdum quòd Deus est orig) ex qua omnia creata effluxerũt, sed singulari modo rationalis creatura: ipse quoque Deus est, propter quem omnia creata sunt: & postremò etiam finis, ad quem omnia creata sunt, scilicet vt reuertantur in suam originem, vnaquæq; creatura, vt sibi competit. Nam cæteræ creaturæ omnes ad hominis indigentiam ordinatæ sunt, vt diuersis modis sint in adminiculum, & exercitium hominem conuertendi, ac perducendi ad Deum, puta ad corpus pascendum, vestiendum, castigandum, vel ad hominem instruendum varijs modis, & dandam de Deo notitiam in ipsarum creatione, videlicet de eius infinita magnitudine, sapientia, pulchritudine, dulcedine, subtilitate, bonitate, & similibus innumerabilibus, in quibus natura, & exteriores sensus, ac etiam ratio interior exercitari possunt. Consequenter sensus exteriores ordinati sunt, vt seruiant, & subiecti sint viribus interioribus: similiter animæ vires, & potentiæ inferiores, vt seruiant & subiectæ sint superioribus: superiores verò, vt semper amorosè in Deum fluant. Nam quemadmodum solares radios semper vnitos soli esse oportet, atq; in sole iugiter pendere inseparabiliter, si in esse permanere debeant: ita etiam nobilis anima essentialiter dependet in sua origine, hoc est, in Deo. Propterea si peruenire debet ad statum perfectũ, oportet eam discere similiter in Deum fluere, & dependere in ipso cum tribus suis potentijs per medium gratiæ Dei, & nostri amoris. Et istud est propriè, quòd volo hîc docere, quomodo ad hoc peruenire possimus.

Deus.

Creaturæ quare actæ sint.

Sensus externi.

Potentiæ.

De triplici vita hîc tractanda, & quis ad vitam contemplatiuam aptus. Cap. XIV.

Gen 29. Ibidem. Lucæ 10.

SCiendum quòd triplex est vita, scilicet actiua, per Liam designata, quæ lippos habebat oculos: spiritualis cõtemplatiua, in Rachele figurata, quæ pulchra erat, sed infœcunda: & supereminens contemplatiua in Maria Magdalena signata, quæ *optimam partem* elegerat. In qualibet autem istarum trium, oportet nos facere præparationem, ornatum, & profectum, si eas perfectè possidere, & Deo salubriter of-

Vita triplex.

ter offerre volumus. Primò oportet, vt nos præparemus ad vitam actiuam, si fideles serui inueniri volumus, sicut vni dicitur in Euangelio: *Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium domini tui.* Sciẽdum, quòd ille dicitur bonus & seruus, qui eligit in omnibus obedire præceptis Dei, & sanctæ Ecclesiæ, excercitare se in operibus bonis, sanctis moribus, in virtutibus & exercitijs actiuæ vitæ, in nullo seipsum quærẽdo, sed honorem & voluntatem Dei duntaxat, aut proximorum emendationẽ & salutem: & propter ista dicuntur huiusmodi homines, boni. Sed quia omnem suam perfectionem in exercitijs actiuæ vitæ constituũt, & Dominus huiusmodi introrsum non trahit, sed foris stare permittit in exercitijs vitæ, ideò adhuc serui Dei, & non amici appellantur. Nam familiares esse oportet, & Dei secreta cognoscere, qui Dei amici vocari debent, quemadmodum suis Apostolis Dominus loquebatur: *Iam non dicam vos seruos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Hîc tamen sciendum est, quòd Deus gratiam suam, opem atque subsidium elargitur cuique secundùm quod seipsum præparauerit, & exercitauerit, siue ad exteriora exercitia actiuæ vitæ in exterioribus virtutum operibus, siue ad exercitium internum amoris. Et ad istud multum facit conditio naturæ; tametsi non sufficiat, quia graues, amari, aut melancholici ex natura, seu etiam scrupulosi, vel inflati, valde difficulter ad internam spiritualem vitam peruenire possunt. Et qui læti, amorosi, vel compassiui sunt, vel compũgibiles corde, multas habent dispositiones ad internam cõtemplatiuam vitam, si tamen discere voluerint mori sibijpsis, & obseruare gratiam Dei, atque omnes res creatas totaliter contemnere: quia nemo ad internum exercitium veraciter peruenire potest, nisi prius cuncta despexerit, etiam seipsum, & ita totus Deo cum omnibus viribus & affectibus fuerit applicatus. Alioqui corde diuisus, semper permanet instabilis & inquietus: quia in desiderija frequenter extrahitur, & distemperatus efficitur in passionibus naturalibus, quæ adhuc in eo viuunt. Et idcirco intrinsecus minimè illuminatur, nec quid sit internũ exercitiũ agnoscit, sed in eo contentus est, quòd scit & sentit se Deum quærere & intendere non fictè, videnturque sibi externa exercitia esse multo vtiliora qualibet exercitatione interna. Et quia magis exercet opera exteriora propter Deum, quàm colat eum interiori affluxu dilectionis, propterea in corde eius magis depicta sunt opera, quæ propter Deum perficit, quàm ipse Deus propter quem agit.

Vita actiua. Matt. 25. Seruus bonus.

Ioan. 15.

Vitæ internæ quinam aptiores.

De præparatione vitæ actiuæ per veram pœnitentiam, atque de spe diuinæ misericordiæ. Cap. XV.

NVnc ergo vt se homo præparet ad veram felicem actiuam vitã, quæ tandem ipsum ad contemplatiuam perducere valeat, assumere sibi debet illum Psalterij versiculum: *Misericordia & veritas præcedent faciem tuam, beatus populus qui scit iubilationem.* Duo enim in actiua vita necesse est exercitari, vt ad contemplatiuam perueniatur. Primum est veritas, puta veram habere de peccatis suis recognitionem, contritionem, confessionem, non tantùm in Sacramentali cõfessione, verùm etiam in suæ emendationis initio ire debet quotidie in sua exercitatione (cum abyssali humilitate, suijpsius contemptu, & volũtate prompta ad omne bonum faciendum, & malum dimittendum, & tolerandum) ad tribunal Dei, & recogitare confitẽdo illi maiora peccata sua præterita cum contritione, & lachrymis ante ipsum magnis gemitibus suam malitiam accusando, & Dei bonitatem extollendo, & laudando cum deprecatione veniæ. Et ad hoc ordinare debet oratiunculas breues cum ignitis suspirijs, & desiderijs, quæ ipsum excitare valeant ad contritionem, amorem, & sensibilem deuotionẽ. Quia sicut lima operatur in ferro, & qualibet cõfricatione aliquid rubiginis aufert: ita quodlibet affectuosum cordis suspiriũ vel gemitus, aliquid absumit rubiginis peccatorum, & paulatim purgat animam, intelligentiæ oculum clarificando, voluntatemque excitando ad amorem Dei, & suijpsius contemptum, atque ad desiderium emendationis. Attamen cauere debet, ne carnalia peccata quotidie recolat, nisi in generali, ne huiusmodi rememorationem trahat hostis in carnalem delectationẽ, & tentationem. Cõtritionem suorum delictorũ taliter ordinare debet, vt scilicet magis defleat, quòd Deum cõtempsit, & offendit, quàm quòd seipsum perdidit, & condemnauit.

Psal. 88.

Vitæ actiuæ accessaria.

Suspiria amoris, & contritionis.

Contritio ordinata.

Secundùm est misericordia Dei, circa quam exercitare se debet in vita actiua hoc modo: Cõgerere debet in vnum, & conterere in mortario memoriæ suæ malitiam, & Dei immensam bonitatem: suam ingratitudinem, & Dei immensam benignitatem, & largitatẽ: suam studiositatem ad propriam damnationem, & diuinam diligentiam ad suam æternam saluationem. Tunc cõsequenter percurret beneficia Dei in creatione, quòd condidit nos ad imaginem, & similitudinem suã: in assumpta humanitate, qua seipsum dedit in imagine, & similitudine

Beneficia Dei.

dine nostra: & omnia, quæ in mortali natura gessit, & passus est: considerando ex his immensam charitatem, bonitatē, ac clementiam, & ex hoc concipiet veram perfectamq; confidentiam ad Deum. Deinde excitabit seipsum ad faciendam vindictam coram Deo de peccatis propijs in perfecta contritione, & odio peccatorum, in vera cōfessione, & pœnitentia: excitabit etiam seipsum ad abstrahendum se ab omnibus peccatis, & creaturis, conuertendumque se ad omnes virtutes, & ad totaliter se offerendum diuino beneplacito, cum effluxu quodam amoroso, & gratiarum actione ad Deū. Et hoc modo spiritualiter regenerabitur in nouum quendā statū gratię, Deoq; vnietur in vinculo amoris: & ex hoc propriè consurget ad veram spem, & confidentiā ad Deū. Nam solus amor Dei perducit hominē ad verā spem, & cōfidentiam diuinę misericordię, bonitatis, largitatis, & familiaris amicitiæ, ad quę nulla virtus seu virtuosum opus misericordiæ, vel pœnitentiæ, quantumcunq; magnū, sed neq; passio quantumlibet grauis, perfectè, & veraciter hominem perducere potest. O sancta spes, & beata cōfidentia, dummodò non prouocet hominem ad ignauiam, & acediam, sed ad gratitudinem, ad amorem, ad studiositatē omnium virtutum, ad asperitatem pœnitentiæ, & voluntariam suijpsius mortificationem.

Amor Dei.

Confidentia.

Meditationum varietas, & efficacia, & de sex gradibus earundem. Cap. XVI.

COnsequenter, ad discernendum inter exercitia actiuæ vitæ est sciendum, quòd meditationes exercitiorum duos fines habēt, timorem videlicet, & amorem: siue timorem seruilem, metuentem pœnam purgatorij, aut inferni, atq; vindictā: & timorm filialem, qui formidat Deum offendere, aut ingratus esse. Meditationes ergo, quantò seruili timori magis approximant, tantò minoris sunt meriti: & quantò filiali timori seu amori propinquiores extiterint, tantò Deo acceptiores sunt, & meriti maioris, purificantq; animam perampliùs à peccatis, & ad proficientem vitam magis adiuuant. Ideoq; meditationes illæ minores reputantur in merito, quæ timorem solùm incutiūt, vt sunt meditationes de morte, iudicio, purgatorio, inferno, & huiusmodi. Sunt tamen nobis necessariæ pro excitamēto feruoris cōtra vitia. Ideo sanctis olim eremitis solebant esse valde familiares. Post has sunt meditationes de vita æterna, quia meditationes æternæ vitæ in homine incipiente plus quærunt suijpsius commodum, & vtilitatem

Meditationes.

quàm diuinum honorem, ac beneplacitum. Exercitium verò æternæ vitæ in homine proficiente, & perfecto, multo nobilius est, & vtilius in gratia, & meritis. Supra has sunt meditationes de contritione, & pœnitudine peccatorum, de pudore coram Deo, de auersione à peccatis, & à mundo, quæ proueniunt ex præteritorum peccatorum recordatione cum amaritudine cordis, quemadmodum rex Ezechias dicebat: Isaiæ 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* In hac autē contritione, & amaritudine plus homo ponderare debet peccatorū deformitatem, indignationē Dei, amissionem gratiæ, & gloriæ, quàm dispendium proprium, confusionem, periculum, amissionē temporalium, & similia. Vltra has in quarto gradu meditationum sunt exercitia passionis Dominicæ ad habendum compassionem. Bernardus namque in Sermone feriæ quartæ post Palmarum, ponit tres gradus exercitandi se circa passionem Domini, quos appellat opus, modum, & causam. Primus gradus est, vt recogitemus opus passionis, ad habendam compassionem, vt participes efficiamur passionis eius, & gloriæ: & istud spectat ad homines actiuos, & incipientes. Secūdus gradus est, recogitare passionis suæ modum, videlicet qua humilitate abyssali, patientia, mansuetudine, & desiderio passus sit, ita quōd in eius passione inuenire poterimus perfectionem omnium virtutum, quas adimitandum in ipsa considerare debemus, & istud respicit proficientes. Et iste est quintus gradus meditationum, exercitare scilicet virtutes ad assumendum ipsas, & imitandum. Tertius gradus est, recogitare causam, propter quam Christus passus est, hoc est, immensam charitatem, quam in hoc nobis voluit demonstrare: & hanc meditari debemus, vt vice versa eius amore vehemēter inflammemur, quod propriè pertinet ad perfectos. Attamen hunc amorem in omnibus exercitationum gradibus exercitari oportet, si in bona vita quis proficere voluerit. Iste autem gradus in passione Domini se exercitandi, inclusus est in sexto, & supremo meditationum gradu, qui est, meditando seipsum in Dei amore exercere, quamuis sint adhuc alia sublimiora exercitia nudi amoris, vti postea audiemus.

Meditandi passionem Christi gradus.

Opus.

Modus.

Causa.

Spiritualium exercitiorum practicæ, quibus proficiendum. Cap. XVII.

PRosequendo igitur materiam nostram, postquam se quis exercitauit tribus mensibus, aut sex, aut anno vno, donec in se sentiat deside-

desiderium mortificationis suijpsius, mundi contemptum, carnis subiugationem, inflammationem spiritus ad Deum, & ad virtutes vniuersas, si tunc vult progredi in actiua vita, ad perueniendum in contemplatiuam, tria debet assumere. Primum est, quòd non occupet se nimis, neq; deijciat in pusillanimitatem, nec se etiam nimis perturbet, vetera sua peccata recogitando, neque etiam quotidianos suos defectus discutiendo, deflendo, confitendo: sed omnes retractationes, vel discussiones peccatorum, quibus miscetur vitiosa delectatio, aut formidolosa desperatio, & pusillanimitas, vel conscientiæ scrupulositas, rescindendæ sunt confestim, alioqui impedimento sunt in vita proficiente. Nam bonos affectus extinguunt animum, & libertatem cordis deprimunt, atque familiaritatem Dei elongant, veram confidentiam extinguunt, animamque à vita contemplatiua reuocãt. Succinctam igitur faciet recogitationem, & confessionem de peccatis tantummodò notabilioribus: reliqua verò proijcier in abyssalẽ Dei bonitatem & amorem, vbi consumentur velut vna gutta aquæ in magno igne: Cæterum, contritionem, displicentiam & pœnitudinẽ peccatorum exercebit non cum conuersione ad ipsa, & rememoratione, vt dictum est: sed cum quadam plenaria amorosa confidentia, & conuersione ad Deum, & præcipuè in diuinum amorem. In qua conuersione homo displicentiam habet de omni eo, quod medium, & impedimentum facit, ne affectiones suæ fluant in Deum, & quietentur. Hoc autem certum habeas, venialia peccata multo efficacius, & plenius deleri amorosa quadã, & vigorosa cõuersione in Deum, quàm sola conuersione ad ipsa peccata per contritionem. Sed hoc est occultum quoddam exercitium, quod à paucis inuenitur. Secundum est, quòd sit multum solicitus in omnibus peccatis venialibus, mori affectibus eorundem peccatorum: quia ista est emendationis semita, & via cõpendiosa Deo gratissima. Hic est sciendum, quòd multum interest inter labi in venialia peccata ex infirmitate, & occasione, & cadere ex affectionibus fixè in venialibus stantibus. Sed quia de ista mortificatione dixi in prima parte libri huius, idcirco nũc prosequi omitto. Tertium est, quòd homo incipere debet eleuare cor suum, animam, affectus, & vires suas, continuis affectuosis aspirationibus in diuinũ amorem, & vnionem, quemadmodum postea latius audiemus. Nam sicut in sumptuosis structuris videmus, si fieri debeat ædificium arcuatũ, aut lapidea testudo, oportet supponere arcus ligneos super quos lapide-

Exercitium actiuæ vitę.

Confessio succincta.

Pœnitudo peccatorũ quomodo exercenda.

Venialia peccata quomodo abluantur.

us areus superædificetur: & cum factus fuerit, subtrahuntur ligneiarcus, & per se subsistit: ita etiam est in ædificio spirituali, in quo oportet fieri arcum diuini amoris, qui totum contemplationis opus portet: & quia homo primò imperfectus est in Dei amore, si hunc amoris arcum construere debeat, oportet vt in primis potissimum se exercitet in talibus meditationibus, quæ cor suum ad desiderium Dei accendere valeant, vt arcum istum amoris superædificare possit. Cùm autem sic se inflammatum inuenerit in affectu, excitare debet seipsum in ardorem amoris, & vnitionis Dei magis aspiratiuis desiderijs, quam meditationibus. Et cùm se hoc modo continuis exercitijs, & aspiratiuis desiderijs frequenter compulerit in amorem Dei (vniuersas animæ vires coadunantem) affectus hominis adeò vigorosi in ipso efficientur visitatione ignearum exercitationum huiusmodi amoris (hominem cum Deo vnientis,) quòd se momentò submersum inueniet in abyssali amore Dei, & separatũ ab omnibus creatis, mox vt per præfatum exercitium se ad Deum conuerterit. Et istud propriè est origo, fundamentum, & instrumentum vitæ contemplatiuæ, quod quicunque in actiua vita inuenire poterit, citò proficere valebit in virtutibus, & suijpsius mortificatione, ac peruenire ad vitam contemplatiuam. Et vocatur istud instrumentum, gratia operans, de qua adhuc multa audiemus. Cæterùm, quid intelligi debeat per verba illa, aspirare ad amorem vnitiuum, in consequentibus declarabo in vita contemplatiua. In ijs autem, quæ dicta sunt, habetur plena præparatio ad vitam actiuam, & origo vitæ contemplatiuæ.

Fundamentum vitæ contemplatiuæ.

De mercenarijs, & seruis infidelibus. Cap. XVIII.

Est tamen hic notanda vna regula generalis, deseruiens cuilibet ex his tribus statibus, scilicet quòd tria sunt, quæ homines in diuino seruitio faciũt seruos non fideles, sed mercenarios, dignos à Deo contemni, & condemnari. Primum est, quòd quis in omni exercitio quærit seipsum, & propriam vtilitatem consequi: puta sensibilẽ gratiam, deuotionem, meritum, & gloriã; vel etiam incommodum proprium euitare, puta temporale damnum, confusionem, pœnam, vel plagam, purgatorium, infernum, & similia. Imò est inuenire nonnullos, qui contemnant omnia, & strictam religionem, aut pœnitentiam assumant, omnemque gaudenter sustineant aduersitatem, ad acquirendam vitam æternam, vel euadendam pœnam æternam, & tamen non stant in gratia, nec etiam in charitate Dei. Nam taliter egit

Seruorum infidelium farrago.

Plato-

Platonis discipulus, qui audiens Platonem disputantem de futura felicitate, illam q; desiderans, se præcipitem dedit, & fregit ceruicem, vt peruenire posset ad felicitatem, quam audierat commendari, & tamẽ condemnatus fuit, quia ipse, & Plato ambo erant infideles. Pariformiter Iudæi atq; hæretici voluntariè suscipiunt mortem pro sua fide in spe vitæ æternæ. Secundũ est, quòd opera sua, & exercitia valde magna reputat, & inde cõplacentiam habet, plus in seipso, quàm in Deo. Et cùm ista fiducia quiescit magis in operibus suis, exercitijs, atq; virtutibus, quàm in libertate filiorum Dei, quam dulcis Iesus suo pretioso sanguine multum amorosè mercatus est. Tertium est, quòd nunquã tam fideliter Deo famularetur, nisi sperares bonum præmium se inde recepturum, vel si sciret non esse infernũ, purgatorium, vel iudicium extremum: quia talia plus metuit, quàm Deum offendere. Istiusmodi homines sunt mercenarij, nec digni peruenire ad vitam æternam, aut percipere gratiam, & amorem Dei.

De ornatu vitæ actiuæ, per virtutes morales. Cap. XIX.

PRO secundo considerandum est, qualiter homo ornari debeat ad congruam vitã actiuam agendam. Sciendũ itaque, quòd ornatus vitæ actiuæ propriè cõsistit in virtutib⁹ moralibus, quas tam aliquis possidere potest extra, & sine gratia gratum faciẽte, quemadmodum legimus Philosophos gentiles adeò mortificatos fuisse naturalibus passionibus, & ornatos naturalibus virtutibus, vt in aliquibus, & aliquando vix inferiores fuerint multis Sanctis, prout notare possumus, quò ad contemptum bonorum temporalium, & desideriũ paupertatis in Diogene ostensis, quãdo sedebat in dolio, & abijciebat scutellam suam, considerans quòd manu sua haurire aquam posset. Similimodo etiam in patiẽtia Philosophi Sabbon, & de cæteris virtutibus moralibus. Quamuis autem nulla virtus moralis sine gratia Dei sit salubris, aut conferre possit beatitudinem, tamen nemo potest salubriter vti diuina gratia sine moralibus virtutibus: & ideo oportet hominem in principio emendationis suæ laborare pro virtutibus moralibus adipiscendis, ipsasque Deo acceptas efficere per impetrationem gratiæ Dei. Idcirco in his tribus statibus præcipuè satagere debet pro ipsis virtutibus semper plenius obtinendis: ad quod peruenire non poterit, nisi cum magno labore, diligentia, & orationibus. Nec mirum, cùm virtutes quid nobilissimum citra Deum sint, & similes nos Deo efficiant, imò faciant homines deos, hoc est, deiformes:

Virtutes morales.

& ipsæ solæ, quantum est ex nostra parte, Deo sine medio nos vniãt, hic in gratia, & postmodũ in gloria. Primò ergo locare debemus verum fundamentum humilitatis, ex quo omnes virtutes sument originem, si Deo gratæ esse debent.

De tribus mansionibus, quas in contemplatiuo exornari oportet. Cap. XX.

PRo ampliori tamen intellectu de isto habendo, sciendum quòd in homine sunt tres mansiones, quas possideri, & ornari oportet triplici vnitate, si in ipsis parati debeat Deo habitatio. Infima mãsio est in corde, quod est origo, principium, & radix totius vitæ & sensualitatis hominis: & ideo omnes potẽtiæ sensitiuæ (quibus anima cõiuncta est corpori, vt ipsi viuere & sentire tribuat) colliguntur, & coadunantur in corde, vt in sua origine. Si ergo in ista mansione reperiri debeat vera requies, pax & vnitas sensitiuarum potentiarum, oportet hoc fieri per acquisitionem virtutum morallium, quibus homo discit mori omnibus naturalibus passionibus, & inordinatis desiderijs, vel affectibus. Et istud erat, pro quo multum laborabant gentiles Philosophi, vt peruenirent scilicet ad veram & iugem stabilitatem, quietem, vnitatem, pacem, & libertatem cordis, per quæ ad veram sapientiam consequenter peruenire possent. Hoc igitur modo oportet nos eniti ad acquirendum in actiua vita morales virtutes, vt possidere possimus mansionem cordis in vera quiete & pace per mortificationem virium sensitiuarum, si volumus Domino congruum parare thalamũ ad quiescendum in eo.

Mansio hominis infimacor.

Media mansio est mens hominis, quæ est naturalis origo virium intellectualium, ex qua ipsę vires intellectuales oriuntur: hoc est, memoria, intellectus, & voluntas, quibus omnes actiones spirituales perficiuntur, vti postea plenius declarabimus. Secundũm istas tres vires appellatur anima, spiritus: quia istæ vires sunt separatæ & impermixtæ ac liberæ ab omni organo corporis, ipsisque efficitur homo similis suæ origini: hoc est, ipsi Deo, & memoratur, agnoscit, ac diligit eum, ita quòd istæ vires totaliter in Deo suspensæ manent, vnusque spiritus cum spiritu Dei efficiuntur. Ideoque, sicut *Deus* vocatur *spiritus*, ita & istæ tres vires animæ superiores spiritus nominantur: quia propriè ordinatæ sunt vt Deo vniantur, ipsoque in gloria æternaliter fruantur. Istam ergo mansionem oportet nos præparare in vita contempla-

Mansio hominis media mens.

Anima spiritus.

1. Cor. 6. Iohan. 4.

tiua.

tiua, vt posideamus ipsam in vnitate spiritus. Et istud fit per plenam acquisitionem gratiæ Dei, & donorum Spiritus sancti, quæ perficiunt, nobilitant, & eleuant omnes virtutes morales, quæ in actiua vita acquiruntur: & ergo dona Spiritus sancti sunt ornatus vitæ contemplatiuæ, prout postea melius audiemus. Suprema mansio est nuda animę essentia. Quomodo autem illam in vnitate posidere debeamus, hoc excedit omnem capacitatem humani intellectus: quia spectat ad tertium statum hominum, hoc est, ad supereminentem contemplatiuam vitam, de qua in fine secundum posse nostrum loquemur.

Mansio hominis suprema essentia animæ.

De virtutibus moralibus, humilitate, obedientia, patientia, mititate, benignitate, strenuitate, sobrietate, castitate, &c.
Cap. XXI.

PRosequendo igitur ornatum actiuæ vitæ per virtutes morales, volumus inchoare à fundamento humilitatis. Humilitas ista est profundâ cordis in conspectu diuinæ maiestatis inclinatio. Quod vt obtineatur, diligenter considerabit humilis amator Dei, quàm fideliter, & humiliter immensa maiestas, altitudo, sapientia, diuitię, & bonitas Dei in extrema paupertate tam vili pauperique homuncioni seruierit in assumpta humanitate. Qua consideratione cõtinuata, tanta excrescet in eo reuerentia erga diuinam maiestatem, quòd non poterit planè manifestari verbis, aut signis. In tantum quoquo efficietur esuriens, sitiens, & cupidus ediuerso Domino seruiendi, & exhibendi honorem, atque despiciendi, subijciẽdi, & humiliandi seipsum, quòd non poterit in huiusmodi vnquam satiari. Proponet namq; sibi omni tempore hoc suaue verbum Christi: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Et per istam humilitatem subijcier se perfectè Deo, & præceptis eius, atque omni creaturæ propter amorem eius, reputando se peccatorem vilissimum totius mundi, & velut puluerem terræ, qui pedibus calcatur, se æstimando, dicet cum Dauid in persona Christi: *Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominũ, & abiectio plebis.* Ex istò venit, quòd homo ad nutũ subijcitur voluntati Dei. Quia autem beneplacita Dei voluntas est, sapientiam mundi contemnere, & Dei sapiẽtiam imitari in omni perfectione virtutum, ideo parit humilitas primogenitam filiam suam nomine obedientiam, quia solùm per obedientiam perfectam humilitas vera commendatur atque probatur. Obedientia autem est flexibilitas submissæ volũtatis & promptitudo

Humilitas.

Matth. 11.

Psal. 21.

Obediẽtia.

ptitudo ad omne bonum, quæ nunquam fatigatur exequendo voluntatem Dei, subijcitque carnẽ spiritui, & spiritum Deo, & omni creaturæ propter amorem Dei, dummodò hoc rationi consonum esse constiterit, & virtuosum. Ista obedientia compellit hominem consequenter renuntiare propriæ volũtati, & sentimento, & nemo perfectè potest resignare propriam voluntatem, nisi prius vberibus obedientiæ sit educatus. Potest tamen bene deforis in exterioribus actibus se applicare ad voluntatem alterius faciendam, & intus propriæ voluntati nõ renuntiare. Multo namque sublimius est (quò ad perfectionem) ab intus propriæ renuntiare voluntati, quàm deforis obedientem esse vel apparere. Per abnegationem propriæ voluntatis, habet voluntas Dei plenum dominium in nobis, & voluntas hominis adeo in volũtatem Dei attrahitur, vel transfunditur, vt contrarium velle, vel optare nequeat, ita vt ex ipsa profluat voluntaria tolerantia omnium pœnarũ, & tristitiarum, quæ homini possunt accidere. Spiritus enim Domini, spiritum humilis hominis contingens attrahit, & intrahit ipsum, & totum ita in se consũmit, quòd tam planè renuntiat propriæ voluntati in voluntatem DEI, vt sibi videatur non aliam se voluntatem habere aut vti, quàm Dei. Et tunc *reddit Spiritus* Dei *testimonium spiritui* eius, *quòd* filius *Dei* sit, coniunguntuŕque tunc in homine illo summa libertas, & summa obedientia; summa securitas, & summa humilitas. Ista abdicatio propriæ voluntatis generat filiam, quæ patientia dicta est, & hæc tolerat omne, quod sibi accidere potest. Nam verè patientem non contristat quicquid ei infra Deum acciderit: quin potius omni tempore se totum proijcit in placitissimam volũtatem Dei, qui hæc omnia permittit super eum. Et per istam virtutem mirificè decoratur, & acceptus Deo efficitur: quia volũtaria patiẽtia in pœnis cum benevolentia ad eos, qui ipsas inferunt, fuit vestis nuptialis Christi, in qua sponsam suam, id est, sanctam Ecclesiam, in cruce despõsauit. Patientia consequenter generat filiam, quæ appellatur mititas, quæ possessori suo pacem de omnibus pollicetur, quia *mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis*, sicut dicit Propheta. Mititas autem est in patientia tranquillitas, per quam vis irascibilis quasi silentio quodam immobilitatur, & concupiscibilis in virtutibus sublimatur: quod rationalis aduertens lætatur, & cõscientia tantæ dulcedinis gustu pace mirifica tranquillatur. Pœna enim est torcular, vnde profluit vinum dulce spiritualis consolationis; & tunc cum lætitia

susti.

Abnegatio voluntatis propriæ.

Rom. 8.

Patientia.

Matth. 22.

Mititas. Psal. 36.

sustinet homo dura verba, duriora verbera, & durissimam mortis pœnam. Mititas enim gignit filiam, quæ vocatur benignitas, & hoc ex amore Dei, quia solus mitis, benignus esse potest. Benignitas iracunda corda dulci affabilitate, verbis blandis, & pijs actibus emollire nititur, vbi spem habet virtutibus prævalendi. Anima benignitate dotata, est quasi lampas oleo plena, errantibus lucens bonis exemplis, desolatos vngens blandis alloquijs, iracundos medicans pijs obsequijs, & virtutibus, pingues accedens ardore diuini amoris. Benignitas ista amabilis parit etiam filiam, nomine compassionem, quia benignitas amorosa quadam compassione se participem facit paupertatis, necessitatis, & afflictionis omnium hominum. Benignitas. Cõpassio.

Compassio enim est, ad omnem afflictionem, & necessitatem aliorum hominum pia cordis commotio. Principaliter autem verum Dei seruum Domino suo compati facit, qui tam amaram, & ignominiosam mortem passus est in cruce, imprimitque menti eius tam necessariam mortis causam, piam & promptam patiendi voluntatem, quorũ recordatio piũ cor cum Christo spiritualiter, & etiã sensibiliter crucifigit cruce amorosæ compassionis. Secundò compassio diligenter attendere facit propriam negligentiam, proprias culpas, & vitia; item, teporem, pigritiam, pretiosi temporis amissionem, & tantam in omnibus virtutibus, virtuosisque operibus pauperiem. Tertiò suadet proximorum erratus multiplices perpendere, propriæ salutis paruipensionem, & beneficiorum Dei tantam ingratitudinem, quorum intuitu compungitur compassione in condolendo, & affectuoso ardore salutis omnium inflammatur. Quartò etiam considerare facit corporalem necessitatem, infirmitatem, culpas & vitia, & miseriam aliorũ, & per hoc cor hominis crucifigit in compatiendo. Cõpassio hæc consequenter filiam parit, vocatam largitatem, vel liberalitatem, quæ est liberalis effusio cordis charitatiua cõpassione permoti. Et solus cõpassione misericors, propriè etiam largus vocatur, in communi quodam ardenti feruore charitatis ad omnes homines sine personarũ acceptione. Cõsiderans enim ineffabilia beneficia bonitatis Dei, & excessiuam pœnã passionis Christi, tanta se largitate pro qualicunque vicissitudine tam mirandæ charitatis Dei submittit ac deijcit, quòd pro singulis articulis tam amaræ passionis Deo laudem, honorem, & reuerentiã impendere desiderat corde, verbis, & operibus. Recolens cõsequenter propriam miseriam, negligẽtiam, ingratitudinem, & repiditatem ex vnæ: Largitas.

diuinumq; patientiam, clementiam, longanimitatem, & fidelitatem ex altera parte, sursum assurgit in spiritu obuiam diuinæ largitati, & voluntate perpetua liberaliter offert quicquid habet, & potest: imò quicquid ipsemet est, in agendo, dimittendo, & in patiendo. Deinde considerans errores proximorum innumeros, riuulum suæ largitatis ad locum vnde profluxit, refundit: & pijs clamoribus benignitatem diuinæ bonitatis interpellat pro omnibus. Postremò attendens multiplicem corporalem necessitatem, & indigentiam in proximis, vnicuique iuxta omne posse suum, & facultate subuenire quærit. Et fluunt ex ea septem misericordiæ opera, quæ à diuitibus & fortibus implentur cum temporalibus bonis, & obsequijs: à pauperibus verò, & impotentibus, implentur pijs fauoribus, & bona voluntate. Per hanc etiam virtutem largitatis præcipuè multiplicantur virtutes, & animę vires decorantur: quia qui corde largus est, communiter etiã lætus est, & insolicitus, bonis affectibus abundans, & in omnibus pijs operibus communi amore beneficus.

Opera misericordiæ.

Strenuitas.

Largitas hæc filiam parit, quæ vocatur diligentia seu strenuitas in bonis operibus, exercitijs, & virtutibus. Est autem strenuitas ista, stimulatiua quædam cordis diligẽtia ad omne bonum, & vestigiorum Christi impigra æmulatrix, optans corpus, & animam esse, & viuere, vires & opes expendere ad potissimum honorem & laudem Dei. Per istam strenuitatem animæ vires ad susceptionem diuinæ influentiæ latè expanduntur, & vegetãtur, hoc est, vigorem recipiunt ad omnes virtutes, quantumcunq; sublimes sint & nobiles. Ab ista etiam strenuitate exhilaratur cõscientia, augmentatur gratia, virtutes delectabilius & iucundius exercentur, & opera exteriora decorosius venustantur.

Temperantia.

Strenuitas ista generat filiam nomine sobrietatem, vel temperantiam: quæ virtus omnes potentias intellectuales, animales, & corporales coercet, & ab omni superfluitate restringit, ita vt etiam in intellectu nolit scire, vel sapere quæ non licent. Ipsa non vult curiosè indagare secreta Dei, nec ratione comprehendere articulos fidei, Scripturas non quærit detorquere ad suum sensum, sed iuxta vitam, & doctrinam Christi, & Sanctorum fideliter intelligere. Ex Scripturis etiam creaturisque solummodò trahit id, quod ad salutem deseruit: & hæc est sobrietas: in viribus intellectualibus. Simili modo ponit sensitiuas ac bestiales vires sub ratione ne extra vagentur per inordinatas pas-

tas passiones irascibilis, aut concupiscibilis. Hæc sobrietas seruanda est in omnibus verbis, actibus, locutionibus, silentijs, auditu, odoratu, gustu, tactu, in sentiendo, & in omni, quod per corpus, & sensus exercebitur. Sobrietas filiam parturit, appellatam castitatem corporis, & animæ, quam veraciter nemo possidet, nisi qui sobrius est. Sunt autem tres gradus castitatis. Primus gradus est castitas corporis, quæ docet diligenter cauere ab immundis seu lasciuis actibus, verbis, gestibus, nutibus, & attactibus, quæ quouis modo ad luxuriam prouocare possent. Hæc castitas assimilatur candido lilio, propter Angelicam puritatem; & etiam rubicundæ rosæ, quia dignitati Martyrij assimilatur, propter laboriosam resistentiam, quæ quotidie fieri oportet. Secundus gradus castitatis consistit in corde, dum scilicet homo in tentationibus, & naturalibus motibus carnis suæ statim sine mora, integra voluntate castitatis, exerit vigorosam conuersionem ad Deum, in nullo penitus moram faciendo in tentatione. Et tunc tentatio est valde vtilis quia promeretur augmentum gratiæ, qua omnes virtutes stabiliantur, extollantur, exornentur, & nobilitentur. Ista castitas gubernat, custodit, & stabilitat omnes sensus exteriores; ipsa castigat, & restringit appetitus bestiales; ipsa efficit, vt homo nullum medium permittat inter Deum & se, quantumcunque spirituale hoc esse videatur. Verbi gratia. Non vult habere priuatum amorem, & amicitiam etiam cum spiritualibus personis, nec vult à quocunque singulari fauore, amore, vel amicitia coli: quia talia miro modo retrahunt à via Dei pura, in qua gloria, honor, & beneplacitum Dei duntaxat quæri debent. Tertius gradus castitatis est in mente hominis, hoc est, in intimo animæ, & collocat hominem supra sensum, supra intellectum, & supra omnia dona, quæ anima à Deo recipere potest, possessoremque suum sine medio Deo conglutinat. Ipsa pertransire nititur quicquid creatura comprehendere potest, & solùm in incomprehensibili bono requiescere: quia impurus spiritus est, qui adhuc requiem quærit in quibuscunque donis Dei, quantumlibet sublimia, nobilia, arcana, vel appetibilia sint, prout latius postea declarabo. Ista castitas ad Sacramentum corporis Christi non accedit, vt fruatur delectabili spirituali sapore, vt satisfaciat spirituali desiderio, aut etiam vt habeat inde fomentum pacis, & quietis, vel propter aliam aliquam causam, sed solùm propter honorem, gloriam, & beneplacitum Dei, & vt fœcundum profectum virtutum, & mortificationis sui ipsius possit obtinere. Hæc est nobilis illa castitas,

Castitas.

Corporis.

Cordis.

Mentis.

quæ animam ab omni, quod Deus non est, liberam reddit, & continuo sursum effluxu amorosi affectus in increatum bonum, animam salubriter deiformem efficit, hic in gratia, & postmodum in gloria. Et in hoc succinctè explicatum est, qualiter homo in actiua vita satagere debeat sè virtutibus ornare, si felicem profectum in ipsa habere voluerit, & accessum ad contemplatiuam.

De profectu vel consurrectione actiuæ vitæ per fidem, dilectionem, & spem. Cap. XXII.

TErtiò principaliter ostendendum est, qualiter homo proficere debeat in actiua vita, & consurgere in perfectiõe obuiam Deo, dicendo cum sponsa: *Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos, & plateas, quæram quem diligit anima mea.* Hic est sciendum, quòd huius consurrectionis duplex est modus. Primus est mysticus, & occultus, vocaturque à Dionysio mystica Theologia, quia est occultissima sapientia, quàm immediatè solus Deus in spiritu hominem docet: aliæ autem scientiæ à mortalibus magistris docentur. Hæc sapientia tantùm in corde scribitur diuina illuminatione, & cælesti influxu. Et quanquam non possit propter suam excellentem nobilitatem ab vllo hominum perfectè tradi, & doceri, quilibet tamen, quantumcunque simplex fuerit, & indoctus, si fideliter frequentauerit scholam diuinam, hoc est, virtutum, & virtuosarum exercitationum, hãc nobilem sapientiam à Deo immediatè recipere poterit supra omnem intellectum per amorosos affectus atque influxus in Deum. Et hic est vnus modus consurrectionis per vim concupiscibilem, de quo parum tetigi in præcedentibus, sed latius postea prosequar. Hæc mystica Theologia in omni gradu proficientis vitæ excitari debet: sed quantò altius ascenditur, tantò magis exercitatur. Secundus modus consurrectionis est Scholasticus secundùm humanam eruditionem, & de illo nunc loqui intendimus, quia communiter exercetur in vita actiua. Est ergo sciendum, quòd sicut in æterna vita anima Deo spirituali connubio coniungitur per tria dona, quæ à Deo recipit, & possidet tãquam dotes, hoc est, visione clara, dilectione pura, & fruitione secura: sic in huius vitæ via per gratiam æternæ beatitudinis gloriam prælibantes, appropinquamus Deo exercitijs trium virtutum Theologicarum, tribus animæ dotibus correspondẽtium. Et per istas tres virtutes meretur homo præfatas tres dotes animæ recipere in gloria: per ipsas etiam in tem-

Cant. 3.

Via mystica.

Via scholastica.

in tempore isto coniungimur Deo in actiua vita pariter, & contemplatiua, sed multum differenter prout postea audiemus.

De intentione triplici recta, simplici, & deiformi, deque oratione vocali. Cap. XXIII.

IN actiua vita, de qua nunc loquimur, consurgimus ac Deo coniungimur, primò recta intentione fidei lumine illustrata: quod fit, quando homo in cūctis quæ agit vel patitur, cupit aut vitat, simplicem intentionis oculum habet ad Deum duntaxat, quærendo scilicet in omnibus purè ipsius honorem, gloriam, dilectionem, ac beneplacitum ex charitate, & nihil aliud habet in intentione. Hæc intentio maximè attēdenda est in omnibus: quia quantūlibet bonū sit opus, aliena intentio facit ipsum vanū, & sine fructu: & econtrariò, intentio bona, opus, quòd in se nec bonum est, nec malum, fructuosum efficit, & acceptum. Et quia pauci valde homines puram intentionem habent, & salus nostra, & profectus consistit in intentione, idcirco notandum est tres esse gradus intentionis bonæ. Primus est intentio recta quæ ordinat omnia ad Deum, & propter Deum. Ista intentio procedit ex voluntate affectuosa, æstu diuini amoris calefacta. Quæ volūtas sic amore æstuans, intentionem ad consecutionem æterni finis desiderati operando impellit, nec hominem quiescere, nisi in æterno bono sinit. Hic ergo secernūtur filij adoptionis à filijs reprobationis: quia omnes, qui in exercitijs suis, & operibus virtuosis perficiendis non attrahuntur amore diuino, sed impelluntur aliunde, Deo vnirinon possunt. Causa huius est, quia cùm natura recurua vel inclinata sit ad seipsam, ideo qui diuinum, gratuitum, supernaturalemque non habent amorem, in omnibus naturali amore ad sese reflectuntur, quærentes seipsos, & affectantes in exercitijs virtuosorum operum sensibilem amorem, spiritualem dulcedinem, & similia. Sed verus amator seipsum contemnit, & solùm Deum quærit in omnibus, quia charitas nexus est amoris, nos in Deum transuehens, per quam vnimur Deo, nobis ipsis renuntiātes, & Deus vnitur nobis. Et quamuis naturalis amor in actibus exterioribus tam similis sit diuinę charitati, vt nō facilè valeant secerni, tamen in intentione valde dissimiles sunt: quia charitas in nullo seipsam quærit, naturalis verò amor seipsū in omnibus quærit. Et sicut Adam in Paradiso seipsum quęrēdo in quatuor prolabebatur peccata, videlicet in superbiam, quia mandatum Dei contempsit: in auaritiam,

Intentio recta.

Gradus intentionis bonæ.

Natura recuruitas ad seipsam.

Gene. 3.

quia sapientiam Dei concupiuit: consequenter in gulositatem, quia quæsiuit, illiciti saporis delectamentum: & post hæc accendebatur luxuria: ita etiã qui ad exercitiũ trahitur naturali amore duntaxat: quãtumcunque altum, & nobile illud esse videatur, etiam si hominem in mentis excessum faciat peruenire, licèt etiam magna videre, & visiones habere sibi videatur, tamen totum est ad suam damnationẽ, quia cadit etiam in prædicta quatuor peccata. Primò in propriam complacentiã, & inanem gloriam, putans *se aliquid esse, cùm nihil sit*. Secundò in cupiditatem, quia ex curiositate inardescit ad recipiendum à Deo notitiam in spiritualibus, & illuminationem per reuelationes, visiões, & intellectum internum. Tertiò in gulam, quia per desiderium voluptatis quærit in affectu sensuali experimentales, & sensuales sapores ac dulcedinem ad quiescendum in ipsis, & eiusdem fruendum: & ad hunc finem ordinat omnia sua exercitia, & studium deuotionis. Post. quam autem hæc adeptus fuerit, cadit in spirituale adulterium: quia in huiusmodi sensuali oblectatione, & voluptate ponit finem suæ deuotionis, & illic requiescit. Ex isto potes aduertere, multos esse in actiua vita pariter & contemplatiua, quibus apparet quòd ad magna exercitia, & sanctitatem peruenerint, & tamen per amorem naturalem miserabiliter decepti manent, & suffocati, ignorantes, & non aduertẽtes hæc spiritualia peccata. Idcirco debet homo quærere sanctitatẽ nõ in sensibilĩ deuotione, nec in frequenti exercitatione; sed in contemptu, & mortificatione suiipsius, sicut supra edocui, & etiam in recta intẽtione, quæ sola discernit inter veros, & falsos Dei ministros. Signũ intentionis rectificatæ est spiritualis lætitia in aduersis, sicut dicit Origenes in Cantica: Non inueni verius signum boni hominis, quàm si inter ærumnas, & aduersa fert dulcedinem mentis ex frequentia sobriæ exultationis & lætitiæ. Hoc enim signum denotat immobilitatẽ mentis in aduersis & prosperis: quæ immobilitas est signum intrinsecum rectæ intentionis, quæ in nullo seipsam quærit, sed tantùm Deũ: & tam bene (imò magis) inuenitur in aduersis, quàm in prosperis. Vnde B. Gregorius dicit super illud verbum Iob, *Erat vir simplex, & rectus*: Rectus est ille, qui in aduersis non frangitur, qui ad temporalia non inclinatur, qui ad superiora totus erigitur, qui diuinæ voluntati totus subijcitur. At ista intentio licèt rectificata sit, ad perfectum tamẽ decorem nondum peruenit: quia adhuc in actiua vita consistit, & circa multa est occupata, quamuis solum propter Deum. De quo Bernardus super

Quæstio priuata.

Galat. 6.

Sanctitas vbi quærenda.

Iob 1.

Rectus quis.

super Cantica dicit, quòd in aliud tendere quàm in Deum, & tamen propter Deum non est totium Mariæ, sed Marthæ negotium. Absit autem, vt quæ huiusmodi est, quicquam illam dixerim habere deforme, nec tamen ad perfectum affirmauerim veniſſe decorem, quippe quæ adhuc *ſolicita* est, *& turbatur erga plurima*, & non potest terrenorum actuum vel tenui puluere non respergi: quem tamen citò, facileq; deterget vel in hora sanctæ * deuotionis casta intentio & bonæ conscientiæ interrogatio in Deum. Secundus gradus dicitur intentio simplex, quæ est Deo magis vnita sine medio, & dulcius allicitur & trahitur odore boni increati. Et spectat ad hominem contemplatiuum, procedens ex actiua voluntate per experimentalem gustū spiritus: quia experimentalis gustus vel odor æterni boni facit hominem cuncta contemnere, nec in aliquo alio intētionem eius quiescere sinit, præterquàm in solo Deo sine medio: quoniam in tali experientia intentio non ambulat, sed currit. Dicit autem Bernardus libro de Præcepto & dispensatione, quòd ad hoc, vt intentio sit simplex, duo requiruntur, scilicet amor boni in intentione, & veritas in electione. Et ratio huius est, quia charitas dirigit intentionem ad omnia, quæ deseruiunt ad desideratum finem, qui est Deus ipse, & illi arctius vnitur, cùm in omnibus vnum finem intendit, ad vnum finem tendit, & omnia, quantum potest, cum illo vnire quærit. Veritas autem in electione, non sinit hominem errare in quærēdo hunc finem: aliâs (prout inquit Bernardus) quomodo oculus intentionis esset simplex cum ignorantia veritatis, cùm qui bonum diligit, malum nescius agit? Quando verò ista duo simul sunt, amor boni & cognitio veri, tunc est intentio simplex: quia veritas non sinit hominem extra viam errare, & charitas nō sinit eum quiescere, antequam seipsum & omnia eleuauerit (per intentionem) in finem qui Deus est. Hæc intentio est *oculus* ille *simplex* qui *totū corpus* bonorum operum *lucidum* reddit. Ipsa est amorosa inclinatio spiritus in Deum, illuminata diuino lumine, in se retinens tres virtutes Theologicas, fundamentum internum existens totius vitæ spiritualis, distractas animæ vires omnes recolligens in vnitate spiritus, & spiritum Deo vniens in vnitate amorosi influxus. Hæc est differentia inter intentionem rectam & simplicem, quia recta intentio omnia facit propter Deum, sed non * quærit in omnibus Deum, hoc est, eius exercitium magis est externum in exterioribus virtuosis operibus, quàm internum tendens in Deū, quamuis propter eum omnia facit: idcirco

Lucæ 10.

* aliâs dormitionis.

Intentio simplex.

Intentioni simplici duo necessaria.

Matth. 6.

* Aliâs redit in Deum.

in cotde ipsius magis impressæ sunt imagines operum, quàm Deus, propter quem ipsa facit. Intentio verò simplex quærit etiam in exterioribus operibus simplicitatẽ cordis, puta habere semper, sine imaginatione operum, simplicem amorosum influxum in Deum, supra omnẽ multiplicitatem, distractionem, & inquietudinem. Et istud contingit in exterioribus pariter & interioribus exercitijs. Exempli gratia, de interiori exercitio, in quo quia subtilius est, difficilius istud notari vel intelligi potest: Sint duo homines, vnus in actiua vita cum recta intẽtione, alter in contemplatiua vita cum simplici intentione, & orẽt ambo pro amicis, cognatis, viuis & defunctis, & pro tota sancta Ecclesia: Ille, qui est in vita actiua cum intentione recta, inter orandum nõ valebit se perfectè nudare ab omnibus imaginibus, præsertim illorũ, pro quibus orat: sed ille, qui est in contemplatiua vita cum simplici intentione, amicos, cognatos, viuos, defunctos, & totum corpus sanctæ Ecclesiæ vnico simplici intuitu amorose in cor suum trahet, & quasi vnico contuitu mille millia hominum in momento comprehendet: & hoc ideo, ne sensus sui dispergantur, aut ad extraneas cogitationes trahantur. Quo facto, statim eundem oculum simplicem diriget in Deum, tanquam in diuinum speculum, in quo omnes homines contẽplabitur, vt in origine, vnde effluxerunt: & hoc modo orabit pro eis, quia tunc creaturæ nullum medium inter Deum & animam efficient, præsertim si anima didicerit, & exercitata sit in amorosa illa aspiratione, de qua infra loquar. Hic est etiam sciẽdum, quòd orationes vocales, quæ magis frequentantur in actiua vita, effundi debent vigoroso affectu Deum laudandi, confitendi, gratias agendi, honorificandi, & petendi virtuosa quæque pro se & cæteris hominibus, quousque ignis amoris accendatur in vi concupiscibili, & tunc oratio vocalis est relinquenda, ratio nudanda ab omni multiplicitate, ne impediat spiritualem ascensum, & spiritus continuis spiritualibus sursum actionibus in Deum est eleuandus. Quia sicut triticum cum palea in vno aceruo pariter congregantur, quousque triticum trituratione purgetur, & palea proijciatur in pabulum iumentorum: ita oratio vocalis reputata est vt palea, & tam diu seruari debet, quousq; vera deuotio instar tritici excutiatur: quo facto proijcienda est pro indigentia & in pabulum virium nostrarum bestialium. Vltimò est etiam notandũ, quòd quamuis Deus sit finis intentionis simplicis in omnibus, & vltra hoc tendat in Dominum solum immediatè, quantũ potest, & hoc propter ipsum, attamen Deus non est totaliter finis eius, sed etiam propter se-

Oratio vocalis quomodo fiat.

ipsam

ipsam facit, quærens spiritualiter consolari multis modis, quamuis Deus sit principalis intentio. Et si fortè quidam sint, qui videantur istud non quærere, pauciſsimi tamen tam voluntarij sunt ad derelictionem; hoc est, ad diuinæ consolationis & internæ sensionis subtractionem, sicut ad affluentiam earundem gratiarum: quia nondum plenè sibijpsis mortui sunt ad perferenda quæcunque aduersa, nisi cõsurgant ad perfectiorem intentionis gradum.

Tertius gradus vocatur intentio deificata: quia totaliter est amore finis æterni attracta, absorpta, & deiformis effecta. Et hæc propriè est beatorũ in gloria, & elicitur à voluntate affectata deiformiter. Quidam tamẽ in statu viæ in tãtum amore inebriãtur in spiritu, quòd totis præcordijs intentionem hanc attingere cupiunt, & elaborare non cessant, vt in hac lachrymarum valle felicem hanc deificationem seu deiformitatem assequi mereantur, de qua dicit Bernardus lib. de diligendo Deum: Deificatio, id est, amor vel intentio hominem deificans, hoc est, deiformem faciens, nihil relinquit in voluntate admixtum vel proprium, sed totum per intentionem dirigit in Deum. O pura & * d eificãta, id est, deiformis, intentio voluntatis, eò certè defæcatior & purior, quò in ea de proprio iam nihil admixtum relinquitur: eò suauior ac dulcior, quò totum diuinum est quod sentitur: sic enim affici, deificari est. Sed hæc deificatio hîc poterit inchoari, in æterna verò vita perficietur, vbi sic omnem in Sanctis humanã affectionem quodã ineffabili modo necesse erit à semetipsa liquescere, & deficere, atq; in Dei penitus transfundi voluntatem. Manebit quidẽ propria substantia, sed in alia forma, alia gloria, aliaq; potentia. Alioqui quomodo *omnia in omnibus* erit *Deus*, secundùm quòd Paulus dicit, si in homine de homine quicquam supererit?

Intentio deiformis.

* Aliàs defœcata.

1. Cor. 15.

De vera dilectione, qua Deo per tres gradus in actiua vita vnimur.

Cap. XXIIII.

SEcundò principaliter consurgimus & vnimur Deo dilectione præcipua, charitatis igne inflammata. Quod fit, cùm quis in omnibus actibus suis rectã intentionem habens, seipsum totaliter per amorem inclinat super pectus Domini. Vnde S. Dionysius in libro de diuinis nominibus dicit: Vnus est amor increatus, qui sua supersubstãtiali & vniuersali appetitione ingignit amorem creatum omnibus rebus: qui amor creatus, est quædam inclinatio & coordinatio amantis ad bonum amatum. Est enim amor connexio & vinculum, quo

Cap. 4.

Amor q. d.

Deus & spiritus amãs ineffabili amicitia, insolubiliq́ue vnione copulantur. Cùm igitur amorem nominamus, siue diuinum, siue Angelicum, siue intellectualem, siue animalem siue naturalem, designamus nomine amoris quandam virtutem vnitiuam & communicatiuam, mouentem superiora ad prouidentiam & curam inferiorum, & inferiora ad conuersionem superiorum, & facientem ordinatam quandã eorum mutuam habitudinem vel communicationem. Iste amor nouem gradus habet, quia non patitur vllum remanere medium inter Deum & se, sed omnia vult penitrare, donec perueniat ad dilectum: & ergo oportet ipsum hos gradus ascendere, quorum tres inferiores pertinent ad consurrectionem vitæ actiuæ. Primus gradus est amor incõparabilis, quo in tantum homo Deum diligit, quòd nullus amor cuiuscunque rei infra Deum in eo amori Dei comparetur, non amor patris, non matris, non vxoris, non filiorum, nec suijpsius: imò nõ solùm quælibet creaturæ infra Deum sunt amandæ, verùm etiam amor ipsarum ordinandus est in Deum, scilicet vt vel ipsas in Deum ducere possimus: & hoc modo homines diligere debemus: vel quia cooperantur & adiuuant nos ad Deum, vel quia per creaturas homo dirigitur & manuducitur ad Deum, per earum scilicet cõsideratam pulchritudinẽ, dulcedinem, subtilitatem, & similia, & sic alias creaturas poterimus diligere. Iste amor docet hominẽ, vt non patiatur se abstrahi à Deo propter aliquod infra Deum existens, aut contingẽs, sicut Paulus ait: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an periculum? an gladius?* Et per hunc amorem anima Deo despõsatur, quia dicit Richardus: quòd Deus verus sponsus est animæ. Quem tunc nobis veraciter vnimus, quando vero amore eidem adhęremus: & tunc nos sibi vnit, quando interna mercatura dandi & exigendi ad suum amorem nos strictius ligat: & tunc incipimus valde diligere eum, quem prius valde consueuimus pertimescere. Secundus gradus est amor ardens, de quo dicit Gregorius: Operatur etenim magna * vbi est: si verò operari renuit, aut non operatur, amor non est. Iste amor est sapidus appetitus cordis, ad Deum fluens, tãquam in summum bonum, in quo omne bonum inclusum est. Hic amor valefacit omnibus creaturis, ne earum abusu foueat sensuales appetitus: & facilè contemnit omnia, vt acquirat quod diligit: quia proprium opus huius amoris, est semper pugnare contra inordinata desideria & naturales passiones. Et ideo etiam appellatur amor incontaminatus, eò quòd

Amoris gradus nouem.

Amor incomparabilis.

Rom. 8.

Amor ardens.

*Aliâs si ibi.

quòd * hominem per desiderium à mundana conuersatione & occupatione abstrahat, ne cor suum nimis occupetur per venialia peccata, aut maculetur affectibus eorundem, & per hoc ardor amoris ab opere suo impediatur, aut etiam naturalibus passionibus conculcetur. Et tunc peruenit consequenter ad hoc, vt super omnia diligat quietem solitudinis, abstrahendo se ab omni societate nedum per affectū, verùm etiam cum effectu. Ratio huius est, quia amor iste satagit separare ab amante omne dissimile amato, ita vt amans ab amato abstrahatur in solitudinem quandam ab amore omnium creaturarum, (sicut acus trahitur à magnete,) vt spirituali dulcedine ipse amans repleatur. Tertius gradus est, & dicitur amor incessabilis vel infatigabilis, hoc est, amor, qui nō cessat seipsum augmentare: quia sicut ignis nullum modum ponit in sua actione, sed semper ad augmentum tendit, quamdiu materiam inuenit, in qua valeat se multiplicare, ita etiam se habet natura huius amoris. Et quia quæ diuina sunt, sine mensura diligibilia sunt, ideo semper inuenit amor in Deum fusus, materiam se extendendi, & amor Dei, eiusque profectus modum non habet nec finē. Quia ergo opus istius amoris propriè est, hominem perurgere ad proficientem vitam, propterea semper pugnat contra acediosam tepiditatem.

* Aliàs affectum hominis.

Amor insatigabilis.

De amore, deuotioneque sensibili. Cap. XXV.

NOtandum tamen est hic, sicut dicit Richardus super Cantica, quòd est dilectio quædam affectuosa, quæ interdum minus diligentem & minus perfectum plus afficit. Non enim tantùm quisque diligit, quantum hanc sentit, & quantum in illo statu sibi diligere videtur, sed quantum in virtutibus & charitate fundatus fuerit, & in seruandis mandatis fidelis habetur. Dulcis in Deum affectus, quodammodo * sensualis est & fallax: & humanitatis interdum potius, quàm gratiæ; cordis, quàm spiritus; sensualitatis, quàm rationis, ita vt magis accendatur aliquando ad minus bonum, & minus ad maius, & ad aliquid quod amplius sapit, quàm quod expedit. Hoc affectu discipuli errabant, & carnaliter Deum diligebant, cuius præsentia carere nolebant. Vnde etiam non diligere arguebantur, qui quod delectaret magis, quàm quod expediret, amplectebantur: *Si diligeretis me*, inquit, *gauderetis vtique, quia vado ad Patrem*. Sic etiam non rectè sapiunt, qui tam inordinatum impulsum habent accedendi ad venerabile Sacramentum, frequentandi deuotionem, & similia. Sic affectuosè in-

* Aliàs carnalis.

Ioban. 14.

sè interdum carnalis aliquis & imperfectus ad Deum afficitur, non quod valde diligat, sed quia dulcedinem gratiæ deguſtat. Quæ quantum durat, tantum iuuat: quamdiu enim durat dulcedo, durat & dilectio: sed non agnoscetur in bonis iste amicus, quia interdum hanc sensibilem dilectionem vel dulcedinem gratiæ, magis sentit leuis corde & inops gratiæ, quàm verus amator. Facilius enim mouetur, qui leuior corde fuerit, & expers* gratiæ delectabilius oblatam recipit. Huius enim dulcis affectus causa interdum est non gratiæ copia, sed mentis inopia: exigua enim lætificant pauperem, sicut est hauſtus vini, quo non lætificaretur ebrioſus.

*aliàs consolationis.

Gratię diuinę quomodo nos pparemus. Iob 14.

Quando igitur Deus vocat per affluentiam gratiæ, debet homo viuidus esse ad respondendum per impletionem diuinæ voluntatis, iuxta illud Iob: *Vocabis me, & ego respondebo tibi,* Quia vocatio neminem perfectum facit, sed bene obligat ad perfectionem, eum præcipuè, qui ingratus inueniri refugit: sed responsio per impletionem diuinæ voluntatis iustificat hominem, & ad perfectionem perducit. Fit etiam aliquoties dulcis iste affectus à maligno spiritu, vt ad debilitatem corporis homo perducatur, dum per spiritualem gulam in illa voluptate* nimis confidit, requiescit, & indiscreta exercitatione prosequitur, vel vt per illius occupationem ab vtiliori opere reuocetur: & item vt eius abundantia fretus perfectum se aliquis credat, & ad profectum minus excitetur & exercitetur virtutum: Vel etiam vt principaliter in exercitijs intentio feratur ad habendam sensibilem deuotionem, vel abusiuè fruendum hac defectuosa voluptate, & ita à iudice iustitiæ (qui corda omnia nouit & intentiones) æternaliter condemnetur.

Gula spiritualis.

*Aliàs, dū nimis ei creditur, eique dā valde delectat, inhæretur. 3. Reg. 8.

Amor verus, vbi quærendus.

Nunc verò restat inquirere vbi verum amorem debeamus inuenire. Verus amor iacet occultatus in fundo virtutum, & manifestat se in omni aduersitate. Exempli gratia: Fundamentum humilitatis est desiderare contemni: & si habuerimus hoc desiderium propriè vel purè propter amorem Dei, scilicet vt illi placeamus, accepti, & chari efficiamur, tunc amor est verus. Similiter fundamentum patientiæ est desiderium patiēdi propter Deum omne, quod possibile est hominem sustinere: similiter est videre de fundamentis aliarum virtutum. Et tūc iste amor se manifestat, quando homo in actuali tolerantia seu passione requiem inuenit, & hoc propter Deum, sicut Laurentius super prunas iacens, dicebat: Isti carbones mihi refrigeriū præstant. Ardor enim

amoris

amoris patiendi pro Christo, magnus erat in corde ipsius, & refrigerabatur per præsentem tolerátiam in eo, quod desiderium suum adeptus fuerat, hoc est, pati pro Deo.

De adhæsione, quieta qua Deo vnimur per spem.
Cap. XXVI.

TErtiò consurgimus & Deo vnimur per adhæsionem quietam, solidatam anchora spei, vt scilicet quis omnes tam moralis quàm spiritualis exercitij motus, omnemque internæ suauitatis (etiam diuinitus infusæ) sensibilem saporem, velocitate intentionis & dilectionis penetrabili acumine transcendat, & in Deo, tanquam in motus sui finali termino, immobiliter quiescat. Nam quando homo se eleuat supra omnē creaturam, supra semetipsum, & supra omnia dona Dei, & ita in dilecto amore viuifico requiescit, illic anima in Deo, & Deus in ea manet, & amoris complexu vicario requiescūt. In his ergo præfatis tribus punctis propriè consistit consurrectio vitæ actiuæ, quia omnes morales virtutes, & virtuosa opera, & etiam exercitia exteriora & interiora, per ista ordinantur, purgantur, nobilitantur, & in meritò augentur. Cùm ergo peruenerit homo ad rectam intentionem, ad actuosum impellentem amorem, & valet se supra omnia eleuare, in solo Deo requiescendo, ornatus moralibus virtutibus, tunc ad veram vitam actiuam peruenit. Hæc igitur est prima pars de spirituali profectu ad laudem Dei.

D. HENRICI HARPHII, THEOLOGI PROFVNDISSIMI,

Christianaque pietate præstantissimi, MYSTICAE THEOLOGIAE LIBRI SECVNDI PARS III.

In se complectens vitam contemplatiuam spiritualem.

Quinam ad hanc vitam apti sint auspicandam, & de quatuor impedimentis in ea. Cap. XXVII.

Gene 29.30. SEcunda vita bonorum hominum appellatur spiritualis contemplatiua, & figurata fuit in Rachele, quæ pulchra erat, sed infœcũda in principio sui matrimonij, sed postmodum fœcunda efficiebatur. Sic etiam vita contemplatiua sæpe sterilis est in initio, propter immortificationem & imperitiam seu inscitiam hominis, qui ipsa in primis vtiliter nescit vti, sed abutitur multipliciter, inordinatè requiescendo in donis Dei: Ad istam autem vitam nemo veraciter & salubriter applicatur, præter familiares amicos Dei, & fideles seruos oportet foris stare, donec vocentur intro ad familiarem amicitiam, vbi discant contemnere omne externũ solatium & quietem: & duntaxat omne gaudium intrinsecus quærere, in tantum, vt sensus exteriores suam amittant actionem: quia huiusmodi homines efficiuntur videndo cæci, & audiendo surdi, dicuntq; cum sponsa: *Ego dormio*, scilicet in sensibus exterioribus, *& cor meum vigilat*, scilicet in actione interioris exercitij, quæ adeò vigorosa est, vt sensus mei exteriores non recipiant aliquid, vnde cor meum possit remanere depictum: quia interna amorosa consurrectio & accessus ad Deum, continuaque permanens inhæsio in Deo, sibi tam sapida & desiderabilia efficiuntur, vt Crucem deputet omnem externitatem. Et huius-

Cantic. 5.

huiusmodi tam profundè in * vnitatem cordis trahuntur, ac si centum miliaribus ab omnibus hominibus separati morarentur. Vt ergo habeatur instructio aliqua de ista vita, oportet nos etiam ponere præparationem, ornatum, atque profectum seu consurrectionem eius. Primò, inquam, oportet, vt nos ad spiritualem contemplatiuam vitam præparemus, si cupimus ad Dei familiaritatem peruenire. Sciendũ autem quòd (sicut Bernardus super Cantica docet) quatuor impediunt vitam contemplatiuam. Primum est, quando corpus aliquem defectũ patitur naturæ læsiuum atque pœnosum: quia anima ita corpori inclinata est naturali vinculo dilectionis, quòd quando ipsum in aliquo membrorum, aut sensuum defectum patitur notabilem aut pœnam, tunc non libet animæ contemplari, vt quando homo habet esurię magnam, sitim, frigus, calorem, egritudinem, nisi secus contingeret per specialem supereffluentem gratiam Dei. Et propterea docet Deus hominem, quem ad veram contemplatiuam vitam vult vocare, corpus suum in discretione regere, vt robustum permaneat, ad seruiẽdum spiritui in omnibus. Secundum est occupatio in solicitudine rerum exteriorum, licèt bonæ sint & virtuosæ: quia sicut puluis iniectus oculis visum adimit exteriorem, sic solicitudo exteriorum, oculum intelligentiæ excæcat, & excludit à contemplatione veri luminis. Tertiũ est remorsus conscientiæ peccatorum, quando in anima est per opera, vel per recogitationem. Licèt enim in amaritudine fiat plerunque huiusmodi recogitatio peccatorum, nihilominus reddit animam tenebrosam, & aufert contemplationem, ad quam præcipuè requiritur puritas animæ. Et ideo quamuis semper debeamus nos reputare peccatores, tamen eo tempore, quo volumus contemplari, nõ debemus nobis formare cogitationes de peccatis, quia contemplari est coniungere spiritum nostrum spiritui Dei: recogitationes autem peccatorum mediũ inter Deum & nos efficiunt. In primis tamen bene possemus nos humiliare, cogitando nos indignos omni bono, & admirari immensam Dei bonitatem, & nostram abyssalem vilitatem, & post hoc cum expedito desiderio & sedula aspiratione nos erigere in Deum: & tũc peccata interim à memoria excluduntur, aliâs recordatio peccatorũ animæ influeret, & impediret contemplationem, quemadmodum feruẽs sanguis visum adimit exteriori suffusus oculo. Quartum impedimentum sunt phantasmata corporalium imaginum, quæ se imprimunt cordi, & difficillimè possunt repelli, quousquè homo ad hoc peruenit, vt

* Aliâs solitudinẽm.

Vita contẽplatiua impeditiua.

Contemplari quiẽ-

at, vt sit audiendo surdus, & videndo cæcus, hoc est, vt adeò sit introrsum tractus, quòd exteriores sensus suum plenum vsum non habeant, ex hoc quòd ipse intrinsecus tam occupatus est diuinis rebus. Et tunc speculum animæ efficitur clarum & purum sine imaginibus.

De triplicibus nociuis imaginibus in contemplatione, & item de vtilibus. Cap. XXVIII.

Imagines. SCiendum verò quòd triplices sunt imagines: Primæ sunt nociuę, sicut imagines, quas recipimus cum quodam inordinato affectu vel oblectatione, quamuis non sint mortiferæ. Et istæ imagines impediunt valde inactionem Dei, & contristant Spiritum sanctum, fœdantes lectulum dilecti sordibus peccatorum. Si autem huiusmodi imagines nobis irruũt contra voluntatem nostram, & nos eis fideliter totis viribus resistimus, tunc reputabitur istud nobis pro spirituali martyrio, si tamen pro posse etiam vitamus occasiones talium imaginum. Secundæ imagines sunt vanæ, & sępe incidunt mẽti, sed ipsam non succendunt inordinatis desiderijs. Et quanquam non sint valde nociuæ quò ad peccatum, retrahunt tamen valde à profectu, nisi multum diligenter & continuè ipsis resistatur: quia qui verè proficere vult in virtutibus, illum eniti oportet, vt continuè suspendatur in Deo affectuoso quodam & amoroso influxu spiritus, sicut radios solares oportet semper dependere in sole, si debeant permanere in esse. Et quando aliquis hoc non facit, signum est vacui cordis & tepidi feruoris: quia vbi cor plenum est diuino amore, ibi cedere oportet omnem * vacuitatem, quemadmodum videmus quòd clauus clauo pellitur. Tertiæ imagines in seipsis bonæ vel vtiles apparent, sed impediunt etiam veram contemplationem, sicut occupatio curę temporalis, quæ licita aut etiam meritoria est: vel curæ aut solicitudinis spiritualis, vt videmus in illis, qui nimis sunt scrupulosi vel formidolosi, & in similibus: vel etiam occupatio cælestium, quæ non est vtilis, nec inflammat ad amorem Dei, sicut qui curiosè indagare volunt de cælestibus aut æternis, de sancta Trinitate, de nouem choris Angelorum, & similibus ad fidem solummodò spectantibus, quæ isti volunt sua intelligentia perscrutari seu ratione inuestigare. Et quia istud apparet esse deificum, ideò securè se dant ad huiusmodi, appellantque vitam contemplatiuam: sed solùm est quædam curiositas, & fomentum immortificatæ voluntatis eorum, & idcircò non proficiunt in

*Aliàs vanitatem.

morti-

mortificatione sui, nec in profectu virtutum & amore Dei. Quàpropter homo solùm imaginibus illarum rerum depingere se debet, quæ ipsum excitant ad agendas gratias Deo, ad eum laudandum, diligendum, & imitandum secundùm suam humanitatem, rescindêdo omnem curiosam & inutilem inquisitionẽ, de qua non melioratur: & exercitare se magis in affectibus, quàm in meditatiõibus, prout infra docebo. Hæc ergo paucis tetigisse sufficiat de impedimẽtis vitæ contemplatiuæ, pensatis etiam illis, quæ superius tractauimus de mortificatiõnibus & vita actiua. Nunc verò prosequi volumus ea, quæ nos oportet præparare pro ipsa obtinenda. Imagines hominis necessariæ.

De præparatione vitæ contemplatiuæ spiritualis per intellectus affectusque copulationem reformationemque.

Cap. XXIX.

HIc igitur est sciendum, quòd ad vitam contemplatiuam duo nobis sunt necessaria, vt perfectè ambulemus viam vitæ huius: hoc est, duos habere oportet pedes spirituales, qui sunt intellectus & amorosus affectus, quos pariter coambulare necesse est, vt illa secreta contemplationis itinera attingere valeant. Alioqui intellectus sine amoroso affectu claudus est, nec potest progredi, affectus etiam sine intellectu cæcus est, & viam ignorat, sed errat in ea. Itaque necesse est, vt intellectus affectui viam demonstret, & affectus intellectum (impetu suo) per viam deportet. Ad præparandum igitur pedem amorosi affectus, sciendum quòd, sicut dicit Hugo de S. Victore in libro qui incipit: Accipe frater charissime, affectus est quędam spontanea ac dulcis ipsius animi ad aliquid inclinatio. Et quia secundùm variam affectionem & inclinationem amor noster variatur, ideo subtilius est inquirendũ, quem amorem respuere, quam amplecti debeamus. Primus affectus est naturalis, vt est affectus, quem quis habet ad corpus suum, ad cognatos & amicos. Quem affectum sicut non admittere est impossibile, ita non sequi, nisi in quantum, secundùm Deũ est, summæ virtutis est: Quia iste affectus suggerit nobis sequi mollia, suauia, cõmoda, iucũda, voluptuosa: & sic inclinat ad sensualia desideria. Quod autem naturæ contrarium est in tempore aut æternitate, refugere optat, sicut infernum, iudicium, purgatorium, & amplecti omne quod naturæ conueniens est in tempore aut æternitate: Et in omni, quod impẽdit Deo, seruitijs, operibus bonis, & exercitijs, quantumcunque nobilia,

Pedes animæ duo qui.

Affectus quid.

Affectus naturalis quis.

nobilia, sancta & perfecta esse videantur non quærit principaliter Deum, sed seipsum, sicut supra tetigi. Idcirco in exercitijs, quæ ex naturali affectu nudè proueniunt, non consistit aliquod meritum. Ex isto imprimis oritur affectus sensualis, qui nociuus est, quando ei non resistitur. Secundò ex isto oritur affectus, dictus officialis, qui homini imprimitur ab his, qui sibi amicitiam ostendunt, dando munera, præstãdo obsequium & auxilium. Et iste amor admittendus est, ne homo ingratus inueniatur: periculosus tamen est his, qui timorem Dei perfectè non habent. Cauendum est autem, ne propter hominem peccatis faueatur, aut vitia vel vitiosa foueantur. Ab isto affectu multum differt affectio charitatiua: quia iste in omnibus quærit quæ sua sunt: charitatiua autem affectio in nullo quærit quæ sua sunt, sed solummodo honorem & beneplacitum Dei. Quartò est quidam affectus rationalis, ad quem nos ratio trahit ex consideratione virtutum, operum virtuosorum, honestatis, & similium, quæ in alijs vidimus, audiuimus, aut aliâs percepimus. Hoc affectu suauiter inclinamur ad sanctos Martyres, qui strenuè decertârunt, & multa tolerauerunt, & ad alios Sanctos propter bonam vitam ipsorum auditam vel lectam: & generaliter ad omnes honestos ac virtuosos. Iste affectus omnibus præfatis nobilior est, (quia gradus quidam virtutis est, habere amorem ad virtutes) tamen multum differt ab affectione, quæ oritur ex charitate: quia hic affectus (ratione mediante) oritur & excitatur ab exterioribus bonis exemplis: affectio verò charitatiua à Spiritu sancto originem habet, inflammaturque ad amandum etiam peccatores, & ex bonorum exemplis multo dulcius afficitur. Quintus affectus dicitur spiritualis, quia ab inspiratione Spiritus sancti infunditur. Iste hominem voluntarium efficit ad relinquendum seipsum in omnibus propter Deum, ad præponendum in omnibus honorem Dei, ita vt in hoc etiam seipsum non quærat. Huiusmodi tamẽ spiritualis affectus nonnunquã nobis imprimitur à spiritu nostro, quod quibusdam euenit ex innata natura, quæ inclinata est ad amorem: vel etiam ex studiosa exercitationis frequentia, quæ iam in consuetudine versa est, ita quòd siue ex natura, siue ex consuetudine exercitationum facilè possunt habere amorosas effluentes affectiones ad Deum diligendum, laudandum, ad illi gratias agendum, & adhærendum, sic quòd iste eorum affectus multũ similis est affectioni, quæ à Spiritu sancto venit. Sed iste affectus solùm probari potest in derelictione, mortificatione, & aduersitate, in quibus

Affectus sensualis.

Affectus officialis.

Affectus rationalis.

Affectus spiritualis quis.

verus

verus spiritualis affectus seipsum voluntariè resignat, & exhibet tam paratum ad quamcunque aduersitatem, sicut ad prosperitatem, vt Deus per hoc honoretur. Iste igitur est vnus pes quo anima progredi debet in vita contemplatiua.

Viæ duæ, humana videlicet & mystica, per quas affectus graditur. Cap. XXX.

SEd quia rationalis creatura constat ex duplici natura, scilicet corporali & spirituali, quarum vtraque sibi correspondentia habet obiecta, quibus secundùm cuiuslibet capacitatem æternam veritatem (quæ Deus est) percipere vel participare potest, ideo duplex assignatur contemplandi modus, quibus tanquam via duplici ad ardorem perfectæ charitatis peruenire valeamus: & propter hoc etiam oportet spiritualem hunc pedem duobus modis præparare ad currẽdam hanc viam. Primò constat homo ex corporali substantia & natura, & huic obiecit Deus omnia, quæ cognosci possunt exterioribus sensibus, vt rudes & sensuales homines (quorum sensus & intellectus obtenebratus est, & affectus ad se reflexus, ita vt non possint diuinam bonitatem, & veritatem, prout in seipsis sunt, sentire) in sensibilibus creaturis cõtemplari valeant immẽsam maiestatem, sapientiam, artificiositatem, pulchritudinem, suauitatem, & amorem inuisibilis Creatoris. Hic est vnus modus, & via perueniendi ad vitam contemplatiuã, scilicet cùm homo attendit opera creationis, & cõsiderat magnitudinem, pulchritudinem, subtilitatem, ordinationem, nobilitatẽ, & suauitatem creaturarum, & inuenit in omnibus immensitatem, quæ Deo asscribitur. Consequenter attendit propriam vilitatem, ingratitudinem, & malitiam, quam erga Deum ostendit. Et qualiter Deus immensus dignatus sit humanam naturam susc̃ipere, & nos ex amore per amaram, & confusiuam mortem, & pretiosum sanguinem liberare, & similia. Et huiusmodi exercitia primò locanda sunt in fundamento contemplationis: & cùm aliquãto tempore istud vigorosè exercitatũ fuerit, imprimetur ex hoc cordi admiratio quædam diuinæ immensitatis ex consideratione creaturarũ: nec non & deuotio quædam plena cõfidentiæ ex consideratione diuinæ dignationis ad nos viles & vitiosos, quam exhibuit humanitatem assumendo: & demum etiam magna lætitia amoris plena, considerato quòd amor eius ad nos, ipsum coëgerit talem mortem sustinere. Hæc autem tria prædicta (excitando affectum) trahunt exteriorem hominẽ introrsum, & interiorem hominem sursum,

Via humana perceptas in Deum tendens.

sum, vbi paulatim magis, & magis in his tribus instruitur. Et ita præcedit intellectus, & trahit post se affectum introrsus, quoadusque affectus adeò violentus, & impulsiuus efficiatur, vt omnes vires in suum seruitium compellat. Et ex tunc quandocunq; se ad exercitiũ dare voluerit, non erit necessarium sibi à principio exercitationem inchoare, sed semper parata inueniet tria præfata, tanquam fundamẽtum, super quod collocet exercitia contemplatiuæ vitæ, secundùm tractum spiritus. Sed primus labor suus erit, accẽdere amoris ignem, vt fornacem ardentem, cui statim Deus associabit gratiam suam tanquam operariam, cuius instrumentum erit amor. Sed hic amor per istam viam acquisitus, non est tam actiuus, vigorosus, aut impetuosus, quin intellectum præcedere permittat, & ipse sequatur: & ideo tantum non proficit in vita cõtemplatiua, aut in virtutibus, vel etiam in suijpsius mortificatiõe, sicut amor acquisitus alia via. Et in hoc præparatus est pes affectionis ad ambulandũ per istam viam, quæ magis frequentatur ab hominibus, & præsertim ab illis, qui ingenio subtiles & actiui sunt.

Via mystica per amorosum effectum in Deum tendens, atque de eam iuuantibus. Cap. XXXI.

SEcundò constat homo ex spirituali substantia & natura, cuius obiectum sunt omnia, quæ exterioribus sensibus non possunt apprehendi, & illa ratione comprehendit, aut fide contemplatur. Sunt autem nonnulli, & præsertim qui sensibus quieti sunt & intellectũ actiuo, aut etiam simplices & non multum capaces, pleni tamen naturali amoroso affectu & corde hilares: isti in sua ad Deum conuersione non sunt actiui in exercitio virium intellectualium, sed sentiunt se magis inclinatos & dispositos ad exercitandum se in vi concupiscibili: quia in illa statim inflammantur ardenti amore Dei, & istiusmodi homines ad aliam viam trahit. Nihilominus quando hæc secunda via homini nota est, potest se in ea exercitare, & ipsam perambulare: quia quàmuis communiter gratia operetur secundùm dispositionem naturæ, ipsam ad spiritualem eius perfectionem perducere optans, tamen etiam sæpe operatur gratia Dei secũdùm qualitatem exercitationum quas assumimus: & Deus vnicuiq; largitur gratiam secundùm quod se eius auxilio præparauerit, & idoneum se exhibuerit ad ipsam recipiendam, & ea vtendum.

Gratia quomodo operetur.

Hæc igitur via est diuina & occultata ab omni humana sapientia, & do-

& docet eam Deus (immediatè) paruulos, humiles & amantes, sicut dixit Iesus: *Cõfiteor* (& gratias ago) *tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudẽtibus, & reuelasti ea paruulis*, id est, humilibus. Hæc etiam via est multo vtilior & nobilior: quia Deus magister est omnis perfectionis, ita quòd rudis laicus aliquis aut vetula, si trahitur aut ambulat per hanc viam, intra breue tempus recipere poterit maiorem experimentalem cognitionem de DEO, & veris virtutibus, & similiter de omnibus salutem humanam concernentibus, quàm omnes Doctores totius mũdi cognoscere possint per suam naturalem sapientiam aut scientiam acquisitam. Est insuper ista via compendiosior ad obtinendam perfectionem, & facilius acquiritur, non requirens ingeniositatem aut subtilitatem intellectus: quia in affectu negotium hoc agitur, & non intellectu, donec homo in affectione tam ardens efficiatur & abundans in omnibus spiritualibus diuitijs, omnes potentias animæ replentibus, quòd tandem sibi aperitur pura quædam simplexq; cognitio cum illustratione diuinæ claritatis, ita vt naturalis intelligentia eius tantum eleuetur vltra omnem naturalem cognitionem, quantum claritas Solis excedit claritatem Lunæ. Ad hanc viam hortatur nos Dauid, dicens: *Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo.* Inchoationem huius viæ supra tetigi, vbi etiam apposui similitudinem de ædificio arcuali. Quãdo igitur spiritualem huiusmodi arcum aliquis ædificauit, prout ibidem tetigi, id est, acquisiuit studiosum impellentem amorem dotatum gratia Dei, tunc habet spirituale instrumentum ad operandum per illud spiritualiter in via contemplationis, vocaturque istud instrumentum amor, aut gratia operans: & hoc ideo, quia valde agit & perurget hominem ad omnia, quæ Deo placere putantur. Vocatur etiam sensibilis gratia, vel sensibilis amor, quia valde sapidus & sensibilis est. Est itaque istud instrumentum quoddam ad omnem spiritualem profectum in vtraque via, pro illis dũtaxat, qui ipso bene vtuntur; sed væ illis, qui eo abutuntur. Nemo verò debet præsumere, aut se extollere propter istud instrumentum adeptum: quia potest obtineri per exercitia venientia ex puris naturalibus, & possessor remanebit in statu damnationis: sed solerter attendere debet opera, quæ isto instrumento operatur. Et si inuenerit seipsum studiosum & solicitum ad mortificationem & resignationem suæ voluntatis in beneplacitum Dei, prout supra tetigi, signum est, istud instrumentum gratia Dei

Matth. 11.

Via facilis, & nobilissima.

Psal. 33.

Instrumentum cõtemplationis, viæ.

dotatum esse. Si autem non curat multum proficere in mortificatione & abnegatione suijpsius; & incremento seu augmento virtutum, studiosus verò est exercitare semetipsum *ad quiescendum in saporositate & sensibili dulcedine, etiam si quotidie septies raperetur in spiritu, nihilominus stat in puris naturalibus, & abutitur gratia Dei ad suâ damnationem: quiâ diligentior est ad satisfaciendum suæ spirituali gulositati, quàm ad exequendum beneplacitum Dei. Instrumentũ itaq; istud est impellens aut perurgens gratia seu amor: vtimurq; ipso in vtraque via: sed in priori via præcedit intellectus, quæres materiã amoris quam affectui offerat, sicut apis volans super flores ad colligendum mel: & affectus sequitur, vt ab intellectu pascatur. In ista autem via affectus præcedere vult, & intellectus sequi non potest, nisi à longè: quia affectus non vult, quòd cogitetur de vita æterna, de Angelis, vel etiam Deo, quantũlibet nobiles sint tales cogitationes, sicut de eius immensa magnitudine potentia, bonitate, clementia, misericordia, amabilitate, & similibus: sed ipse solus opus hoc agere vult in simplicitate affectionum, putà cum aspirationibus, hoc est, desiderijs stimulantibus, perurgentibus, inhiantibus ad vnitionem Dei. Quàm nobilis autem aspiratio ista in homine perfecto sit sentiri potest, sed non scribi. Qualiter verò ad hãc se applicare debeat, qui in hac via progredi vult, & peruenire ad vitam contemplatiuam, exprimere & eloqui conabor, prout melius potero.

* Aliâs vt quiescat.

De aspirationibus, & eiaculationibus. Cap XXXII.

AD progrediendum igitur in hac via, oportet hominem in duobus se exercitare, scilicet in aspirationibus & in vnitiuo amore: quorũ vnum est corpus istius contemplationis, alterum anima seu spiritus. Vnum consistit in inferioribus viribus animæ, alterum in superioribus. Cùm ergo aliquis peruenerit ad instrumentum contemplationis, & ire vult per istam viam, quam Dionysius appellat diuinam & mysticam, dimittere debet meditationes suas, & exercitare se duntaxat in affectionibus: habere etiam debet ad hoc in memoria sua paratas multas breues oratiunculas, quæ excitent istam aspirationem, quas Augustinus vocat iaculatorias, quia sunt iacula amoris, quibus iaculamur in cor Domini nostri, de quo ipse ait in Canticis Canticorum: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.* Cant. 4. Istas oratiunculas ferre debet in corde, & etiam ore loqui ad Deum, ac si præsens esset, & hoc semper

semper quando potest, eundo, stando, sedendo, iacendo, comedendo: & non tantùm quando orationes statutas dicere habet, sed consuetudinem sibi faciet, vt habeat eas semper præsentes ad minus in corde. Poterit autem huiusmodi orationiculas vel aspirationes formare hoc modo: O Domine, quando te diligam perfectè? O Domine, quando te nudè amplectar brachijs animæ meæ? O Domine, quãdo meipsum, & vniuersum mundum contemnam propter amorem tuum? O Domine, quando anima mea cum omnibus viribus suis tibi vnietur? O Domine, quãdo anima mea totaliter & perfectè in te mergetur, & absorbebitur? O Domine, ego te totum possidere, & me totum tibi offerre desidero, & vnus in vno æternaliter, & inseparabiliter requiescere. Et in hunc modum absq; numero formari poterunt, vt gratia Dei sua in actione docebit: dicique aut cogitari debent cum impetuoso æstuanti desiderio, vt vnum fieri possit cum Deo, in ardore dilectionis liquefactus. Et huiusmodi aspirationibus amoris affectio semper magis inflammabitur in amando, & spiritus præparabitur ad subleuationem contemplationis. Cùm ergo spiritus hominis per frequentes, ingeminatas, aspiratiuas exercitationes cõfirmatus fuerit in vnitiuo amore, seu amore qui vnit animam Deo, tunc affectus hominis adeò impetuosus æstuansque efficietur, & instar fulguris velox, vt quoties se ad Deum conuerterit, sine cogitatione præuia, in momento spiritum vehat in abyssalem amorem Dei, cum ineffabilibus impulsibus, & desiderijs ad Deum solum possidendum, ita quòd vacabit ab omni quod infra Deum est. Et istud poterit facere centies, imò millesies in die, si voluerit, & natura sua sufferre potuerit: quia oportet istud exercitiũ cum magna discretione fieri, ne homo destruat naturam suam, vt postea declarabimus: quia exercitium istud efficitur adeò vigorosum in plerisque, cùm se vigorosè ad Deum cõuertunt, vt sibi appareat, quòd cum anima & corpore abscedere debeant, aut quòd cor sibi ex magna violentia rumpi debeat: & propter hoc in momẽto omnes animæ vires sunt collectæ, & liquefactæ in ardore dilectionis, sicque in Deũ cadunt. Et isto modo instrumẽtum vitæ contemplatiuæ in ista via multò acutius, & apertius redditur ad operandum cum ipso, scilicet in cõsurrectione in Deum, in profectu virtutum, in mortificatione suijpsius, & in omni, quod spectat ad vitam perfectam.

Iaculationes amoriferarum formulæ.

De vnitiuo amore animam puram in Deum transformante
Cap. XXXIII.

IAm consequenter secundùm posse nostrum agemus de vnitiuo amore, vt saltem parua de hoc notitia & informatio habeatur. Dionysius dicit de amore in libro de diuinis nominib⁹: Vnus est amor increatus (qui est ipse Deus) qui ingignit omnib⁹ creaturis amorē creatum. Cùm igitur amorē nominamus, siue diuinum, siue Angelicum, siue intellectualem, siue animalem, siue naturalem, designamus nomine amoris quandam virtutem vnitiuam, quæ de amante & amato appetit vnum efficere. Sed quia non est possibile quòd duo totaliter secundùm omnem modum possint vnum fieri, nisi vnum penitus annihiletur, propterea, sicut Aristophanes Philosophus dicit, & etiam Aristoteles, quærit amor proximiorem & aptiorem vnionem, quā amās ad amatum habere potest. Et quia vnio supereminens, quā cum Deo habere possumus, & ex largitate Dei etiam nonnulli interdum sentiunt in tempore isto, ineffabilis est, idcirco parumper tangere volo objecta, supra quæ affectuosa amans anima oculos intellectuales dirigere possit ad exercitandū vnitiuū amorē: quandoquidem dilectum suum (hoc est, Deum) videre nō potest, nec imaginari, quia *spiritus est Deus*, & qui veraciter illi adhærere vult, adhærere debet *in spiritu & veritate*.

Cap. 4.

Iohan. 4. 4. Cor. 6.

Similitudo amorosæ vnionis cum Deo.

Quamuis autem similitudines aliquo modo homini viam demonstrare valeant, tamen sunt tantum dissimiles veræ cum Deo vnitioni, quantū Deus ipse longè excedit omnem creaturam. Primò potest accipere similitudinē de arbore, cui surculus inseritur, vbi surculus vna arbor efficitur cum trunco per nutrimentum terræ: sic etiā anima per nutrimentē gratiæ & amoris vnus spiritus fit cum spiritu Dei. Hanc vnionem Christus nobis promittit, dicens: *Ego sum vitis vera, vos palmites. Manete in me, & ego in vobis*, vt *fructum* plurimū afferatis. Secundò potest accipere similitudinē de vino, cui gutta aquæ infunditur. Aqua illa in vinum mutatur & amittit propriam naturam, assumēdo naturam vini in colore, odore, sapore, & in omni virtute. Sic etiam cadit anima in immensitatē Dei sicut gutta aquæ in magnitudinē maris, seruatque ipsa duntaxat essentiam suam, sed omnes vires eius sunt deificatæ, hoc est, Deo perfusæ, quemadmodū stella, quæ tenebrosa est in substantia, perfruitur claritate solis. Et tunc anima nostra erit materia quasi corpus, & Deus forma eius, anima eius, & vita eius; sicut nunc anima est forma, & vita corporis. Horum autem duorum vnio erit tam iucunda & nobilis, quòd si alicui bene cognita esset, & ipsam sensisset, & postmodum per attentionem circa ipsam quietus immoraretur

Iohan. 15.

raretur, non facilè se cõtinere posset, quin in spiritu raperetur. Idcirco frater Aegidius, tertius discipulus S. Francisci, postquam spiritus suus semel fuerat vnitus spiritui Dei (ita vt Deum eminenti modo videret) adeò paratus erat idem spiritus eius sursum rapi, vt si veniisset per viam ambulando, sibique dictum fuisset duntaxat hoc verbum, Paradisus, statim raptus fuisset, si solùm cogitationes suas direxisset ad excessum mentis, in quo anima eius transformata fuerat cum Deo. Ista similitudo signatur in Missa, quando vna gutta aquæ ponitur in vinum consecrandum. Tertiò potest accipere similitudinem de ferro, quod ponitur in ignem ardentem, quod totum candescit à magnitudine caloris: & cùm extrahitur, tunc ignis & ferrũ sunt eiusdem quantitatis: quia secundùm quantitatẽ ferri, cernitur etiam ignis. Ferrum autẽ suam substantiã retinet, sed mutatũ est in colore & natura, quia de natura eius est frigiditas, & nunc calet, & sic de alijs. Sic anima quãdo trãsformatur in Deũ, efficitur etiã secũ vna altitudo, vna profunditas, vna longitudo, & vna latitudo, amittitq; omnem suam actionem: sed vires eius aguntur à Deo, qui est vita eius, sicut corpus mortuum est in seipso, & omnis vita eius, motus, & operatio ab anima sunt. Quartò potest accipere similitudinem subtiliorem de duobus speculis; quia quando duo specula contra se inuicem tenentur, tunc vnũ recipit in se totaliter imaginem alterius, cum imagine suipsius alteri speculo iam impressa. Sic etiam fit in istis speculis intellectualibus, scilicet æternitatis Dei, & humanæ mentis: quia quando impletur illud libri Cantici Canticorum: *Dilectus meis mihi. & ego illi, & ad me cõuersio eius*, tũc hæc duo intellectualia specula contra se posita sunt. Quãdo igitur Deus animam clarificare vult lumine claritatis suæ, tunc recipit anima in se perfecto modo imaginem & claritatem, cognitionẽ & fruitionem Dei, & cum hoc suam propriã cognitionem & fruitionem in Deo, multò perfectius quàm materialia specula: quia illa manent semper essentialiter à se inuicem disiuncta: sed anima quàm citò recipit gloriosam illam imaginem æterni speculi in sua incomprehensibili claritate, eodem momẽto vnitur eidem incomprehensibili, glorioso, claro, diuino speculo, & in eo absorbetur, & dilatatur, sicut se vnit & dilatatur gutta aquæ cadens in amphoram vini, aut scintilla volans in magnum immensumq; ignem. Et quamuis res istæ, de quibus hîc similitudinem adduxi, sint tam modicæ in cõparatione ad veritatem, quæ in felici anima implebitur, quemadmodũ granum sinapis ad

Frater Aegidius.

Cantic. 6. & 7.

magnitudine supremi cæli: nihilominus ex huiusmodi similitudinibus potest homo concipere in corde obiectum quoddam, & desiderare tali modo vniri Deo, & præcipuè in exercitatione amoris, cuius natura est optare de duobus vnum efficere. Appellatur autem exercitium istud vnitiui amoris, qui necessarius est ad ambulandum viam istam.

De vtilitate vnitiui amoris. Cap. XXXIV.

NVnc posset aliquis quærere, quæ vtilitas consistat in isto vnitiuo amore magis, quàm in alio cõmuni practico amore. Circa hoc scias, quòd amoris huius actus, quò ad substãtiam, oriri etiam posset ex natura & exercitationibus, stans solus sine omni gratia extra statum salutis, sicut & omnis sensibilis & practicus amor potest: & in seipso tantum est Deo acceptus, quantum de essentiali illo charitatis amore (de quo postea audiemus) & de alijs virtutibus acquisiuit, & non amplius. Sed actio eius est vigorosior, & obsequium vtilius ad proficientem vitam, quàm aliquod obsequium cuiuscunque alterius sensibilis aut practici amoris: quia adeò æstuans est, vt mediãte ad Deum conuersione, omnes tentationes per ipsum fugentur, sicut muscæ non audent appropinquare ollæ calidæ aut bullienti, sed superuolitant donec tepescat. Sic etiam tepidi multum impugnantur tentationibus peccatorum, sed non feruentes: nisi contingat ex speciali Dei permissione, ad probandos eos, quos diligit, & ad præparandam eis maiorem coronam. Istud autem alius amor, qui adeò æstuãs aut feruens non est, non potest efficere. Secundò, iste amor est tam velox vt in momẽto penetret & relinquat omnẽ multiplicitatem & distractionẽ cordis, cùm se ad Deum conuertit, vbi alium amorem sæpe diu & multũ oportet laborare. Tertiò, adeò est impetuosus aut stimulatiuus, quòd præ alijs multum vigorosè impellit hominem ad totalem resignationem & mortificationem suijpsius: & vbi alius amor mortificationem cum difficili suijpsius victoria exercet, iste amor operatur cum desiderio & iucunditate. Similiter in profectu quarumcunque virtutũ plus potest proficere in vna hebdomada, quàm alius amor in anno. Quartò, tam auidus est ad dilectum, hoc est, ad Deũ, quòd semper vnit hominem Deo sine medio: quod alius amor non facit, & propterea recipit multo plures occultas notitias * à Deo, & illuminationes, & familiaritatem maiorem: quia subuehit spiritum nostrum multò sublimius in contemplatione, profundius in amore, atque in deuotione magis

Amoris vnitiui vis.

* Aliâs de Deo.

magis continuè. Ipse adeò eleuat animum, vt suspensus maneat supra omnem multiplicitatem & solicitudinem, supra omnem distractionē & inquietudinem, & supra omnem naturalem passionem, puta inordinatum amorem, odium, vanam spem & timorem, vanam lætitiā & tristitiam, similiter supra omnem prosperitatem & aduersitatem, honorem & confusionem, & ita in omnibus, quæ accidere possunt, suspēsus manet supra omnem inordinationem, voluntate totaliter vnitus & transfusus in beneplacitum Dei, licèt modicam indispositionē sentire posset in inferiori homine, quæ tamen citò perit. Hic itaq; amor hominem citissimè, facillimè, & perfectissimè Deo vnit & assimilat, quādo debitè exercitatur: & ideo lætificat Deum & Sanctos eius, sicut in Psalterio scriptum est: *Fluminis*, (hoc est, amoris) *impetus lætificat ciuitatem Dei: sanctificauit tabernaculum suum altissimus*, plenitudine scilicet gratiarum. Psal. 45.

De altero pede contemplationis, quo anima graditur ad Deum: cogitationes quænam in memoria locum habeant. *Cap. XXXV.*

NVnc procedendum ad præparandam alteram viam, seu alterum pedem contemplationis, id est, virtutem intellectiuā. Hæc præparatio perficitur, cum tres superiores potentiæ (quæ appellantur vires intellectiuæ, vel etiam spiritus hominis) bene ordinatæ fuerint, quia secundùm illas dicitur anima spiritus. Primò ergo oportet memoriam præparari, ita quòd in se non permittat hærere aut figi vllas cogitationes, quæ hominem deorsum trahere possunt, ad inferiores scilicet animæ vires, id est, vim concupiscibilem, irascibilem, aut inferiorem rationalem: hoc est, oportet, vt caueat sibi ab omni impressione cogitationum, quæ trahere possunt ad inordinatas affectiones, cuiuscunque infra Deum existentis, quantumcunque nobile, sanctum, aut vtile in se esse videatur: quia inordinatio affectionis illud pro tunc reddit inutile, imò nociuum. Similiter à cogitationibus, quæ trahere possunt ad iracundiam, inuidentiam, amaritudinem, aut murmurationem, detractionem, & similia, quæ dulcedinem spiritus inficiunt: & etiam ab omnibus cogitationibus, in quibus ratio nimis occupatur, cum exterioribus rebus, licèt in se malæ non sint. Sed semper seruare debet memoriam suam liberam, inoccupatam, & otiosam ab omni impressione imaginum & cogitationum quocunque modo

Memoria quò præparetur.

Cor quomodo erigendum ad Deum.

incidentium, quæ non prosunt ad amorosum influxum in Deum, & per hoc omnes potentias animæ suæ optimè seruabit re collectas, Deoque coniunget. Pro isto quoque obtinendo non est melius consilium, quàm vt assuescat sedulè cor suum erigere in Deum amorosa effluenti affectione, & breuibus ignitis oratiunculis, prout supra tactum est. Quia candela recenter extincta, quamdiu fumigat, potest citius reincendi, si teneatur, etiam à longinquo, sub alia candela ardente, & fumus eius tangat flammam candelæ ardentis: quia tunc flamma descendens, incendit etiam candelam ipsam fumigantem. Ita pariformiter fit in anima sæpe se erigente per amorosum effluxum in Deū: quia quàm citò se mouet ad Deum, descendit in eam flamma diuini amoris, per quam allicitur Deo semper inhærere amorosis aspirationibus: & istud seruat cor adeò liberū, vt nullæ in ipso imagines possint figi aut hærere, sicuti postea latius audiemus.

Intellectus quomodo purificetur. Cap. XXXVI.

SEcundò oportet intellectum præparari, & debitè ordinari ad operandum in intellectuali lumine diuinæ claritatis. Ad hanc autem præparationem non tantùm requiritur puritas, quæ acquiritur per lachrymas & gemitus oculum lauantes, & mundantes, sicut Dauid dicit: *Lauabo per singulas noctes lectum meum*, hoc est, mundabo cor meum, quo Deus cernitur, *lachrymis meis* ab omnib⁹ peccatis meis: (quia aliàs non posset congruè, vel debitè recipere influxum diuinæ claritatis, sicut speculum humanam faciem clarè non recipit, cùm fuerit anhelitu alicuius, aut aliunde obtenebratum: sed oportet ipsum etiam esse parum, in hoc videlicet, quòd in sua contemplatione nulla curiositas, præsumptio nouitatum, aut etiam vanitas, vel infructuositas lateat, sicut contingit, quando exercitium vitæ contemplatiuæ in solo intellectu sit, & affectio ibi opus suum non habet, puta excitationis diuini amoris, propriæ emendationis, & præcipuè mortificationis suijpsius: sed aliud obiectum habet ipsum excitantem, scilicet curiositatem, & similia. Præterea, vt potentia intellectiua debitè præparetur, & apta efficiatur, oportet, vt in prima irradiatione diuinæ gratiæ, & claritatis, aut veritatis, ad seipsam se cōuertat, vt sciat, si omnia idonea facta sint in se, ad recipiendam nobilem illam internam operationem Dei. De hoc dicit Bernardus super Cantica sermone octogesimo quinto: Cùm veritas in mente fulget, & mens in veritate se videt, in nullo conscia sibi

Psalm.

Intellectus quibus præparetur.

sibi quod erubescat præsentiam veritatis, hoc est illud decorum, quod super omnia bona animæ, diuinos oblectat aspectus. Attamen istud nō sufficit, sed oportet vt intellectus duo in homine inueniat, si liberum, & inconfusibilem accessum ad Deum habere debeat in contemplatione. Primum est, vt nihil notabile de peccatis inueniatur in conscientia, quod non sit deletum per veram contritionem, confessionem, & *pœnitentiam. Secundum est, vt non possit inuenire in tempore, vel æternitate aliquid tam graue, durum, pœnale, aut naturæ contrarium ad acceptandum, quin se ad hoc semper paratum inueniat, siue sit confusio, persecutio, iniuria, amissio bonorum temporalium, aut amicorum, infirmitas, vel pœna. Et generaliter in omnibus, quæ excogitari possunt in tempore isto aut æternitate, oportet vt se voluntariè resignet in beneplacitum Dei, vt illud erga se fiat, etiam si deberet æternaliter iacere in pœnis inferni. Hæc voluntaria resignatio generat liberum accessum ad Deum, libertatemq; petendi omne, quod Deus dare potest, imò quòd ipse Deus est. Alioqui quomodo posset homo rationabiliter petere omne, quod Deus est, & dare potest, si non prius ipse Deo offerat largo corde & amoroso affectu omne, quod ipse est, & dare potest, agere, aut pati? Et tunc primùm homo propriè est totus conuersus ad Deum, & idoneus effectus ad recipiendum omnē influxum gratiarum Dei, & debet istud semper præcedere in conuersione ad Deum. Includitur etiam in isto secundo puncto præparatio voluntatis, quæ se tam perfectè transfundere debet in voluntatem Dei, vt in nullo hæreat in seipsa: & hoc faciet hominem liberum, ita quòd nusquam in inferiori homine impedietur offerre se nudum inter brachia nudi amoris Dei. Et secundùm quod se præparauerit in his tribus, secundùm hoc expectare poterit diuinum, & spiritualem influxū multiformium donorum, & illustrationum Dei. Quando igitur intellectuales istæ vires hoc modo paratæ sunt, tunc secundus pes, scilicet intellectus, præparatus est ad currendum, per cognitionem in occultis vijs spiritualis cōtemplationis, quia hæc tria prædicta visum spiritualem causant. Et quemadmodum amor vnitiuus, est obiectum, ad quod pes amorosæ affectionis tendit in via illa, qua affectus præcedit: ita radius diuinæ intellectualis charitatis obiectum est, ad quod pes intellectus tendit, quando ipse præcedit.

Puritati intellectus duo necessaria.

*Aliàs satisfactionē. Resignatio.

Voluntas quomodo præparetur.

De tribus gradibus diuinæ cognitionis. Cap. XXXVII.

HIC consequenter est sciendum, quòd influxus diuini claritatis intellectualis, quibus homines illuminantur ad cognitionem fieri possunt mille modis: quia Spiritus sanctus innumeris modis operari potest. Assignandi tamen sunt de isto tres gradus, ad similitudinem solis, cuius claritas ab exterioribus oculis nostris recipitur tribus modis, scilicet in obiecto aliquo, puta ligno, lapide, terra, sole splendente super aliquod horum: secundò in radijs solaribus, & tertiò in substantia vel essentia solis. Sic etiam in tribus gradibus recipiũt homines irradiationem diuinæ claritatis. Vt autem non erres, semper nomine fulguris, aut luminis, aut diuinæ claritatis, intelligendum est intellectuale lumen, præbens nobis occultam cognitionem de rebus diuinis aut spiritualibus, & nõ claritas aliqua, quæ similis sit exteriori claritati. Primò ergo potest æterni solis claritas recipi in obiectis, id est, in Scripturis sacris, vbi sub cortice literæ per donum intellectus inueniunt tam sublimem, cælestem atque diuinam cognitionem, & profundos sensus, quòd huiusce modi non possent ab aliquo Doctorum inueniri: quippe cùm ineffabilia sint ea, quibus nobilis mens illustratur. Imò intellectus plerunque in tantum cognitione ditatur, quòd animatot recipit, & tã multiplices occultos, & profũdos sensus in Scripturis, quot sunt verba in Veteri, & Nouo Testamento, & illos omnes trahit aut refert ad fomentũ amoris. Per istud spiritus valde eleuatur, prout frater Rogerius Ordinis Sancti Francisci de seipso ait: Scio hominem, qui cẽties in vno matutino, & fortè in quolibet versu, sursum tractus fuit ad altissimã intelligentiã diuinorum secretorum, & tamẽ ipse tractui illi resistebat totis viribus. Interdum etiam cogitur sibi ipsi tantam violentiã inferre, ad subterfugiẽdum secretum amplexũ Dei, quantam vix aliquis sibi infert ad appropinquandum Deo: quia nonnunquam Deus ei tam supereffluenter expãdit sinum diuinæ suæ bonitatis, & gratiæ, quòd pro certo agnoscit, si vigorosè figeret in huiusmodi oculũ intellectus sui, tam profundè mergeretur in abyssum diuinitatis cum spiritu suo, quòd inde viuens nunquã exiret. Ecce, hæc sunt verba fratris Rogerij. Secundò potest recipi in suo radio, quando spiritus hominis suspensus contemplatur æterna: & in his adeò eleuatur, vt spiritus magis agatur à Spiritu sancto, quàm agat, rapiaturque supra seipsum, vbi mirabilis claritas cognitiõis recipitur de sancta Trinitate, de æterna generatione Filij, de mirabilibus operationibus Spiritus sancti, & de similibus. De hoc dicit Dionysius ad *Titum: Verte

Claritatem solis recipi tr. fariam.

Lumen intellectuale.

Frater Rogerius.

*Timotheum.

te ad

te ad diuinum radium: quasi diceret: Non quæras alium doctorem, nec aliud exemplar, sed teipsum conuerte introrsum & eleuãdo omnes vires tuas, vertete ad lumẽ diuinum, vbi immediatè à Deo doceri, & spiritualiter posis nutriri. Per huiusmodi continuam introuersionem ad Deum, cognitionem de Deo, & spirituale nutrimentum homo plus in cælo conuersatur quàm in terra, manetq; suspensus in Deo, sicut radius in sole. Huiusmodi etiam spiritualibus radijs anima spiritualiter cibatur, nutritur, & iugiter in Deum trahitur: poteritq; in hoc per perseuerantiam vel continuam exercitationem adeò habituari, vt sibi labor sit, & tædium iterum descendere, & crux inferioribus occupari, sicut legimus de quadam sancta virgine, quæ Claræ dicebatur. Ista omnes cogitationes, & affectiones suas ita in amorem Dei iactauerat, & cum omnibus viribus suis tam continuè in Deum fluebat, quòd anima eius seu spiritus semper in Deo suspensus esse videbatur. Reuelabatur autem cuidam deuotæ personæ, quòd sine intermissione semper in eam fluebant radij diuini, quibus ipsa nutriebatur. Et iste influxus trahebat omnes vires eius sursum in Deum, in tantũ, vt vsum naturalium virium suarum amitteret. Accidit semel in die Epiphaniæ, ipsam valde vigorosè trahi sursum, adeò vt triginta diebus sequentibus rapta maneret; ita vt nullam haberet memoriam secularium rerum, nec vllam intelligentiam eorum, quæ circa se fiebant. Non sumebat cibũ, vel potum, nihilque sentiebat in corpore suo. Post hoc, quãdo ad se rediit, videbantur sibi triginta illi dies non nisi tres fuisse. Quatuor etiam mensibus post præfatos triginta dies, quando se terrenorum cura occupare cogebatur, quia Abbatissa erat cuiusdam monasterij, non potuit cor suum deorsum deducere, aut de temporalibus cogitare: & putabat quòd semper sic permansisset, nisi sedulè coacta fuisset cor suum occupare curis temporalibus. Tertio claritas ista potest recipi in se ipsa, de quo tertium gradum describam. Sic ergo habemus præparationẽ vitæ contemplatiuæ. S. Clara.

De ornatu vitæ contemplatiuæ spiritualis per septem dona Spiritus sancti. Cap. XXXVIII.

PRosequendo secundum, qualiter ista vita contemplatiua ornari debeat, sciẽdum, quòd immensa liberalitas Dei (postquam se homo fideliter præparauerit) cõtinere seipsam nõ valet, quin ipsum dotet non solùm sensibili gratia, & amore, verumetiam vult omnes

morales virtutes ornare, & sublimare perfectis donis Spiritus sancti, quibus totus homo decoratur, & Deo acceptus efficitur: imò desponsatur Deo, & immediatè pferunq; vnitur: quia Spiritus sanctus tunc venit cum tribus Theologicis virtutibus, & veluti fons septē riuulis perfluit omnes vires animæ, & replet eas donis suis. Vt autē habeamus notitiam istorum donorum vitam cōtemplatiuam ornantium, sciendum, quòd primum inter ipsa vocatur timor filialis, qui hoc modo animā ornat. Sanctus Thomas dicit, quòd dona Spiritus sancti perficiunt potentias animæ per hoc, quòd ipsas reddunt promptè mobiles à Spiritu sancto, ita quòd Spiritus posit in eis operari quæ voluerit. Et istud primò facit timor filialis, imprimens cordi erga Deum paternā amorosamq; reuerentiam, & volūtatem propriam cum gaudio, & desiderio totaliter subdens volūtati Dei. Imprimit etiam cordi nobilem erubescentiam coram Deo, quando aliquid facit, quod Deo displicere posset: quæ erubescentia cor humiliat, & excitat ad contemptum & displicentiam suijpsius. Consequenter etiam reijcit omnem seruilem timorem, puta de inferno, purgatorio, iudicio, morte, & similibus; & etiam temporalē timorem, scilicet de pœnis, confusionibus, amissione temporalium, persecutione hominum, & similibus: quia resignat se in beneplacitum Dei, & relinquit duntaxat in homine timorem, qui est ad Deum, videlicet eum offendendi, in eius amore tepescēdi, familiaritatem eius amittendi, & similium, ita quòd generaliter eijcit omnem timorem, qui pœnam facit, satagitq; se transformare in amorem: pressuram etiam cordis ex timore pœnali venientem, conuertit in dulcedinem, sicut Dauid dicit: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timētibus te.* Timor iste excæcat oculum sinistrum, hoc est, mortificat in exercitijs, & operibus virtuosis omnes alienas intentiones, in quibuscunque moralibus virtutibus latere posibiles, quæ frequentant homines, qui propriè aut principaliter Deum non quærunt: & eleuat intentionem in Deum solum, quia origo operum ex Deo venit, hoc est, ex Spiritu sancto. Et hoc modo dona Spiritus sancti ornant, nobilitant, & exaltant virtutes morales per amorosam intentionem, quam in Deum vehunt, & operantem reddunt voluntarium, & anhelantem ad bonum faciendum, & malum * dimittendum. Hic timor subiectum reddit hominem omni creaturæ secundùm suum sentire, & etiam affectum, puta quòd se reputat, sine fictione viliorem peccatorem totius mundi, & desiderat etiam talis ab aliis repu-

Timor.

Timoris effectus.

Psal. 30.

*Aliàs tolerandum.

ſs reputari, gaudens in omni ſui deſpectione. Tales appellantur in Euangelio *pauperes ſpiritu*, hoc eſt, humiles affectione. Secũdum donum Spiritus ſancti vocatur pietas, & eſt ſancta quædam liquefactio animæ in virtute pietatis. Iſta pietas eſt ſpiritualis quædam deuotio ad omnia ſeruitia Dei, & affectuoſus impulſus ad auxiliandum, & obſequẽdum omnibus hominibus, veniens ex influxu diuini amoris. Et ſicut intentio miſericordiæ, prout eſt moralis virtus, in exercitijs operum miſericordiæ eſt naturalis ſeu humana, ita intentio pietatis in exercitijs operum miſericordiæ eſt ſolummodo deificata, quia Deus in omnibus finis eius eſt. Conſequenter ſciendum, quòd exercitium pietatis conſiſtit in triformi actu. Primò, in honorando, regratiando, & laudando Deum cum magna dilectione, & deſiderio: item in mortificando ſeipſum iuxta beneplacitum Dei, & in ampliando diuinum cultum ſecundùm poſſe ſuũ in omnibus hominibus: quia Bernardus ſuper illud Pauli. *Exerce teipſum ad pietatem*, dicit in Epiſtola ad Fratres de Monte Dei, Ordinis Carthuſienſis: Pietas iſtiuſmodi eſt iugis Dei memoria, continua intentionis actio ad eius intelligentiam, & indefeſſa affectio ad eius amorem, vt nulla vnquam inueniat ſeruum Dei, non dicam dies, ſed & hora, niſi vel in exercitij labore, & proficiendi ſtudio, vel in experiendi dulcedine, & fruendi gaudio. Et iſtud eſt valde contra tepidos ſpiritu, qui in ſuis exercitijs multam ſenſibilem deuotionem recipiunt, & in ſe inueniunt promptam volũtatem ad omne bonum: ſed iſtiuſmodi dono ſunt multum ingrati, multumque temporis otioſè expendunt ſine neceſsitate, cùm tamen nulla exteriori cura neceſſariò ſint onerati, & tam magna commoda, vel diſpoſitiones commodoſas habeant ſine intermiſsione fluendi in Deum. O quàm diſtrictam rationem de hoc reddere habebunt propter ingratitudinem donorum Dei, videturque eorum deuotio magis venire ex natura, quàm ex Deo, ex quo propter modicam cauſam, vel etiam ſine cauſa, tam otioſè, aut vanè tempus ſuum conſumunt. Amor enim ſemper trahit hominem ad originem, vnde ipſe amor effluxit: ſi ergo amor iſtorum eſſet ex DEO, tractus ipſius tam vigoroſus eſſet ad Deum, quòd ſecum non compateretur* otioſum ſpiritum. Secundò pietas operatur cuſtodiam ſanctitatis, ſicut Salomon dicit in Prouerbijs: *Omni cuſtodia ſerua cor tuum*, quoniam *ex ipſo vita procedit*. Et iſtud precipuè neceſſarium eſt homini proficere volenti in vita contemplatiua: quia non poterit piè affici, niſi ſanctitatem amet. Idcirco cùm Ieſus

Matt. 5. Pietas.

Pietatis effectus.

1. Tim. 4.

Pietas quid?

Intepidos ſpiritu.

* Aliàs repidum, Prouer. 4.

Cant. 5

contemplatiuam animam vocaret ad exteriorem hominem in subsidium aliorum in operibus misericordiæ, respondit ipsa in Canticis Canticorum: *Expoliaui me tunica mea*, hoc est, exteriori occupatione, heu *quomodo* iterũ *induar illa? laui pedes meos* hoc est, vim intellectiuã, & affectiuã, heu *quomodo* iterum *inquinabo illos?* scilicet imaginib⁹ creaturarũ, quia cùm se homo extrouertit, difficilè est quin cogatur interdum mediante sensualitate terram tangere, & pati inordinationem aliquam in sensualitate. Tertiò operatur abundantiam compassionis fraternæ erga omnes homines sine personarum acceptione in subsidijs spiritualibus, vel corporalibus: quia educit hominem cum amorosa compassione, quæ cor compungit, & compassiuum efficit in omni necessitate quorumcunq; hominum: & hoc modo generat in ipso generalem quandam amorosam inclinationem, & effluxum ad omnes creaturas propter earum Creatorem, redditque eum beneuolum, obsequiosum, & promptum in quibuscunque subsidijs, salua discretione.

Scientia.

Tertium donum est scientia, id est, notitia credendorum, agendorum, vel dimittendorum, ita vt non deuiet homo à via iustitiæ. Est enim scientia hæc supernaturalis quædam notitia infusa rationi, per quam exercere valeat omnes virtutes morales in vera perfectione, dans veram notitiam & discretionem omnium virtutum. Istud bonum illustrat & ordinat exteriorem hominem, sicut donum intellectus illustrat & dirigit ad interiorem, & ad cælestia.

Scientiæ effectus

Qui igitur hoc donũ scientiæ salubriter accipere voluerit, necesse est vt in se quandam internã diligentiam habeat moriendi omnibus peccatis, & imperfectionib⁹, viuendiq; perfectè in omnibus virtutibus, & semper clarius perfectiusque virtutes intelligendi, & pro earundem notitia habẽda diligentem perscrutationem adhibeat, & Deum exoret, quia ad ista donum istud nos instigat. Hæc tria præfata dona propriè deseruiunt actiuæ vitæ, sicut subsequentia vitæ contemplatiuæ.

Fortitudo.

Quartum donum vocatur fortitudo, prosequendi scilicet omne opus bonum & exercitium. Et quemadmodum tria præcedentia dona exornant hominem ad perfectionem vitæ actiuæ, ita donum istud fortitudinis incipit ipsum ornare in vita contemplatiua. Sciendum tamen quòd duplex fortitudo spiritualis distinguitur. Quædam enim dicitur fortitudo simplex,

Fortitudo simplex.

quæ facit hominem tam validum & potentem, quòd omnia hæc inferiora potest deuincere, & præcipuè ad tria donatur. Primò, ad perficiendas operationes viriles, quibus superentur peccata, & omnes tentationes,

tiones contemnanturq; omnia hæc inferiora, & omnia virtutum ornamenta conseruentur. Secundò, ad fortiter pugnandum contra tentationes diaboli, carnis & mundi. Tertiò, ad sufferendam omnem tribulationem, afflictionem, & aduersitatem per veram patientiam, de qua dicit Cassiodorus super Psalterium: Patientia vincit aduersa, non colluctando, sed sufferendo: non murmurando, sed gratias agendo. Ipsa est, quæ fæces totius voluptatis abstergit; ipsa est, quæ animas Deo lympidas reddit: & tunc totus homo exterius, & interius perfunditur sapore quodam mellifluo: quia (sicut Dauid dicit: *Cum ipso sum in tribulatione*) homo pro tunc est in præsentia altissimæ Trinitatis, à qua recipit mellifluum saporem internæ suauitatis, & consolationis, cuius tractu contemnit omne quod mundi est, liber ab omni inordinatione affectionum, vel occupationum, & præebrietate spirituali non sentit vllam pœnam, tribulationem, aut aduersitatem. Alia nuncupatur fortitudo duplex, quæ facit hominem superando transcendere omnem spiritualem consolationem, sensibilem gratiam, & omnia dona Dei, quantumlibet magna, nobilia, & multiplicia, ita quòd nullo modo quiescere consentit in aliqua spirituali consolatione, dulcedine, reuelatione, aut in quocunque alio dono: sed omnia nititur pertransire, vt eum, quem solum super omnia diligit, ad votum valeat inuenire. Quintum donum dicitur consilium, hoc est, consulta, & certa, aut tuta electio eorum, quæ Deo placita sunt. Istud propriè est donum consilij, quo erudimur ad discernendum rectè ad dictamen rationis, quid vtile, decens & licitum sit: quo subleuamur ad eligendum, quod licet decet & expedit: quo denique expedimur ad prosequendum illud ad operationem virtuosam. Datur etiam nobis donum istiusmodi, ad cõsulendum in istis alijs hominibus: differtque à dono scientiæ, quod docet bene iudicare secũdùm regulas æternæ legis nobis scriptas: sed istud donum docet secundùm regulas æternæ legis bene inuenire, quæ difficilia, ardua, & perfecta sunt, per nos agenda aut fugienda, de quibus determinata regula nobis præscripta non est, quia non vniformiter à singulis quibusque sunt agenda vel cauenda. Donum istud docet nos non solùm vitare exteriorem multiplicitatem, verùm etiam quaslibet intrinsecas multiplicitates docet transcendere in vnitatem spiritus, operaturque in nobis similitudinem quandam & iucundum præambulum supereminentis vnitatis amorosæ fruitionis Dei. Magnũ consilium, soli Deo vniri velle in affectu: sed maius consilium, Deo velle

Patientia.

Psal. 90.

Fortitudo duplex.

Consilium.

Consilij effectus.

vniri per voluntatis conformitatem, etiam in omni aduersitate. Talis namque voluntatis vnione Christus orationem suam terminauit ante
Matth. 26. passionem suam, quando dicebat: *Pater non mea voluntas, sed tua fiat*, quod super omnia Patri complacuit. Tunc diuinum beneplacitum fideli amatori fit summum gaudium secundùm spiritus sensionem. Tunc etiã primò aptus efficitur omnia dona Dei in se suscipere, quia seipsum & propriã voluntatem, & omnia penitus propter Deum sine
4. Reg. 2. retractatione abnegauit. Tunc deniq; cum Helisæo duplicem spiritum consilij recipit, videlicet agendi ardua, & grandia, & cum desiderio grauia & dura patiendi. Sextum donum dicitur intellectus, &
Intellectus. est lumẽ quoddam supernaturale, intellectum nostrũ illustrãs, & subtilians ad comprehendendum internum spiritualem profectum vitæ contemplatiuæ. Quærit autem lumen istud hominẽ internum, transitum sensuum, & omnium imaginum sensualium, & vt naturæ penitus moriatur, & in spiritu viuat. Quãtò enim in nobis amplius mortificamus naturam, hoc est, naturales passiones, quæ præcipuè sunt causa obtenebrationis intellectus nostri, tantò magis dono intellectus illustramur, & acquirimus etiam ex hoc spiritualem quendam sursum impellentem appetitum ad Deum, qui facit hominem viuacem, & vigilantem, & se cõuertentem in Deum. Istud donum habet tres gra-
Intellectus gradus tres. dus. Primus gradus operatur in homine simplicitatem, & vnitatem spiritus, & claritatem intellectus, ita quòd spiritus in seipso simplificatur, clarificatur, & repletur gratia, donisque Dei: similis etiam Deo efficitur per gratiam & deificam charitatem, & stabilitur in vnitate cum spiritu Dei. Secundus gradus docet vitam contemplatiuã absque omni errore ordinare, conuersari in spiritu, de cælestibus, & diuinis profundam habere intelligentiam, atque ex omnibus creaturis, & operibus Dei, intimum ac profundum capere intellectum, & per hoc consurgere in DEVM, ei gratias agendo, laudando, & amando in omnibus. Tertius gradus docet perfectam notitiam in sublimi contemplatione, qua Deum speculatur in spiritualibus similitudinibus, quæ eleuato eius intellectui offeruntur, vt in huiusmodi non erret aut decipiatur. Hoc etiam donum dat nobis notitiam de similitudine Dei, quam in nobis per gratiam, charitatem, & virtutes habemus: & de vnitate, quam in Deo possidemus per fruitiuum amorem,
Sapientia. vbi anima potius agitur quàm agat, sicut postea audiemus. Septimum donum vocatur sapientia, hoc est sapida scientia, de qua Augustinus dicit:

xit libro 14. de Trinitate, quòd hæc est vera differentia sapientiæ & scientiæ, quòd ad sapientiam spectat intellectualis cognitio æternorum, quæ recipitur cum spirituali experimentali prægustatione cælestium, & diuinarum deliciarum: ad scientiam verò prout est donum Spiritus sancti, spectat cognitio rationalis temporalium rerum aut virtutum moralium. Hæc sapientia dat veram cognitionem, quæ intellectū dirigit in omnem veritatem, & spirituālem saporem, qui affectum nostrum erigit ad summi boni saporosam dilectionem. Actus autem eius est, contemplari Deum, non quocunq; modo, sed ex dilectione, cum quadam experimentali suauitate in affectu. Sapientia in gradu suo altiori est increata, diciturq; sapientia increata, & propriè est Filius Dei, aut sapientia Patris, quæ semper optat intellectuali creaturæ infundere sapientiam creatam, qua trahatur ad summum bonum agnoscendū, diligendum, fruendum, & adhærendum. Nobilissimum autem, quod in homine spiritualiter operatur, est tactus quidam, qui fit in vnitate spiritus, & est nouissimum medium inter Deum, & nos; inter agere, & frui, vel agi; inter viuere, & mori, seu expirare. Quid sit iste actus aut tractus propriè, sentiri quidem poterit, comprehendi autem aut explicari nunquam, sed generatur ex eo desiderium tam vehemens seu ineffabile fruendi summo bono, & comprehendēdi bonū immensum quòd inexpertis omnibus incredibile esset. Verumtamen de hoc tactu in subsequentibus plura tangemus. Hæc ergo tetigisse sufficiat, quomodo oporteat eum ornatum esse, qui in spirituali contemplatiua vita verum profectum voluerit habere.

Sapientiæ actus.

Tactus mysticus.

De consurrectione & profectu vitæ contemplatiuæ spiritualis, iuxta tres hominis partes. Cap. XXXIX.

QVomodo in spirituali contēplatiua vita proficere & consurgere vsq; ad perfectum quis debeat, nūc prosequendo est sciēdum, quòd nemo verum profectum habere potest in vita contemplatiua, nisi argumento sa perseuerātia satagat seruare se in exercitatione interioris hominis. Inueniuntur, proh dolor, multi deuoti homines, qui bona quadā simpliciq; intētione se cōuertunt ab interiori homine ad exteriora quædā minus vtilia vel necessaria, vel etiam superflua & inutilia, aut etiā nullius reputationis existentia, per naturalem quandam aut sensualē inclinationem ad talia alliciente. Cumq; taliter extrouersi fuerint ex custodia incauta, paulatim oberrare per cordis

Extrouersio.

distractionem incipiunt, ita quòd non curant se ad interiora conuertere, vt ante consueuerant: & tunc in ipsis rursum redit inordinatio hominis inferioris, qua citius capiuntur aut inuiscantur, puta in multiloquio, rumorum nouitate, societate amicorum, lubricitate aut euagatione sensuum, obliquitate affectionum, & similibus: per quæ appetitus spiritualis incipit fieri insipidus, conatus aut studiositas spiritualis incipit tepescere, & exercitium dissuescere. Cùm autem iterùm se introuertere voluerint, non inueniunt in corde suo requiem, sed inueniunt se obtenebratos, distractos, & à diuina familiaritate multum elongatos. O quàm modicũ & leue est, quod in nobis contristat Spiritum sanctum, & impedit inactionem Dei, præcipuè postquam vocati sumus ad internum amplexum, & spiritualem fruitionem, sicut

S. Clara. legimus de quadam sancta Virgine nomine Clara, quòd post internam vocationem Dei (qua specialiter dotata erat) quodam tempore habuit paruum quendam motum propriæ complacentiæ, & propter hoc ipsi

Abstractio mentis. annis influxus diuini luminis & suauitatis sibi subtrahebatur. Ideoq; oportet hominem facere vniuersalem separationem ab omni creatura, omni occupatione, distractione, ab omnibus cogitationibus & affectionibus vanis, naturalibusq; passionibus, ita quòd nulla res permaneat, quæ inter Deum & amantem animam medium aliquod efficere possit: & tunc plena fiducia poterit arripere iter vitæ contemplatiuæ spiritualis. Vlterius est hic notandum, quòd consurrectio ista habet fieri secũdùm tres potentias hominis, scilicet secundùm inferiores

Consurrectionum fieri tribus animæ vires, secundùm superiores, quæ dicuntur intellectiuæ aut spiritus hominis, & secundùm essentiam animæ Quamlibet autem istarum oportet secundùm modum suum & exigentiam Deo vniri, & in

Virium inferiorum perfectio. hoc totus contemplatiuæ vitæ finis consistit. Exempli gratia: Inferiorum virium perfectio in hoc consistit, quòd vis concupiscibilis eleuata sit supra omne, quod infra Deum est, ita vt in nulla creatura quiescere consentiat, sed in Deo solo, cum assiduo amoroso influxu in ipsum, dicendo cum Dauid: *Renuit consolari anima mea*, scilicet in creaturis, *memor fui Dei, & delectatus sum.* Consequenter vis irascibilis eleuata sit supra omnem tribulationem, nusquam requiescendo, præterquã in exhibitione patientiæ propter Deum, & in amicabili remissione offensæ. & hocamanti animæ fiet multum lene auriculare, super quod etiam Deus caput suum optabit reclinare. Postremò, vim rationalem eleuari oportet supra omnem solicitudinem, multiplicitatem, scrupu-

Psal. 76.

losita-

lositatem,& similia,& dirigi vel transfundi in simplicem vnitatem cogitationum in Deum aut cælestia, prout in sequentibus audiemus. In hunc modum etiam oportet superiores animæ vires suo modo, essentiamque animæ modo suo eleuari & Deo vniri,vt totus homo nobilitetur & beatificetur in vnitate Dei,in quam subleuabitur.

De consurrectione vitæ contemplatiuæ spiritualis, secundùm inferiores vires animæ per quatuor gradus, quorum primus est intractio sensuum & eleuatio cordis.

Cap. X L.

CONsurrectio vitæ contemplatiuæ, quæ exercetur secundum inferiorem partem hominis,hoc est,secundùm inferiores vires animæ adunatas & collectas,ad inchoandum & prosequendum internum exercitium contemplatiuæ vitæ, nunc est discutienda. Hæc autem exercitatio aut consurrectio perficitur quatuor gradibus, inferiorem hominem semper ad altiora subleuantibus, exercitiaque eius nobiliora & fructuosiora reddentibus. Primus gradus est, cùm gratia Dei instar riuuli influit in sensitiuas animæ vires, mouens, stimulans, & excitans hominem,vt toto corde,totisque viribus sursum se erigat ad conficiendam cum Deo amatoriam quandam vnitatem: quam excitationem sentit in corde,vbi sensitiuæ vires vnitæ sunt, & præcipuè in vi concupiscibili. Negotium enim huius amorosæ excitationis & motionis agitur primò in inferioribus viribus animæ, quas prius parari & aptari oportet, & superponi ignem ardentis amoris, quo inferiores vires sursum agantur, priusquam homo ad exercitium superiorum virium peruenire possit. Nemo enim potest veraciter exercitium possidere in interioribus viribus, nisi prius exteriores sensus sint introrsus tracti, liquefacti, & annihilati: simili modo nemo potest verè habere exercitium in superioribus viribus, nisi prius inferiores vires in superiores traxerit, liquefecerit,& annihilauerit, ita quòd pro tunc à propria operatione destituantur. Istud autè multò facilius potest fieri in exercitijs aspirationis & vnitiui amoris,quàm in alijs. Aspirationem verò hanc oportet nonnunquam exercitari etiam cum magno pœnaliq; labore,quando sensibilis gratia nullum subsidiu præbet: in quo falluntur multi, in hac spirituali arte adhuc inexperti putantes hominem in sursum actione spiritus ad Deum,per aspiratiuum exercitium multipliciter dotari spirituali dulcedine,cùm econtrario

Consurrectionis gradus.

Exercitatio amoris.

plerumque necesse sit cor eleuare cum magno labore & extensione spiritus, sicut fit cùm per violentiam aliquid extrahitur è terra, adeò vt ex impetu conatus huiusmodi sæpe natura magnam pœnam & læsionem recipiat, nisi affluens sancti Spiritus gratia abundantia sua pœnã alleuiet & cor indulcoret. Posset autem aliquis interrogare, quæ sit causã istius pœnosæ exercitationis & violenti impetus spiritus, vnde natura ita alteratur & commouetur. Ad quod respondendũ est, quòd natura in se animalis & carnalis atque indomita, spiritum semper deorsum trahit: & ideo necesse est, vt assiduis vigorosis exercitationibus sursum impellatur, & ad spiritualia habilitetur, ne impediat spiritum nimis, sed voluntariè sequatur: quemadmodum animal indomitũ assiduis violentis exercitationibus ad hoc perducitur, vt voluntariè currum trahat aut onus portet. Cumque huiusmodi exercitijs naturã ad hoc perduxerimus, vt exteriores sensus prompti aut parati sint ad introuersionẽ, & vires inferiores ad cõsurrectionem promptæ sine magno conamine per assiduitatem aut vsum exercitandi, quemadmodum legimus multos fuisse naturales, seculares, aut etiam gẽtiles magistros, qui se adeò exercitauerant in ratione & intellectu, ad obtinendam naturalem Philosophiam, vt nullis sensibus exterius vti viderentur, & plerumque extra se raperentur: quanto magis hoc impetrare aut obtinere poterit homo Christianus, per exercitium vis cõcupiscibilis amore diuino inflammatæ? Cùm ergo hoc modo cor paratum fuerit, spiritu Dei potenter influẽte, tunc spiritus noster cum spiritu Dei citò ac facilè sursum trahitur, ad cognoscendas & sentiendas voluptuosas incomprehensibiles diuitias & delicias Dei. Hic tamẽ prudenter obseruandum est, vt in huiusmodi vigorosa, violentaque affectionum sursum actione semper stet resignatus in superiori voluntate & ratione, ita scilicet quòd semper suam voluntatem studeat resignare in beneplacitam voluntatem Dei, siue sensibilẽ gratiã vel deuotionem conferre voluerit, siue non: quia interdum cùm æstuans affectus quæritur maiori impetu & violentia quàm deceat, libertas cordis opprimitur & conculcatur, & cor ipsum inquietum, perturbatum, & deiectum in seipso efficitur, ex quo sequitur maior obcæcatio & elongatio à Deo. Propterea, quamuis spiritum suum penè semper debeat sursum agere non sine aliquali violentia, tamen semper manere debet in quiete cordis, & prudenter discernere quando se ad exercitationem dare debeat, præcipuè, scilicet cùm auxilium gratiæ sentit. Quando au-

Natura quomodo cogenda.

Resignatio affectionis.

do autem se nudatum gratia notabiliter sentit, descedere debet ad considerandos defectus suos, in contemptu suipsius; ad considerandas veras virtutes, vt ipsas obtinere possit; ad considerandas necessitates viuorum & mortuorum, vt pro ipsis oret; vel ad meditandam vitam & passionem Iesu Christi, ad se illi conformandum: & similia, quæ exercenda sunt in extrouersione hominis. Cùm igitur vires inferiores, gratia Dei influente, inflammantur magno impulsu affectionum per ignem diuini amoris, mox omnes vires quasi liquescentes in amoroso quodam & stimulatiuo desiderio concurrunt in vnitatem cordis; vbi anima tanquam in regali lectulo suauiter requiescit, expectans dilectum suum. Ex hac autem vnitate compunctio generatur non doloris, sed amoris: quia toto corde inardescit ad redamandam diuinam liberalitatem, ad laudandum, benedicendum, & ad gratias agendum, in tantum, vt iam sibi incipiat dulcescere, quod ante amarum & laboriosum videbatur: & displicens, tædiosumq; efficitur, quod sibi ante iucundum erat & desiderabile. Inuenit enim in se sapidum quedam cordis appetitum in Deum, tanquã in summum bonũ omnis boni cõtentiuum, per quem omnibus rebus creatis valefacit, ne scilicet earum abusũ foueat sensuales concupiscentias. Sed quia iste gradus hominem necdum perfectè stabilitat in Deo, licèt interdum peruenire valeat ad vnitatem virium sensitiuarum, & etiã quia affectio eius adhuc magis stimulat ad acquirendam sensibilem gratiam & deuotionem, quæ affectio valde adhuc impura & permixta propria quæsitione, quiescendo in donis Dei; idcirco sæpe sibi subtrahitur sensibilis gratia, & permittitur stare nudus: & ideo etiam iste gradus exercitationis affert, & aufert; pauperẽ facit, & ditat; humiliat, & subleuat, lætificat, & contristat; sperare facit, & desperare; & alia in huuc modum inenarrabilia homini in hoc gradu contingunt: quia quando Deus amantem animam relinquit, subtrahendo se & abscondendo, ita vt cum quodam arido affectu sterilis efficiatur, tũc se pauperem inuenit & tepidã, derelictam à Deo & desolatã: sic quòd omnis suauitas in tædiosam amaritudinem cõuertitur; apparetq; homini, quòd sit à Deo derelictus, quia nondũ didicit adorare eum *in spiritu & veritate*, sed tantũmodò in deuotione. Ignorat etiam istud familiare opus & cõsuetudinem esse Spiritus sancti, per huiusmodi hominẽ volentis docere, non quiescere in donis Dei, sed tantùm in Deo, & exercere se ed Deum in aduersis, sicut in prosperis. Præterea in isto gradu cùm anima fuerit dotata sensibili

Exercitia sale condi, enda.

Compunctio amoris.

Iohan. 4.

gratia & deuotione, consurgit in ea ex consideratione immensorum beneficiorum à Deo receptorum, desiderium aut affectio quædam ardens Deum laudandi, honorandi, & gratias agendi. Ex desiderio autē gratitudinis geminus consequenter nascitur dolor: vnus ex defectu, quòd scilicet Deum non prævalet sufficienter laudare, honorificare, & gratias agere: alius consurgit ex desiderio profectus & incrementi virtutum, in quo se semper deficere dolet, & ista duo stimulant eum ad proficiendum.

Dolor desiderij gratitudinis duplex.

Secundus consurrectionis gradus per spiritualem ebrietatem. Cap. XLI.

SEcundus gradus istius consurrectionis, perficitur in sapida voluptate deliciarum spiritualium: quarum suauitate gustata, repentè cor & omnes sensitiuæ potentiæ tanto torrente diuinæ voluptatis perfluuntur, vt se spiritus amans æstimet ineffabilibus diuinis amplexibus penitus inuolutum. Quæ deliciæ spirituales sunt maiores omnibus mundi voluptatibus in vnum conflatis, etiam si omnes pariter capere posset vnus homo. In cuius voluptatis infusiōe Deus per dona sua cordi sic affecto pariter illabitur, magno ardore sui amoris ipsum inflammans, secumq; ferens tantæ suauitatis saporē & spiritualis iucunditatis consolationem, vt cor ipsum melliflua faciat voluptate exundare, homoq; se cōtinere nequeat, quin voluptas illa erumpat: quia repentè inde oritur spiritualis ebrietas, de qua Dominus noster in Canticis dicit: *Bibite amici, & inebriamini charissimi.* Sed ista est adhuc grossa ebrietas, tanquam si rusticus ebrius esset à vino, quòd non esset assuetus bibere.

Deliciæ spirituales.

Cant. 5.

Sciendum verò quòd spiritualis ebrietas est vberior affectiui saporis & internæ voluptatis in corde receptio, quàm cor ipsum possit exoptare aut digerere: qua humanum cor tanto stimulo diuini amoris & desiderio diuinæ fruitionis tam validè inflammatur, apertisq; arterijs & meatibus in seipso in tantum dilatatur, vt sibi appareat pectus nimis paruum fieri, seque ibi ita angustatum, vt necesse sit vbertatem spiritus cum violento ardore erumpere. Flammam etiam amoris magna abundantia voluptatis confotam, cogitur signis exterioribus manifestare, velit nolit: quia sua violentia impetuositate commouet totum hominem, quemadmodum Apostoli dotati Spiritu sancto, videbantur ebrij esse *must o*: quia huiusmodi feruor infusus cordibus inexpertis

Ebrietas spiritualis.

Actor 2.

pertis & inexercitatis, in primis non potest compesci quin erumpat insuetis gestibus, quos foris ostendunt: sicut vinum nouum recenter infusum vasi ebullire necesse habet, quod tamen postmodum non ebullit, sed ab omni operatione vel feruore quiescit: sic etiam ista superabundans gratia erumpit foras in gestibꝰ exterioribus varijs modis, in quibusdam per cantica diuina & iubilationes, in alijs copiosis lachrymis & gemitibus, in alijs diuersis insuetis vocibus aut sonis, quos edunt, sicut frater Massæus, qui in sua iubilatione aliud non loquebatur nisi v. v. v. a. Frater Massæus.

Alij membris omnibus tremunt, aut quibusdam membris adeò inquieti sunt, vt cogantur currere, quemadmodum legimus de fratre Bernardo, primo filio spirituali S. Fráciſci, quod plerumq; multis diebus currere consueuit per montes & valles. Frater Bernardus.

Alij coguntur saltare: alij manibus plaudere: alij interius magnitudine voluptatis liquescunt: quidam etiam habent adeò vigorosos impulsus, vt eis videatur, se pr̃e abundantia voluptatis rumpendos instar vasis absque spiraculo musto pleni. Et istis similia contingunt modis innumeris, quibus omnibus abundantia spiritus manifestatur. Et hæc est delicatior vita, quàm recipere possumus secundùm inferiores animæ vires, collectas in vnitate cordis.

Pericula in isto exercitio contingi solita. Cap. XLII.

COnsequenter in isto gradu duo consideranda occurrunt: Primum est, de exercitio aspirationis, de quo in præcedentibus tetigi, quòd scilicet illud in hoc gradu adeò violentum & impulsiuum efficitur, quòd homo in sua ad Deũ conuersione statim sentit circa cor magnum validumq; motum: quia cor saltat in pectore velut piscis in aqua: & tunc repente sensitiuæ vires colligumtur in vnum, & in vna affectione liquefiunt, ita vt omnem distractionem oporteat cedere. Illis autem, qui in ista via se bene aut fideliter exercitauerũt, istud continget, quoties & statim vt se ad Deum conuertere voluerint, etiam millesies in die. Cordis impetus.

Quando igitur aliquantisper circa istam introuersionem perseuerare vult, tantam violentiam cor suum ab affectionibus sustinebit, quòd exteriora membra sua compescere non valebit, quin exterius bene aduertatur ab eo, qui huius rei intelligentiam aut experientiam habuerit. Cor etiam in corpore nõ solùm saltabit, verùm etiã aperiet se, & claudet in modum ianuæ, ita vt plerumq; etiam audiri possit. Ex hac magna cordis agitatione sæpe venit in caput ascendendo magnus vẽtus, ac si gladio caput ipsum percuteretur: quia impulsus

Exercitia fortia quatenus exercenda.

cordis adhuc sursum ascendit, & si habuerit caput debile, diu durabit iste ventus: si verò fortis capite fuerit, peribit mox vt exercitium dimiserit: imò non recipiet ipsum, nisi cum punctionibus, quæ statim recedent. Et secundùm hoc necesse est vt vigorosa stimulatiua exercitia moderetur, ne caput suum nimis debiliter, sed expectet (moderata exercitatione) donec exercitium per se subtilius efficiatur, quia quãtò diutius se homo in isto exercitauerit, tantò aptior semper efficitur spirituales impulsus recipere, & vti sine læsione. Simili modo contingit ex isto magno vigoroso, impetuoso, aut stimulatiuo exercitio, quò sanguis circa cor propter ingentem calorem & pressuram bullire incipit, præsertim in illis, qui natura impetuosi & studiosi sunt, & affectione stimulatiui aut impulsiui, qui licèt sentiant præfatum calorẽ circa cor, aut sanguinis ebullitionem, nihilominus instant se per suum exercitium semper perurgendo sine discretione: finaliter autem sæpe seipsos perducunt in magnam tribulationem, quia sanguis ex cõtinua ebullitione circa cor, valde ingrossatur & inhabilitatur. Et cor hominis (quod naturaliter se aperit in omni iucunditate & affectuositate, in omni actuosa deuotione & sensibili amore) naturaliter se claudit, eò quòd non vult recipere grossum sanguinem iacentem circa cor, ingrossatum ex nimio calore, qui euenit in exercitatione: & tunc spiritualis iucunditas vertitur in mœrorem, quia naturale est vt clausum cor contristetur, & triste claudatur. Hæc autem clausura cordis frequenter tam firma efficitur, vt nullo modo iterum velit aperiri: & tũc priuantur omni deuotione sensibili aut experimentali, & sensibili amore: tunc conqueruntur se à Deo derelictos, & in pusillanimitatem deueniunt, & penè in desperationem, cum tamen verè hoc sibijpsis fecerint per indiscreta exercitia, quibus naturam inhabilem fecerunt ad seruiendum spiritui. Et quantò amplius laborant cum violẽtia pro deuotione recuperanda, tantò magis ab ea elongantur. Etiam per impatientiã & inquietudinem cordis magis indispositi efficiuntur, obtenebrãtur, obdurantur, & peruertuntur in seipsis, perducuntq; se ad ineffabilem angustiam & tribulationem, de quo postea tangemus.

Cordis clausura.

Propriam quæsitionem & voluntatem summo studio esse necandam. Cap. XLIII.

SEcundò in isto gradu est prudenter aduertendum, quòd ad fidelem amatorem spectat instar apis argumentosæ circumuolare rationis

tionis & considerationis alis super omnia dona dilecti, tam præterita, quàm præsentia, charitatiuæq; discretionis aculeo sic singulas suauitates diuinæ consolationis delibare & gustare, vt in nullo dono moras contrahat quiescendo, sed ex quolibet materiam assumat spiritualis mellis, hoc est, spiritualis laudis & gratiarum actionis: illoque onustus reuolet cum affectu ad diuini amoris vnitatẽ, in qua cum Deo manere desideret in æternum. Et isto diuino amore voluntatem suam tam firmiter obligabit, omnem proprietatem suæ voluntatis tam plenè in diuinum beneplacitum resignando, vt nullam aliam in se volũtatem sentiat, quàm diuinam. Et tunc verè contrahit spiritualia sponsalia cum Deo, animã suam desponsans in electam sponsam Christi. E- contra autem quamdiu voluntas sua non est conflata amoris igne in beneplacitum Dei, tamdiu argentũ à plumbo non est depuratum, hoc est, voluntas nostra nondũ purgata est à proprietate, qua nosipsos quærimus & intendimus. O venenosa proprietas, quàm magnum impedimentum facis in his, qui desiderant proficere in virtutibus. Tu enim omnia bene acta hominum inficis, & efficis ea Deo minus placita: tu abuteris omnibus donis Dei, facisque ea hominibus inutilia. Et ideo nemo facilè debet arbitrari se aliquam sanctitatem adeptum, cùm dotatur sensibili deuotione & amore: quia multæ affectiones & sensiones plerumque consurgunt in homine, quæ magnæ reputantur, cùm tamen nil aliud sint, quàm innati appetitus naturæ aut volũtates propriæ, proprij sensus, nouitates, & curiositates, & à plerisque reputantur magnæ sanctitatis indicia. Nã præsertim infra 40. annum natura multum inclinabilis est, inconstans & affectuosa, quæritans seipsam frequẽter in suis exercitijs, commodum videlicet spiritualis saporis & oblectationis vel solatij, ipsa tamen natura ignorante: & vbi se homo putat fouere spiritualem vitam, pascit naturam propriam cum voluptate: & fortificat propriam immortificatam voluntatem, nisi desiderio potiori, & diligentia fideliter insistat propriæ mortificationi in omnibus & relictioni, & secundùm exteriorem & interiorem hominem perfectæ assimilationi Christi, tam secũdùm humanitatem, quàm secundùm diuinitatem eius purum & intensum amorem semper in Deũ subuehendo, & in solo largitore omnium donorum quiescendo. Et ad ista propriè deseruit quartus gradus amoris, cuius tres primos gradꝰ tetigi in consurrectione vitæ actiuæ, qui appellatur amor calidus: quia est illorũ, qui in tantum appropinquant dilecto, vt igne amoris eius

Quiescendũ in nullo dono Dei.

Resignatio voluntatis.

Voluntaris proprietas.

Inconstãtia naturæ.

Supra cap. 23.

Amor calidus.

valde incalescant: quod inde accidit, quia nullum medium patiuntur inter se & Deum, ita quòd amor eorum oritur ex amore Dei, nihil in amando aliud quærens, quàm purè & nudè solum Deũ. Vt autẽ melius ad istud perueniatur, & in eo perseueretur, debet homo assumere consuetudinẽ offerendi Deo sedulam oblationem affectuosæ & amorosæ gratiarum actionis, & eniti statim reuehere in Deum amoroso effluxu, omnia accepta dona, gratias, virtutes & spirituales consolationes, recognoscendo perfectè, se ista non ex se vel suis meritis recepisse, sed duntaxat purè ex abyssali larga bonitate Dei: fatendo etiam se indignum omnibus donis à Deo receptis, ex intima recognitione propriæ vilitatis, & hoc modo poterit idoneus fieri ad plura dona recipienda.

Reuehenda omnia in Deum.

Tertius gradus consurrectionis, omnia penetrans creata, & animam vulnerans. Cap. XLIV.

TErtius gradus istius consurrectionis fit in quadam exercitatione, & inuitatione, aut allectione cordis ad altiorem, & puriorem complexum diuini amoris in vnitate cordis. Hæc inuitatio super omnes priores delicias, & consolationes cor amantis replet: quia sicut cognitio hominis in isto gradu subtilior efficitur, ita etiam affectio, sensio, inactio gratiæ, intentio & amor multo sublimiora, dulciora, nobiliora, & puriora fiunt. Hæc enim excitatio siue inuitatio, est quædam æterni solis illuminatio, dans homini cognitionem, & desiderium omnia dona Dei, suauitatis videlicet, & consolationis prætereundi, atque sine dilatione consurgendi in nuda brachia nudi diuini amoris: quia in isto gradu Deus trahit hominẽ, & omnes vires eius ad se; & omne quod infra Deum est, fit ei nimis modicum, & vile ad quiescendum in eo. Isto diuino tractu cor ineffabili dulcedine, & iucunditate dilatatur, atque expanditur, ita vt non facilè humana virtute valeat claudi: omnesque vires animæ præparant, & ornant se ad requiescendum in vnitate spiritus, cum dilecto in lectulo amoris, & pacis, cor eriam ipsum, eò quòd tam latè apertum est, læditur & vulneratur. Quamuis autem læsionem amoris patiatur, tamen tristitiam non habet: quia amoris vulneratio est dulcissima passio, & leuissima pœna. Nec hoc mirum est, cùm scriptum inueniatur, nonnullos, propter tantam cordis adapertionem mortẽ incurrisse. Et istud accidit ex gaudio, voluptate, vel amore, prout in libro Apum legitur, quòd Brugis deuota

Inuitatio interna.

Cordis apertio.

dēnota quædam fœmina in sermone moriebatur præ magnitudine amoris. Similiter legimus de quodam milite, qui moriebatur in loco, de quo Dominus noster cælos ascendit. Ista lesio est etiam signum post futuræ spiritualis sanitatis, atque diuinæ visitationis: quia Christus splendidus sol iustitiæ infundit secundò, & tertiò, imò multis vicibꝰ huiusmodi vulnerato cordi radios diuinæ claritatis, dulcedinis, & charitatis, excitando multoties animam ad amplexum suæ vnitatis, sicq; cordis vulnus renouat, & aggrauat: veruntamen eo tempore vulnus hoc vnctum est superabundantissimis delicijs, quas cor ipsum recipit. Dum igitur Christus fluenti sua gratia cor tam dulciter inuitat, & cor ipsum totis viribus se erigit, ad osculum diuinæ vnionis, & tamē consequi non valet concupitam spiritus vnitatem cum Deo in plenitudine delitiarum, mox in languorem incidit spiritualem, ita vt anima bene dicere possit: Annuntiate dilecto meo, *quia amore langueo.* Et sic vnus feruidus impulsus additus alteri, adurit, consumit, & exiccat humidum radicale naturæ. Sed ne palleas ô amorose spiritus: nam languor iste *non est ad mortem, sed pro gloria Dei* & hominis salute, si discrete se inisto regere voluerit. Cùm itaque anima spirituale osculū consequi non valet, & eo carere non vult, amoris exinde impatiēria generatur totum hominem interius, exteriusq; intolerabili æstuatione perurgens & præmens, adeo vt nullum citra Deum solatium admittere possit, omniaque paratus sit sustinere, vt id quod amat, obtinere valeat. Hic impatiens amor cor amantis consumit, & sanguinem eius ebibit, totam corporalem naturam absq; exteriori labore debilitans & conterens, fructusq; spiritualium virtutum & exercitiorum decoquēs & perficiens. Ad hunc tertium gradum consurrectionis pertinet quintus gradus amoris, quī dicitur amor acutus. Dicit Hugo de S. Victore super septimum cælestis Hierarchiæ Dionysij, quòd amor iste idcirco dicitur acutus, quia facit quendam amoris impetum & vehementiam desiderij ardentis, ferentis se in amatum, & intrantis, & penetrantis, vt ibi sit, vbi est ipsum quod amatur, cum ipso, & in ipso: & nō solùm calidus efficitur ab amato, sed instar acuti penetrat omnia, vt in dilecto solo requiescat. Et quia anima verè amans magis est vbi amat, q̄ vbi animat, hinc est, quòd oculos intellectuales continuè dirigit in eū, quem diligit, contemplaturque cum *gloria & honore* coronatum *torrente voluptatis* suæ inebriantem vniuersam cæli militiā: se verò conspicit tanquam exulem, proscriptam à patria, innumerabilibus calamitatibus

Languor animæ.

Cant. 5.

Ioan. 11.

Amor acutus.

Psal. 8.

Psal. 35.

tatibus circundatam: hinc iterum interdum nascuntur multi gemitus, lachrymæ, & anhelosa desideria. Lachrymæ autem huiusmodi vel in modico refocillant & reficiunt, & sunt vtiles eo tempore ad conseruandam valetudinem corporalem, qua facilius amor impatiens sustineri possit, & naturæ sanitas conseruari.

Reuelationes quomodo à Deo fiant. Cap. XLV.

CAeterùm, quia ibi est oculus, vbi amor requiescit, præsertim iste acutus & penetratiuus, omnes animæ vires in solum Deum trahens, idcirco frequenter contingit, quòd spiritualis oculus animæ in dilectum directus recipit multas illuminationes arcanæ diuinæ veritatis: quia amor est principalis causa, propter quam amici mutuò sibi sua secreta reuelant. Vnde dicit Richardus lib. iiij. de Cõtemplatione: Ex magnitudine dilectionis depẽdet modus diuinæ reuelationis. Et ideo huiusmodi amator interdum sursum rapitur, eique reuelantur veritates sibi aut alijs necessariæ, aut in imaginibus corporeis, aut similitudinibus spiritualibus edocetur, vel etiam de futuris aliqua reuelantur, quæ visiones aut reuelationes dicuntur, & plerunq; in figuris imaginarijs ostenduntur. Interdum etiam recipiuntur veritates intellectuales vel similitudines aliquæ spirituales, quibus seipsum Deus vtcunq; (secundùm quod sibi placuerit) imprimit oculis intellectualibus hominis: & ista adhuc ex parte possunt verbis depromi. Aliquando in mentis excessum rapitur amator impatiens, licèt non penitus extra se, in quoddam incomprehensibile bonum agnoscendum aut fruendum, iuxta mensuram & modum, quibus Deo cõcedere placuerit: sed hoc non potest explicari aut plenè comprehendi, eò quòd Deus subitis spiritualibus intellectualibusque fulgoribus coruscat in spiritu instar fulguris, quod subitò splendet & disparet. Et quamuis splendor iste spiritũ, hominis velut in momento supra se rapiat, mox tamen vt splendor ille transierit, spiritus ad se reuertitur: & hæc est operatio Dei, amantem spiritum valde clarificans lumine intellectuali. Interdum deniq; recipit spiritus irradiationem cuiusdam luminis, in quod appetitiua cordis affectio adeò intrahitur, quòd æstuanti impetu se erigit obuiam præfato lumini, statimque in huiusmodi occursu cor inebriatur torrente insolitæ voluptatis, in tantum, quòd ob angustiam cordis ipsam oporteat erumpere, sicut vinum nouum erumpit ex obturato vase: & vocatur in Scripturis iubilus, hoc est, gaudium cordis, quod nec verbis explicari potest, nec occultari. Interdum etiam natæ

Reuelatiões fieri multifariam.

Iubilus.

interior

interior homo in delicijs ſpiritualibus, veluti piſcis in aqua: & pariformiter mille modis Deus viſitat impatientem amatorem ſpiritualibus delicijs & cognitionibus.

Reuelationes falſæ quomodo fiant.

Sed hîc oportet decepta corda, nec non & curioſos atque immortificatos amatores valde diligenter cauere, ne falſis reuelationibus decipiantur. Nam quando huiuſmodi homines habent curioſum deſiderium recipiendi dona interna, experimentales dulcedines, reuelationes, & ſimilia, venit frequenter Angelus tenebrarum, transformans *ſe in Angelum lucis*, infunditque intrinſecus, aut oſtetat foris in cordibus, vel ſenſibus plenis vanitate & vacuis charitate, deceptoriũ quoddam lumen, aut imagines, aut ſimilitudines, & etiam immittit cogitationibus hominis quaſi ſit inſpiratio diuina, & hoc etiã de futuris, quæ aliquando ſunt vera, & interdum falſa. Iſtiuſmodi verò curioſi, falſique amatores recipiũt talia (vtpote homines inexperti) cum magno deſiderio, & venerantur tanquã à Deo venerint, delectanturq; in huiuſmodi intimo cordis gaudio: efficiuntur etiam ex hoc præſumptuoſi, *ſapientes in oculis* ſuis, à nemine conſentiunt inſtrui, omnia ſua magna reputant, intus depaſcuntur ab inani gloria: talique virulẽto pabulo animæ, diuini amoris affectum inficiunt. Sed verus amator in omnibus donis, quæ recipere poteſt, efficitur humilior, magis gratus, in propria voluntate magis mortificatus, ad implendum diuinum beneplacitum ſtudioſior, non quieſcens in aliquo dono, ſed dumtaxat in datore omnium donorum.

2. Cor. 11.

Iſa. 5.

Amator verus.

Nobiliſſimum aſpirationis, vnitiuique amoris exercitium quadriforme. Cap. XLVI.

EST etiam conſiderandum, quòd exercitium aſpirationis & vnitiui amoris, maximè & vigoroſiſimè in hoc tertio gradu cõſurrectionis practicatur, licèt poſſet eius exercitiũ etiã in actiua vita inchoari: & ideo ipsũ hîc proſequemur, per quia hoc exercitiũ omnes tentationes & media inter Deum & nos ſtatim amouentur: ipſum etiam eſt introitus ad altiſsimam perfectionem, quia magno impulſu perurget hominem feſtinare ad altiſsimam Dei aſsimilationem, in perfecta mortificatione omnium vitiorum, adeptioneque omnium virtutum. Ipſum deniq; eſt altiſsima cedrus in monte perfectionis, quæ quatuor ramis adornari debet, id eſt, quatuor exercitijs: quia quamuis iſtud exercitium perurgendo penetret omnes tentationes & occu-

pationes, omnemq; multiplicitatem, imò omne quod citra Deum est, etiam in momento, & ante nudam præsentiam Dei constituat exercitantem, Deo immediatè se vnire desiderantem, attamen oportet eum diu præ foribus stare, antequam eum Deus velit intromittere. Et tunc necesse habet discere pulsare quatuor modis exercitationum, quibus dilectum suscitet ad intromittendum in vnitatem spiritus. Aduertere tamen & diligèter cauere debet, ne aliquod exercitium possideat cum proprietate, sed in sua introuersione obseruabit tractum Spiritus sancti qui diuersis modis spiritum hominis post se trahit, & inflammat ad amorem suum, nunc per istud exercitium, nunc per aliud. Igitur quando aliquis præsentit se iam iamque impellendum interna operatione Spiritus sancti ad aliquod exercitium, relinquere debet omnem proprietatem suorum exercitiorum, & sequi affectuosa promptaque voluntate tractum Spiritus sancti, & se secundùm illum exercitare: sed quando nō inuenit aliquem specialem tractum Spiritus sancti, nec etiā ingressum ad Deum plenariè obtinere potest, tunc oportet vt seruet se in Dei præsentia per aspirationem vnitiui amoris, in qua quatuor modi exercitandi principaliter continentur (velut quatuor mallei, quib⁹ pulsetur ante ianuam istam pro ingressu ad fruendum simplici vnitate cum Deo & in Deo) qui sunt, offerre, exigere, conformare, & vnire.

Exercitia quomodo possideantur.

Tractus Spiritus sancti quomodo sequendus.

Oblatio. Primò in sua ad Deum cōuersione liberaliter offerre debet omnia quæcunque Spiritus Dei per inspirationem suam exigere potest, specialiter perfectam abnegationem & contemptum sui ipsius, abscisionem omnium sensualium oblectationum, quibus inordinatè posset cor maculari, licèt sint res paruæ, puta verba otiosa, vana societas, otiositas, leuitas, curiositas, & similia. Offeret etiam se in mortificatione naturalium passionum, vt sunt inordinata lætitia, tristitia, amor, & timor, & vana spes, etiam in voluntaria resignatione ad carendum omni sensibili seu experimentali gratia, deuotione, & varijs donis Dei, ad salutem propriè non necessarijs: similiter in prompta voluntate tolerandi omnem aduersitatem propter Deum, siue sit amissio amicorum, cognatorum, temporalium bonorum, vel honoris: sufferendi quoque ægritudinem, confusionem, pœnam, tribulationem, pressuram cordis: & generaliter omnia, quæ cuiquam in tempore accidere possunt, resignando se in his hilariter & cupidè. Etiam liberaliter se debet offerre diuino beneplacito, etiam si Deus eum ponere vellet ad æterna liter tolerandum propter honorem, & amorem suum omnes pœnas infernales,

nales, quanquam non liceat se resignare ad hoc, vt à Deo separetur per voluntatem & amorem, prout sunt damnati. Et quamuis istud videatur impossibile, quòd voluntas se resignaret ad tolerandas æternas inferni pœnas, quia natura hoc omnino refugit, tamen per multiplicata desideria ad hoc formata, & superefluentem infusionem gratiæ Dei, tandem ad hoc peruenire potest, quòd tam plena voluntate sine cordis retractione liberaliter se offeret Deo ad tolerãdum æternaliter omnes pœnas inferni propter amorem eius, quàm paratus esset ad recipiendum omnia gaudia æternæ gloriæ: quia amor Dei tam purus in eo efficitur, & contemptus sui tam magnus, vt sibi indifferens sit quicquid de se fiat, dummodò potissimum diuinum beneplacitum in se perficiatur. Et quamuis sit impossibile Deum talia posse exigere vel desiderare, tamen vult, quòd homo propter amorem suum sit paratus resignare se in omnibus, quantumcunq; importabilia & grauia sint. Et ideo amicis suis familiarib⁹ ista ante oculos ponit, vt scire possint quãtum sibijpsis mori velint propter Deum, sicut fecit Abrahæ, quando præcepit vt Isaac filium suum dilectũ occideret & offerret, quod duntaxat ad eum tentandum fecit. Cùm autem se voluntarium inuenerit ad perfectè in his se resignandum, tunc poterit plena fiducia transire ad aliud exercitium, quod est exigere aut desiderare, quia Christus dicit: *Petite, & accipietis.* Secũdò igitur debet exigere, & petere à Deo non solùm omne quod habet, sed etiã omne quod ipse est. Ante omnia ergo petere debet nudum dilectum Deum, ad fruendũ eo solo in suo immenso nudo amore: quia nulla re propriè licèt homini frui, hoc est, finalem requiem constituere, præterquàm in solo Deo: quia nunquam potest homo fruitiuè requiescere in aliquo dono Dei sine peccato, quãtumlibet magnum, nobile, virtuosum, aut diuinum sit: sed duntaxat vti debet ipsis donis ad hoc, vt perueniat ad maiorem perfectionem. Et ideo quicquid Deus dederit citra seipsum, non sufficiet verò amatori, quin potius semper remanebit famelicus ad fruendum summo bono in nudo amore: statim enim vt amator quiescere inceperit in aliquo dono Dei, aut in experimentali gratia & deuotione, incipit refrigescere & remitti à desiderio proficiendi. Post hoc exigere debet à Deo purissimam intellectus illuminationem ad cognoscendum plenissimè: Primò, potissimum diuinum beneplacitũ, ad perfectè ipsum exequendum, ad quod tam paratum se offerre debet in omnibus, sine omni retractione cordis, sicut vmbra mouetur sine omni retractione

Resignatio perfectorũ.

Genes. 22.

Desideriũ.

Ioann. 16. Exigendi quæ nam à Deo.

Lumen. Medium. Vmbra.

ad motum corporis, vnde causatur. Tria enim quædam sunt, videlicet lumen solis, lunæ, vel candelæ; medium, aut interpositum corpus, vnde vmbra causatur; & ipsa vmbra. Diuinitas igitur lumen, humanitas Christi corpus interpositum, & voluntas nostra erit velut vmbra, & mouebitur sine omni retractione cordis ad confirmationem vitæ Christi, sicut vmbra mouetur ad motum interpositi vnde causatur: ad quod implendum petere debet perfectam notitiam diuini beneplaciti. Secundò ad cognoscendum plenè seipsum, hoc est, abyssalem suam vilitatem, ingratitudinem, & indignitatem omnis boni, vt per hoc se possit perfectè cõtemnere & humiliare. Tertiò, ad habendã perfectã notitiã omniũ verarũ virtutũ: & præcipuè satagere debet magna orationum instantia pro ipsis veris virtutibus perfectè acquirendis, recipiendis, & possidendis: sed super omnia pro nudo Dei amore in se multiplicãdo, licèt istud desiderium propriè inclusum sit in prima petitione, qua desiderat solo Deo, hoc est, increato amore frui, & ex illo in nobis amor creatus crescit & multiplicatur. Istud autẽ exigere erit in nobis tam serioſum, quòd æstuans illud desiderium semper augmentandi, fruendique increato amore per nostrum amorem erit velut contuscatio impetuosa inter DEVM & nos. Et iste impulsus tam continuus debet esse in nobis, quemadmodum anhelitus noster sine cessatione semper inrat & exit, si homo debeat vitam seruare. Sic etiã vita creati amoris consistit in sedula reuersione, cum æstuanti desiderio in suam originem, id est, increatum amoram, vt illi vnicè inhæreat & fruatur, sicut radij in sole dependent. Sunt præterea multa alia, quę vtilia videtur, scilicet liberatio ab omnib⁹ tentationibus spiritualibus vel carnalibus, ab omnibus pressuris cordis, ab omni derelictione, insensibilitate, ariditate, vel etiam orare pro sensibili gratia, deuotione, amore, spirituali dulcedine, reuelatione aut raptu: multa his similia, quæ propriè necessaria ad salutem non sunt, vnde nihil ex his exigere debemus aut petere, nisi in quantum honor Dei in ipsis cõsistit & salus animarũ nostrarũ: & si tunc à Deo nõ exaudimur, nõ debemus propter hoc pusillanimes aut inquieti corde fieri, sed in Deo plenè confidere, quòd huiusmodi nobis iam daret, si esset nobis salubre accipere.

Vita amoris increati.

Conformatio.

Tertium exercitium est, quòd fidelis amator iugiter laborabit se dilecto semper magis & magis conformare, & hoc isto modo: Cùm ignis amoris in corde fuerit accensus, debet primò in ipso exurere omnem dissimilitudinem, hoc est, omnia vitia & defectus, omnes naturales

rales passiones & immortificationem, omnes sensuales inclinationes & impatientiam: non tamen debet huiusce modi dissimilitudines singillatim per partes recolere, sed in vno fasciculo sumet omnes suas imperfectiones, & proijciet in immensum ignem diuini amoris, vti ibidem consumantur. Deinde consurget ardenti desiderio deiformitatis, & scintillantibus, perurgentibus expostulationibus, exiget à dilecto, vt quibusdam virtutibus nudam animã suam adornare dignetur, quibus Christus ornatus est. Et quamuis diligenter attendere debeat spirituale suum exemplar, hoc est, Christum in omnibus eius perfectionibus, tam secundùm diuinitatẽ eius, quàm secũdùm humanitatẽ, ad hoc vt se cõformiter exornet: attamen pro illo ornatu plus instare debet per orationes, quàm per propriũ laborem: quia virtutes & deiformitas multo citius per flãmigeras assiduas orationes, quàm per aliqua alia exercitia acquiruntur. Specialiter verò debet se cõformare humanitati Christi in omnibus virtutibus, quæ præcipuè in suis perfectionibus relucẽt in despectissima, dolorosissima & acerbissima morte. Et super omnia desiderabit Christo conformari in affectu profundissimę vilitatis, abiectionis, & humilitatis. Cùm autem se exercet pro aliqua virtute obtinenda, puta abiectione suijpsius, vel pro acquirẽda humilitate, vel abnegatione sui in omnibus, in mortificatione propriæ voluntatis & affectionis: si tunc forte voluerit, vtrum virtutem illam plenariè acquisierit, & Christo in illa conformis factus sit, perpẽdet an ad huiusmodi virtutem tam feruenter affectatus sit, vt sẽ sine omni retractione cordis, id est, naturæ & sensualitatis, in voluntate rationis liberaliter resignet (etiam tempore subtractæ experimentalis aut sensibilis gratiæ) in virtutem, in qua probatur, tunc sciat se virtutem illam in summa perfectione diuino munere assecutum. Verbi gratia: Exorcet se ad acquirendum desiderium vel affectum contemptus & patientiæ, contingitq; postea ipsum stare valde derelictum à sensibili amore & deuotione, & cum hoc subitò euenire, vt sibi imponatur aliquid multum confusiuum, & iniustè propter hoc grauiter valde castigetur, si tũc primus & vltimus motus cordis sui fuerit desiderium recipiendi, sine retractione cordis, huiusmodi confusionem & pœnam, ac si eam diu magna anhelatione expectasset, quomodo superbus honorẽ, & auarus lucrum temporalium cum desiderio recipere solet, virtutẽ illam perfectè habet. Istud Christus perfectè habuit, quia Dauid dicit in persona eius: *Improperium expectauit cor meum* (id est, desiderium meum)

Deiformitas quomodo acquirenda.

Probamentum virtutis acquisitæ.

Psalm. 68.

meum) & *miserium*. Sed si voluntas rationalis ita se volũtariam in isto offerat, vt tamen voluntas naturalis adhuc contradicat & inuoluntaria sit, signum est, virtutem necdum sufficienter exercitatam ingeminatis flammigeris affectuosis impulsibus & orationibus, per quæ potissimè Deus consueuit dare plenitudinem suæ gratiæ & essentialis amoris.

Vnio cum diuino beneplacito.

Quartum exercitium est vnire & transfundere volũtatem in diuinum beneplacitum, quia sicut exercitiũ aspiratiõis, & vnitiui amoris frequentatur propter quiescere in solo Deo, & flammigero desiderio vnum in spiritu cum eo fieri, ad quod nos perducit practicus & experimentalis amor: ita vt in isto exercitio vnionis homo eniti debet penetratiuis, æstuantibusq; desiderijs tam plenissimè (sine omni cordis retractione) voluntatem suam vnire atq; transfundere in potissimum diuinum beneplacitũ, ita quòd ex impulsu nudi amoris ipsum diuinum beneplacitum semper erit summum suum desiderium, iucunditas & solatium in omnibus, siue sint exteriores aduersitates, sicut est ægritudo, persecutio, oppressio, derisio, detractio, cõfusio, & similia: siue interiores, vt subtractio deuotionis, spiritualis consolationis, obnubilatio mentis & sensuum, infrigidatio spiritualium affectuum, tentatio, & similia. Et in tempore, quo Deus hæc super eum permittit, sataget Deo magis fidelis inuentiri, & solicitius cauebit effluxum sensuũm, in quærendo solatium in rebus vanis, aut in extrouersione sensuum per leuitates & inutiles occupationes, cauebit etiam, ne efficiatur vitiosus in otio, sed semper, in quantum potest, in bonis exercitijs se teneat, vel ad minus in bonis operibus extrinsecus. Licèt enim pro tunc bona opera vel exercitia non sint sapida, sunt tamen DEO magis accepta & nobis magis meritoria, si facimus quod in nobis est, quàm illa opera, quæ facimus in tempore experimentalis deuotionis, quia seruimus pro tunc Domino nostro fideliter quodammodò sumptibus proprijs. Et ad istud magis voluntariè perficiendum, formabit seu statuet in corde suo quandam confidentiam, quòd Deus omnẽ suam aduersitatem sibi mittit, vel erga se permittit, ad probandam suam fidelitatem, & additandum donis suis diuinis & gratijs iam fidelem inuentum; prout latius audiemus in sequenti cõsurrectionis gradu. Ad istum gradum spectat sextus gradus amoris, qui vocatur feruidus, de quo ait Linconiensis: Feruere dicuntur amore, qui per ardentem amorem interdum supra se sursum feruntur, sed statim proprio natu-

Operaquãdo Deo grationa.

Amor feruidus.

naturali pondere recidunt, sicut aqua bulliens à calore sursum exilit, sed subitò recidit. Tertigi autem in isto gradu exercitationis, de hac spirituali, in potentijs animæ, eleuatione, quæ prouenit ex viuido quodam amoroso certamine aut lucta inter spiritum nostrũ & diuinum, hoc est, quòd vires nostræ amoroso æstuãti impulsu erigunt se obuiam spiritui Dei, ita vt interdum aliquãtulum eleuentur super seipsas, adhærentes spiritui Dei, sicut acus magneti adhæret. Et ex hoc efficiuntur vires ipsæ valde vitaces & actiuæ, dirigentes omnem cognitionem & affectionem tam valide in Deum, quòd videtur homo nõ vti sensibus exterioribus, nisi velut in somno. Vnde dicit sponsa seu amãs Cant. 5.
anima: *Ego dormio*, secundum exteriorem hominem, *& cor meum vigilat*, scilicet ad dilectum meum, quem in corde clausum habeo. Quia tunc anima satagit perducere dilectum ad intimum cordis sui, & collocare in nobilissimo loco, ex intimo affectu omnia contemnere, & solum dilectum puro amore amplecti. Aliàs (vt dicit Richardus, lib. 4. de contemplatione, capitulo decimo sexto) quamdiu possumus ex aliena qualicunque re consolationem vel iucunditatem concipere, non audeo dicere dilectum intimum ardentissimi amoris sinum tenere. Si ergo non satagis introducere eum in intima tua, quomodo credàm te velle vel posse sequi eum ad sublimia sua? Et ideo dicit Richardus cõsequenter: Certum ergo signum tibi sit, quæcunque es anima, quòd dilectum tuum minus diligis, vel ab illo minus diligeris, si ad theoricos illos excessus (quibus homo trahitur supra seipsum in modo, quo Deo placuerit) nondum vocari, vel vocantem sequi nõdum meruerit: quia ex quo Deus trahit in theoricos illos seu spirituales excessus multas animas, quæ tamen non peruenerunt ad perfectum amorem, non negabit hoc eis, qui ad verum amorem peruenerunt: quia semper plura præbet, quàm possimus mereri.

Quartus gradus consurrectionis, qua anima fidelis per aduersa probatur, & de causis subtractæ gratiæ.
Cap. XLVII.

QVartus consurrectionis istius gradus originaliter consistit in subtractione spiritualis cognitionis & sensibilis deuotionis & amoris, vbi se homo tam pauperem inuenit & tepidum, derelictum à Deo ac desolatum, ac si nullum vnquam saporem aut notitiam de Deo recepisset, cùm tamen paulò ante tam opulẽtus extiterit in omnibus ani-

Deuotionē sensibilem subtrahi multifariam.

bus animæ potentijs perefluens suauitate & ardens amore. Igitur in primis est hic sciendum, quòd multis de causis Deus subtrahit homini sensibilem deuotionem & amorem. Primò ex quadam amorosa indignatione, quæ sæpe contingere solet inter duos amantes, propter indicium amoris ab altero eorum peregrino amatori ostensum, de quo alter putat amorem mutuum, qui inter ipsos est, posse refrigescere. Sic

Zelotypus Deus.

etiam contingit inter Deum & amantem animam: quia Deus valde zelotypus est & tenet, nec potest sustinere, quòd anima in aliud per amorem tendat, vel recreationem siue consolationem quærat præterquàm in eo solo, vel etiam aliquod indicium amoris ostēdat, sicut est quiescere in aliqua inordinatione saltem ad spatium vnius orationis Dominicæ: quia tunc ostendit furorem suum per subtractionem gratiæ suæ, vt eò melius anima veniat ad recognitionem culpæ suæ, & reprehensionem aut correptionem infidelitatis suæ, promittēdo magnā emendationem, ne furor Dei perseueret, qui solus amari desiderat. Et hoc pro certo scias, quòd quantò Deus hominem profundius postse & in se trahit, tantò puriorem amorem exigit, alioqui irascetur super recipientis ingratitudinem: quia *cui multum* datur, *multum* etiā *quæretur ab eo*: & cui minus datur, minus ab eo exigetur.

Lucæ 12.

Secunda causa subtractionis huius est, vt amatrix anima discat recognoscere, se deuotionem sensibilem & amorem practicum non meruisse proprijs exercitijs aut bonis operibus, sed ex sola liberali bonitate Dei sibi concedi & offerri, ne in præsentia gratiæ insolescat per propriam suam complacentiam, vel etiam per incuriam resoluatur, putando se de cætero nō oportere in solicita diligentia proficere: quin potius semper manens in fundo humilitatis, incessanter cum perurgente diligentia conetur proficere in omnibus virtutibus.

Gratiam sensibilem dari gratis.

Tertia causa est, vt sic amatrici animæ innotescat propria tepiditas & acedia in exercitijs amoris, virtutis, & bonorum operum, si Deus sibi sensibilem gratiam, deuotionem, & amorem non largiretur: & vt ex hoc solicitior fiat ad petēdum à dilecto gratiā & auxilium, recognoscendo se sine saporosa deuotione & experimentali aut practico amore proficere non posse in virtutibus, in amore aut spirituali exercitio, nec etiam in acquisitis persistere.

Quarta causa est, vt quia natura interdum nimis debilitatur per sensibilem deuotionem, atque amorem practicum, præsertim quando influxus spiritus est multum violentus, & cor multum desiderat satisfacere

facere influenti gratiæ tunc enim natura valde debilitatur, & læditur, & præsertim circa cor, vbi impulsus desideriorum magis ebullire facit viralem sanguinem cordis, & etiam in capite illorum, qui non sunt fortis capitis. Et tunc Spiritus sanctus moderatur ardorem & impetũ diuinæ influentiæ (quia ipse est artifex discretionis) vt natura refocilletur aut reparetur, & fortificata rehabilitetur ad nouam influctiam Spiritus sancti recipiendam.

Quinta causa est, vt amorosa anima discat & cognoscat, quòd in sensibili deuotione & amore non consistit vera sanctitas, nec vera charitas, imò ex puris naturalibus possent huiusmodi prouenire. Id- Sensionem circo non sunt sanctiores, nec magis diligunt, qui maiorem sensionem non facere secundùm sensualitatem videntur habere in deuotione & amore: sed sanctitate. qui virtutem suam amatiuam sciunt eleuare in omnibus, supra omnem sensionem & sensualitatem in nudum essentialem amorem. Isti autem probantur in prompta quadam voluntate seipsos resignandi, Amoris ve- & in omnibus abnegandi propter amorem Dei, illo secundùm tractũ ri proba- nudæ naturæ frui cupientes, ita quòd veri amtores secundùm diui- mentum. num beneplacitum norunt velle esse pauperes, omni etiam interna consolatione, tactu, sapore & sensione priuati: & in hoc solo posse consolari, quòd Deum amant purissimè amore intellectuali, qui solus est amor verus, & quòd omnes virtutes, & omnem iustitiam perficere norunt ad honorem & beneplacitum Dei, nullam aliam spiritualem experimentalem oblectationem, aut dulcedinem quæritantes. Et in quantum hæc voluntaria paupertas accrescit in homine, in tantum & vera sanctitas, & pura charitas conualescit. Isti cum Paulo sciunt *abundare & penuriam pati*: quia cùm Spiritus sanctus animam & Philip. 4. corpus perfluit amorosa sensione & mellifluo sapore, hoc ipsum tam expedite cum gratiarum actione recipiunt, & tam prudenter ad Dei laudem & honorem, ac propriæ salutis vtilitatem expendunt, desiderantes etiam liberaliter in amorem diuinum regerere, ac si magnis æstuantibus & flammigeris desiderijs illud à Deo postulassent. Tanta tamen quietudine & tranquillitate superioris affectus dona hæc recipiunt, quasi nihil inde curarent commendantes diuino beneplacito, siue dare huiusmodi voluerit, siue non, vel etiam concessa retrahere, nec in aliquo contristantur, sed dicunt cum Iob: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum*: & in hoc ostendunt, se in nullo donorũ Dei requiescere: quia Iob 1.

illud, in quo aliquis quieſcit, generat ſibi tormentum in ſeparatione.

Sexta cauſa eſt, vt amatrix anima probetur per experientiam, ſi iam ad tãtam ſtrenuitatem exercitiorum profecerit, quòd in ſuo profectu ſenſibili ſpirituali cõſolatione carere poſſit, & ſeruire Deo, ſtando in nudo amore. Et in iſto fundatur gradus iſtius conſummationis, in quo Deus probare aut oſtendere vult fideles amatores ſuos plus ſibi adhærere & ſeruire ex nudo amore, quàm propter aliquod donum. Et quoniam vera fidelitas nuſquam melius probatur, quàm in aduerſitate, ideo ſubtrahit Deus amoroſæ animæ omne ſubſidium ſenſibilis auxilij, permittitq; eam ſtare in ſeipſa nudam & in omnibus miſeram. Poteſt autẽ iſtud appellari languor infernalis, in quo decumbit anima non præ amore, ſed præ anguſtia & afflictione, nuſquam inueniẽs conſolationem, neque in Deo, neque in creaturis: quia poſtquam eam Deus in tantum in ſe traxit, vt omnis conſolatio eorum, quæ citra Deum conſolari poſſunt, crux ſibi effecta ſit, tunc Deus eam abijcit, & nudam à ſe reponit: & tunc ſedet famelica inter duas menſas, hoc eſt, inter delectationes ſpirituales & ſenſuales. Senſuales ipſa contemnit, & ſpirituales ille negat: cuius cauſa eſt, quia vult vt anima diſcat ſtare animo voluntario derelicta ſine omni adiutorio, & ita gratias agere & laudare Deum, atque in omnibus fidelis eſſe, in nullo propriam quæritando oblectationem & quietem, præterquàm in ſolius diuini beneplaciti adimpletione: diſcat etiam de ſua derelictione ſtare contenta, imò in hoc quietem ſuam conſtituere, conſiderando hoc Deo placitum eſſe, & ſibi valde meritorium, profectuiq; ſuo ſpirituali multũ vtile, ſi tamen in iſtis non efficiatur acedioſa aut negligẽs, ſed fideliter faciat quod poteſt.

Derelictio animæ amatoriæ.

Quomodo amici infideles ſe gerant, quando ad tempus derelinquuntur. Cap. XLVIII.

Amici infideles.

AD iſtud non poterunt amici infideles peruenire, ſed in ipſa derelictione ſtatim oſtẽdunt propriam quæſitionem, & hoc multis modis. Inueniuntur multi, qui quàm citò derelictionem aut ſubtractionem deuotionis ſentiunt, ſimul etiam refrigeſcunt in affectu exercitiorum & proficientis vitæ, conuertentes ſe rurſum ad carnis mollitiem & corporis quietudinem: extra regulam diſcretionis optant diuina frui cõſolatione, ſed ſine labore: quæ ſi eis negatur, quęrunt ſolatium in creaturis, & hoc interdum magno animarum ſuarũ

pericu-

periculo: apparent in Ecclesijs Angeli, sed in societate hominum sunt laquei inimici. Sunt alij, qui pusillanimes in derelictione existunt, reputantes se teneros & delicatos; & ideo quicquid solatij & commoditatis suo corpori quiuerint exhibere, totum sibi necessarium suspicantur. Sed meminisse debent, quòd sapientia Dei, & amor ardens, nō habitant *in terra* (hoc est in corpore) *suauiter viuentium*. Et quamuis isti statim mortale peccatum non incurrant, ardor tamen deuotionis in ipsis minuitur, & internum cordis exercitium prępeditur, virtutumq; & diuinæ suauitatis sapor ipsis insipidus efficitur. Sunt præterea alij, qui postquam ipsis interna sensio subtracta fuerit, tam fastidiosi in seipsis sunt & graues, vt etiam onerosi sint his, cum quibus conuersantur, quasi internali quodam stimulo vrgerentur. Nemo potest ipsis acceptabiliter loqui vel respōdere, ambulare, stare, aut aliud quicquam facere: imò pro parua re nullius valoris adeò conturbantur, quasi valeret mille auri talenta. Adhuc sunt præter hos alij, qui post receptionem sensibilis deuotionis aut amoris, rursus post hoc aliquantulum à Deo relinquuntur ad tempus: & tunc in magnam deueniunt instabilitatem, & impelluntur ad crebrò mutandum propositum, puta nūc vnum modum viuendi assumentes, nunc alium. Cuius ratio est, quia non quærunt Deum propter ipsum solum, sed etiam extra Deum in suis exercitijs aliquid desiderant acquirere, quod pariter in eodem exercitio sub eadem intētione (quasi aliquid iuxta positum) quæritur: & hoc modo natura occultè quærit seipsam sub bona specie: quia quamuis videantur solum Deum quærere ad recipiendum & fruendum, hoc tamen hac intentione volunt, scilicet vt fruantur eo repleti gloria, experimentali deuotione & amore: nō autem desiderant ei vniri in cruce afflictionis, pœnarum, infirmitatum, contemptuum, & similiter omnis aduersitatis, & derelictionis. Surdi enim sunt ad vocem Christi, qua ait: Qui *vult venire post me, abneget semetipsum*, (in nullo scilicet quærendo) *& tollat crucem suam*, non solùm pœnitentiæ, sed etiam omnis aduersitatis, *& sequatur me*, omnia aduersa cum desiderio tolerando propter me, sicut ego propter eos amaram mortem ex desiderio, & amore voluntariè suscepi. Et quoniam istiusmodi homines hoc in sua intentione non habent, propterea efficiuntur in sua derelictione, quærentes aliquem viuendi modum, per quem suam experimentalem deuotionem possint recuperare: videturq; eis hoc esse bonum: sed est, quærere naturam ad quiescendum in sensibili aut experimen-

Amici delicati.

Iob 28.

Amici fastidiosi.

Amici instabiles.

Quæsitio naturæ.

Lucæ 9.

Intrepidos & inconstãtes.

teli deuotione. Et quia summum studium suum adhibent magis ad opera virtutum, & exteriora exercitia pœnitentiæ, in vigilando, ieiunando, cilicium portando, & similibus, quàm ad sibijpsis plenè moriendum, & in nullo se quærendum, vel ad Deum nudo amore amplexandum, idcirco querunt per vitam exteriorem experimentalem recuperare deuotionem, mutantque crebrò propositum, nunc hoc modo, nunc alio viuere eligentes, sed nusquam stabiles manent. Simili modo quærunt diuersa consilia, & confessores, sed sicut impetuosi, & importuni sunt in querẽdo consilium, sic etiam (imo & amplius) sunt incuriosi in exequendo vel acquiescendo cõsilio dato: quia sibi vituperata volunt excusare, defendere, & laudare; consulta verò & laudata vituperare. Cùm igitur consilia diuersa perquisierint, nullum omnino sequuntur, sed videntur sibi in causa prudentiores exteris: quod inde prouenit, quia seipsos nimis diligunt, & adhuc præsumptuosi, & inflati sunt corde (hæc enim duo fomẽta potissima sunt huius inconstantiæ) stantque periculosè, quò ad animæ salutem. Quia ergo præfati homines non sunt veri fideles amici Dei, neque verè grati gratiæ eius, nec etiam quærunt nudum Deum, sed nimis requiescũt in donis ipsius, nimis proprio commodo inhiantes, in isto gradu consurrectionis debitè probantur & reprobantur, ita quòd non valent salubriter ingredi profundius in secretum Dei cubile. Et si contingat aliquem ex his trahi à Deo profundè & altè in spiritualem cognitionẽ ac voluptatem in breui tempore, timendum est huic, nè forte hic receperit mercedem suam, quemadmodum legimus de Comite Iuliacensi Gulielmo, qui erat malus tyrannus, quòd nocte quadam Natiuitatis Christi bis aut ter tantam receperit spiritualem suauitatem, vt postea diceret, si posset adhuc semel huiusmodi sentire dulcedinem, dimidium territorij sui pro hoc dare vellet. Et tamen reuelatum fuit post mortem eius, quòd cum Maxentio Cæsare malo deputatus esset in eandem damnationem. Sunt insuper alij, qui in experimentali deuotione & amore sẽtam indiscretè exercitant, non solùm in conuersione ad Deum, verùm etiam in exteriori pœnitentia facienda vltra posse naturæ, quòd natura penitus pessundatur, & destruitur. Et quia in affluentia gratiæ naturæ infirmitatẽ non sentiunt, suspicantur sibi licere quicquid naturæ valent imponere, nec volunt recipere informationẽ. Cùm igitur tam diu istud tractauerint, quòd natura totaliter cõculcata est, ita vt gratiæ Dei de cætero nõ valeãt adesse, aut assistere pro-

Amici indiscreti.

In destructores naturæ.

prer-

pter suam infirmitatẽ, tunc amittunt sensionem deuotionis & amoris: & tunc primò percipiunt quãm infirma ipsa natura effecta sit. Tũc cor seipsum claudit, & natura deficit, adeò vt sensio deuotionis nullũ accessum vltra habere possit: deciduntq; in grauem angustiam, tribulationem, pusillanimitatem, & desperationem, replentur phantasijs, & habent terrestrem infernum omnibus diebus vitæ suæ. Sed Deus non permittet eos damnari, nisi scienter se conuerterint ad mortalia peccata: eorum tamen pusillanimitas, scrupulositas, desperatio, tentatio de fide, & huiusmodi, erunt eis pœna temporalis super terram, sed non in damnationem. Ideoque qui à Deo introrsus trahitur ad vitã contemplatiuam, & peruenit ad practicum amorem vigorosè exercendum, oportet vt à magna exteriori pœnitentia agenda sibi caueat: quia internus impulsus naturam satis debilitat, & consumit, imò oportebit sæpe etiam moderari cum discretione ipsos vigorosos impulsus: quia si ipsos semper pleno corde sequi vellet, naturam nimium debilitaret. Sed qui nõ habet vigorosam internam operationem, ille poterit tanto amplius exterius pœnitentiam agere. Hinc legimus de Fratre Rogerio (de quo supra dixi) quòd postquam sensit vigorosam internam operationem gratiæ & amoris Dei, timuit magnam pœnitentiam & abstinentiam facere, licèt multum optabile sibi fuisset hæc agere. Dicere enim solebat, quòd maior labor, quem faciebat, esset comedere, & dormire, quia quando comedere volebat, satagebat ad quemlibet morsellum, quem sumebat, superiores vires animæ tam altè in Deum eleuare, & Deum benedicere, quòd saporem cibi videbatur quasi nõ sentire. Quando autem sic non potuit sursum rapi, consueuit saporosum cibum totaliter dimittere. Ideo autem nõ egit pœnitentiam, quia sciuit per experientiam, quòd per abstinentiam minuebatur interna deuotio, & operatio, in qua mirabiles gratias & Dei dona recipere consueuerat, vnde noluit præbere occasionem, qua interna operatio Dei impediretur.

Discretio in contemplatione.

Frater Rogerius.

Quomodo amici fideles probantur triplici myrrha tribulationum. Cap. XLIX.

NVnc prosequendum de amicis, qui fideles permanent in omni aduersitate, quos tamen Deus probare vult propter ipsorũ vtilitatem & profectũ, quia expedit eis, sicut Angelus dixit ad Tobiam. *Quia acceptus eras Deo, necesse* erat *vt tentatio probaret te.* O beatum

Tob 12.

tum virum Iob, qui grauiter probabatur, & tamen dicebat: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum.* Et alio loco dicit: *Etiamsi occiderit me, in eum sperabo.* Sic oportet etiam probatum amicum voluntatem suam totaliter subdere voluntati diuinæ, & semper plenè confidere in Deo, quòd omnis aduersitas sibi superueniat ad salutem suam. Sciendum autē, tres esse gradus diuinæ probationis, & possunt intelligi per triplicem myrrham, de qua legimus in Scripturis. Primum gradum operatur Deus per seipsum, quando subtrahit homini omnem experimentalē deuotionem & amorem, & permittit eum stare nudū sine omni sensione. Hoc modo videbatur Christus, quando cælestem Patrem suum orabat dicens: *Si possibile est, transeat à me calix iste:* sed statim se volūtariè resignauit, dicendo: *Veruntamen non* mea voluntas, sed tua fiat. Quæ resignatio voluntatis cælesti Patri super omnia accepta erat. Sic etiam debet fidelis amicus renuntiare, & mori suæ voluntati in omni derelictione, & offerre eam Deo amorosè: quia tunc renascitur spiritualiter à Spiritu sancto, & verè liber efficitur: elevatur enim tunc spiritus suus supra suum naturale esse, seu supra naturam propriā, hoc est, supra omnem derelictionem, laborem, pœnalitatem, angustiam, solicitudinem, timorem mortis, iudicij, purgatorij, vel inferni: quia consolatio, & desolatio, dare & accipere, viuere & mori, & similia omnia, remanent subter amorosam illam libertatem voluntatis siue spiritus, ita vniti spiritui diuino, vt maneat ipse liber stans & immobilis etiam in omni derelictione. Sed ad istud facilè homo non potest peruenire, nisi per subtractionem affluentis deuotionis, quemadmodum etiam omnes virtutes melius acquiruntur in aduersitate, vt patientia in patiendo, humilitas per contemptum seu contemptui haberi, vel in faciendo opera contemptibilia, dilectio inimicorum in persecutionem patiendo: & sic consequenter de omnibus virtutibus. Et iste gradus figuratur per myrrham amaram, quæ in Canticis Canticorum dicitur prima, quia ibidem scribitur: *Labia eius* (scilicet dilecti) *distillantia myrrham primam.* Quia hæc est prima myrrha vel amaritudo, qua probatur anima, quæ sibi valde vtilis est (quamuis hoc non agnoscat) ad præseruandum totum corpus virtutum, ne fœteat, quemadmodum mortuorum corpora myrrha condiuntur.

Iob 1.

Iob 13.

Gradus probationis diuinæ triplex.

A Deo probari.

Matth 26.

Relictio voluntatis.

Cant. 5.

Secundus gradus probationis venit ab impugnatione & tentatione dæmonum, Deo permittente, ad probandum grauiter dilectum: quia

Deus

Deus non solùm subtrahit illi omnem spiritualem influxum, verùm etiam exponit eum omni tentationi, denegando ferè cunctum diuinæ protectionis refugium, vel auxilium. Sicut enim Iob tradebatur satanæ flagellandus, & plagandus in omnibus bonis, quæ habebat in proIob 1.
libus suis, seruis, ancillis, & similiter cunctis membris suis à capite vsq; ad pedes, tamen vt vitam ipsi non auferret, ita etiam isti amici à Deo exponuntur ineffabilibus spiritualibus tentationibus, etiam humanis, sed tantummodo diabolicis, in obstinationem videlicet cordis, blasphemias, infernalem inuidentiam, in odium Dei, & similes, de quibus vix credi posset aliquem Christianum ipsas habere, aut pati posse. Et ista tẽtatio efficitur in eis tam vigorosa, vt eis videatur omni momento, quòd in eam consentiant: in superiori autem parte intellectus ac voluntatis duntaxat sentiunt resistentiam, & quòd nõ consentiant in ipsam, licèt adeò contenebrentur per pressuram, quam patiuntur, vt nullam in se resistentiam notare, aut aduertere valeant. Ignorant siquidem sibi hãc tantam angustiam & pressuram cordis solummodò venire ex prælio, quod habent in superiori parte mentis contra istam tentationem, quamuis homo inferior videatur penitus consentire. Quia si omnes vires animæ consentirent in tentationem, non haberent tantum conflictum, aut pressuram, & etiam leuiter ad alia grossa peccata declinarẽt, & singulariter ad oblectationes & commoda carnis: quia naturale est, vt in tribulatione constitutus, quærat libenter exteriorem consolationem, nisi à spiritu suo prohibeatur. Est igitur istud specialis probatio Dei, quia Deus scit dilectis suis nihil salubrius esse, quàm pati. Cùm ergo considerat, se charissimos suos amicos nulla aduersitate, aut tribulatione (quantumlibet magna & multiplici) contristare posse, vtpote ad multo plura propter Deum tolerãda sẽper paratos, nisi duntaxat in his, quæ obdurationem & inuidentiam contra Deum ingerunt: hinc est, quòd in eiusmodi impugnationibus etiam eos probare vult occultissimo suo iudicio, quod nemo cõprehendere potest: quia interdum potest fieri solùm ad perducendã animam ad fundum omnimodæ mortificationis: & tunc consistit in isto magna salus, seu spiritus vtilitas. Interdum etiam contingit ex indiscretiõe, aut defectu, qui in nobis est. Exẽpli gratia, de indiscretione: Qui natura multum actiui, & corde impulsiui sunt, in vigorosa ad Deum cõuersione impulsus eorum adeò impetuosus efficitur, & cor tam latè aperitur, saltans in corpore, quòd inde valde læditur & vulnera-

Tentationũ importunitas.

Indiscretio.

tur, prout supra tetigi. Quando ergo contingit, sensibilem deuotionẽ à Deo ipsis subtrahi propter aliquam ex causis superius assignatis, tũc irruunt hîc valde indiscretè, volentes per vim recuperare subtractam deuotionem: & quanto amplius pro ipsa hoc modo laborant, tanto ab omni spirituali sensione magis elongantur; sic quòd tandem deueniunt ex quadam impatientia ad tam magnum impulsiuum violentumque impetum, quòd ex hoc totum cor in tantum lædunt, & indispositum reddunt, vt post hoc non possit reformari, (sicut in cithara fides tantum extenduntur, vt rumpantur,) & appareat eis quòd modò non habeant potestatem supra inferiores vires animæ (quæ in corde radicantur) nec vllam resistentiam in vi irascibili, vel concupiscibili, ita quòd sibi videntur in omnibus consentire. Et ex isto oritur magna tribulatio, desperatio, obduratio, obcæcatio, peruersitas, infernalis inuidẽtia, quæ in inferiore homine videtur regnare: verũ in superioribꝰ viribꝰ dũtaxat est resistẽtia, quia illæ sunt liberæ ab omni vinculo corporis. Ideo quãto cognitio & amor ad Deum maior extitit tempore gratiæ affluentis, tanto etiam maior est in superioribus viribus dis. plicentia, & pressura animæ, propter peruersitatem, & malitiam regnantem in inferioribus viribus sine quotidiana resistentia: quia vires intellectiuæ horrent, & nauseãt cum ineffabili pressura super hoc, quòd inferiores vires taliter iacent victæ in huiusmodi fœtidis, odibilibus, diabolicisq; tentationibus, quibus consueuit à cæteris cõmunibus hominibus etiam in inferioribus viribus resisti. Et istud solùm venit ex hoc, quia amodò non habent potestatem super cor adeò indispositum per indiscretionem exercitiorum, vt non valeat redire in naturalem habitudinem, siue dispositionem, & tranquillitatem. De defectuositate etiam ponamus exemplum: inueniuntur aliqui superabundantes sensualibus affectionibus, & quãdo effundunt se supra aliquam rem per affectionem, aut amorem, effusio ipsa est adeò vehemens, vt facilè aut citò deficiant in alijs viribus, vel etiam in corporali natura. Quando igitur tales se introuertunt ad Deum (vbi immensę, magnæ, & multæ inueniuntur causæ amandi, qui & largus remunerator est oblati amoris, præsertim in tribus aut quatuor prioribus annis conuersionis) inueniunt duplex instrumentum sensibilis amoris & deuotionis. Vnum est natura affectuosa, aliud affluens sensibilis gratia, deuotio, amor quæ redduntur à Deo, vt à largo remuneratore seruitij sibi impensi: ex quorum abundantia istiusmodi homines adeò

Gula spiritualis.

inc-

inebriantur,& etiam adeò guloſi efficiuntur ex ſenſione, qua quotidie perfruuntur, vt ſe nulla alia re velint occupare,nec diſcere, vel laborare curent quomodo ſibijpſis moriantur, & virtutes acquirant, aut diuinum beneplacitum cognoſcant, ad ipſum exequendum, ſed paulatim magis ac magis requiem ſuam conſtituunt in ſenſibili deuotione: & per hoc reddunt ſe Deo valde ingratos, licèt diu differat ſubtrahere ipſis ſenſibilem illam deuotionem,ſi fortè poſſent ad recognitionem, & emendationem peruenire. Sed quantò diutius Deus præſtolatur,tantò guloſiores, & inordinatiores fiunt ad requieſcendū præcipuè in huiuſmodi ſenſione: quia natura corrupta ſemper magis auidè quieſcit in his, quæ prohibita ſunt. Cùm ergo Deus videt huiuſmodi infideles homines ſemper quieſcentes potiſsimum in ſenſibili gratia, ſubtrahit eis ipſam: & tunc, quia verum fundamentum non habent virtutum, aut mortificationis,facilè deueniunt ad impatientiā, voluntáque violenter ſenſionem illam recuperare: non autem veniūt ad veram recognitionem, nec recogitant, ne fortè demeruerint iſtud per ſuam defectuoſitatem, vt inde ſe emendent: quantóque amplius laborāt pro recuperāda præfata ſenſione, tantò minus proficiunt, magisq; impatientes fiunt. Inde iam oritur in ipſis amaritudo cordis & tædium,ita quòd ſibijpſis,& omnibus, cum quibus conuerſantur, efficiuntur valde oneroſi,ſicq; paulatim incipiūt obdurari in peruerſitate,obſtinatione, impatientia, obcæcatione,& inuidentia cōtra Deum,& ſtant valde periculosè quò ad animā. Præcedentes verò recipiunt pœnā pro ſua indiſcretione,& poterunt multū in illo mereri, ſi quiuerint patienter ac longanimiter ſuſtinere. Et quāuis videātur non habere poteſtatē ſuæ rationis in impetu illius magnæ preſſuræ, aut infernalis inuidētiæ,atq; malitiæ,nihilominus, poſtquā ille tranſijt, dolere debent ſecūdùm ſuperiorem rationem de omnibus, & voluntatē ſuam reſignare in voluntatē Dei, orando eum,vt ſibi ignoſcat de præteritis,& defendat ab imminentibus, ſeu futuris. Adhuc ſunt alij,qui propriè non dant cauſam derelictionis, & peruerſitatis iſtius: ſed Deus permittit talia circa eos,duntaxat ad probandum funditus amicos fideles. Iſtis mirabilis corona martyrij in æterna vita præparatur: quia non poteſt martyriū grauius iſta derelictione ſuſtineri, quæ tam importabilis eſt, vt eam Auguſtinus,& Bernardus aſsimilent infernalib⁹ pœnis. Et iſti ſunt propriè,de quibus loquor, quòd ſint Deo valde accepti Iſte grad⁹ probationis figuratur per ſecundā myrrhā,quæ in lib.

Amaritudo cordis.

Martyrium mentis.

Iudith 10. Iudith nominatur myrrha optima, qua se perunxit, quando interficere intendebat Holofernem hostem Iudæorum, qui figura fuit hostis infernalis. Tertius gradus probationis accidit homini, quando vltra omnes has tētationes etiā ab hominibus despicitur, deridetur, & velut insanus, atque obsessus reputatur, etiam ab illis, qui honesti, virtutibus præditi, sancti, & docti esse vidētur: quia per hoc magis cōsternantur in

Probari per homines.

Iob 2. pusillanimitatem, & quandam desperationem. Istud accidit beato Iob, quando illi tres amici, qui venerant ad consolandū eum, instinctu inimici in tantum obcæcabantur, vt omni cōsolatione postposita, contumeliosè improperarent ei, quòd à Deo propter peccata sua esset plagatus: & per hoc ei maximum dolorem intulerunt. Sic etiam contingit circa istos, quia dum propter pressuram magnam foris ostendunt aliquos gestus singulares, exprobrantur, contemnuntur, deridentur, detrahitur eis, & reputantur tanquam obsessi ab hoste infernali. Et hoc permittit Deus, vt ipsi charissimi amici sui extremè probentur, & purgentur: quia per huiusmodi intendit eos perducere ad perfectissimam similitudinem Christi Iesu, quem in cruce proposuit velut exemplar: ideo homo in corde suo statuere debet, quòd nunquam tam industrius pictor fuit, qui tanta diligentia omnia lineamenta exemplaris exprimere studuerit, in longitudine videlicet, latitudine, ordine, & etiam in similitudine colorum superducendorum, quemadmodum Deus ab æterno sua immensa sapientia præuidit atque præordinauit de huiusmodi præelectis amicis, quomodo ipsos istis medijs fideliter feliciterque perducturus esset ad perfectissimam similitudinem Christi. Iste gradus signatur per tertiam myrrham, quæ in Canticis Canticorum vocatur probatissima, dicente sponsa: *Surrexi, vt aperirem dilecto meo*, quia *manus meæ* distillauerunt *myrrhā: digiti mei pleni myrrha probatissima. Pessulum ostij mei aperui dilecto meo*, hoc est, voluntatem meam resignaui in potissimum beneplacitum Dei, etiam in omni aduersitate, & tribulatione, & per hoc aperui ei introitum animæ meæ ad requiescendum, qui thalamum suum dūtaxat locare vult in corde quieto. Hæc ergo tetigisse sufficiat de consurrectione secundùm inferiorem hominem.

Cant. 5.

De consurrectione secundùm vires superiores in vita contemplatiua spirituali, & de separatione animæ & spiritus.

Cap. L.

Consur-

CONsurrectio vitæ contemplatiuæ, quæ exercetur ſecundùm partem hominis mediam, hoc eſt, ſecundùm ſuperiores animæ vires, hinc eſt proſequenda. Sciendum ergo quòd anima in tres partes diuiditur in Scripturis, & vnaquæque habet ſuum ſpeciale nomẽ. Pars inferior, quæ eſt ſecundùm vires inferiores, vocatur anima; quia ſecundùm illam partem vnita eſt corpori, dans illi vitam. Media pars dicitur ſpiritus, & accipitur ſecundùm tres vires ſuperiores, quibus homo in tantum valet appropinquare Deo per iugem contemplationẽ, vt vnus ſpiritus eum eo efficiatur. Suprema pars animæ, vbi iſtæ tres vires originaliter vnitæ ſunt, vnde & effluũt ſicut radij ex ſole, & quò iterũ influunt, vocatur mens: & eſt centrũ animæ, impreſſam ſeruans imaginem Sanctæ Trinitatis. Eſt autem tam nobilis, vt proprium ſibi nomen dari nõ poſsit: ſed diuerſis appellatur nominibus, prout melius poteſt, & eſt ſupremum in anima. In conſurrectione ergo ſpiritus, hoc eſt, ſuperiorum virium, oportet præcedere diuiſionem quandam animæ, ſcilicet in animam, & ſpiritum; quia hanc conſurrectionem oportet fieri in ſpiritu penitus libero. Hanc autem diuiſionem, iuxta verba B. Pauli, operatur in nobis *ſermo Dei viuus & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti*, vt ſpiritus ab omnibus liber, proſequi valeat proprium ſuum opus contemplationis: &, ſicut dicit Auguſtinus lib. de Spiritu & Anima, nihil mirabilius eſt iſta diuiſione inter animã & ſpiritum, quia eſſentialiter vnum ſunt. Sed ideo fit, vt in imo remaneat, quod in homine animale vel ſanſuale eſt, & liberè ſurſum euolet quod ſpirituale eſt, vt aptum fiat ſublimari vſque ad ſpeculationẽ diuinæ claritatis, ſicq; vniri Deo, & in eandem imaginem tranſformari: *qui adhæret Deo, vnus ſpiritus* cum eo efficitur. Interdum autem ſpiritus hominis in tantum abſtrahitur à corpore & anima, vt ſpiritus dicatur eſſe in ſpiritu: quod fit, quando vires ſuperiores ſic ſurſum tractæ ſunt, quòd homo omnium exteriorum oblitus eſt, etiam illorũ, quæ in corpore ſuo corporaliter aguntur, & ſolummodò in illa per memoriam vel intellectum tractus eſt, quæ in ſpiritu, aut per ſpiritum fiunt. De quo Iohãnes in Apocalypſi dicit: *Fui in ſpiritu in Dominica die.* Quod exponẽs Haymo, dicit: Iohannes ſic fuit in ſpiritu, quòd tamen ipſam carnem funditus non deſeruit, ſed ſpiritu æternitatis adhæſit mens eius, & à ſpiritu docente aſſumptus fuit ſpiritus docendus, ideo tam mirabilia, & profunda vidit. Quandoque etiam ſpiritus hominis tanto impetu, ſeu amoris feruore ſupra ſe rapitur, vt meritò ſpiritus ſupra ſpiritũ eſſe di-

Anima.

Spiritus.

Mens.

Animæ à ſpiritu diuiſio.

Hebr. 4.

1 Cor. 6.

Spiritum eſſe in ſpiritu.

Apoc. 1.

Spiritũ eſſe ſupra Spiritum.

se dicatur, cùm scilicet non solùm omnia alia, sed etiam seipsum transcendit, & miro modo fit, vt per dilectionis ignem supra se sustollatur in illum, qui est supra omnia, & per vim amoris compellatur etiam exire à se; ita vt nihil sit in eo, hoc est, in sua memoria, intellectu, & amore, præter solum æternum amorem, qui est ipsemet Deus, in quo totus spiritus nudè submergitur. Tertiò humanus spiritus in tantum à seipso plerunque diuiditur, vt spiritus sine spiritu esse dicatur, quando scilicet incipit à seipso omnino deficere, & in supereminentem quendam statum transitum facere, vt quando introducitur ad Deum supereminenter contemplandum.

Spiritū esse sine spiritu.

Consequenter est hic notandum, quòd consurrectio virium superiorum valde difficulter potest exprimi, propter eius subtilitatem: sed & hoc ipsum, quod exprimi potest, non potest perfectè intelligi, nisi ab illis, qui per experientiam hanc notitiam receperunt: & ideò paucis hîc verbis intendo de hoc scribere, quia in ista consurrectione magis rapitur anima, quàm per seipsam ascendat: & potius agitur, quàm agatur. Ista autem Spiritus sancti interna operatio sine numero multipliciter sit, nostra vera operatio, quam in hac consurrectione agere habemus, non est tam multiplex, sed similis est ferè operationi nostræ in consurrectione virium inferiorum; tamen actio illa vel operatio tantum nobilitate excedit, quantum aurum terram; tantum subtilitate, quantum aër terram; & tantum claritate in cognitione, quantum sol stellas: & ideo inexperti, etiam si subtiles ingenio sint, ex istis scriptis non poterunt comprehẽdere eius nobilitatem, donec hoc ipsi experiantur: quia quãuis ingenio suo bene capiant, necesse esse, vt sit aliquod intellectuale increatũ lumẽ, vnde omnia intellectualia creata lumina effluxerũt, tamen non possunt intelligere quomodo increatum lumẽ in spiritu nostro operetur, aut in spiritu nostro nascatur, nisi duntaxat experiẽdo. Et hoc est quod dixit Christus Patri suo: *Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus* huius seculi, *& reuelasti ea parvulis*, id est, humilibus, mortificatis. Et ad discipulos suos: *Beati*, inquit, *oculi qui vidẽt quæ vos videtis. Dico vobis, quòd multi reges & Prophetæ voluerũt videre quæ vos videtis.* Per *reges* intelliguntur, qui natura fortes sunt, & exercẽt se multum in ieiuniis, vigilijs, disciplinis, cilicijs, orationibꝰ vocalibus, & similibus, quibus natura castigatur: & in his pœnitentiæ operibus confidentiã habẽt, inde præsumptuosi efficiuntur, plerunque etiam contemnentes alios, qui

Virium superiorum subtilitas.

Matth. 11.

Luc. 10.

Reges.

qui non sunt tam fortes ad agendam pœnitentiam. Per *Prophetas* intelligimus eos, qui habiles aut subtiles sunt naturali ingenio, & nituntur per illud peruenire ad contemplationem æternorum: sed talium oculi non beatificantur, quia licèt velint videre diuina, tamen non potest eis contingere, eò quòd immortificati maneant in propria voluntate. Prophetæ

Et hoc scias pro vero, quòd causa istius obcæcationis spirituale lumen præpedientis, est immortificata voluntas, sicut supercilia operiũt oculos exteriores. Si igitur peruenire volueris ad veram, spiritualem, & intellectualem contemplationem, denuda, & euacua perfectè voluntatem tuam ab omni velle, & nolle: quia voluntas propria, quæ nõ est tracta, aut transfusa in diuinum beneplacitum, est sicut columna sustentans omnes muros inordinationis: & quando ista columna tollitur, tunc corruũt omnes *muri* Iericho. Ipsa etiam est sicut sentina nauis, congregans in se omnem immunditiam peccatorum. Cæterùm, vt habeatur maior notitia, potest illud increatum lumen seu claritas assimilari exteriori soli, qui simplex est in claritate sua, & tamen claritas illa recipitur secundùm magis & minus, scilicet secundùm dispositionem, & aptitudinem obiecti, in quo recipitur: quia aliter recipitur in vitro nigro, aliter in glauco, & aliter in albo, & tamen vna est claritas; sed propter dispositionem vitrorum, vnum magis illuminatur quàm aliud. Sic etiam est in istis tribus gradibus seu partibus, quos in anima assignauimus. Hæc illustratio intellectus potest etiam conuenienter accipi, aut intelligi per similitudinem auroræ, de qua Angeli in Canticis Canticorum dicunt: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Lux siquidem auroræ paulatim eleuatur, eleuando dilatatur, dilatando clarificatur, & tandem desinit tota aurora, mutata in clarum diem, seu solarem splendorem. Sic etiam est intellectuale lumen in homine primò paruum, & bassum, quando scilicet est in inferioribꝰ viribus, in quibus homo se exercet: & quando progreditur in exercitijs, tunc etiam paulatim eleuatur, & dilatatur in intellectu: quéadmodum videmus, quòd quantò altius stamus, tantò plura possumus prospicere: & tandem in tantum intellectus suus eleuatur & dilatatur, vt excedat humanam capacitatem & intelligentiam, permutaturque in clarum diem, in quo contemplari possit æternum sõlẽ. Et secundùm istam eleuationem, & dilatationem, etiam omnia alia exercitia hominis eleuantur, dilatantur atque nobilitantur. Voluntas quænam cæca. Iosuæ 6. Lumen increatũ soli comparatũ. Cant. 6. Aurora.

De leuatione memoriæ, vltra omnia creata, in Deo fixæ, & de tribus animæ viribus. Cap. LI.

Fonti comparatur anima.

IGitur istam consurrectionem, quæ in superioribus animæ viribus per plenitudinem diuinæ gratiæ peragitur, cooperante propria industria, & conamine, assimilare possumus fonti tribus riuulis diffluenti: quia & anima tribus potentijs effluit. Est autem fons iste plenitudo gratiæ in vnitate spiritus, infusione diuina scaturiēs instar fontis: sed tamen essentialiter in vnitate spiritus nostri se tenēs immanēdo, tribus riuulis diuinæ operationis deriuatur in tres intellectualss animæ vires, ibidem se diffundendo.

Riuus diuinę operationis in memoriam.

Primus riuulus ab vnitate spiritus defluens in primam vim, scilicet memoratiuam, est quædam spiritualis, simplex, vniformis, iucunda, & quieta serenitas aut claritas, velut aër, quando quietus est abomnibus ventis, purus ab omnibus nubibus, & nebulis, serenus aut clarus à radijs solaribus. Sic efficitur memoria per influentiam istius riuuli quieta in seipsa, clara, & serena in conuersione ad diuina, pura ab omnibus peregrinis imaginibus: quià isto titulo eleuatur super omnia sensitiua, imaginaria, ac vniuersa ipsam præpedire valentia, & redditur stabilis & firma in vnitate spiritus, quia quādo iste riuulus defluit, replet omnes animæ vires inferiores cum superioribus, & instar maris refluxus trahit secum in ipso refluxu omnes vires ad suam originem vnde effluxerunt, & sic sustolluntur supra omnem multiplicitatem, & occupationes, velut si homo eleuatus esset vltra nubes in veram claram tranquillitatem, vbi nec ventus, nec nubes, nec grando, nec pluuia, nec vlla fit permutatio, memoriaque ipsa peruenit in tam admirabilem, claram tranquillitatem, & quietudinem, quòd incomprehensibile esset homini, qui non sensisset. Per quam claram infusam lucem, & tranquillitatem inuenit se recollectum, stabilitum, penenerratum, & ancoratum in vnitate sui spiritus, quam etiam veluti propriam quandam possidet mansionē: ac vnitas ipsa per Dei internam operationem consequenter inclinabatur ad illam excellentissimam vnitatem, in qua Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, cum omnibus Sanctis, & Angelis vniti sunt. Et istiusmodi homo adeò priuatur memoria inferiorum, ac si esset homo cælestis, & non terrestris. Vnde legimus de quodam sancto Patre, quia adeò eleuatus fuerit per memoriam suam, vt nullam memoriam rerum terrenarum posset retinere.

Memoriæ quies.

Memoriæ eleuatio.

nere. Accidit vt frater quidam veniret ad cellam eius, & peteret aliquid sibi accommodari. Respondit pater: Maneas hîc frater, volo intrare, & afferre tibi. Sed antequam intro veniſſet, oblitus fuit; non solùm rei quam afferre debebat, sed etiam fratris, quem præ foribus præstolari iusserat. Fratre autem secundò pulsante, exiuit pater & interrogauit quid peteret, oblitus quippe fuerat omnium; quæ frater ei antea dixerat. Iuit secundò pro re afferenda, sed iterùm penitus obliuiscebatur. Cùm tertiò frater pulsaſſet, & ille exiuiſſet, ait: Dilecte frater ingredere tu ipse, & accipe quod petis: quia imaginem aut memoriam illius rei non valeo tam diu retinere, quòd possem tibi afferre. Paradigma.

De eleuatione intellectus in abyssum diuini luminis.

Cap. LII.

Riuus diuinæ operationis in intellectu.

SEcundus riuulus defluens in secundam vim, scilicet intellectum, est interna quædam apparitio Dei, hoc est, intelligentia quædam ex Deo fluens, internitatem nostram apertam conseruans ad omnem influentiam Dei, intellectumque nostrum eleuãs ad cognoscẽda profundissima sacræ scripturæ arcana, excedẽs omnem naturalem intellectum, eleuaturq; in tantum in Deum, vt internum Dei susurrium recipiat, imò multa illi occulta intellectualia lumina aperiuntur, quibus semper magis ac magis istis tribus viribus supra se eleuatur, & in Deo profundatur. Exempli gratia de sancto Fraciſco, qui erat homo simplex: Stabat aliquando in contemplatione sua, & ad Deum loquebatur, audiente fratre Leone: Quid es tu dulcissime Iesu: & quid sum ego tuus vilissimus vermiculus? Post hoc interrogauit frater Leo, quid istis verbis prætenderet? Qui respondit, aperta sibi fuisse duo lumina cognitionis. Primum de incomprehensibili immensitate Dei in magnitudine, maiestate, sapientia, bonitate, misericordia, & sic de omnibus alijs, quæ Deo possunt asscribi. Secundum intellectuale lumẽ fuit notitia suæ abyssalis vilitatis; & his duobus luminibus amor Dei & contemptus suijpsius in eo augebantur. In hunc modum etiam istiusmodi homines tam profundè rapiũtur in omnimodas occultas cognitiones, quod incredibile foret inexperto. Primò quidem intellectuales oculos attollentibus in Dei excelsam naturam, datur plerumque ipsis notitia de Deo, quòd scilicet sit quædam incomprehensibilis, simplex puritas, in sua essentia, inscrutabilis profunditas, inacceſsibilis altitudo, incomprehensibilis latitudo, æterna longitudo, tranquilla & silens aut quieta caligo, lata & vasta solitudo, requies æterna Sanctorũ, com- S.Franciſci contemplatio. Cognitio duplex. Cõtemplatio Dei.

mune fruibile suijpsius, & omnium Sanctorum, & multa his similia, quæ considerari possunt in abyssali pelago deitatis. Et quamuis homines non intelligant quid in istis verbis inclusum sit, quamdiu ipsis non fuerit concessum experiri, scire tamen debent quòd intellectus illorum, qui se frequenter ad ista conuertunt, in tantum in huiusmodi sustollitur in admirationem, vt omnes vires animæ sequi cupiant, vnaquæque cum operatione sibi debita ad gratias agendas Deo, ad ipsum honorandum, & amandum, adeò quòd totus homo habituatur in eleuatione omnium vnium animæ.

Trinitatis cognitio.

Nunc ergo prosequendo de ista notitia, secundò oculus intellectualis eleuatur & instruitur de sancta Trinitarte, videlicet quomodo Filius à Patre æternaliter generetur, & Spritus sanctus procedat à Patre, & Filio, quomodo tres illæ personæ sint vnus Deus, & vna essentia, æqualis potentiæ, sapientiæ, & bonitatis: & generaliter quicquid Deo ascribitur, hoc istis trib⁹ personis æqualiter attribuitur, & dũtaxat distinguit eas sua personalitas. Sed ista notitia & apparitio fit penitus in spiritualibus imaginibus, aut similitudinibus in isto gradu consurrectionis, & nõ essentialiter. Attamen ista notitia est etiã inaccessibilis, quia nemo potest eam adipisci propria industria, & subtilitate ingenij, sed sicut supra adduxi, similitudinem de aurora, quæ in diem permutatur, sic oportet intellectũ à Deo eleuari, dilatari, & supra omne suum naturale lumẽ clarificari: & tunc demũ poterit in intellectu doceri, vt cognoscat proprietates, quæ attibuuntur tribus personis. Patrem scilicet esse immensam, omnipotentem maiestatẽ, creatorẽ, conseruatorẽ, motorem, principiũ, & causam primariã vel originalem omniũ creatorum. Filium autẽ eius vnigenitum, in inuestigabilem esse sapientiã, & veritatem, vitam & exemplar omnium creaturarum, artis paternæ infallibilem regulã, vel mensuram, deitatis oculum abdita cũcta prævidentẽ, splendorem paternæ gloriæ, electos iuxta singulorum merita perlustrantem. Tertiò Spiritũ sanctũ esse incomprehensibilem largitatem charitatis, misericordiam inæstimabilis pietatis, pelagus abyssale immensæ bonitatis, torrentem vehementẽ, totam cælestem societatẽ incomprehensibili voluptate inebriantem, flammam igneam omnes amantes spiritus in diuina vnitate liquefacientem, nexum & complexum Patris, & Filij, & omnium beatorum spirituum, quo vniti sunt ad fruendum immensis delicijs, & diuitijs Dei, infinitaque similia, quę animæ imprimuntur cum imaginibus seu similitudinibus, quia pro

Pater.

Filius.

Sanctus Spiritus.

tunc

tunc agitur à spiritu Dei, de quo dicit beatus Paulus: Qui *spiritu Dei aguntur*, hi *filij Dei sunt*. Quamuis autem omnes huiusmodi impressiones in admirationem operum diuinorum animam sustollant, super omnia tamen reddit hominem attonitum largiflua communicatio diuinæ naturæ, qua seipsum liberaliter offert fruendum cunctis creaturis, vnicuique iuxta suam dispositionem, vel aptitudinem, præcipuè tamen beatis spiritibus in fruitione gloriæ, & gratiæ suæ. Ex hac admiratione acquirit singulare in diuina bonitate confidentiã, & quoddam internum spiritus gaudium, cunctas animæ potentias & ipsam spiritus vnitatem penetrans. Rom. 8.

De inflammatione voluntatis igne amoris ardentissimi.

Cap. LIII.

TErtius riuulus ab vnitate spiritus in superiorem defluens voluntatem seu vim amatiuam, est infusio quædam ignis spiritualis, id est, charitatis, voluntatem penetrans tranquillo, & quieto amore, qui nõ erumpit sicut amor practicus: qui homini interiori infunditur, sed amor iste recipitur in viribus intellectualibus à corpore separatis, & est silens, purus, ac perfectè depuratus, vel excoctus instar olei, quod non supereffluit cùm sufficienter fuerit bullitum. Hic amor nobilior est alio, sicut aurum terra; & subtilior, sicut aër aqua; trahens, semper superiores vires ad suam originem; quantoque spiritualior fuerit, tantò minorem ingerit laborem. Calor autem huius amoris tam vehemens est, quòd totum hominem videtur comburere atque consumere, & quasi in ignitum seu viuum carbonẽ transferre, atque in immensum illum diuini amoris ignem trahere, & annihilare, adeò vt amans spiritus diuinum amorem inuocare compellatur sine intermissione, vt se intrahat, deuoret, annihilet in abysso immensæ suæ magnitudinis: è contra verò diuinus amor intellectuali impressione clamat, incessanter in spiritu, vt amet illum amorem, qui ipsum æternaliter amauit. Hæc autem vox est excitatio quædam interna seu motio in spiritu nostro, omni exteriori materiali tonitruo terribilior, & violentior, ita vt coruscatio eius spiritui cælum aperiat, ac lumen illi æternæ veritatis ostendat: quia amor nunquam quiescit, quin se semper cupiat multiplicare. Et quantò spiritus plus amat, tantò ardentius concupiscit, sic quòd tandem ardor amoris tam intemperatus, & vehemens efficitur, vt ipsum amoris exercitium inter Deum & spiritum vadat, & redeat more vehementis fulguris, spiritum penitus consu-

Riuus diuinæ operationis in voluntatem.

Amorem Dei clamare in nobis.

mere volentis. Causa huius est, quia amor practicus & fruitivus efficiuntur æquè fortes; quod nusquam in gradibus præcedentibus cõtingit, nisi fortè interdum ex speciali dono Dei, sed hic partim æquales iudicantur.

Amor practicus.

Et vt intelligas, tunc propriè dicitur amor practicus, quando spiritus noster suo creato amore agit, & impellit ad Deum, & ad omne quod Deo placitum esse potest: sed tunc dicitur amor fruitivus, quando spiritus noster feliciter agitur à spiritu Dei, in qua inactione Dei omnes apparitiones, & eleuationes mentis consistunt, & omnis omnino perfectio. Attamen in omni diuino amore est aliqua fruitio, sed in præcedentibus gradibus secundùm cõmunem cursum prævalet amor practicus, & fruitiuus cogitur cedere: in sequẽtibus verò prevalet amor fruitivus in conuersione ad Deum, & cogitur amor practicus cedere: quia tunc spiritus magis agitur in spiritu diuino, liquescendo in spiritu diuino, vt vnus spiritus fiat in ardore charitatis. In præsenti autem gradu confligunt æquæli * violentia, ita vt interdum spiritum nostrũ cedere oporteat, interdum diuinum. Et quia æquè vehemẽtes, aut potentes sunt, & insuper spiritus noster adhuc non est habituatus ad expirationem, naturaque hominis naturaliter vigorosè resistit expirationi, idcirco agitur in homine tantus conflictus, quia neuter horũ spirituum vult cedere, sed vterque prævalere desiderat. Spiritus nanq; humanus omni momento desiderat absorbere immẽsitatem Dei, & putans absorbere, vel deuorare, deuoratur: sicut piscis putans se escam deuoraturum, extrahitur hamo intus latente.

Amor fruitiuus.

*Aliàs potentia.

Amor feruidus.

Ad istum gradum consurrectionis pertinet septimus gradus amoris, qui in Scripturis appellatur amor superferuidus, id est, amor, qui præ nimio calore ebullit. De hoc dicit Hugo, cap. 7. cælestis hierarchiæ: Nostis enim quomodo id quod feruet quadam incendij sui violentia iactatur extra se, tollitur supra se, & facit motionẽ magnã ex inuisibili æstuatione: sic etiã amor superferuidus magna vi proijcit spiritũ supra seipsum, & extra seipsum. Hic amor propter magnũ suum feruorẽ potenter expellit ab homine omnes inordinatas affectiones, omnes occupationes, & solicitudines, aut studia, omnia deniq; exercitia, quæ nõ congruunt ei affectui, & impulsui: quia vt dicit Bernardus serm. 35. super Cantia: Anima, quæ semel à Domino didicit, & accepit intrare ad seipsam, & in intimis suis Dei præsentiam suspirare, & ex parte frui, talis, inquam, anima nescio an vel ipsam gehennam ad tempus experiri,

riri horribilius pœnaliusve ducat, quàm post spiritualis studij huius gustatam semel suauitatem exire denuò ad illecebras, vel potius molestias carnis explendas. Sic ergo valde succinctè transcurrimus istam consurrectionem superiorum virium: quia nihil dignum inde loqui possumus, respectiuè ad id, quod est in veritate. Etiam silemus de operationibus, quæ à Spiritu sancto in huiusmodi hominibus aguntur, quia multiplicari seu variari possunt supra numerositatem capillorũ capitis: sed principale opus eius est extractio, & intractio, de quibus tangam in sequenti gradu ad laudem Dei.

De consurrectione vitæ contemplatiuæ spiritualis, quæ celebratur in vnitate supereminenti animæ. Cap. LIIII

COnsurrectio, quæ fit in suprema parte animæ, hoc est, in essentiali animæ vnitate, quæ est fons & origo virium superiorum, nũc tandem absoluenda. Hæc vnitas, in quantum vnitas, non operatur: attamen ab ipsa accipiunt omnes vires virtutẽ, & potestatem operandi. In hac vnitate omnino necessarium est, vt vel Deo similes efficiamur per gratiã & virtutes, aut dissimiles per peccata. Sine hac similitudine iam dicta, Deo supernaturaliter vniri non possumus: quia peccatum, quod in nobis causat dissimilitudinem quandam ad Deum, efficit quoque abyssale mediũ non solùm inter nos & Deum, verùm etiam inter potentias animæ & essentiam eius, quam Deus inhabitat, ita vt vires ipsæ, id est, spiritus noster, essentiæ suæ nequeant vniri: in quo vtique requies spiritus consisteret, si non exularet in regione dissimilitudinis per peccata, & immortificationem. Sed quãdo anima perfectè ornata est diuina similitudine in virtutibus, & gratijs, tunc spiritus noster felici submersione demittit se in amorem fruitiuum. Et ex hoc ipso fit quædam vnio supernaturalis cum Deo per medium virtutum, & gratiarum. In qua scilicet vnitate nos à Spiritu sancto suscipimur, & versa vice nos cum Spiritu sancto suscipimus Patrem, & Filium, imò totam deitatis naturam. Porrò in hoc summa nostra beatitudo consistit, quòd per similitudinem virtutum, & medium luminis gratiæ, spiritus noster introducatur in requiem essentialis vnitatis suæ, cui Deus cum omnibus diuitijs suis se liberaliter infundit. De ista vnione hic intendimus loqui, quia consurrectio ad istam est nobilissima, prouehens spiritum nostrum ad summum exercitium sub increato lumine exercitari possibile, profundatque nos

Beatitudo hominis quæ.

sẽmper magis ac magis in Deum. Quæ profundatio similis est torrenti, aut fluuio impetuoso, sine reuersione in mare defluenti, vbi penitus absorbetur.

Tactus Dei in spiritu hominis. Cant 5.

Ad maiorem autem euidentiam, sciendum quòd ista consurrectio excitatur, & mouetur tractu quodam aut tactu, quem Deus in intimo spiritus nostri facit. De quo amorosa anima gloriabatur, dicens: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus*, id est, homo inferior, *intremuit ad tactum eius.* Hũc tactum spiritus noster patitur aut recipit sine cooperatione: quia sola diuina operatione superiores potentiæ hoc tactu vnitate spiritus adunantur, ita vt oporteat omnem operationem, omnemque rationem deficere: sed ratio illuminata, & multò magis superior amatiua vis, sentit hunc tactum, sic tamen, vt ratio modum eius comprehendere nõ valeat. Quid autem sit iste tactus in sua origine, vel quid sit amor in seipso, inuestigare non possumus, sed tactus iste est vltimum medium inter Deum, & spiritum nostrum; inter operari, & quiescere, aut agi; inter viuere, & mori, vel expirare: subleuatque nos ad altissimum exercitium sub increato lumine exerceri possibile: quia tactus iste excitat, & eleuat intellectum ad cognoscendum Deum in sua eminenti claritate, & trahit superiorem vim amatiuam ad fruendum Deo eminenter. Negotium istius tactus propriè in hoc consistit, quòd amantem spiritum trahit ad externum exercitium, & ad internum: quia spiritus Dei sua aspiratione extrahit nos ad amandum practicè, & ad operandum virtuosè: & rursum intrahit spiritum nostrum ad amandum fruitiuè, quiescendumque feliciter. Et hæc duo potest purus amator per inactionem Spiritus sancti omni tempore, & momento pariter exercere, ita vt vnum per alterum non impediatur, sed potius confortetur: hoc est, omni tempore totaliter in Deo fruitiuè quiescere, & in se totaliter practicè amare. Per fruitiuum amorem possidet vnionem cum Deo, & per amorem practicum sentit separationem: & hæc est vita beata, quam nunc prælibare poterimus. Exemplum de isto accipere possumus in aëre exteriori intra nos existẽte, quem corporaliter expiramus, vt rursus nouum, aut recentem attrahere valeamus, in quo vita naturæ in nobis continuatur. Oculos etiam corporales assiduè aperimus ad videnda extrinseca, & iterum in momento recludimus, & rursum aperimus, ita vt subita recluſio oculorum nos non impediat in videndo, quin potius oculi videntur semper remanere aperti: sic etiam morimur seu expiramus.

Negotium tactus diuini quod.

mus in Deo per amorem fruitiuum, & subitò iterum per amorem practicum viuimus in nobisipsis: eximus ex Deo ad virtuosa quæque opera, & exercitia, & iterum nos introuertimus in Deum, vt expiremus: & tam firmiter adhæremus Deo, ac si nunquam experiremur aliquam extrouersionem, vel extrouersio adhæsionem, & expirationem non impediret. Felix qui istud assiduè per gratiam Dei sentire potest, sed expressius eloqui non valeo. Est autem omnium hæc nobilissima sensio, & vtilissima exercitatio, infra increatum lumen in spiritu nostro recipi possibilis, licèt sint alij gradus altiores medij, antequam perueniatur ad Deum eminenter videndum: sed illi gradus fundati sunt supra spiritum in vnitate spiritus seu essentia animæ, ad quæ istud exercitium stimulat, vel impellit, sicuti hîc pro posse nostro libenter explicaremus.

Mori & viuere in Deo quid.

De nominibus amoris, practico, fruitiuo, eleuato, quieto, puro, & eminenti. Cap. LV.

ANtequam tamen istos duos tactus prosequamur, pro ampliori instructione habenda, aliquid tangemus de amore (eò quòd plura nomina habeat) quid per nomina intelligatur. Primò ergo amor dicitur practicus, quia operatur in nobis sensionem deuotionis & amoris: operatur in nobis practicam & diligentiam ad omnia virtuosa opera & exercitia, ad omnes virtutes acquirendas, & ad moriendum omni inordinationi. Dicitur etiam amor fruitiuus, cùm amori diuino perfectè noster amor vnitus est: quia vnitio fruitionem efficit, ita quòd in eminenti vnione celebratur etiam eminès fruitio, in qua spiritus nullam discretionem seu medium percipit inter se & dilectum: quia spiritus à se dilatatur in quandam eminentis amoris latitudinem, cuius ardens flamma spiritum nostrum subuehit in ignè amoris diuini, qui est infinitæ magnitudinis: & sic vnum amorem ac fruitionem efficit, quia amor Dei & amor noster semper similes sunt & vnum in fruitione, vbi spiritus diuinus spiritum nostrum deglutit cum seipso in vnam fruitionem & vnam beatitudinem. Et licèt de natura amoris sit, nunquam otiari, sed semper operari, tamen quantum appropinquat æterno amor, tantùm etiam appropinquat fruitioni, quæ vacare cogit: & hoc ideo, quia cùm amor noster diuino amori perfectè coniunctus est, tunc non agit amodò; sed agitur, & à spiritu diuino transformatur, sic quòd in fruitione solus DEVS operatur,

Amor practicus.

Amor fruitiuus.

Fruitio.

ratur, vbi omnes amorosos spiritus expirare facit, & in vnitatem spiritus sui transformat. Fruitio autem, de qua hic loquimur, est complexus dilecti in dilecto, super omne desiderium in quendam simplicem nudum amorē, vbi Pater cum Filio dilectum suum comprehēdit in vnitatem fruitiuam Spiritus sui: in quo complexu cogitur spiritus humanus expirare, liquescere, defluere, & in fruitione vnum cum Deo fieri. Et quantò magis huic complexui propinquamus, tātò magis etiam de hac fruitione participamus. Hic ergo amor propriè dicitur fruitiuus, licèt in omni quoque gradu diuini amoris sit aliqua fruitio.

Amor eleuatus.

Tertiò, amor dicitur eleuatus, quia eleuatur, & etiam eleuat spiritum supra omnem operationem in nudam quandam intelligentiam, nudumque amorem.

Amor nudus.

Quartò, amor dicitur nudus, quietus, & otiosus: quia ab omnibus intermedijs se denudat, & nudè se transfert in amorem essentialem, & otiosus ab omni operatione vacat, nec in eo viuit accessus aut recessus, nec impetuositas amoris vel virtutum, sed vacās permittit se agi à spiritu diuino. Viuit etiam quietus in Deo, & Deus in eo, nutriens & pascens omnes virtutes: nullum sumit nutrimētum nisi in Deo, sicut fons semper effluit, & tamen in seipso quietus immotusq; permanet.

Amor purus.

Quintò, amor dicitur purus, quia ab omnibus alienis affectibus est depuratus & indepictus.

Amor eminens.

Sextò, amor dicitur eminēs, quia in ipsa animæ essentia constitutus est & firmatus, in quē spiritus subleuatur supra omnem practicum amorem, & supra omnem rationem, vbi *vnus spiritus*, & vnus amor cum Deo efficitur. Sic ergo habes ex parte quid significent nomina amoris.

1. Cor. 6.

De amoroso extrahente tactu. Cap. LVI.

PRosequendo igitur negotium aut exercitium tactus huius, est sciendum, quòd spiritus noster isto tactu primò extrahitur ad quoddam exercitium externum per effluxum Spiritus sancti, quo omnes vires animæ implentur spiritualiter in delitijs atque diuitijs, & per hoc exteriores vires in momento introrsum impelluntur, & vires internæ inferiores sursum actæ, in superiores trahuntur, ita vt ab omni operatione quiescere cogantur: superiores verò, hoc est, intellectuales vires in propriam suam operationem collocantur: sic quòd memoria ditatur & ampliatur abundanti influentia rerum cælestium & diuinarum: intellectus clarificatur sublimibus intellectualibus illustrationibus, & voluntas incipit ardere liquescentibus desiderijs. Præterea

Tactus extrahens.

hic extrahens tactus facit nos in spiritu viuentes, replēs nos gratia sua,

ac in

ac in Dei præsentia nos statuens: tam potēti denique virtute nos conseruat, vt omnem saporem, & sensionem, vniuersáque affluentia Dei dona sine defectione sustinere valeamus. Vnde ex hoc tactu effluunt omnes riuuli diuinæ bonitatis, & omnes vires hinc latè expandūtur, præcipuè excessiuus appetitus voracis desiderij: quia anima sentit Deum seipsum cum vniuersis suis delicijs & diuitijs resignare velle, vt in eam veniens feliciter permaneat. Et quamuis tactus spiritum intrahēs, excitet in nobis exercitium multo nobilius isto, quia nos intrahit ad vnionem Dei & nostram expirationem; vtile tamen & necessarium est, vt fidelis amator vtrumq; tactum satagat exercitare & sequi, magis tamen ex necessitate, quàm ex affectu: quia optabilius semper est intactionem exercitare, in qua spiritus immediatè in Deo requiescit: sed hoc exercitium oportet interdum ex necessitate dimittere. Primò, vt desiderium suum in intractione plenius consequatur, necesse est vt diuinam perfectionem secūdùm possibilitatem imitari studeat, præsertim in his, quæ nobis pro exemplo reliquit in assumpta natura: ideoque necesse est, vt illæ mente pia recolat ad stimulandum seipsum ad assimilationem. Secundò, quia naturæ fragilitas non posset sustinere cōtinuationem huiusmodi vigorosæ intractionis: idcircò necesse est, vt seipsum vtiliter extrouertat ad releuandā naturam. Tertiò, vt amator delectationē sumens in spirituali requie, non incipiat acediari & negligens fieri in profectu virtutū & operum virtuosorum. Quartò, vt spiritus vberiori fœcunditate reuolet in dilectum: & hæc oportet vt sit semper in extractione intentio sua, non solùm principalis, sed vnica: quia sicut apis euolat ad mel ex floribus colligendum, alueoloque inuehendum, sic etiam anima euolare debet illuminata ratione, per omnia mirabilia & amabilia, quæ Deus fecit ex infinita sua potentia, sapientia, & bonitate in omni creato, præcipuè tamen in illo glorioßimo & amabilißimo speculo, sanctißima scilicet humanitate Domini nostri Iesu Christi, & per omnia, quæ in humana natura tam gloriosè, dignanter, & amorosè egit & passus est, vt tanquam apis argumentosa ex his sugere valeat mel spirituale, quo excitetur ad gratias agendum Deo, ad laudandum eum, honorandum, & diligendum; & isto onerata, concitè reuolare possit in proprium alueolum, hoc est, in dilectum suum, per dulcedinem fruitiui amoris latè & profundè fluitando in increatum amorem, velut in abyssum quandam, dimissa foris illuminata ratione, donec ipsa iterum exeat. Cumq; mel suum ef-

Tactus intrahens.

Exercitium intrahentis tactus quādo intermittendum.

Apis spirtualis quomodo fiat anima.

fundendo, ſummam operationem ſuam conſummauerit, hoc eſt, ſpiritum ſuum ad expirationem impulerit, & aliquantiſper à diuino ſpiritu acta, confota, & circumplexa fuerit, denuò illuminata ratione euolare debet ad colligendum plus mellis, & pari fœcunditate reuolare in dilectum. Et in his charitas debitè ordinatur, cùm mens humana ſupra ſingula quæque requieſcere nouit, ſecundùm quod vtile fuerit ſpirituali profectui, ex omnibus ſugendo mellifluam dulcedinem diuinæ potentiæ, bonitatis, magnitudinis, largitatis, & ſimilium, qua iterum reuolet in proprium aluearium, hoc eſt, in amabilem illam originem, vnde omnia profluxerunt. Ad hoc enim hæc euolationis viciſſitudo propriè celebratur, vt ſemper maiori vberioriq́ue fœcunditate in dilectum reuoletur.

Ordo charitatis.

De tactu intrahente. Cap. LVII.

SEcundò, præfato tactu ſpiritus intrahitur in intimũ animæ, imò in intimũ diuinæ fruitionis, exigens nos liquefieri in nobis, & ad nihilum redigi in diuinam vnitatem, ac mori quodammodò in æternam felicitatem: hoc eſt, in amorem illum vnitiſsimum ac ſimpliciſsimum, qui Patrem & Filium in vna fruitione complectitur, vbi amoroſus ſpiritus in ſuauiſsimo amplexu diuini amoris baptizatur, ita vt omnes vires noſtræ deficiant. Hæc intractio quidam internus contactus eſt, ex ſupereſſentiali vnitate Dei procedens, in quo amoroſi ſpiritus in vno amore cum Deo quodam amplexu efficiuntur penitus liquefacti. Nec mirum, quia ſuper hunc tactum in ipſa ſileti tranquillaque ſpiritus eſſentia, incomprehenſibilis quædam claritas emicat: & hæc eſt excellentiſsima Trinitas, habitans in intimo ſpiritus, ex cuius diuitiarum & delitiarum profluuio tactus iſte cauſatur. Et quamuis ratio illuminata & intellectus cupiant proſpicere in intimum ſpiritus ad cognoſcendum de iſto tactu, tamen non poteſt ipſis contingere: quia diuina claritas tunc ſuperemicans, hunc tactum cauſans, ſua claritate obtenebrat omnem viſum & intellectum, creato tantùm lumine illuſtratum, ſicut præſentia ſolis obſcurat lunam: & ſtellas, cùm tamen à ſole ipſo lumen ſuum recipiant. Quamuis ergo ratio & intellectus præ foribus ſtare ſeu gradum ſiſtere compellantur, virtus tamen amatiua ſuperior (quę ſicut intellectus ad notitiam, ſic ad guſtum ipſa diuinitus inuitatur aut trahitur) amoris ſui impetum proſequi cupiēs, progredi nō omittit. Nam ipſa magis delectatur in amplexu diuinæ fruitionis, quæ potius ad guſtum pertinet, quam ad viſum. Sic igitur ratione &

Intractio ſpiritus.

one & intellectu præ nimia claritate excæcatis aut caligantibus & in
tanuis exctibantibus, amatiua vis cum Moyse intrat *caliginem* impetu Exod.20
magno: quia quendam spiritualem insatiabiliter esuriẽtem impulsum
comprehendendi bonum increatum acquirit, veluti si totum pelagus
glutire minimus conaretur pisciculus. In hoc impetu tres vires superi-
ores, sua vigorosa operatione seipsas exercendo funditus extenuant,
annihilant, & in propriam deficientiam perducunt, vt feliciter effluentes absorberi valeant in immẽsa diuinitate sanctæ Trinitatis. Exemplum horum capere possumus in Deo, cui omnibus assimilari debemus, non solùm secundùm humanitatem, verùm etiam secundùm diuinitatem, cùm *ad suam similitudinem* etiam nos creauerit. Quemadmodum ergo Deus suum habet effluxum & influxum, quia effluit naturaliter veritate & amore: quia veritas æterna à Patre generatur, & amor æternus ab vtroque procedit: ita etiam super omnia exercitia debemus effluere notitia quadam veritatis omnium rerum, quæ nos in Deum ducere possunt: & amore, quem colligere debemus ex creaturis, veluti mel ex floribus, ad subuehendum in increatum amorem. Etiam influit Deus naturaliter sua vnitate & essentia: quia vnitas diuinæ naturæ intrahit tres personas in nexu aut vinculo amoris, & diuina essentia consequenter comprehendit atque complectitur vnitatem naturæ circumplexu quodam fruitiuo in eminenti amore. Sic pertinet etiam ad vinculum, aut nexum nostri amoris, impulsi amore diuino, intrahere vires nostras in vnitatem spiritus nostri secundùm modum quem præfatus sum: sicque vlterius in simplicem vnitatem essentiæ nostræ superascendimus, vbi diuinam vnionem susci-pimus, & eius dulcissimam fruitionem prægustamus. Et sic incipit amorosa anima quiescere ab omni operatione *sub vmbra illius, quem* desiderauit, ita vt fructus vmbræ dulces fiant *gutturi* suo. Ipsa etiam peruenit ad lectulum dilecti sui, vt suauiter ibi dormiat, otiosa ab opere, submersa in diuino amore: ibique diuinam patitur intra se operationem, (sed hæc passio dulcis est) transformata in claritatem & amorem Dei, sicut ferrum in igne transformatur in claritate & calore, cùm sit de natura sua nigrum & frigidum. Hæc est via regia, qua anima veniat à creato lumine in lumen increatum, vbi suam veram habet originem, ad quam vt perueniatur, omnes eius impulsus à principio ordinari debent. O anima mea, vbi profluxus tuus sumpsit exordium? Nonne effluxisti ex abysso

Genes.1. Effluxus, & influxus diuinus.

Cant.2.

Animæ essentia.

diuinitatis velut essentia ex essentia, vita de vita, lumen intellectuale de lumine intellectuali, sed creaturaliter, nō essentialiter? Tu nō es Deus de Deo, sed es deificāda à Deo. Tam fortis autem cōnexio, & tam excellens counitio est inter vos, quòd nunquam abolenda est, nunquā in æternum separanda. Vnde sicut Sol iste materialis in sua rota lux quædam est essentialis, radios suos vbique dispergens: qui radij licèt non recipiant partem de essentiali claritate solis, attamē æternā inhæsionem cum sole habent, per quam in esse cōseruantur, ita quòd eodem momēto, quo inhæsio illa dissipatur, etiā esse ipsius radij euacuatur: sic etiam anima ab infinita diuinitatis abysso profluxa, æternam quādam contiguationem, vnde conseruatur & alitur, cum sua origine retinet, quia si huiusmodi contiguatio interciperetur, eodem momēto anima ad nihilum redigeretur. Sicut igitur quis per rādium in rotam solarē ducitur, sic à sensibus exterioribus & viribus ad interiores, ab interioribus inferioribus ad superiores, & à superioribus ad vnitatem essentiæ ipsius animæ, & ab ea consequenter in primam originē ducimur.

De triplici manifestatione luminis. Cap. LVIII.

COnsequenter pro clariori informatione de ista intractione habenda, est sciendum, quòd postquam vires intellectuales intractæ fuerint in vnitatem spiritus, & vnitas spiritus se immediatè præsentauerit & collocauerit coram Deo, tūc ex diuina vnitate irradiat lumen quoddam in eleuata vnitate spiritus nostri sub triplici similitudine manifestans. Primò, vt caligo, de qua infra dicam. Secundò, vt serena trauquillitas ab omnibus formis depurata, veluti cælum serenum absque omnibus formis nubium, qua homo omnem considerationem & differentiam rerum & imagines amittit, simplici quadam vniformique claritate circumfulsus & perfusus.

Oculus simplex animę quis.

Istam intellectualem claritatem possumus appellare oculum simplicem, ad quem peruenitur hoc modo. Intellectus & superior affectus aut amatiua vis pariter gradiuntur ad perueniendum in Deum, vsq; ad extremum, quò intellectus pertingere potest. Tūc intellectus cum omni consideratione manet foris, & vis amatiua sola ingreditur, & se eleuat ad nuditatem cogitationis, quæ est simplex oculus animæ seu cor animæ, quo Deus videtur, sicut Christus ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 5. Iste simplex oculus latè apertus est, & habet intuitum simplicem sine consideratione aut inquisitione: quia in nuda cogitatione lux quædam intellectualis effulget, quā nec sensus, nec

sus, nec ratio, nec natura, nec consideratio capere prævalet: quia claritas immensa lucis illius reuerberat & caligare facit vel obcæcat oculos rationales: supra verò rationem simplex oculus noster in apice intelligentiæ solus manet apertus, contemplans & spectans hanc lucem irreuerberatus. Hæc autem lux nobilior est, & superior omnibus in natura creatis: quia naturæ perfectio est, clarificatumque medium inter nos & Deum, libertatem nobis ad Deum tribuens & fidem. Nostra verò simplex nuda cogitatio, vitrum speculum est, in quo lux ista relucet: & ergo vocatur oculus simplex. Tertiò, manifestat se lumen istud velut quoddam nihilum, cuius nobilitate ab omni opere sabbatizare homo compellitur, eò quòd vincatur diuini amoris operatione, quæ est supra omnem operationem quieta otiositas, & supra omnia desideria & impulsus felix quædam tranquillitas. Hæc tria in vnum conueniunt, prout scire poterit, non qui hæc scribit aut legit, sed qui sentit.

Lumini manifestatio.

Prosequendo igitur de primo, hoc est, de caligine, sciendum quòd ipsa non potest ratione aut intellectu comprehendi: quia in ea spiritus expirat, & vnum cum Deo efficitur: tunc & Deus est fruitio, requies, & pax eius. Quæ fruitio vacat ab omni operatione, quia dilectus dilectum supra omne desiderium per nudum simplicem amorem complectitur: & claritas tanta est, quòd in ea intellectus reuerberatur & obcæcatur, quomodo in rotam solarem intendere volens excæcari solet. Vocatur etiam caligo, quia amorosa anima experiri incipit, quòd omnis illa contemplatio & intuitiua cognitio, quæ præcessit in imaginibus & similitudinibus, & etiam omne quod per intellectum humanum, & cogitationem nudam imaginari valet, ab ipsa veritate diuinæ essentiæ in infinitum sua dissimilitudine distant. Hinc intellectualem oculum denudans à corporalibus, spiritualibus, & etiam diuinis imaginibus, quantumlibet, sublimes aut nobiles sint, sursum ascendit in caliginem: vbi nimirum in quandam Dei perfectam ignorantiam constituitur, velut inter duas mensas, ibique fame potius perire eligit, quàm descendere ad mensam inferiorem, vbi Deus in imaginibus & similitudinibus cognoscitur: ad mensam verò superiorem, vbi Deus in sua nuda essentia cognoscitur, adire non permittitur. Sic igitur manet sedens in nuda caligine, vacuitate, & nihilietate cogitationis suæ, immediatè coram ignota gloriosæ diuinitatis præsentia, suam ibi constituens inhabitationem, eò quòd illic sine medio lumen illud glorioſum in ipsam

Caligo diuina.

Anima inter duas mensas.

caliginem infulgere non ceſſat, licèt tenebræ lumen ipſum comprehendere non poſsint. Cuius ratio eſt, quia caligo illa nõdum eſt glorificata: ſi autem aliquando glorificaretur, tunc lumẽ in lumine comprehenderet, & vnum cum ipſo lumine fieret: tunc denique anima ad menſam ſuperiorem ſubleuata reſideret, vbi Deũ cognoſcere & amare in nuda ſua eſſentia poſſet. Sic ergo neceſſe eſt animam veſtiri lumine gloriæ, vt poſsit eſſentialiter contemplari ipſum glorioſum increatum lumen. Interim debet inhabitationem ſuam conſtituere in ipſa caligine, quia ſi in hoc longanimiter perſeuerauerit, dulci fructu ſub hac caligine noſa vmbra perfruetur, velut catulus micas de mẽſa decidentes ſumens. Et licèt interdum ſe debeat extrouertere, prout ſupra tetigi, tamen in ſua introuerſione conari debet iſto modo in Deo ſe profundare: quia in hoc inueniet mirabiles familiaritates, communicationes, & complacentias in Deo & cum Deo: mirãda inſuper gaudia, delicias, & ſpirituales diuitias, excedentes omnem apprehenſionem creatorũ ſpirituũ, videlicet agnoſcere, diligere, contemplari, adhærere, & frui. Ad hunc conſurrectionis gradum pertinet octauus gradus amoris, qui in Scripturis appellatur amor liquidus, per quem ſpiritus Dei & amantis feliciter in vnum confluentes vniuntur: quia in iſto liquido amore anima trahitur in abyſsũ diuini amoris, & ideò abſorbetur, vt ſeipſam & omnia relinquens, à ſe diffluat in amorem æternum: ibique ita circundatur & perfluitur, vt amoris flamma omnino accendatur, ſic quòd quodammodò exuit omne, quod humanũ eſt; & induit, quod diuinum eſt, cum omnibus viribus ſuis feliciter transformata in Deum, & acta à Deo: quia omnes vires inferiores ſubmerſæ ſunt, & tres ſuperiores in Deum ſunt eleuatæ, vnitæ, nobilitatæ, & trãsformatæ. Exemplum de ferro, quod natura nigrum & frigidũ eſt: ſed quando in igne ponitur, paulatim amittit nigredinẽ: duritiem, & frigiditatẽ, induens ſimilitudinem ignis, ſcilicet calorem, mollitiẽ, & claredinem, & efficitur ſibijpſi valde diſsimile. Sic per ardorẽ diuini amoris inſufflationeq; aſsiduæ aſpirationis accẽditur anima, quę antea erat frigida: clarificatur, quæ prius erat tenebroſa: & mollificatur, quæ prius erat obdurata, adeò vt in ſeipſa liquefacta, totaliter fluat in dilectum, & illi vniatur, vnum ſpiritum faciens cum Deo, ſicut aurũ, argentum, metallum, & plumbum ſimul conflata, vnam maſſam ſubſtantiamque efficiunt. De hoc dicit Origines, quòd liquefactio animæ in Dei amore, eſt feliciſsimum opus diuinæ conſolationis, quod impendit:

Amor liquidus.

Animæ accenſio.

Liqueſactio animæ.

pendit animæ isto tempore in vita contẽplatiua: quia, sicut dicit Gregorius, istiusmodi in tantũ amant, vt ardeant amore, in ipso amoris ardore solum modò quiescentes. Quid ergo istos nisi Seraphin dixerim, quorum corda totaliter in ignẽ diuini amoris sunt cõuersa? Hic amor adeò impellit hominem ad placendum Deo, vt omnis propter Deum tribulatio, requies sibi fiat & desiderium.

D. HENRICI HARPHII THEOLOGI PROFVNDISSIMI,

Orthodoxaque pietate præstantissimi Libri Secundi.

MYSTICAE THEOLOGIAE PARS QVARTA.

In se complectens vitam spiritualem supereminentem.

De dignitate huius vitæ, & ratione petendi à Deo dona. Cap. LIX.

Prosequẽdo tertiam & supremam vitam hominis, quę vocatur supereminens cõtemplatiua, figurata per Mariam Magdalenam, quæ *optimam partem* elegerat, est sciendum, quòd sicut (iuxta traditionem omnium Scripturarum) homines creati sunt vt Angelis in gloria associentur, ità etiam secundũm quòd hic in vera virtutum perfectione profecerint, illic proueheniur altius in choris Angelorum, & etiam hic plerumque in cognitionibus diuinis illuminantur. Cùm ergo supereminens contemplatiua vita diuinarum illminationum altissimum gradum obtineat, ideo oportet hominem multos virtutum gradus & præcipuè veræ mortificationis conscendere, vt sic faciat quod in se est, perficiendo in se dignam præparationem præuiam ad percipiendam à Deo salubriter & vtiliter eminentissimam illam influentiam supereminentis contem- Lucæ 10.

platiuæ vitæ. Licet enim donum istud quandoque concedatur stantibus adhuc in vita proficiente, aut etiam illis, qui primùm se applicant ad laborandum pro vita perfecta obtinenda, siue etiam iam primũ se conuertentibus à peccatis suis, huiusmodi tamen (vt frequenter) consueuerunt post supereminentem illam contemplationem indicibilibus tentationibus, angustijs, peruersitatibus, & inuidia quoque contra Deum probari, de quo supra tetigi. Nec mirum, cùm nondum perfecti sint in virtutibus & mortificationibus.

Petẽda quam à Deo dona.

Deus præcepit vt petamus, & liberalis vult esse donator: sed vnusquisque videat sibi, vt non petat aliqua dona, quæ esse possunt supra mensuram suæ perfectionis: sed illa solùm petat quæ necessaria sunt ad salutem, aut etiam ad obtinendam perfectionem: quia Deus, qui ad dandum liberalis est, nonnunquam concedit petenti quod desiderat, ad verificandam promissionem suam, qua ait: *Petite, & dabitur vobis*, & tamen petenti non est expediens illud recipere, quia necdum nouit illo vti salubriter. Sic ergo frequenter huiusmodi postea traduntur in incomprehensibiles pressuras angustiæ, obcæcationis, indurationis, peruersitatis, & inuidiæ infernalis, quemadmodum Christus dixit de Paulo ad Ananiam: *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Igitur ad istud præcauendum oportet nos in hoc statu etiam constituere præuiam quandam præparationem & ornatũ vt post hoc possit sequi salubris consurrectio.

Lucæ 11.

Actu. 9.

De præparatione vitæ contemplatiuæ supereminentis per abnegationem voluntatis. Cap. LX.

ISta præparatio exigit in primis duas illas præuias præparationes in duabus præcedentibus vitis descriptas. Et consequenter fundat se in perfectissima ac nobilissima mortificatione naturæ, per quam amorosa anima se abstrahere debet ab omnibus dissimilitudinib⁹ Dei, & ingredi ad perfectam similitudinem eius, ad videndum Deum *deorum in Sion*, quam similitudinem nunc maximè oportet nos quærere in purissimis affectibus propriæ mortificationis aut resignationis.

Psal. 83.

Gradus abnegationis propriæ voluntatis.

Ad hos autẽ affectus plenius cognoscendos, assignare hîc volumus nouem gradus, & vnicuique deputare propriam illuminationem. Primus gradus abnegationis, est illorum, qui stant fundati in timore Dei, ita quòd propter Deum dimittere volunt solùm omnia mortalia peccata. Hic est primus accessus ad similitudinem Dei: quia sicut dissimilitudi-

Cauere sola mortalia.

litudine peccatorum à Deo recedimus, ita rursum similitudine suæ gratiæ & nostrarum virtutum ad ipsum accedimus. Hoc consulit Dauid, dicens in Psalm. *Accedite ad eum*, hoc est, ad Deum, *& illuminamini: & facies vestræ nõ confundentur.* Sed horum pauci sunt, respectiuè ad numerum peccantium: & illuminatio eorum est etiã valde nubila instar nebulæ, ita vt adhuc propter anteactæ vitæ consuetudinem prauam vix mortalia discernere & cauere præualeant. Vita eorum est adhuc valde periculosa, conscientia timida, sensus eorum circundati multis inclinationibus ad tentationes, saluatio eorũ valde dubia, & de eorum ruina ac damnatione diabolus multum confidit: quia videtur eis sufficere mortalia peccata vitare, dicuntque cum Propheta: *Illumina Domine oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: ne quãdo dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum.* Et sic in sua illuminatione remanent adhuc frigidi & desides, in multis adhuc naturę commoda & sensuum fométa quærentes, omnisque eorum conuersatio super oram inferni, & mortalium peccatorum constituta est. Et quamuis perseuerent vsque in finem extra mortalia, tamen horribile atque diutinum purgatorium sustinebunt, eò quòd affectus venialium peccatorum rescindere non curauerint.

P.al.33.

Psal.12.

Secundus gradus abnegationis, est illorum, qui diuinas inspirationes subsequentes, à seculi huius vanitate se diligenter abstrahunt, quærentes consilium & societatem bonorum, per quos meliorari possint, sicut Dauid dicit: *Cum sancto sanctus eris, & cum innocente innocens eris. Cum electo electus eris, & cum peruerso peruertêris.* Hi clariori luce perlustrantur, vtpote qua incitantur omnes peccatorum occasiones declinare, frequentare Ecclesias, sermones, & loca, in quibus possint meliores effici, ita vt dicere possint cum Dauid: *Lucerna pedibus*, hoc est, affectibus *meis, verbum tuum* Domine, *& lumen semitis meis*, quas quæro, vt pertingam ad perfectionem. Hi tamen sæpe impugnantur à diabolo, qui cupit eos reddere molles & negligentes in arduis virtuosis operibus & exercitijs, in quibus sæpe seducuntur: & hoc ideo, quia solùm mortalia peccata ac notabiliora venialia deuitant, idcirco diaboli laqueos prouidè & solicitè non cauent in minoribus aut occultis defectibus, dissolutionibus, & immortificationibus, nec satagũt se dare ad strenuitatem virtutum, quia diabolus dulciter ac deceptoriè ingerit eis confidentiam ac nociuam securitatem de diuina bonitate, eò quòd propter Deum multa videntur sibi reliquisse, per quæ ducũtur in pro-

Psal.17.

Psal.118.

Laquei diaboli occulti.

priam complacentiam & vanam gloriam, putantes se aliquid esse, quæ complacentia tam subtilis est, vt vix ipsi aduertere queant. Ex isto etiam sibi scioli efficiuntur, quasi nullius egeant auxilio vel consilio, sicque repente in multos spirituales defectus labuntur.

Pœnitentię opera corporalia dura.

Tertius gradus est illorum, qui adhuc magis quàm prædicti vicerũt mundum, carnẽ, sensus, & desidiã, tradentes seipsos ad dura & aspera opera, atque exercitia pœnitentię secundùm corpus, vt euitare possint infernum, alleuiare purgatorium, & glorioſius ad æternam vitã peruenire, ſicut dicit Dauid: *Inclinaui cor meum ad faciẽdas iustificationes tuas in æternum propter retributionem*, scilicet æternæ vitæ. Hi merentur illam illuminationem percipere. pro quo orat Dauid, dicens: *Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas*, scilicet in exterioribus corporalibus exercitijs & operibus virtuosis perficiendis. Veruntamen adhuc detinentur: sic quòd spiritualium exercitiorum excellentiam non agnoscunt, sed summum eorum exercitium consistit in tolerando famem, sitim, frigus, in ieiunando, vigilando, portando cilicia, & in vocalibus orationibus: de internis verò exercitijs, & propria mortificatione secundùm interiorem hominem, nihil omnino sciũt. Et propterea patiuntur adhuc, & portant naturalem tractum & amorem carnalium aut etiam spiritualium amicorum & cognatorum, & hunc amorem licitum putant, non cognoscentes magnum spirituale dispendium inde proueniens: quia per illum in superflua solicitudine & * inquietudine cordis remanent, qua inuoluuntur propter multimodas causas, ipsis occurrentes ex parte talium amicorum & cognatorum, ita quòd ad hominẽ interiorem peruenire non queunt, sed quotidie quatiuntur innumeris, immortificatis, impuris ac inquietis affectibus, curis & solicitudinibus, procedentibus ex naturali amore, licèt bona virtuosáque esse videantur.

Deus.

Ibidem.

*Aliàs immortificatione.

Exercitia spiritualia.

Quartus gradus est illorũ, qui non solùm exteriora corporalia exercitia & opera frequentant, verùm etiam interiora & spiritualia, orationes mẽtales, gemitus & amorosas compassiones, amorosa desiderio, & similia in omnibus pertinẽtibus ad interiorem hominem secũdùm inactionem Spiritus sancti. Sed adhuc detinentur, quòd scilicet omnia sua exercitia frequentant ad acquirendum sensibilem amorem & deuotionem, & in ipsis exercitijs plus cupiunt, quærunt, & intendunt proprium oblectamentum in deuotione, quàm purum nudum, diuinum beneplacitum Isti etiam sæpe gloriãtur & quiescunt in sua illumi-

Illuminatione & ſpirituali dulcedine, & derident eos, qui ſub ſarcina tentationum deficiunt, præſumptuosè dicentes aut cogitantes illud verbum Pſal. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo.* Pſal 4. Hinc etiam manent ſibijpſis ſapientes, & proprietarij in propria voluntate, nõ reſignantes ſe verè in voluntatem Dei: quia licèt contingat, quòd tempore ſenſibilis deuotionis ſe videantur reſignare & offerre Deo plenis affectibꝰ in omni quod ſunt & poſſunt, videlicet ad volutariam paupertatem, deſpectionem, paſsionem, exilium, mortem, & ſimilia: tamen quando ipſis ſenſio ſeu ſenſibilis deuotio ſubtrahitur, & in deſolationem permutatur, & cum hoc ſuper eos venit confuſio, perſecutio, aduerſitas, vel iniuria, tunc oſtendunt ſuam immortificationem per impatientiam, inquietudinem, triſtitiam, murmurationem, & ſimilia: quia habent adhuc in ſe latentẽ priuatum inordinatumque amorem ſui, quo infernalis hoſtis trahit voluntatem, quam Deo in omnibus obtuliſſe videbantur, ſicque per occultum naturæ tractum, ſemper remanent proprietarij in ſua voluntate, quamuis hoc ipſi ignorent, potius affectantes quòd Deus eorum voluntatem, quàm ipſi nudè diuinum beneplacitum exequantur in proſperis & aduerſis, in ſenſibili deuotione & derelictione.

Quintus gradus eſt illorũ, qui in omnibus operibꝰ, exercitijs, & cõuerſationibus propriæ voluntati in diuinum beneplacitũ renuntiant: ſed quia in hoc proposito nondum ſunt diu exercitati & habituati, ideo inueniunt ſemetipſos ſæpe valde infirmos & vacillantes in ipſo eodem proposito, licèt de hoc doleãt. Et hoc inde prouenit, quia affectus mortificationis nondum eſt in eis radicatus per frequentiã exercitiorũ, ſicqꝫ ſpiritũ inconſtantiæ adhuc ſentiunt, nunc ſcilicet omnem propriã voluntatem abdicãtes, nunc rurſus in hoc proposito velut dubij vacillantes. In horum perſona dicit Dauid: *Et dixi: Forſitan tenebræ*, hoc eſt, aduerſitates, *conculcabunt me? & nox illuminatio mea in deliciis meis.* Pſal. 138. Hoc eſt dicere: *In deliciis* affluentis gratiæ, *nox*, id eſt, recogitatio aduerſitatis, in qua me voluntariè tunc reſigno, eſt *mea illuminatio*, hoc eſt, propriè meus ad Deum acceſſus, in quo illuminor. Quia ſi huiuſmodi homines reſignarent Deo omnem proprietatẽ ſine cordis retractione, etiam in quacunque aduerſitate cum complacentia cordis & humilitate ſpiritus, diuinæ ſe voluntati per omnia ſubijcientes, fructum inde copioſum perciperent, illuminarenturque ad cognoſcendas occultiſsimas ſemitas virtutum, cunctis ferè ignotas.

Abrenuatio propriæ voluntatis impera feſta.

Consolationis internæ gula.

Sextus gradus est illorum, qui ex ingeminatis desiderijs, & frequẽtatis exercitijs perfectè resignant omnem proprietatem cum plena, sine omni retractione, perseuerandi constantia in diuinum beneplacitum: quia plenius illuminantur in intellectu, & cognoscunt, quòd bonis *omnia cooperantur* ad profectum animarum, quacunque etiam aduersitate, & ideo dicunt cum Dauid: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Attamen vnum defectum habent, scilicet quòd nimis auidè quærunt spirituale consolationem, per quam omnem aliam aduersitatẽ facilè poterũt sustinere, ita quòd spiritualem hanc consolationem solummodò possident, atq; à Deo desiderant ex quadam proprietate, & intentio fruendi ipsa nondum est pura atque diuina: quod ex eo aduertere possunt, quia non sunt corde quieti, donec iterum sensibilem cõsolationem pro voto recipiant. Hic est etiam sciendum, quòd istam sensibilem deuotionem & consolationem à Deo petere & exigere cum debita & recta intentione, licèt in se malum non sit aut vitiosum, tamen in hoc ostenditur quædam imperfectio, à puritate propriæ resignationis deficiens, licèt à paucis aduertatur aut cognoscatur, scilicet quòd homo seipsum nõ resignat absque retractione cordis: nec Deum in se secũdùm omnifarium diuinum beneplacitum (etiam in derelictione & aduersitate) operari permittit. Et licèt dignum esse cognoscat vt ita fiat, tamen nõ studet voluntariè se plenè resignare: & ideo nec in alijs exercitijs atque virtutibus proficit, eò quòd occultas naturales inclinationes, & subtiles inordinatas affectiones ad plenũ nequeat agnoscere & discernere.

Rom. 8.

Psal. 26.

Aduersa & prospera æqualiter susciperc. Psal. 56. 107.

Septimus gradus illorum est, qui salubriter vti nõrunt vtraque manu, hoc est, dextra prosperitatis, & sinistra aduersitatis, dicentes cum Dauid: *Paratum cor meum Deus*, scilicet ad vtendum prosperis, iuxta beneplacitum tuũ: *paratum cor meum*, ad sufferẽda aduersa, propter beneplacitum tuum: quia isti diuino beneplacito per omnẽ modum satisfacere cupiunt, tam in introuersione, quàm in extrouersione, tam in intentione, quàm in amore, sicut vmbra per omnia sequitur motũ intermedij seu corporis à quo causatur. De hoc dicit amatrix anima: *Sub vmbra illius, quem desiderabam, sedi, & fructus* illius *dulcis gutturi meo.* Hic est sciendum, quòd Deus ipse lumen est, & humanitas Christi corpus, vnde vmbra causatur, & sua abyssalis perfectionis vita vmbra, sub qua per imitationem sedere satagere debemus: & tunc spirituales fructus abundãtes, & dulces erũt, quia Deus istiusmodi homines illumi-

Cant. 2.

nat,

nat, ac dotat multis occultis spiritualibus donis & agnitionibus, nec obnubilantur à nocte aduersitatis & derelictionis, quia stant fundati supra nudum amorem, in quo non solùm agere grandia, verum etiam pati ardua didicerunt. Ad istos loquitur Dauid: *Tenebræ*, id est, aduersitates *non obscurabuntur à te*, sed *nox*, aduersitatis in te *illuminabitur sicut dies* prosperitatis aut sensibilis deuotionis, sic quòd *tenebræ* tuæ erũt *sicut lumen* tuum. Hi namque in aduersitate spiritualem requiem sibi inueniunt & profectum, ideoque debito ordine recipiunt diuinas illustrationes & spiritualia dona, quibus memoria ditescit in mirandis occultis incidentijs, intellectus clarificatur, & virtus amatiua, seu voluntas ardore diuini amoris inflãmatur. Sed quia incautis omnis abundantia periculosa est, contingit interdum, vt donis tam frequenter susceptis (per subtilissimam occultam ignorãtiam obfuscati) partim minus bene vtantur, videlicet in eis plus quàm expedit quiescẽtes, & diligentes propriam sensionem amoris ad donorum Dei, ita vt hoc nec ipsi agnoscant, nec aduertant. Et hoc inde accidit, quia non affectant inordinatè reacquirere subtractam gratiam, ideo non aduertunt vtrã oblatis donis incautè perfruantur. Quamdiu verò istud non mortificant, non possunt pertingere ad arcem perfectionis. Psal. 138.

Octauus gradus est illorum, qui se purè resignant in diuinum beneplacitum, quicquid de eis facere dispositerit in tempore vel æternitate, nil proprietatis in se reseruãtes, nec vllum viscum amoris, aut attractionis in creaturis aut donis Dei relinquentes. Quòd si terrena possident, ab illis tam otiosi sunt & liberi, tanquam non haberent. Et similiter constituunt se adeò otiosos, quò ad dona, quæ à Deo recipiũt, se in huiusmodi non extollentes, aut magnos reputantes, quasi illa nõ reciperent. Isti communiter à Deo plus cæteris visitantur magnis & occultis ipsius donis, ita quòd frequenter ipsis in formis, imaginibus, aut similitudinibus multa admiranda reuelantur: quia Deo valde propinqui facti sunt, licèt contingat interdum quosdam imperfectos recipere reuelationes eodem modo quo isti, in periculum animarum suarum, nisi gratos se exhibere curent, cum magna diligentia proficiẽdo in virtutibus & mortificationibus. Hominibus tamen istius gradus secundùm communem cursum occultatur eminens illa reuelatio, quæ sine imaginibus, imò supra omnes imagines & similitudines recipitur, sic quòd suprema eorum in spiritu mansio, est altissima illa caligo supra omnem considerationem, clamantq; cum Dauid: *Quoniam tu illumi-* Abnegatio pura. Psal 17.

nas lucernã meã Domine, hoc est, intellectuales vires spirituali notitia: ô Domine, *illumina* etiam *tenebras meas*, in quas eleuatus sum eminenter. Sed ista contemplatio eis non conceditur, eò quòd sic reuelationes ac Dei dona recipiant, vt tamen ipsis semper videatur aliquid sibi deesse in donis & reuelationibus: & huiusmodi à Deo petunt, cùm tamen non sint eis necessaria ad salutem aut profectũ in virtuosa vita. Etiam ipsis reuelationibus & donis, quæ recipiunt, non tam voluntariè ac desideranter carere vellent, sicut ea affectuosè recipiunt: & ibi latet occulta quædam proprietas, quæ coram Deo reputatur minus grata, eò quòd ab illis tam otiosi ac liberi in corde manere deberent, quasi huiusmodi non recepissent, & solũmodò in ipsis admirari Dei *largam clementiã, ad gratias agendum, & laudandũ ac honorãdũ eum, quod dignatus sit dare vilibus, indignis peccatoribus occulta sua dona: & cõsequenter versã vice sẽ Deo resignare debẽt, paratos, nedum ad carendum donis & reuelationibus, verùm etiã ad standum in omnimoda derelictione & aduersitate, cùm in donis & reuelationibus vita perfecta propriè non consistat, sed sint Dei amabilia dona, quibus suã largam bonitatem ostendit, quibusq; multos infirmos secundùm spiritũ allicit ad perfectam vitam sectandam. Ex his iam perpendere possumus, quàm perfectè omnem proprietatẽ motificatam esse oporteat in eo, qui ad supereminentem cõtemplatiuam vitam debito ordine peruenire desiderat.

*Aliãs dignatiuã largitatem.

Transformatio perfecta in Deum.

Nonus gradus est illorũ, qui vigorosis suis exercitijs & sursum actiuis desiderijs propter amorẽ Dei, carnem & sanguinẽ & medullã corporis sui penè consumpserũt, nec videtur vltra habere quicquã viriũ, nisi quantum viuacitas spiritus subministrare poterit: quia sanguis eorum decoctus est in calore diuini amoris & dehecatus, quãuis ipsi hoc non sentiant propter excedentẽ ardentẽ feruorem, qui perfectũ habet dominiũ, & facit etiã naturam supra naturã agere & pati. Hi sunt charissimi occulti filij Dei, quibus plenitudinẽ donorum suorum & gratiarum infundit, & etiam eleuat ad contemplandã suam diuinã claritatem. Nihilominùs ipsi adeò sunt mortificati, vt in talibus nõ requiescant tanquam propter sẽ, quia pessum dederunt omnẽ propriã vtilitatem, omnemq; oblectationem: gloriantur verò solùm in perfecta sequela Crucis Domini nostri Iesu Christi, plus exoptãtes omnem derelictiõem seu desolationem, omnem despectionem & passionẽ, quàm omnem consolationẽ & exaltationem: quia fundamentum suum & conso-

consolationē in sola fide, charitate formata posuerunt, qua omnem aduersitatē sine omni fulcimento diuinæ consolationis sustinere desiderant, quemadmodum Paulus dixit: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini mei Iesu Christi.* Et ad istud trahuntur istiusmodi homines propter duas causas. Prima est, quia Christi humanitatem in omnibus sequi, & eidem se totaliter conformare desiderant in subtractione omnis consolationis, & sufferentia vniuersæ desolationis corporalis, & spiritualis, dicentes cum Christo: *Improperium expectauit cor meum*, id est, affectio mea, *& miseriam.* Secunda causa est, quia fundati sunt in tāta humilitate, quòd omni desolatione se dignos reputant, & sine fictione vniuersæ creaturæ æstimatione propria se substernunt in cognitione & affectione, cupientes ab omnib⁹ vilipēdi & iniuria affici in omnib⁹ modis, tradi etiā à Deo in omnē tribulationē, afflictionē anxietatē, & desolationem, vt sic Iesum in omnibus sequi possint, etiā vsq; ad abiectissimā & pœnosissimam mortem Crucis. Hic tamen sciendum, quòd licèt huiusmodi homines didicerint *in* sola *Cruce Domini nostri gloriari*, tamen nunquam præsumunt sua negligentia atq; incuria quoquomodo impedire multiplices diuinas visitationes, influentias, operationes, spirituales attractiones & illuminatiōes; sed offerunt se pro posse & nosse voluntarium ac viuidum instrumentum ad omnia opera Spiritus sancti, quæ in ipsis actitari possunt, ne gratiæ Dei ingrati inueniātur, quia de eis locutus est Dauid: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Cæteris verò temporibus, sicut quantum ad hominem exteriorem semper quærere debent abiectissima & miserabilissima, hoc est, ab omni humana cōsolatione destituta: sic quantum ad hominem interiorem, super omnia desiderare debent puram charitatem nudam ab omni sensibili cōsolatione, circundatam aut oneratam omni desolatione & pressura cordis, ita quòd nunquam tantum pati possint, quin semper maiora propter amorem Dei pati affectent, iugiter & colentes illam inexpressibilem angustiam desolationemq; Spiritus Domini nostri, quando præ nimia pressura sanguineum sudorem effudit in sua oratione. Nā ibi nudo amore colluctabatur sine omni subsidio aut refrigerio spiritualis consolationis, & triumphauit tam magnificè in illa horribili colluctatione Spiritus & naturæ, vt per hoc hominem redimeret, & doceret eum, vt per eandem viam sequi contenderet, quia in ipsa cōsistit fundamentum omnis perfectionis.

Galat. 6.

Abnegationis perfectæ causæ duplex.

Psal. 68.

Psal. 35.

Lucæ 22.

De ornatu vitæ contemplatiuæ supereminentis per sex.

Cap. LXI.

SEcundum ad hanc vitam pertinens iam breuibus verbis prosequi volumus, scilicet qualiter oporteat nos in hoc statu ornari. Hic est sciendum, quòd S. Thomas dicit in tractatu de visione diuinæ essentiæ, quòd perfectio cuiuslibet rei consistit in coniunctione eius cum suo fine. Finis autem intellectus creati, est increatum intelligibile lumen, scilicet diuina essentia: idcirco suprema perfectio intellectualis creati luminis seu spiritus nostri, est coniunctã esse Deo in essentiali contẽplatione & fruitione eius: quia tunc Deus animæ cõiungitur, quodãmodo, sicut forma suæ materiæ, aut anima corpori: verùm non potest forma alicui materiæ vniri, nisi materia ad hoc sit disposita secundùm exigentiam formæ, ac per hoc fiat receptibilis formæ, sicut, exempli gratia, corpus humanum non vnitur animæ, nisi ipsum corpus prius conuenientem dispositionem habeat ad ipsam animam suscipiendam. Similiter nõ potest spiritus noster Deo essentialiter vniri in fruitione gloriæ, nisi prius ad hoc disponatur. Ista dispositio in nostro intellectu seu spiritu, est lumen gloriæ, quo intellectuales vires perficiuntur, ad Deum eminenter contemplandum & fruendum. Et ideo licèt diuina essentia ab omnibus beatis spiritibus in æterna vita fruitiuè videatur, tamẽ vnus alio perfectius Deũ videt: & hoc propter maiorẽ dispositionẽ, quam vnus spiritus recipit præ alio: quam tamen dispositionẽ aut facultatẽ spiritus seu intellectus non habet per naturã suam, sed per lumen gloriæ, per quod spiritus in quadã conformitate Dei constituitur. Ideóq; qui plus receperit de illo lumine gloriæ, perfectius etiã Deũ contemplabitur. Plus verò de lumine gloriæ recipiet, qui plus habuerit de nuda & pura charitate, & sic Deum clarius contemplabitur. Hinc vita contemplatiua in hoc tempore commendatur tanquam pars melior: quia iugis contemplatio dilecti, & assidua pura delectabilis fruitio rei dilectæ, vehementer incendunt actum diligendi: dilectio autẽ desiderium hominis auget, & desiderantẽ spirtũ patulũ facit & aptum ad perfectius suscipiendum lumen gloriæ, quod vnusquisque iuxta suam aptitudinem in æterna vita recipiet: in hoc autem tempore est inaccessibile hominibus mortalibus. Scriptum est enim: *Non me videbit homo & viuet*. Quòd si Moysi & Paulo datum est in corpore adhuc mortali Deum vt est in seipso videre, priuilegium id fuit

Felicitas animæ.

Lumen gloriæ.

Exod. 33.

fuit & gratia singularis, quæ licèt alijs concedi similiter possit, non tamen asserendum est cuiuis alteri solere concedi. Cæterùm, licet lumen istud gloriæ inaccessibile sit omnibus mortalibus, tamen sem per quod in nobis est, facere debemus, ne ingrati inueniamur: & studere, vt semper debitè adornati appareamus in præsentia Dei, & parati à parte nostra secundùm posse nostrum: quia vbicunque debitam inuenit dispositionem, ibi solet communiter sua liberalitate adijcere ipsam perfectionem.

Est namque modus quidam supereminens vitæ contemplatiuæ talis, qui quamuis non claro contuitu Dei essentiam intellectui demonstret, ipsum tamen consequentes simplici puritate spiritus, per amorosam reuerentiam & claram intelligentiam in Deum eleuati, reuelata facie in præsentia diuinæ maiestatis deuoto familiariqué colloquio ac confidentia perseuerant, sibi faciem illam amabilem ostendi flagitantes. Tunc cæleſtis Pater, *qui dat omnibus affluenter, & non improperat,* Iacob. 1. facie sua lucem quandam fulgidam ac simplicem emittere non desistit in intimum apicem suæ simplicis acnudæ cogitationis, eleuatæ supra sensum & cogitationem, supra rationem & præter rationem, in eleuata scilicet puritate spiritus sui. Porrò lumen istud non est Deus, sed præuia lux quædam intellectualis, quam nec sensus, nec ratio, nec natura, nec cõsideratio capere valet. Est, inquam, quoddam clarificatũ medium inter nos & Deum; quod nobilius & superius est omnibus à Deo in natura creatis. In hac luce loquitur spiritus Patris in nostra cogitatione nuda, simplici, & eleuata. Respice in me. Tunc spiritus tam dulciter eleuatus confestim simplicem oculum intelligentiæ suæ agit, per infusam sibi lucem simplicem Patris, & sic feliciter diuinam substantiam in simplici contuitu, non secundùm distinctionem personarum, supraq; rationem, ac præter consideratione contemplatur. Nõ tamen prout in sua ineffabili gloria, sed citra facialem visionem; prout sibi placuerit, ostendere sẽ vnicuiq; iuxta modum collati luminis. Sed ad istud perpauci perueniunt, propter eorum ineptitudinem, quia nõ satagunt se disponere & ornare ac facere quòd in se est.

Ornatui huic necessarium est cor purum & eleuatũ.

Ad hanc autem dispositionem & ornatum sex requiruntur, vt sic homo faciat quod in se est, ad Deum fruitiuè & eminenter contemplandum. Primum est, habere veram quietam pacem inter Deum & se, quam qui in se recipere voluerit, necesse est, quòd in cãtum Deum diligat vt animo liberrimo propter amorem & honorem eius renun-

tiare valeat omnibus, quæ prius inordinatè cõsueuit diligere & vti, ac cordiali amore viuaciq; animo omnes vires suas eleuare in Deũ, & in simplicẽ mentis nuditatem (supra omnem multiplicitatem, & indispositionem cordis) vbi lex amoris consummatur. Et hoc modo debet cõtinuè conari internum eleuatum animum gerere cum pura intentione, quia hoc præ omnibus cor hominis collocat in quandam deliciosam quietã pacem. Secundũ est, internũ silentium, hoc est, denudatio virium intellectualium ab omnibus imaginibus, formis, & similitudinibus, quæ dilectum non repræsentant: quia nudam ac otiosam ab omni consideratione rerum stare oportet mentem, qua homo solum Deum possidere in ardentibus affectibus cupit. Et istud facilè factu est his, qui solùm Deum in seipso diligunt, & omnia in Deo: quia purus & indepictus amor, spiritum simplicem ab omnibus expeditũ efficit, & sustollit hominem supra omnia, & supra seipsum in Deum. Tertium est, quædam amorosa adhæsio ad Deum, & hæc est ipsa fruitio: quia qui ex amore puro Deo adhæret, non quærẽdo propriam vtilitatem, ille fruitur Deo in veritate, scilicet secundùm gratiam, & non secundùm gloriam. Et hæc est adhæsio gratiosa & fœcunda, quæ nos adeò dilecto vinculo charitatis coniungit, vt amodò rebus creatis adhærere nequeamus: quia nemini placere desideramus, nec aliquis nobis placere potest. Istam adhæsionem docet nos tactus ille, de quo supra tetigi. Quartũ est, quiescere in dilecto quo fruitur. Nã, vbi dilectus à dilecto vincitur, & in puro nudo amore possidetur, ibi dilectꝰ in dilecto cum dilectione prolapsus est, alterq; in alterius possessione & quiete mutua totus est. Quintum est, felix obdormitio, in qua spiritus liquescit, & à se desuit, nescies vbi vel quomodo: quia fluit in abyssalẽ profunditatẽ diuini amoris, non sciens seipsum, nec Deum, nec aliquã creaturam, sed solùm amorem, quem gustat & sentit, à quo possidetur in quadam simplici, & nuda otiositate omnium aliarum rerum. Et quẽadmodum oleum in panno, & gutta aquæ in vinum prolapsa, dilatantur: sic diffluit spiritus à se, & dilatat seipsum in quandam immensitatem, vt dilecti possit esse capax, & cum æterno amore fieri vna longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum: hic tamẽ amor sine mensura est. Sextum est, quædam contemplatio caliginis, quæ non potest ratione comprehendi, seu funditus inuestigari, in qua caligine spiritus sibi ipsi mortuus est, & viuit in Deo: quia sine discretione vnũ cum Deo effectus est, vbi Deus pax, quies, & fruitio eius est. Et in ista continuè

Silentium internum.

Adhæsio amorosa ad Deum.

Quies in Deo.

Obdormitio liquescens.

Caligo trãsformans.

ipse

ipse expirat,& transformatur in Deum supra operationem,& desiderium. Cùm ergo homo sex ista præscripta in se senserit, tunc erit ei in sua introuersione tam promptum,& facilè contemplari & frui, sicut viuere in natura,& anhelitum emittere,atque attrahere, ornauitque se ad supereminentẽ contemplatiuam vitam:quia factus est viuidum voluntariumque instrumentum Dei, quo operari potest quod vult, quomodo vult,& quando:nec huius operis efficaciam sibi homo adscribit,& ideo voluntarius manet, & promptus ad agendum quodcunque Deus præceperit, validus & fortis ad tolerandum quodcunq; Deus permiserit,paratus denique est ab vtraque parte.

Exercitium,quo simpliciores in Deum tendant. Cap. LX II.

CAeterùm, vt huiusmodi hominibus simplex detur instructio, qualiter quotidie ire debeant in istud secretum Dei cubiculum, & se disponere ad recipiendum lucem & claritatem Dei, faciendo scilicet quod in se est: Primò debet se talis viliorem cunctis hominibus reputare per abyssalem humilitatem,& ex corde omni creaturæ se substernere ac funditus mori,& abrenuntiare omni proprietati. Cõsequenter seipsum totaliter subdere, vel coaptare debet in omnibus diuino beneplacito,sicut vmbra sequitur motum corporis vnde caustatur,vt Deus in ipso liberè & impeditè opus suũ in prosperis & aduersis valeat operari. Deinde vires suas superiores, & præsertim virtutẽ amatiuã,affectibus penetratiuis sursum agere debet, & per quandam violentiam impellere ad influxum sui principij, vbi perseuerãter importuna quadam pulsatione desideriorum velut ad amici ianuã confidenter excubabit,donec intromittatur, & à seipso deficiens,à spiritu diuino feliciter agatur:quia aliter non potest peruenire ad supereminentem contemplationem, nisi nudè à spiritu Dei agatur: quia vires, quibus operatur,sunt velut pedissequæ,animã ad suiipsius supremum ante regis æterni cubiculum deducentes. Cumq; anima cum suis viribus fuerit subleuata in supremum supra omnia creata,suauiterq; à dilecto suo amplexata,tunc vires omnes cedere compellũtur, & ab omni actualitate quiescere,& anima spiritu Dei perfluitur, feliciterq; agitur diuersis,imò mille modis.Et tunc sentit in virtute amatiua tactũ quẽdam Spiritus sancti,veluti fontem viuidum fluentem riuulis æternæ suauitatis. In virtute intellectiua percipit superfplendentes illuminationes intellectuales æterni solis cum veritate diuina. In memoria sentit quandam denudationem, ac puritatem ab omnibus imaginibus,

inuitaturq; & trahitur ad ineffabilem amplexum eminẽtis,& supereminentis vnionis cum Deo. Et hæ sunt tres portæ, quas ipsa sancta Trinitas animæ amorosæ aperit ad contemplandum, & cognoscendũ ex parte infinitũ thesaurum Dei. Et in isto finimus ornatũ istius vitæ.

De consurrectione vitæ contemplatiuæ supereminentis, & operatione Spiritus sancti. Cap. LXIII.

VLtimò perpaucis agemus de consurrectione istius vitæ, seu status, quia nihil dignum de hoc scribi potest, respectiuè ad id, quod est in veritate: & hoc propter incomprehensibilem, nobilem subtilitatem tractus sanctę Trinitatis, & propter innumeros modos suæ sanctæ inactionis, iuxta suam inordinatissimam vo-

Operationum diuinarum in anima discretio.

luntatem, & nostram præparationem. Hîc sciẽdum, quòd ista consurrectio dumtaxat fit per inactionem Dei, quia hîc anima stat eleuata supra omnem propriam operationem. Et licèt opera sanctæ Trinitatis sint indiscreta, tamen vnicuique personæ in diuinis appropriatur actio sua propria in tribus superioribus viribus animæ: quia Spiritus sanctus suo tractu operatur in voluntate, seu virtute amatiua superiore: Filius in vi intellectiua: Pater in memoria: Et tunc anima apta efficitur ad contemplandum Deum. Cærerùm, quia Spiritus sanctus nobis propinquior est secundùm effluxum sanctę Trinitatis, eò quòd procedat à Patre & Filio, idcirco amatiua vis primò agitur, & trahitur, deinde intellectus & memoria. Ista cõsurrectio, vel ascẽsio figurata est in Mo-

Exod. 19. Exod. 24.

se, qui à Deo vocabatur ad ascendendum in montem Sinai. Moses iste cum omnibus filijs Israel videbat Deum à longè, *eratq; species gloriæ Dei super montem Sinai quasi ignis ardens in conspectu filiorum Israel*, quo figurantur qui egressi sunt de seculari vita in desertum pœnitentiæ. Sed præcepit Deus Mosi, vt se à communi populo sequestraret, & parũ pedem montis ascẽderet cum Nadab, & Abihu, & septuaginta duobus senioribus, qui ordinati fuerant cum Mose iudicare populum. Et tunc vidit Moses *sub pedibus* Domini, *opus* quoddã ex coloribus factum quasi de lapide sapphiro fuisset, vel *quasi cælum cùm serenum est*, quo ascensu designatur inactio & tractus animæ, qui fit à Spiritu sancto. Sicut

Exod. 19.

enim ibi fiebant *tonitrua* magna, & *fulgura*, & terræmotus, priusquam Moses vocaretur ad ascendendum, ita etiam fiunt in hominibus vigorosæ inactiones Spiritus sancti, igneæ flãmæ ardentis amoris, & motus magni corporis: & tunc venit spiritus Dei, influés quasi profluus, viui-

viuidus, superdulcis fons, in quo amorosus spiritus baptizatur atque immergitur, ineffabiliterque eleuatur in quendam secretum amplexum diuini amoris, vbi exercitia perfecti amoris discit, hoc est, mutuam contemplationem, & aspirationem; mutuam familiaritatem, & amplexationem, mutuam sensionem, & degustationem, placere, & cõplacere; in amorem liquescere, & defluere in dilectum. Et hi Deum contemplantur velut ignem ardentem, id est, bonitatem Dei sentiũt veluti abyssalem quãdam & incomprehensibilẽ ardorem æterni amoris, qui ipsis infundit & stabilit in eis ineffabilem quandam, dulcem, diuinam sensionem in amore fruitiuo, & sic liquescunt in Deum, qui est amoris ignis infinitæ magnitudinis, & in hoc assimilantur ijs qui versantur in cælo: nam vnusquisque beatificus & amans spiritus, est veluti carbo ignitus, quem Deus suo igne totaliter incendit, ita quòd vniuersi spiritus beatifici cum Patre & Filio in vnitate Spiritus sancti hunc ignem immensum efficiũt, vbi diuinæ personæ in vnitatẽ essentiæ suæ per amorem conflantur in vnam infinibilem abyssum simplicis beatitudinis, vbi nec Pater, nec Filius, nec Spiritus sanctus, nec creatura aliqua est, duntaxat simplex quædã essentia, id est, sanctæ Trinitatis simplicissima substantia, vbi cunctæ creaturæ in supereſſentiam suam absorbentur, vbi denique omnis fruitio consummatur, & perficitur in essentialem beatitudinem.

Deus ignis.

Cùm igitur homo introuersus, didicit liberè, purè, totaliter, & efficaciter se demergere in immensum diuinum amorem, vt ab illo absorbeatur, tunc à facie diuini amoris scintillat lux quædam intellectualis (sed tam repentè & momentaneè, quasi fulgur de cælo egrediens) in spiritum, qui latè expansus est ex vigoroso impulsu, & mirando, sed amoroso conflictu inter spiritum diuinum & humanũ, donec supra omnem conflictum mutuò se amorosè complectantur in nudo fruitiuo amore.

Lux scintillans in spiritum.

Ponamus grossum exemplum de isto pro informatione simpliciũ per similitudinem: Accipe speculum concauum, quod vocatur ardens vel incendens, & pone illud ex oppositio solis, quando valde clarè lucet, deinde accipe papyrum immersam sulphuri, & tene ipsam in spatio duarum palmarum à speculo in acie reflexionis procedentis à speculo, & cum tenueris ibi immobiliter ex oppositio ad spatiũ vnius Miserere, accendetur ab ipso puncto reflexionis. Sic etiam spiritualiter cõtingit, quando nos introuertimus, & animam nostram ab omnibus

Speculum.

purgatam peccatis, cum magno desiderio, ardenti amore, & deuotâ reuerentia ad Deum subleuamus: tunc, inquam, illucet claritas diuinæ gratiæ in speculum animæ, & tam efficaciter ibi operatur æterno amore, quòd mens, seu apex animæ nobilissimus amore accenditur & illuminatur simplici quadam claraque notitia supra omnes intellectuales vires: & spiritus in æternum amorem collabitur dimersus, sibi moriens, in Deo viuens, ita vt vnus amor cum æterno amore effectus, nihil aliud sentiat quàm amorē: quia liber & otiosus ab omnibus exercitijs, & actibus amoris efficitur, patiens & recipiens diuinum simplicem amorem, eius spiritum consumentem, vtpote in amorem liquefactum, ita vt nec sciat, nec sentiat seipsum, neque Deum, nec creaturam aliquam, nisi solùm amorem, quem gustat & sentit, à quo possidetur in quadam simplici, & nuda otiositate feliciter.

De operatione Filij in intellectu. Cap. LXIV.

SEcundò operatur Filius tractu suo in virtute intellectiua. Ista operatio signata fuit in Mose, quando secundò vocabatur à Domino ad altius ascendendum super montem, tunc Iosue tantùm assumpto, cæteris dixit, vt se ibidem expectarent, ipse autem in montis celsitudinem ascendit, nubesque tenebrosa operuit montem, expectauitque Moses cum Iosue, donec à Domino vocaretur. Quo facto, reliquit Iosue in vallicula, vel montis quadam planitie, & ascendit in caliginē, vbi solus sex diebus mansit, antequā à Domino iterum vocaretur. Hic ascensus designat spiritualem illam actionem, & tractū in intellectu, qui adscribitur Filio: & propriè dicitur speculatio, hoc est, videre in speculo, quia spiritus hominis iam factus est tanquam viuidū spirituale speculum in quo Deus format spiritum veritatis, in quo & ipse per plenitudinem gratiæ suæ inhabitat. Ostendit etiam se Deus in illo speculo viuido, non sicut est in sua essentia, sed in eminentissimis & nobilissimis imaginibus, ac similitudinibus, adeò vt illuminatus subleuatusq; intellectus, sine omni errore clarè cognoscat in imaginibus intellectualibꝰ omnia, quæcunq; audire potuit de Deo, de fide & de omni occulta veritate, videlicet, quomodo Deus est summa maiestas, veritas, bonitas, sapientia, misericordia, iustitia, & amor: deinde quomodo sit differentia personarum, & quòd vnaquæque persona est Deus omnipotēs. Cognoscit etiam vnitatem diuinæ naturæ in sancta Trinitate, & Trinitatē in naturæ vnitate, & vnamquamque personam esse Deum in vnitate essentiæ. Agnoscit insuper esse fœcunditatem

Exod. 33.

Speculatio

tatem in diuina natura, & simplicem otiositatem in eius essentia: quia intellectus ita subleuatus, & clarificatus spiritu veritatis, Deũ videt in proprio speculo, in tam multis modis, formis, & imaginibus, sicut excogitare potest, aut videre desiderat. Nihilominus tamen intellectus eleuatus semper inclinatur ad vidẽdum quid sit Deus in seipso. Quanquam verò imago Dei subleuato clarificatoq; intellectui proponatur, tamen non potest eam comprehẽdere, aut cõtemplari propter immẽsã claritatẽ, qua intellectualis oculus reuerberatur, & caligat: & hęc est, propriè caligo, seu vmbra, sub qua anima in Cẽticis sedere gloriatur. Cant. 2.

Vsq; huc ambulauit Iosue cum Mose, hoc est, intellectus ambulauit cum amatiua virtute, sed hîc intellectus cogitur remanere, & virtus amatiua sola progreditur: quia magis amplexũ, quàm contemplationẽ requirit. Cùm igitur fuerit introgressa ad incõprehensibilem claritatem, in qua eleuatus intellectus caligat, sicut oculus à claritate solis, tũc recipit anima supra virtutem intellectiuã simplicem oculũ apertum in operatione amatiuæ virtutis. Sed quid tunc spiritui hominis eueniat, & quid pro tũc cognoscat, hoc nõ est explicabile, nec ipsemet hoc perfectè cognoscit, postquã ad se redierit. Intellectualis oculus interdũ sequitur oculum simplicem, & in eodem lumine scire cupit, & inuestigare, quid sit Deus, & quis sit: sed oportet ibi omnem intelligentiam, & considerationem deficere, & oculus simplex amatiuam virtutem simpliciter post tractum Dei deducit, adeò vt mẽs hominis de cętero suijpsius potens non sit. Et istud toties contingit, quoties sol iustitiæ oculum nostrum simplicem post se trahit in suã immensam claritatem, vbi Deum & omnia sine discretione, & consideratione simplici intuitu in diuina claritate contemplamur. Amor sine intellectu.

De operatione Patris in memoria. Cap. LXV.

VLtimò operatur Pater cælestis in memoria suo tractu. Et ista operatio designata est in Mose, qui non fuit contentus sedere in caligine, sed septima die, cùm vocaretur à Domino, & ei appropinquaret, loqueretur q; cum eo familiariter, sicut amicus cum amico, nihilominus orabat, dicẽs: *Domine, si inuenigratiã in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam*, Et Dominus *respondit: Ego ostendam tibi omne bonũ*, id est, meipsum, sed non in mea vera essentia, quia *nõ videbit me homo, & viuet*: sed *posteriora mea videbis*, hoc est, ostendã tibi de me notitiam imperfectã. Et in isto figurata est spiritualis interna operatio, & spiritualis tractus, quem recipit spiritus noster à Patre cælesti: quia quando Exod. 33. Tractus Patris.

amoroso liberali caelesti Patri quodam perseueranti impellente spiritu adhæremus, tunc à se descendere facit in intimum nudæ eleuatæ cogitationis nostræ incomprehensibilem quandam claram intellectualem lucem, quam nec intellectus, nec cõsideratio capere valeat. Lux autem ista non est Deus, sed quoddam clarificatum medium inter Deum, & amantem spiritum, nobilius existens omnibus à Deo in natura creatis, quo natura nobilitatur, & perficitur. Nostra verò simplex nuda cogitatio speculum viuidum est, in quo lux ista refulget, exigens à nobis conformitatem, & vnionem cum Deo. Præterea lumen istud dicitur *candor lucis æternæ*, & requirit *speculum sine macula* omnium aliarum imaginum. Dicitur etiam spiritus Patris, in quo se Deus simpliciter ostendit sine differentia personarum, sed in sola nuditate suæ naturæ, & substantiæ. Veruntamen non ostendit se Deus sicuti est in sua ineffabili gloria, sed ostédit se vnicuique iuxta modum collati luminis, quo oculus ipsius spiritus clarus, & aptus factus est. Tribuit tamen lumen istud contemplatiuis spiritibus veram agnitionem, quòd Deum vident sicut in hac vita videri potest. Et istud propriè dicitur contemplari, ita quòd simplex oculus nudę cogitationis nullam aliam imaginem recipit, sed solummodò, & integrè imaginem diuinam, quam agnoscit per seipsam, vbi eam suscipit: quia per præsentiam huius imaginis speculum clari catur atque disponitur ad contemplandam imaginem diuinam. Hæc quoque imago Dei (quæ est quædam immensa claritas) est spiritui nostro tam vehemẽter sapida, quòd seipsum semper profundans immergit in illam claritatem, & vnum cum eodem immenso lumine efficitur, mortuus quodammodò in sẽ, & viuens in ipso lumine. Et tunc hoc lumen sine aliquo intermediante suscipit, ita quòd spiritus sine dilatione efficitur idem lumen quod recipit, & fit videns in deiformi lumine, hoc est, anima clarificatur luce, qua Deum eminenter contemplamur. Et quoniam ista lux in abscondito spiritus semper sine intermissione renouatur, eriam anima nostra in æterna nouitate semper feliciter & gloriosè cum Filio Dei generatur. Vbi omnes deliciæ diuitiæ, agnitiones, & omnia desiderabilia à glorificato spiritu sine omni mensura possidentur, imò incomprehensibilia miranda, quæ in infinito thesauro huius occultæ glòrię reseruantur, excedunt sine omni mensura intellectum omni-

Sapient.

Cõtemplatio propriè.

Sapor diuinæ imaginis.

omnium creaturarum, quæ claritate Dei, in fruitiuam Dei cognitionem non trahuntur. Idcirco magnæ esset præsumptioni de istis velle scribere, quia licet aliquis hoc cum Paulo essentialiter vidisset, tamen non licet sibi hoc eloqui, eò quòd nullo modo valeret hoc per aliquam similitudinem exprimere. Hoc igitur modo, iuxta possibilitatem meam, demonstraui tibi viam ad ingressum supereminentis contemplatiuæ vitæ, sed quid recipiat anima, cùm ibidem intracta fuerit, hoc committo ruminandis illis, qui hoc experimentaliter agnoscunt, & ad instar Pauli, vt fortè ita dixerim, rapi meruerunt in *tertium cælum*. 2. Cor. 12.

Amor inaccessibilis.

Ad hunc statum deseruit nonus gradus amoris, qui vocatur amor inaccessibilis, quia ducit hominem ad contemplandum inaccessibile lumen, si homo ad hoc se pro posse suo disposuerit, & præparauerit. Impetus namque huius amoris tam vehemens est, quòd eum, quem semel perfectè inflammauerit, extra se ponit in Deum, & iugiter inebriat sapore dulcedinis incomprehensibilis boni, sic quòd exteriores, & inferiores vires per hoc trahuntur in superiores, & superiores in suam originem, hoc est, in supremum mentis. Et sic spiritus noster consequenter inclinatur in spiritum Dei, & in eo penitus, liquescit, vt sic consequenter fluere valeat in immensam abyssum, vbi semper renouatur, & feliciter generatur, ita vt cælestis Pater ad eum dicere quodammodo possit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Psalm. 2. Quod nobis in hoc tempore, & in futuro audire concedat amabilis maiestas, sapientia & bonitas Patris & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

D. HENRICI HARPHII THEOLOGI PROFVNDISSIMI,

Et Orthodoxa pietate præstantissimi,
Libri Secundi.

MYSTICAE THEOLOGIAE
PARS QVINTA:

Quæ est præcedentium quasi Epitome, summamque Libri præcedentis tribus collationibus perstringens.

Quomodo per ignitas aspirationes, atque alia quædam media ad perfectissimum Dei amorem perueniatur.

Collatio I.

QVicunque post rudimenta vitæ actiuæ decursa, post adeptam etiam aliqualem sensualitatis mortificationem, vitæque præsentis, & omnium, non solùm mundanorum, sed etiam inutilium occupationum affectatam elongationem, peruenire voluerit ad internam contemplationem, & vitæ perfectionem, considerare debet duas esse vias in idipsum deducentes. Vna est Scholastica, & communis ferè omnibus, sed laboriosissima, & longa nimis, quorum est ascensus ab exercitatione virtutum moralium ad charitatem: quorum, inquam, contemplatio est quasi penitus in parte intellectiua, vt sic *inuisibilia* Dei *per ea quæ facta sunt, intellecta* conspiciantur, & ex creaturis Creatorem syllogizent. Alia verò via mystica est, & ferè omnibus ignota, sed leuior, breuior, & vberior, de qua D. Dionysius fecit aliarum virtutum perfectionem, vtens in operatione sua principaliter parte affectiua, consurgensque potius per aspirationes, quàm per meditationes.

Viæ ad perfectionem.

Rom. 1.

Et hu-

Et huiusmodi quidem viæ licèt multæ sint semitæ; tamen (gratia breuitatis) ad habendum quoddam breuissimum directorium in hanc viam proficiendi, in principio debet se quis habilitare ad hoc exercitium exequendum in hunc modum, quòd ferè per medium annum, vel plus, aut minus, secundùm quod se proficere conspexerit, in principio suarum exercitationum recolliget fasciculum diuini amoris, recolligendo omnia, vel specialia amoris insignia, quæ Christus secundùm diuinitatem, vel humanitatem nobis ostendit, ad inflammandum scilicet cordis igniculum, & præcipuè recolendo passionem Dominicam, & hoc quantum ad tria, secundùm Bernardum, scilicet inspiciendo opus, ad habendum compassionem, quod est incipientium: & modum, ad excitandum in se veram imitationem, quod est proficientium: quia in modo patiendi inuenimus speculum omnium virtutum, scilicet abyssalem humilitatem, incomprehensibilem mansuetudinem, patientiam autem vltra omnem humanam æstimationem, & sic de singulis virtutibus, quæ potissimè claruerunt in illius passione. Tertiò, inspiciendo causam, scilicet illam eminentissimam charitatem, quæ coëgit illum subire tam horribile genus mortis. Vnde considerabit ipsam diuinitatem, tanquam internum motorem, omnia illa pro amore generis humani perficientem: & hoc est perfectorum. Et ideo ad perfectionem proficere volens, in his exercitationibus principaliter diriget intentionem, & considerationem ad causam, vt sic inflammetur: sed secundariò ad modum, vt ad sequelam inciretur: & vltimò ad opus, vt etiam compatiatur. Verumtamen in omnibus exercitijs diligenter intendere debet, quòd nullum exercitium cum proprietate sua frequentet, sed solicitus aduertere debet in sua introuersione, vt in suis exercitijs tractum Spiritus sancti ingiter obseruet, qui multifariè multisque modis nunc per vnum exercitium, nunc per aliud spiritum humanum magis inflammat, quò valeant omnes vires eius recolligi, & in dilectum trahi. Et ideo quaque versum liberalissima diuina bonitas illum traxerit, ad sequendum in exercitijs se totis nisibus adaptabit, quia omne illius exercitium erit ad inflammandum cordis igniculum, quod in principio sine præmeditationibus, & considerationibus diuini amoris in primo reflexu cordis ad Deum incendi non potest, sicut videmus in ædificijs arcuatis, quòd primò supponuntur ligna, vt sic muri firmitas sta-

Amoris fasciculus.

Passionis Christi memorandæ opus.

Modus.

Causa.

Proprietas cauenda.

tas superædificetur: cumque fuerit superædificata, tunc subtrahuntur ligna supposita: sic etiam, postquam hoc amoris exercitum sic fuerit per tempus aliquod exercitatum, tunc tandem sine præmissa meditatione, quotiescunque voluerit, in ipso primo reflexu mentis, affectus in Deum inflammabitur, & hæc inflammatio est vnicum instrumentum, & radix istius viæ mysticæ, vnde consurget virgula, & stipes, de qua crescit arbor totius perfectionis, quæ dicitur aspiratio ad amorem vnitiuum, qua scilicet fidelis anima aspirat flammigeris desiderijs per amorem vniri infinito amori, qui Deus est, & ab eo penitus absorberi. Et hæc aspiratio vnitiui amoris exercitanda est cum maxima violentia spiritus, ita quòd corpus exinde plerumque maximam pœnam sentiat, eò quòd nondum est habilitatum ad tale exercitium sustinendum. Vnde vix credibile esset inexpertis, quid in corpore necdum aptificato tunc contingat, præsertim in his, qui vigorosè hoc exercitium amoris vnitiui prosequuntur, de quibus tamen breuitatis gratia supersedeo.

Aspiratio ad vnitiuũ amorem.

Præterea ad perueniendum ad consuetudinem exercitandi amorem hunc vnitiuum, debet fidelis anima in quouis loco, & tempore, ambulando, sedendo, iacendo, etiam comedendo assuescere semper ad dilectum aspirationes mentales, & etiam vocales emittere, formando ad hoc orationes debitas, quas Augustinus iaculatorias vocat, vtpote dicendo: O amor meus, ô sola spes mea, ô totum refugium meum, & omne desiderium meum, amantissime, vtinam dignus inueniar, vt anima mea tuo dulcissimo fruatur amplexu, imò vt tu in ea, & ipsa in te vicario complexu recreetur, vt sic eius tepiditas ab immenso tui amoris incendio valenter incalescat. O anima animæ meæ, ô vita animæ meæ, te totum desidero, me totum offero, totum toti, vnum vni, vnicum vnico. O vtinam impleatur in me illud oraculum tuum ad Patrem, quo dicebas: *Pater rogo vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum.* Et infinita similia, quæ crebrius format, & reuoluit deuota anima, & dicuntur propriè aspirationes. Et hoc erit principale exercitium in omni via proficiendi. Et quando se sentit cordialiter inflammari & sursum trahi, tunc in parte intellectiua imagines vniuersæ ocyus sunt relinquendę, quantumcunque nobiles & vtiles ad inflammandum esse videantur, siue sint diuinæ misericordiæ, largitatis, bonitatis, sapientiæ, potentiæ, &c. quas mens ipsa viuaciter pertransire contendet amoris igne

Praxis.

Orationes iaculatoriç.

Ioan. 17.

ris igne penitus inflammata, donec peruenerit ad intimum silentium sui ipsius, vbi non est humanæ operationis, seu inquisitionis virtus: quia ibi solus Deus operatur, ita quòd se spiritus humanus quodammodò habet passiuè, & Deus actiuè. Et licèt tunc diuersæ exercitationes consuetæ, & vtiles irruerint, omnes tamen pro tunc rescindere debet, & abijcere, simpliciter duntaxat, & nudè ad intima sua progrediens, & vltra in Deum intrare contendens. Et quoniam ex tunc Spiritus sanctus docet de omnibus, de ijs, quæ aguntur inter spiritum diuinum, & humanum omitto prosequi. Hoc igitur exercitium amoris vnitiui à multis occultatum, est initium & finis omnis perfectionis, quia per illum amorem omnis tentatio consumitur. Hinc dicit Petrus Rauennas: Teneræ militiæ delicati conflictus est, solo amore de omnibus vitijs reportare victoriam. Est enim amor ille scaturigo omnium virtutum, quantum ad eminentissimam perfectionem: quia cogit hominem aspirare ad omnimodam diuinam similitudinem in plenissima mortificatione omnium vitiorum, & plenissima adeptione omnium virtutum.

Silentium.

Mens nudata ab exercitijs, &c.

Hæc est igitur arbor felicissima, & altissima in perfectione viatorum, quæ quatuor ramis adornari debet, id est, quatuor exercitijs concomitantibus, quæ sunt dare, & exigere; conformare, & vnire. Primò debet dare omnia quæcunque spiritus diuinus per inspirationem internam spiritualiter exigere potest, & specialiter abnegationem, & elongationem sensualium oblectationum, quibus inuiscatur & maculatur inordinatus affectus in multiloquio, vaniloquio, otiositate, humana societate, in cibo, in potu, &c. ac perfectam mortificationem naturalium passionum, scilicet in inepta lætitia, in inordinata tristitia, in inordinato timore, in vana spe, &c. semper gerens cor supra omnem multiplicitatem & occupationem, tanquam stabilitum in Deum, & elongatum ab omni vicissitudine humanarum rerum, nulla timens aduersa, nulla affectans prospera. Ad hoc laborauerunt gentiles Philosophi, quantò magis Christiani, & præcipuè religiosi? Et sic securè veniet ad secundum exercitium, quod est exigere. Vnde debet fiducialiter exigere à Deo, non solùm omne quod habet, sed omne quod est. Veruntamen quicquid exigit à Deo, nunquam debet exigere aliqua ad fruendum, sed tantùm ad vtendum, hoc est, nunquam quiescere debet in donis Dei quantumcunque magnis, sed tantùm debet eis vti ad maiorem perfectionem consequendam. Et ideo

Arbor perfectionis.

Dare.

Exigere.

quicquid Deus dederit sine seipso, semper minus reputabit, semper famelicus remanebit. Nam multi quiescentes in adeptis donis vel gratijs, à desiderio magis proficiendi refrigescunt. Et ideo securius est ea tantùm petere, quæ deseruiunt ad veram perfectionẽ, scilicet diuinam gratiam & virtutes, & præcipuè nudam & intensissimam charitatẽ. Et vt diuina liberalitas illuminet intellectum eius ad cognoscendum verissimè seipsum, id est, suam vilitatem, & nihilitatẽ, & etiam Deum, id est, præcipuè potissimum diuinum beneplacitum ad exequendũ. Porrò tertium exercitium est assimilare, scilicet quòd se conetur assimilare Christi humanitati in omnibus virtutibus quæ præcipuè relucent in illius despectissima, dolorosissima & acerbissima passione, & præsertim illũ imitari totis visceribus desideret in affectu profundissimæ vilitatis & humilitatis. Nec tamẽ putet quòd per exercitia propria ad illas virtutes pertingere poterit, sed eas in principio cõsurrectionis huius vnitiui a nobis à Deo ardentibus affectibus expostulet. Quartum verò est, vnire tam plenissimè voluntatem suam volũtati diuinæ sine retractione cordis, quòd scilicet cum quadam cõplacentia mentali medullitus, in omnibus etiam aduersis, quæ cõtingere possunt in tẽpore vel æternitate, se Deo liberaliter offerat, vt sic tãdem diuinum beneplacitũ fiat ei summum desiderium, siue sint aduersa exteriora, vt persecutiones, infirmitates, derisiões, obloquia, scandala & similia; siue interiora, vt sunt subtractiones gratiæ, diuinæ influentiæ, cõsolationis internæ, siue obnubilationes mentis & sensuum, vel infrigidationes affectuum, vel etiam tentationes, & similia. Et in hoc tẽpore magis solicitus erit inuenire dilecto suo fidelis, certus quòd dilectus hæc facit vel permittit ad probandum illius fidelitatem, & ad ditandum donis suis & gratijs iam fidelem inuentum. Et ideo tunc maximè se cauere debet, ne defluat, nec quærat solatium in vanis & inutilibus occupationibus, vel ne otio torpeat: sed semper, in quantum potest, in bonis exercitijs, & operibus se teneat: quia licèt pro tunc bona opera vel exercitia non sint sapida, sunt tamen Deo magis accepta, & nobis meritoria, si faciamus quod in nobis est. Similiter, quãtum ad æterna, se liberaliter offerat diuino beneplacito, etiam si illum ponere vellet æternaliter in inferno, quantum ad pœnalitatem, sed non quãtum ad charitatis, & voluntatis separationẽ. Et licèt hoc difficilè videatur, quia natura hoc omnino refugit, per multiplicata tamen desidę-

Petẽda quænam.

Conformare.

Vnire.

Fidelitas amatori seruanda.

desideria, & per diuinam gratiam affatim supereffluentem tandem ad hoc peruenire potest, quòd tam promptè, & liberaliter se offeret ad sustinendum totius inferni pœnalitatem, quàm ad suscipiendum æternam gloriam. Hic etiam notandum, quòd quando seſe quis exercet in aliqua virtute adipiscenda, scilicet in abiectione sui per humilitatem, vel in resignatione sui ad æternam pœnalitatem propter diuinum amorem, & similia, cùm se sentit ad illam virtutem ita affectatum, quòd sine omni retractione cordis, id est, naturæ, vel sensualitatis, se liberaliter offerat in illam voluntas rationis, etiam tempore subtractæ gratiæ, tunc sciat se virtutem illam diuino munere plenariè assecutum. Si verò voluntas rationis voluntariè se offerat, ita quòd voluntas naturalis adhuc contradicat, signum est virtutis adhuc minus per flammigeras affectiones exercitatæ. Et ista quatuor pro temporis vicissitudine exercitari debent, imò frequenter cum exercitatione amoris vnitiui concurrere debent: & hoc in hunc modum, vt practicatur simplicibus.

Quãdo quis nouerit virtutẽ aliquã se adeptũ.

Cùm enim primò senserit in flammatũ cordis igniculum, primùm subincendere debet omnem dissimilitudinem, id est, omne vitium, non tamen currendo per singula vitia, sed vno fasciculo sumens omnem suam imperfectionem, proijciet in illum ignitissimum ignem diuini amoris, vt ibi omnia consumantur. Deinde offerat liberaliter omnia quæcunque Deus ab eo exigere poterit in tempore vel æternitate: etsi in principio sensualitas contradicat, nihilominus tamen cum voluntate rationis offerat. Deinde exigat à Deo quod est & habet, hoc est, primò exigat & petat ab eo purissimam illuminationem mentis ad cognoscendum veraciter seipsum, id est, propriam vilitatem & nihilitatem: ad cognoscendum, inquam, plenissimè diuinum beneplacitum ad fideliter exequendum: ad quod se offerat tam paratum in omnibus sine retractione cordis, sicut vmbra mouetur ad motum interpositi. Nam diuinitus lumen est, humanitas autem est interpositum, & voluntas nostra erit vmbra; ita quòd sicut vmbra mouetur ad motum interpositi, sic voluntas nostra mouebitur ad conformitatem vitæ Christi, quod est assimilare. Et in hac vmbra fructus dulcissimus ipsius spiritus degustatur. *Sub vmbra*, inquit, *illius quem desideraueram, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.* Et ideò summopere aspirare debet ad conformitatem vitæ Christi in virtutibus, scintillantibus desiderijs expostulando, vt eisdem

Praxis interni exercitij.

Petenda à Deo.

Volũtas ad vmbram.

Cantic. 2.

virtutibus animam suam Deus adornare dignetur. quia virtutes multo citius per flammigeras orationes, quàm per exercitia conquiruntur. Et his breuiter præmissis, ac velut in quendam fasciculum pariter collectis, vlterius conscendere debet per amorem vnitiuum in ipsam charitatem increatam, quæ Deus est, vt sic ibidem anima feliciter liquefacta, omnium eorum, quæ petijt à Domino, quasi sigillatiuam quandam impressionem recipere mereatur. Et qui hæc frequentauerit, & his perseueranter inhæserit, impossibile erit, quin ad vitæ perfectionem perueniet.

Virtutum acquirendarũ modus.

Quomodo tam exteriorem, quàm interiorem hominem ad vnionem Deo præparare possimus. Collatio II.

TOllite iugum meum super vos, & discedite à me quia mitis sum & humilis corde. Matthæi 11. Cùm rerum omnium opifex in omnibus, quæ sunt in cælo sursùm & in terra deorsum, sui beneplaciti plenissimum obtineat principatum, in sola creatura rationali (cui liberum ex ingenita nobilitate contulit arbitrium, vt assentiendo meritum, vel dissentiendo demeritum sortiretur) temerariæ resistentiæ iacturam patitur, ne opus illud mirabilissimum & omni acceptione dignissimum, ineffabilis contentionis diuini humaniq; spiritus ad salutem nostram debitè perficiatur. Quod adeò profluæ dignatio diuinæ communicationis in nos adimplere desiderat, velut si in hoc ipso deliciæ ipsius dependeant. Hinc enim potissimum illius desiderium ad hoc iugiter flagrare dinoscitur, vt centrum illud nobilissimum, in humano spiritu concreatum, semper purum, auidum ac paratum inueniat, vt opus illud mirificum liberè prosequi valeat, dicens illud Apocalypsis: *Ego sto ad ostium, & pulso. Surge amica mea, soror mea, sponsa mea, & veni*, scilicet mihi obuiam per debitam propriæ voluntatis resignationem. Nam vnde surgendum est, nisi ab omnibus creatis, per affectus eleuationem; & à seipso, per veram sui abrenuntiationem; & ab omnibus multiplicitatibus, per simplicem ac nudam dilecti contemplationem? Tales enim propriè se ipsos abnegant, & intima sua à Deo libere præparari sinunt, in omnibus diuino beneplacito sese liberrimè resignantes, ac promptissimè se sub omnifaria dispositione diuina, tam in aduersis, quàm in prosperis, funditus collocantes, quibus solum sapit diuinum beneplacitum: nõ inquirentes tempus beneplaciti, quo dilectus indulgere velit spiri-

Apocal. 3. Cantic. 2.

Præparatio vera.

tualem

tualem saporem, oblectationem, vel illuminationem; sed in omnibus aduersitatibus mente liberi & pacati & quieti remanentes, ac præceptum illud veræ perfectionis adimplentes: *Tollite iugum meum super vos*, &c. In quibus verbis, gratia breuitatis, iugum duplex intelligi potest, secūdùm, duplicem hominis portionem, scilicet interiorem & exteriorem. Hinc etiam subdit: *Discite à me, quia mitis sum*, scilicet quantum ad hominem exteriorem; *& humilis corde*, quātum ad hominem interiorem. Et tandem adiungit: *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Nam *onus* ad hominem exteriorem pertinet, sed *iugum* ad interiorem. Ad maiorem autem euidentiam, sciendum, quòd *iugum* exterioris hominis erit ipsa Christi humanitas per veram imitationē assumenda. Boues autem hoc iugum assumentes, erunt vis concupiscibilis, & irascibilis. *Iugum* autem hominis interioris erit ipsa Christi diuinitas, per puram contemplationem frequentando. Boues verò hoc *iugum* assumentes, erunt cognitio, & dilectio. O felix nimis, qui dicebat: *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Iugo igitur humanitatis Christi submittenda sunt colla virtutis tam irascibilis q̄ concupiscibilis, vt scilicet concupiscibilis mortificetur ab omni oblectatione non bona in affectu propriæ vilitatis, & humilitatis. *Expedit* enim, *vt vnus homo moriatur pro populo*, id est, sensualitas, vel naturalis voluntas: quæ nisi spiritualiter moriatur, tota congeries vtriusque hominis morti disponi necesse est. Quæ, scilicet, mors, tripliciter in nobis perfici debet. Nam incipiens, quibus adhuc mundana sapiunt, mortificare se debēt exemplo Christi, efficaciter ea suppeditando, quibus se occupare voluntas naturalis, vel sensualitas per oblectationem assolet, siue sint exteriora, vel interiora, in vestibus, cingulis, diuersis clenodijs, vel alijs oblectationibus in sensibus exterioribus: ac etiam in incautis conuersationibus, societatibus, lenitatibus, priuatis affectionibus, vnicuique scilicet proprium remedium diligenter obijcientes, & eorum præsertim occasiones subtrahentes. Et hoc est initiū veri profectus. O mors quàm amara, & insipida es tepidis. Sed *regnū calorum vim patitur.* Et: *Dulcia non meruit, qui non gustauit amara.* Proficientes verò non solùm inuigilare debent mortificationi sensuū exteriorum, & virium interiorum ac affectuum erga mortales creaturas omnes, & oblectationes earundem, sed quandam resignationem facient suijpsius in omni oblectatione spiritualium donorum, & gratiarum, scilicet in actuali amore, spirituali sensione, & degustatione, nudè dun-

Iugum exterioris hominis.

Pſal 72.

Ioann. 11.

Mortificatio incipientium.

Matth. 11.

Mortificatio proficientium.

dè duntaxat amore nudo, nudo Deo fideliter, & dulciter inniterentur: nec in donis quibuscunque, sed in omnium largitore quietem requirentes. Et hîc facilè quis inuenit, qualiter in omnibus se natura quæritat, etiam in diuinissimis exercitijs. Quòd si propellitur ab vno, concitè cæteris se fraudulenter immiscet, ita quòd vix in hac parte inuenitur Deo fidelis. O quantæ in futuro reperientur occultæ fallaciæ naturæ, pro eò quòd ipsa non fuerit in intentione, & amore purificata ac deiformis effecta.

Mortificatio perfectorum.

Perfecti autè inuigilare debẽt plenissimæ abnegationi naturalis voluntatis in liberâ Dei voluntatẽ, præsertim in omni subtractione diuinarum gratiarũ, & influentiarum, quieta mente sine omni anxietate, diuinâ visitationem reexpectantes, æquè contenti, siue dare voluerit, siue non. Sed hæc mors difficilis est, sine qua nullus veram perfectionẽ attingere valet. Alioquin si in te pœnas omniũ susceperis, si omniũ hominum pœnitentiam egeris, nisi teipsum sic in voluntate mortificaueris, & affectu plenissimo te abnegaueris, veram perfectionem non obtinebis. *Expedit* igitur vnum hominem mori *pro populo*. Submitti debet etiã vis irascibilis iugo humanitatis Christi, quantum scilicet ad omnia aduersa. Nam velit nolit, *homo natus de muliere, breui viuẽs tempore, repletur multis miseriis*. Nimirũ oportebat *Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*. Cuius exẽplo doctus, vim suam irascibilẽ omnino resignare debet in diuinum beneplacitum in omnibus aduersitatibus, angustijs, tentationibus, & pressuris, cum eodem repetẽs: *Si possibile est, transeat à me calix iste: Veruntamen nõ sicut ego volo, sed sicut tu.* Similiter anima in omnibus defectibus spiritualibus, quos extirpare non potest, quantumcunq; laborauerit, & tunc ei defectus illi cooperabuntur in bonum, scilicet propriam vilificationem, & despectionem. Vnde sicut equus in stabulo fimum fœtidũ parat, quem suo tempore (cum labore quidem) extrahit, & in agrum dispergit, de quo fructus vberrimus frumẽti, vini, & olei cõsurgit: sic fimus spiritualis sunt tribulationes, tentationes, angustiæ, miseriæ, & defectus, quos nulla industria deuincere possumus. Sed hos in principio orationis in plena humiliatione, & abnegatione efferentes, in agrum fertilissimũ diuini beneplaciti dispergemus, ex quo consurget fructus admirabilis omnimodæ nostræ subiectionis in omnibus aduersitatibus, proferẽs dulcissimum quendã refluxum spiritualis hilaritatis in omnibus euentibus aduersis, quantumcunq; arduis, quibus se dignũ iudicat. Nimirũ cùm

Ioannat. Irascibilis vis iugo stringenda.

Iob 14.

Lucæ 24.

Matth. 26.

Fimus mysticus.

ex tunc

ex tunc dilectus cuncta ferè supportet, vtpote qui totum hominẽ induit. In cuius argumentum dicebat Apostolus: *Viuo autem iam nõ ego: viuit verò in me Christus.* Porrò secundum *iugum*, scilicet hominis interioris, est diuinitas ipsa, per puram contemplationem frequentanda: in qua scilicet cõtemplatione captiuabitur nostra cognitio & dilectio, sicut consulit Apostolus dicens: *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est.* Ad cuius euidẽtiam sciendum, quòd anima dicitur spiritus secundùm vires superiores, quibus tantùm Deo proximatur, & cõiungitur per intimam contemplationem, quòd quandoq; cum eo spiritus vnus efficitur. Nam spiritus diuinus quendam continuum, & æternum respectum habet in intima spiritus nostri. Et econtra spiritus noster naturaliter æternum respectum creationis habet in suam originem, id est, in spiritum diuinum, qui nec desinet etiam in damnatis, & hunc quidem respectum, quando per actualem contemplationem perfectè prosecutus fuerit, tunc cum spiritu diuino spiritus noster vnus erit. Dicitur etiam quandoque mens, quæ scilicet ipsis viribus interior est & supereminet: quia vires in mente sicut in origine sua sunt counitæ, ex qua scicet effluunt vt radij ex solari rota, & in quam refluunt. Et est illud centrũ in anima, in quo vera Trinitatis imago relucet: & tam nobile, quòd nullũ illi nomen propriè conuenit, licet in multis nominib⁹ circumlocutiuè manifestatur. Hæc igitur mens, vel apex mẽtis, aut centrum ipsius animæ, vt feliciter renouetur, ipsæ vires, quæ dicuntur spiritus, ad interiorem sinum mentis sunt reflectendæ, & mens ipsa ad intimum suum regerenda, scilicet in Deum ibidem suauiter recubãtem: & hoc per simplicem intentionem, puram dilectionem, & nudam vel impermixtam actualem intuitionem. Ad quod perficiendum, captiuandę sunt vires exteriores, & ergastulo viriũ interiorum includẽdæ, ac vires inferiores in cubiculum virium superiorum introducendæ, & superiores in ipsam virium vnitatem vel mentis apicem reflectẽdæ, vt sic ad sancta sanctorum cum mente valeant ingredi, ac feliciter renouari. Sic sic spiritus noster in suam originẽ, id est, mẽtis apicem sese conuertens, & vltra in spiritum increatum se reclinans, feliciter meretur renouari Quia dum increato spiritui se totũ immergit vt liquescat, & in illã abyssum infinitã diffluat denuò, semper illius imago renouatur, vt audire feliciter mereatur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* In quam felicissimam introuersionem, immersionem, & absorptionẽ

Galat. 2. iugum interioris hominis.

Ephes. 4.

Anima spiritus.

Animæ mens.

Centrum animæ.

Vires quomodo regendæ.

Psal. 2.

velut minimus piſciculus in immẽſam pelagi huius vaſtitatem, vnuſquiſque cum ſpiritu ſuo natare ſtudeat, longè lateq; diffluens ſupra ſe & omne creatum, in illam diuinam caliginem, nil interrogando vel ratiocinando, ſed tantùm ipſum ſummũ bonum amando & intendẽdo, ac in eandem diuinitatis abyſſum omnia proijciẽdo peccata, defectus, tribulationes, anguſtias, & quæcunq; pro tunc in amore practico occurrere poterunt. Nec aliquem modum certum exercitiorum in amore practico frequentabit, ſed actioni & voluntati diuinæ ſe purè reſignabit, voluntarium & viuidum inſtrumẽtum ſummi opificis ſe duntaxat exhibens, & irreuerberata acie in illam diuinitatis abyſſum ſimplici contuitu ſemper proſpectans.

Cognitionis & dilectionis captiuatio.

O verè *iugum* Domini *ſuaue*, quo ſic intellectus & affectus, vel agnitio & dilectio feliciter captiuantur, in illud vnum, verum, & ſummũ bonum, quod tanta efficacia ſuæ dulcedinis hominem attrahit, & in idipſum inhiare facit, quòd totum verè ſanguinem & medullas eius ſua vigoroſitate conſumit præ incomprehenſibili auiditate, qua felix anima viuaciter aſpirat ad ſuam (vnde profluxit) deguſtatam originẽ.

Nobilitas animæ.

O anima mea, vnde profluxus tuus ſumpſit exordium? nõne ex illa abyſſo diuinitatis, velut eſſentia de eſſentia, vita de vita, intelligentia de intelligentia, lumen de lumine? ſed creaturaliter, non eſſentialiter: non dea de Deo, ſed deificata à Deo. Cuius tanta eſt connexio, tam excellens counitio, quòd nunquam eſt abolenda, nunquam in æternũ ſeparanda. Vnde ſicut ſol iſte materialis in ſua rota lux quædam eſt eſſentialis, radios ſuos vbiq; diſpergens, qui licèt eſſentiam ſuæ claritatis non communicat, æternam tamen contiguationem præſtat, qua ſcilicet radium in eſſe conſeruat, ita quòd eodem momento, quò cõtiguatio illa diſsipatur, etiam eſſe ipſius radij penitus euacuatur. Sic anima, ab infinita diuinitatis abyſſo profluxa, quandam æternã contiguationem, vnde conſeruatur & alitur, cum origine ſua retinet. Sicut igitur quis per radium in rotam ſolarem ducitur, ſic à ſenſibus exterioribus & viribus ad interiores, ab inferioribus ad ſuperiores, à ſuperioribus ad vnitatem eſſentiæ ipſius animæ, & ab ea in primam illius originem recto tramite ducitur. Et qui per illam viam feliciter gradiuntur, ab omnibus imaginibus & intermedijs citius expediuntur. Vnde legitur de quodã, quòd tam exercitatus erat in denudatiõe mentis, quòd ferè nullam imaginem creaturalem retinere poterat. Hinc factum eſt, quòd alter frater ſuperueniens & pulſans aliquid ab eo cõmodan-

modandum expeteret: cui se allaturum quod petierat, respondit: sed antequam intraret, hoc ipsum quod afferret, & fratrē foris expectantē obliuioni tradidit. Cùm igitur frater denuo pulsaret, alter omniū oblitus ad ostium reuertitur, & quid frater velit scisscitatur, quod factū est ter. Tertia igitur vice cùm pulsāsset frater, reuersus est senex ad ostium, & ait: Ingredere, & accipe quod petis, quia imaginem illius rei tamdiu in me retinere non valeo. O quàm dulciter hic captus erat & subditus iugo diuinitatis per contemplationem æternorum. Quòd si quæris, cur ad illam denudationem cordis vel mentis peruenire non prævales, breuiter respōdeo, quòd sicut naturaliter minima proxima subtrahūt ab oculis nostris remota maxima, (vt patet in rota solari & nubecula interposita,) sic spiritualiter minima terrena subtrahunt à nobis maxima cælestia & diuina. Vnde sicut speculū aquæ impositū & soli diametrali subiectum, totam in se rotam solarem recolligit, quæ tamen tota terra maior esse fertur, quòd si medium quamtuncunque paruum interuenerit, speculum illud imagine solari penitus denudabit: sic anima, licèt minima, virtualiter (respectiuè scilicet) totius tamen Trinitatis capax est, quòd si mediū quantumcunq; paruū interuenerit, eminentissimum illum diuinæ claritatis influxum prohibebit. Nō solùm dico de peccatis quantumcunq; minimis, sed etiā de formis, imaginibus, & similitudinibus, quantumcunq; puris & nobilib⁹, in cōtemplatione susceptis. Quæ cuncta medium cōstituunt inter solē iustitiæ & speculū animæ, ne claritatē illā rota solaris, id est, ipsa diuina essentia immediatè valeat imprimere. Hinc oportet animā ab omnibus esse nudam, quam nuda diuinitas sua claritate perlustrare debeat.

Impedimenta.

Mediū inter Deum & animam.

Quomodo per quinque virtutum exercitia ad Dei contemplationem pertingamus. Collatio III.

ERat *autem* Hierosolymis *probatica piscina, quinque porticus habens* Iohan. 5. Sicut ait Apostolus: *Illa autem quæ sursum est Ierusalem, libera est, mater nostra:* de qua nimirum eijcienda est ancilla & filius *eius*, quia *non erit hæres filius ancillæ*, id est, timoris seruilis, *cum filio liberæ*, id est, timoris filialis. In hac ergo Hierusalē est *probatica piscina*, in qua lauantur hostiæ Deo in æternum consecrandæ, & præsertim ouiū innocentium, quia dicitur *probatica* à προβάτου, quod est ouis, & est nomen Græcum, quod interpretatur *Hebraicè Bethsaida*, id est, domus ouium. Quæ est igitur *piscina* cum suis porticibus, nisi

Galat. 4.

Piscina.

Piscina mystícè quid.

dulciſsimus Ieſus cum ſuis vulneribus? Aqua namq; piſcinæ huius eſt pretioſus ſanguis de illius vulneribus profluens, & ſpiritualiter languidos ſanans, ac peccatis ſordidos emundans, ſicut ſcriptum eſt de Martyribus & omnibus Sanctis: Iſti *ſunt qui venerunt* ex *magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni.* Sed quando piſcina hæc parata eſt, niſi quando Ieſu in Cruce pendente, *rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ* miſericordiarum Dei, *& cataractæ cæli apertæ ſunt, & facta eſt pluuia* magna gratiarum *ſuper terram?* Et in his immorari conuenit omnibus in via Dei proficere volentibus: quia *beatus vir qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis,*

Apoc. 7.

Geneſ. 7.

Pſal. 126.

Piſcina humanitas Chriſti. Matth. 28.

Verùtamen iuxta ſenſum, quem nunc proſequi intendimus, per piſcinam intelligimus ipſam humanitatem Chriſti, quam in cæleſtem quidem Hieruſalem glorioſius intulit, licèt *vſque ad* finem *ſeculi* eandem nobiſcum permanſuram repromiſit. Aqua verò piſcinæ huius eſt abyſſus diuinitatis incomprehẽſibiliter humanitati coniuncta. *Quinque* proinde *porticus* ſunt quinque aditus, per quinque virtutum exercitia, quibus per humanitatem Chriſti feliciter ad eius diuinitatem contuendam pertingere valeamus. Hinc etiam ait Dominus: *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ingredietur,* ſcilicet ad diuinitatẽ contemplandam; *& egredietur,* ad humanitatem contuendam; *& paſcua,* ſcilicet ſpiritualis refectionis, vtrobique reperiet.

Aqua piſcinæ.

Ioan. 10.

Porticus piſcinæ. Matth. 11.

Prima ergo *porticus,* eſt abyſſalis humilitas, quam in aſſumpta humanitate nobis oſtendit ipſa diuinitas, dicens: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Ad quid, niſi vt ſic nos alliceret ad ſequelam? Porrò duæ ſorores ſunt mititas & humilitas, nec vna ſine altera poteſt adipiſci, licèt humilitas magis in proſperis, & mititas in aduerſis exerceri ſoleat. Mitis eſt enim, qui in omni aduerſitate, ſine cordis retractione, ſe diuino beneplacito liberè ſubijcit. Humilis autem, qui in proſperis ſub omni creatura ſe veraciter, ſine fictione ponit. O verè *porticus* ſalutis & perfectæ ſanitatis accelerativa, citius, quàm credi poteſt, in aquam huius piſcinæ ſubmergens, & imaginem ipſius animæ feliciſsima transformatione renouans. Hinc legitur de quadam incluſa, quæ ſemel eleuata ſupra ſe, videre meruit Deum, & B. Virginem, omniumq; Sanctorũ frequentiã à qua ſocietate tam amabili ſe vidit nimiũ elongatã. Hinc dolor & gemitus ac anguſtia ſpiritus. In qua preſſura ſe conuertit ad beatã Virginem exorandam & omnes Sanctos, vt eorum precibus tam iucundæ ſocietati mereretur aſſociari. Cùm igitur ineffa-

Mitis quis.

Humilis quis.

ineffabili gloria inebriati, nullam aduertentiam siue audientiam ipsius precibus adhibere viderentur, tandem se conuertit ad Christi vulnera diligentius imploranda, vtpote quæ ad deliniendã quotidie paternam indignationem pro nobis sunt reseruata. Quid multa? Statim responsum increpatorium audiuit, cur ad illa exoranda se conuerteret, quæ vix vnquam debitis exercitijs vel gratiarũ actionibus, prout decet honorâsset. Tunc omni fiducia patrocinij destituta, subiunxit, dicens: O amantissime Domine, quia nullum aliunde mihi sperandum est adiutorium, tu infinita bonitate & liberalitate tua recipe me facturam tuam, & ne me despicias, quia *Deus meus es tu.* Ecce liberè me offero tuo diuinissimo beneplacito: quòd si tibi placuerit, me exiliari, etiam in illam æternã pœnalitatem propter amorẽ tuæ dulcifluæ voluntatis, grataner accepto, & me funditus ad hoc ipsum trado. Sicq; se reliquit abiectam per suijpsius omnimodam abnegationẽ coram præsentia diuinæ maiestatis. Tunc diuina beneficentia subitò trahebatur per longissimum illud medium, & absorpta concitè feliciter in abyssum diuinitatis, omnium Sanctorum consortio felicissimo coniuncta est. Meruitque postea frequenter in sancta sanctorum per eandem viam introduci, propter illam humillimam sui abnegationẽ, dedespectionẽ, & resignationem. Descende igitur cum Iesu in abyssum humiliationis & abnegationis, si vis immergi feliciter in profundum suæ diuinitatis. Veruntamen ne quisquam æstimatione falsa se putet ad hoc peruenisse, sciendum est, quòd omnis humiliatio, abnegatio, & suijpsius in diuinum beneplacitum resignatio, quæ nondum per experientiam in omnibus aduersis frequentata dinoscitur, suspecta & deceptoria iudicatur, nisi prius tam operè quàm veritate sine omni cordis retractione compleatur. Multi namq; cæteris quidem hominibus extrinsecus, sibijpsis verò intrinsecus, mortificati videntur, qui tamen necdum ad ictum oculi ad veram sui abnegationem peruenerunt, tantò desiderio complectentes quæque aduersa, vilia, opprobria, scandalosa, iniuriosa; quanto mundani suscipiunt prospera, læta, magnifica, & similia. De hac ergo virtute dixit Dominus: *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit*, &c.

Abnegatio & resignatio vera quæ.

Ioann. 12.

Secunda verò *porticus* est vera & plena contritio peccatorum, non tantùm sensualis & superficialis, quæ lachrimis & suspirijs demonstratur in sensualitate vel inferiori parte rationis, & citò plerumque finitur: sed ista contritio est ipsius superioris partis rationis, & est dis-

Contritio peccatorũ vera.

sensus voluntatis ab ipso peccato cum actuali vel habituali detestatione peccati sine fine. Nec solùm cum detestatione ab omni peccato mortali & veniali, sed etiã ab omni illo, quod est impediés, vel nõ purè ducens in Deum, aut cuius conuersionis in Deũ pura & totalis causa Deus non est, solum amplectens purum & amabile bonum, quod Deus est, vel ad Deũ purissimè ducens, illi perseuerãter inhærendo per amorem purum & deiformem intentionem, paratus semper ad depurandum omnem affectum minus ordinatũ, & omnem intentionem ad seipsam reflexam. Hæc igitur perfectissima contritio, quæ per detestationem refugit omnia non solùm nociua, sed etiam vel in minimo impeditiua veri profectus, depurat omnẽ affectũ, intentionẽ, amorem, exercitationẽ: & sic nudam & liberã reddit animã, amplexuiq; diuino praparatã. Et sicut in prima porticu resignat omnia diuino beneplacito, sic in secunda purificat omnia offerenda Deo, vt audire mereatur: *Date, & dabitur vobis. Date* vestri plenã abnegationẽ, vosipsos in omnimodum diuinum beneplacitum tam in aduersis, quàm in prospetis. *Date* vestra per purissimã oblationem, omnem scilicet sensionem, oblectationem, intentionẽ, dilectionem. *Et dabitur vobis.* Quid dabis Domine? *Mensurã bonam & confertam & cogitatam & superefluentem.* Pro quo sciendum, quòd mens nostra mensura est, in qua Deus sese mẽsurare dignatur, quicquid ex seipso nobis communicare disposuit. Quæ mensura (vt dictum est) purificata & à Deo aptificata. Primò capit *mensuram bonam*, scilicet hostorio adæquatam, quia pro depuratione cordis ab omni creato & affectu inordinato, recipit Creatorem lumine gratiæ partem intellectiuam vera discretione perornantem in omnibus agendis, consiliandis, & contemplãdis, quæ separat omne *pretiosum à vili*, lucem à tenebris, vitiũ à virtutibus. Sed hanc discretionem nõ percipimus, quia mentẽ nostram vili sterquilineo deturpatam relinquimus, nec Creatori verum aditũ indulgemus. Hinc orationes redduntur insipidæ, & vires animæ dispersæ. Tædio est orationis exercitium: anhelatur ad exitum. Quapropter quisq; mentem in omnibus terræ finibus captiuatam liberare studeat, ab omni amore, intẽtione, & affectione vitiosa retrahat, vt sic illam suo Creatori offerre valeat. Quia nunquam erit tam naturale ignem sursum ascendere, sicut mentem à creatis euacuatam in Deum properare. Secundò verò recipit *mensuram confertam*, id est, supra mensuram eleuatã in diuina illuminatione & vera discretione, qua scilicet non solùm deponit

Lucæ 6.

Mensura mens hominis.

Mensura bona.

Iere. 16.

Mensura conferta.

omnia

omnia exteriora suæ internitati contraria, in amore, intentione, sensuali oblectatione, temporali possessione vel occupatione, in amicorum & cognatorum frequentatione, in locutione, cogitatione, operatione, & similibus: sed etiam qua probat exteriora exercitia, quæ magna videntur in ieiunijs, abstinentijs, vigilijs, cilicijs, & orationibus, & similibus. Quæ si reperiuntur interni profectus retardatiua, concitè sunt reijcienda, eò quòd sunt melioris boni impeditiua. Nam quæcunque proficere volentem impediunt ad semitas summæ perfectionis, siue sint exteriora, vt exercitia corporalia; vel interiora, vt recordatio peccatorũ, mortis, inferni, vel iudicij, postponenda sunt. Et qui discretionem illam susceperit, & prosequutus fuerit, ad debitam perfectionem citò perueniet. Tertiò recipit *mensuram coagitatam* internæ lucis & discretionis, quam scilicet experitur in subtractione omnis gratiæ & diuinæ influentiæ, cùm in eo consurgit tanta pressura & anxietas, quòd omnibus inexpertis esset incredibile, & tunc cum vero lumine discretionis comprimit seipsum in diuinum beneplacitum cum pace, quiete, & complacentia cordis, etiam maiora sustinere paratus in tempore & æternitate. Et hęc mensura discretionis, est nobis vtilissima, & Deo gratissima. In qua quantò fuerit purior & plenior resignatio, tantò postmodum erit intimior ipsius diuinitatis fruitio. Quartò recipit *mensuram superefluentem*, cùm seipsum in experimentali plenitudine tribuit, ita quòd non solùm mentem, sed etiam sua redundantia omnes vires animę & corporis adimplet: & tunc mensura fit mensurata, quia tunc spiritus eius transitum facit & efluxum, in illam diuinitatis abyssum immersus & absorptus, intus plenus, & foris superefluens, ac si vasculum minimum proijceretur in profundum maris.

Exercitia tã inter o-a, & exteriora quatenus exercenda.

Mensura coagitata.

Mensura superefluens.

Tertia verò *porticus* est voluntaria paupertas, id est plenissima resignatio bonorum temporalium licitè possessorum, quantum ad affectum possidentium. Non enim in tantum nobis exterior & realis paupertas consulitur in abdicatione rerum, quantum interior in abdicatione & purificatione affectuum, quæ est essentia veræ paupertatis, & vocatur paupertas spiritus, ad quam omnes amici Dei vocati sunt. De qua dicit Apostolus: *Nihil habentes, & omnia possidentes. Nihil habentes*, scilicet per viscositatem affectus, *& omnia possidentes*, quod fit cùm nil terreni sic per affectum possidemus, non patrem, non matrem, non sororem, aut fratrem, aut vxorem, aut filios, nec terrenam

Paupertas voluntaria.

Matth 5. 2. Cor. 6.

substantiam, si Deo permittente nobis ablatum fuerit propter diuini beneplaciti vnicordiam, nihil turbationis, desolationis, vel cordis inquietationis nobis ingereret. Quòd si naturę fragilitas in minimo recalcitrare conuinciatur, (quia homines sumus) secundùm hoc tamen Deus non iudicat, dummodò deliberata voluntas rationis se paratam præstiterit, & quieta permanserit, sicut Iob, cùm dicebat: *Dominus dedit, Dominus abstulit*, &c. Et hæc est vera & essentialis paupertas, quam omnes electi Dei totis præcordijs appetere debent, vt sic liberam, imperturbabilem, quietam, & nudam mentem Deo præsentare valeant. Et si tunc regnum terrenum possiderēt, tamen veri pauperes essent, quamdiu illos terrena substantia inquietare non posset, quo minus ad superiora quotidie (sine omni impedimento ac difficultate aliqua) conscenderent. Et licèt in inferioribus viribus aliquam oblectationem in prosperis, vel tristitiam in aduersis sentiant, hoc tamen non derogat perfectioni, dummodò in deliberata voluntate rationis liberè se diuinæ voluntati resignant, & mente quieta perseuerant.

Iob. Paupertas spiritus vera.

Quarta proinde *porticus* est quædam argumentosa perseuerantia circa cordis intima, quæ summè nobis est necessaria proficere volentibus. Nam multi deuoti reperiuntur, qui in bona quadam simplicitate & intentione se conuertunt ab interioribus ad quædam exteriora minus vtilia vel necessaria, aut etiam ad quædam superflua, licèt minima, propter quandam inclinationem naturalē seu sensualem. Qui sic in exterioribus constituti, ex incauta custodia paulatim oberrare per distractionem incipiunt, ita quòd ad interiora, sicut prius, de cætero cōuerti nunquam possunt: quia nimirum ex tunc appetitu quodam inordinato facilius inuiscantur, scilicet verborum otiositate, rumorum nouitate, amicorum societate, sensuum lubricitate, & similibus, ita quòd appetitus spiritualis incipit in eis desipere, conatus tepescere & exercitium diffluescere, præsertim quando quis sic exit motu sensualitatis, & non rationis: quia tunc facilius capitur & inuiscatur, sicque in regressu illius ad intima requiem non inuenit, sed obnubilationem, distractionem, & à diuina familiaritate quandam elongationem, quia in lectulo dilecti prius florido reperit quādam diuersarum immunditiarum deturpationem. O quàm leue est, quod in nobis contristat Spiritum sanctum, & impedit opus illud diuinum, sicut legitur de beata Virgine Clara de Monte Falcone prope Fulginium (quæ

Perseuerantia mentis.

S. Clara.

(quæ fuit sanctitate vitæ mirabilis,) quòd in principio suæ conuersionis post degustatos mirificos complexus diuinæ consolationis & illuminationis, propter leuissimum quendam motum propriæ complacentię quindecim annis elongata fuit ab omni influxu diuini luminis & internę dulcedinis. Et ideo in hac quarta porticu fiet quędam abnegatio vniuersalis omnium occupationum, distractionum, & cogitationum minus vtilium, ne inter dilectam & dilectum fiat aliquod minimum intermedium.

Quinta denique *porticus* est quædam indefessa ac sedula gratiarum actionis oblatio, ac omnium operum, exercitiorum, & spiritualium oblectationum in suum principium (vnde sumpserunt effluxum) fidelissima reductio, id est, in Deum, qui cuncta bona solus operatur in nobis, nihil ibidem de suo fore cognoscens, sed totum gratuita largitate diuina fuisse collatum & operatum. Et in hoc secernuntur serui fideles & infideles. Nam omnia quæ iustus facere potest veraciter, & impius facere potest apparenter, ieiunare, vigilare, orare, se humiliare, &c. Sed impius nunquam suo Domino potest esse fidelis, illi scilicet omnia ascribendo, nihilque sibi reseruando; sed in summam spiritualem paupertatem, & propriam nihileitatem, cum summa vilificatione & abnegatione suijpsius sese dimittendo. Sed in his proprium bonum constituunt, in quo student oblectari & gloriari, inflari & eleuari, magna de se sentientes, etiam & humano iudicio magna perficientes, in quo relucet diuina largitas & humana ingratitudo. Et hoc ideo, quia Deus, qui præsentem iustitiam respicit, talibus remunerando magna dona largitur. Sed in quibus sese magis agnoscere, abnegare, vilipendere, & diuinæ voluntati resignare debuerant, in his potius affectu proprietatis, inordinati amoris, & oblectationis se commaculāt, & diuinis donis abutentes, sibi, ipsis maximam iacturam inferunt. Verus autem amans spiritus, tanta in dilectum argumentositate & auiditate ferri deberet, continuè cuncta dona in illū per gratiarum actionem regerendo, vt in eius donis nunquam vel in minimo quiescere, sed in omnium largitorem sedulis affluentijs gaudere aspirare. Ad laudem Domini nostri Iesu Christi, qui est Deus benedictus in sæcula, Amen.

Oblatio omnium donorū purè in Deū.

Secundi libri Theologiæ mysticæ finis.

D. HENRICI HARPHII, IN THEOLOGIÆ MYSTICÆ LIBRVM TERTIVM.

PRAEFATIO.

RERVM omnium opifex Deus, solo suæ bonitatis intuitu in esse cuncta producens, naturalem amorem boni cunctis indidit creaturis: vt dum vnaquæque res bonum sibi conueniens naturaliter amat & appetit, mirabili quadam conuersione in auctorem suum recurrere demonstretur. Sed in hoc cæteris præfertur creatura rationalis, quòd ipsum vniuersalem bonitatis fontem per sapientiam intueri potest, & per charitatis amorem suauiter degustare. Vnde fit, vt sapientiæ bonum, quo ad ipsum fontem bonitatis accedimus, omnibus humanis bonis secundum rectæ rationis iudi-

Eccles. 24. cium præferatur. Hæc est enim, quæ fastidium nescit, ita vt qui eam edit, adhuc æsuriat; & qui eam bibit, sitire non cesset. Hæc est, inquam, quæ in tantum peccato repugnat, vt qui secundum ipsam operantur, non peccent. Hæc est denique, quæ

Ibidem. fructum indeficientem suis ministris elargitur, vt qui eam elucidant, vitam æternam possideant. Præcellit etiam dulcedine sua voluptates, securitate sua regna & sedes, vtilitate sua diuitias vniuersas. Quam nimirum singulari priuilegio super creaturam rationalem diffuderat, postquam propriam imaginem animabus hominum impresserat, diligentius tamen expresserat eam in cordibus

Psalm. 48. ipsum efficaciter amantium, secundum muneris sui largitatem. Verùntamen homo, cùm tam singularem celsitudinem sortitus esset non intellexit, & ipsa sapientiæ lux, infusa sibi diuinitus, per peccati tenebras & terrenarum occupationum caligines adeò fuit obtenebrata, vt ferè mundus vniuersus ad idola vana procliuus, in sensum reprobum laberetur. Hinc diuina sapientia, multiplex ad pietatem, artifex ad salutem, quæ prosua bonitate ad sui fruitionem hominem condiderat, eundem diuinitatis eius expertem esse non sinens, in naturam humanam se totam contulit, sese humiliando, eam exaltando, mirabilibusq; formulis inseparabiliter vniendo, vt errantem reduceret, ignorantem instrueret, contemnentem alliceret, ac per obiectum illud visibile tam ingratum in inuisibilium amorem sustolleret. Cuius vestigia secutus insequens de felici conductu contemplatiuorum in semitis iustitiæ & perfectionis, aliquid institutionis gratia prosequi statui: quas vtique nemo mortalium perfectè consequitur, nisi prius desiderio sospirys eius

anima

anima post perfectionis exemplar dulcißimum Iesum frequentius subleuetur. Hinc meritò Dauid, postquam præmiserat in Psalmo: Ad te Domine leuaui animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam, *postea subiunxit:* Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Psalm. 24.

Et quidem optimè: Nam in his verbis duas vitas luculenter expressit, actiuam scilicet, & contemplatiuam: quia viæ sunt institutiones de ordine actiuæ vitæ, & exterioris, quæ conueniunt omnibus. Semitæ verò sunt occultæ viæ & angustæ, sicut sunt mysteria vitæ contemplatiuæ. Nam semita propriè via est duorum pedum in latitudine, per quos intelliguntur intellectus & affectus, qui pariter in hac vita coambulant: sed affectus vt domina, intellectus autem vt ancilla. Cæterùm, ex quo in vtraque vita sunt infinita deuia & insidiæ multæ, præsertim in secunda, processum hunc diuersis industrijs distinguere placuit, vt præmoniti fideles Christi cautius ambulent, ne vnquam offendant ad lapidem pedem *suum, sed ad optatum finem gressu felicißimo perueniant. Verum, quia intellectus eius (præsertim rudibus & simplicibus) difficilior fortè videbitur, ideo ad maiorem euidentiam eorum, quæ dicenda sunt, sciendum, quòd in homine sunt tres potentiæ cognitiuæ, & vnicuique potentiæ quædam affectiua correspondet, ac secundùm vnamquamq; potentiam, diuersi diuersimodè rapiuntur, vel raptum quendã patiuntur. Nam prima & infima potentia cognitiua dicitur sensualis, quæ est vis quædam animæ, vtens in operatione sua organo corporeo, tam exteriori, quàm interiori, ad ea, quæ sensibilia sunt, per se, vel per accidens cognoscenda. Quæ potentia, si motiones obiectales rerum exteriorum immediatè recipit, dicitur sensus exterior quinquepartitus, scilicet visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus. Si verò recipit immediatè sensationes factas in his quinque, iudicans inter eas, sic est sensus communis. Si autem consequatur ex iudicijs vel sensationibus factis in sensu communi, sic dicitur imaginatio, vel phantasia, vel virtus formatiua, aliás cogitatiua. Quòd si ex sensatis elicit insensata, dicitur virtus æstimatiua, quæ de proficuo vel nociuo diiudicat. Præterea adhuc duæ sunt vires sensitiuæ in absentia specierum retentiuæ: vna pro sensu communi, quæ aliquando dicitur imaginatio: alia pro formatiua & æstimatiua, cui memoriæ nomen inditum est. Cæterùm, vis ista cognitiua sensualis, dicitur aliquando animalitas, aliquando sensualitas, aliquando calum primum vel infimum, aliquando imaginatio, quandoque verò vmbra rationis. Cui respondet appetitus animalis vel sensualis, qui est vis animæ affectiua, apta moueri immediatè ab apprehensione sensitiua. Porrò, præter hunc appetitum ponere conantur quidam sensum naturæ, siue ad bonum siue ad malum, ex hoc saluantes multos effectus mirabiles in animantibus respectu talis vel fugæ vel prosecutionis, qualismodi causa reddi non potest ex apprehensione cognitionis sensualis: Vt,*

Viæ Domini. Semitæ. Ratio instituti huius. Potentiæ cognitiuæ in homine tres. Sensitiua. Cõmunis. Imaginatiua. AEstimatiua. Sensus naturæ.

lis: Vt, quòd hoſtē præſente, nec tamen viſo, horreſcunt pili cum tremore quodam; quòd econtra ſit amico præſente. Item, quòd formica futuræ prouidens hyemi farris ingentem acernum comportat & colligit: & ſic de ſimilibus. Sed quid mirandum eſt de talibus ſecretis inſtinctibus ſen impulſibus ad fines ſuos conſequendos, cùm & naturales tractus inuenimus in corporibus minus organizatis & inſenſatis, ſcilicet ferri ad magnetē, maris ad lunā? qui ſcilicet inſtinctus et tractus, lex naturæ vocari poteſt, vel inclinatio naturalis, aut directio intelligētiæ nō errātis. Denique raptus ipſius ſenſus in actu ſuo ſuper inferiores ſe potentias, fit per amoris affectionē, quæ poteſt tāta fixione rapere virtutem imaginatiuā, quòd inferiores potētiæ ſenſuū exteriorum obiecta propria eis oppoſita, nō attendāt: quòd ab experientia propria Philoſophus ſumpſit. Quē raptum cauſat vel facit feruidū deſiderium rei per imaginationem repreſentatæ. Secunda verò & media potentia cognitiua, dicitur rationalis, & eſt vis quædā animæ cognitiua, deductiua cōcluſionū ex præmiſſis, & elicitiua inſenſatorum ex ſenſatis, ac abſtractiua quidditatum, nullo organo in operatione ſua egens. Hæc autē deſcriptio per vltimā particulā notat differre rationem à ſenſualitate, q̄ ſcilicet vtitur organo. Per alias verò particulas, ab intelligentia ſimplici ſecernitur: cuius operatio magis attenditur in receptione cognitionis ſimplicis à ſuperiori luce Deo, quā à deductione concluſionum ex principijs, q̄ eſt proprium rationis, ſiue principia ſint ab experientia ſenſus, vt q̄ ignis eſt calidus; vel illa ſibi præſentauerit ab alto ſimplex intelligētia. Et ſecundum iſtā præſentationem, vocatur portio rationis ſuperior, q̄ nomen habet viri. Prima verò præſentatio vocatur portio rationis inferior, quæ nomen habet mulieris. Quia tantum viuacitatis & virtutis habet ratio, dum ſuperioribus intendit, reſpectu illius, quā trahit ab inferioribus, quātum vir à muliere differt in virtute & fortitudine. Et hæc quidem potentia, quandoq; dicitur calum medium in anima, vel in vmbra ſimplicis intelligentiæ, ſicut intelligentia ſimplex eſt in vmbra Angeli, & Angelus in vmbra Dei. Cui potentiæ correſpondet appetitus vel affectus rationalis, qui eſt vis quædam affectiua ipſius animæ, apta moueri immediatè ab apprehenſione cognitiua rationis. Et hic quidem appetitus ſi eſt reſpectu rerum poßibilium & impoßibilium, dicitur voluntas. Si verò conſideratur, reſpectu actus iā eliciti, dicitur libertas. Si, inquā, eſt reſpectu obiectorum non finalium & poßibilium, dicitur electio, vel appetitus electiuus. Si autē reſpectu actuum imperatorum eſt, dicitur appetitus dominatiuus vel executiuus. Si denique voluntas eſt exequendi ea, quæ iam electa ſunt, dicitur propoſitum: ſed inclinatio ad hæc exequenda, dicitur conſcientia, niſi dicamus, quòd conſcientia duo ſimul importat, ſcilicet iudicium, & affectionem comitem. Raptus autem rationis in actu ſuo ſuper inferiores potentias, fit per voluntatis amorem, vt patet in eis, qui volunt & quærunt deducere ac ratiocinari:

Potētia rationalis.

Affectus rationalis.

cinari ex notis incognita. Quos aliquando voluntarius huiusmodi appetitus otiari fecit à suis operationibus non solum sensuum exteriorum, vt nescirent quid extra fieret: sed etiam virtuti phantasticæ vel imaginariæ suæ denegabatur actio, ita q̃ corporeum phantasma non irruens, aut irrumpere volens, superiore virtute rationis & voluntatis premeretur. Quod patuit in quibusdã, de quibus apud Valerium Maximum nota est historia. Tertia demum et suprema potentia cognitiua, dicitur intelligentia simplex, quæ est vis quædam animæ cognitiua, naturalem quandã à Deo lucem immediatè recipiens, in qua, & per quã prima principia cognoscuntur esse vera terminis apprehensis. Et hæc prima principia nominantur aliquando dignitates, aliquando communes animi cõceptiones, aliquando respectus primi, aliquando regulæ incommutabiles & impossibiles aliter sese habere. Verbi gratia: Quòd totum maius est suæ parte, quòd intellectiuum perfectius est suo non intellectiuo, quòd spirituale (cæteris paribus) præstantius est corporali, & sic de singulis. Quòd si quæratur: Qualis sit illa lux, dici potest, quòd sit ipsamet anima, lux quædam existens intellectualis naturæ, deriuata ab infinita luce primæ intelligentiæ, quæ Deus est, secundùm illud Ioannis: Erat lux vera, quę illuminat omnem hominẽ venientẽ in hũc mundũ. Et Psalmista ait: Signatũ est sup̃a nos lumẽ vultus tui Domine. Porrò, qui secundùm Dionysium, 7 de diuinis nominibus, in progressu rerum à Deo fit cõcatenatio quædã, vt infimum supremi sit primum inferioris: Angelus, à quo minoratus est homo, quia est intelligentia simplicior homine, hoc habet in sua natura infimum, q̃ homo habet in sua natura suprem̃um: vt secundùm hanc vim intelligentiæ coniungãtur absq; medio alterius speciei duo, scilicet intellectus Angelicus & humanus. Quod tamen non est ita intelligendum, vt aliquod medium sit inter Deum & animã, cùm dicat Augustinus: Nihil esse superius mente nostra, præter Deum. Verum id quidem est, quoniã vterq; à Deo æquè immediatè tria suscipit, quæ sunt natura, gratia & gloria. Sed in reliquis, sicut est inter Angelos ordo hierarchicus, sic etiã Angelorũ ad homines est ordo, secundùm tres actus hierarchicos, quos nominat D. Dionysius, purgare, illuminare, & perficere. Et hoc quidẽ respectu gratiarum & perfectionum secundarũ. Præterea vis ista simplicis intelligentiæ quandoq; mens dicitur in Scriptura, quandoq; vmbra intellectus Angelici, quandoq; verò tertium cælum, siue cælum supremum ipsius animæ, quandoq; lumen intelligentiæ, quandoq; lux diuina, quandoq; scintilla vel apex ipsius rationis. Cui potentiæ correspondet proportionalis quædam virtus affectiua, quæ dicitur synteresis, quæ est vis quædã appetitiua ipsius animæ, à Deo suscipiens immediatè quandam naturalem inclinationem ad bonum, per quam trahitur insequi motionem boni ab apprehensione simplicis intelligentiæ sibi præsentati. Hanc autem synteresim aliis nominibus appellare solemus habitum practi-

Potentia cognitiua.

Anima lux.

Ioan. 1.

Psalm. 4.

Psalm. 8.

Mens.

Notetur hoc diligẽter, q̃ hinc apparet, q̃ sit animam in tertium cælũ quandoque rapi apud auctorem Synteresis Præcatur auctori, si Synteresim vocat modò appetitiuã vim, modò habitum practicum principiorum. Error est.

practicum principiorum, vel scintillam intelligentiæ ratione cuiusdam suæ euolationis & ardoris ad bonum, vel apicem mentis, aut instinctum indelebilem, vel portionem virginalem ipsius animæ, vel stimulum naturalem ad bonum aut supremum cælum in affectiuis potentijs, aut dicitur virtus amatiua superior: & ita proportionabiliter ad ea, quæ dicta sunt de suprema potentia cognitiua. Porrò raptus ipsius mentis, supra potentias inferiores se, fit per affectionis scintillam menti cognatam vel appropriatam, qua scilicet amor extaticus vel mentis excessus nominatur. Manuducimur autem ex prioribus raptibus (qui sicut crebriores & faciliores sunt, sic intelligibiliores inueniuntur) qualiter scilicet mens nostra in actibus suis taliter efferri potest & figi, quòd eam nulla potentiarum inferiorum interturbet. Sed plerumque per vim affectiuam ita seipsam actuabit, quòd vis intellectiua, neque se, neque alia quæcunque recogitabit, sicuti clarius in processu præsentis speculationis eluceſcet. Cæterùm lectores vniuersos exhortor in viſceribus Iesu Christi, ne præsentia mordaci dente, vel inuidia tabescente reuoluant: sed si qua videntur vtilia, diuinæ gratiæ duntaxat adscribant: quæ verò nondum sapiunt, vel etiam non intelligunt, quieto silentio transeant: quia pro his tantummodò scripta sunt, qui non in sapientia verbi, sed in mortificatione animi, ac in eleuatione spiritus proposito vel affectu coambulant. Vnde processum hunc, quem Eden, id est, Paradisum contemplatiuorum, appellare decreui, nemo perfectè comprehendere potest profunditate scientiæ, vel subtilitate intelligentiæ, vel quibuslibet exercitationibus: sed sola felicissima perdocetur experientia, cui diuina liberalitas hanc ipsam sua bonitate communicare placuerit. Hæc est enim illa doctrina præelsa, quam increata sapientia sibi soli reseruare voluit, ac dignè se præparantibus duntaxat largissuè communicare, vt sic confundantur omnes mundi sapientes, consolentur & exultent humiles, cùm vetula simplex & rusticus pascualis ad hoc consurgere cum animi puritate & spiritus viuacitate præualent, quod omnes sapientia mundana tumentes, nulla industria, nulla intelligentia, quantumcunque perspicua penitus attingere queant. Hinc meritò dulcis Iesus, exemplar humilium, oculis in cælum erectis, exultans in spiritu, dicebat ad Patrem: Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ: quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te. *Vnde necessarium est, si hæc ipsa velint experimentaliter intelligere, quòd omni proprietati suæ morientes, soli Deo viuant: ac vultum suum in profundo spiritus æterno lumini iugiter obijciant: vbi nimirum occulta veritas sese nullo intercedente medio manifestat.*

Operis præsentis ratio.

Quod bonũ est probare, & ab omni specie mali semper abstinere.

Matth. 11. Luc. 10.

D. HEN-

D. HENRICI HARPHII

THEOLOGIAE MYSTICAE LIBRI III:

qui EDEN, hoc est, Paradisus contemplatiuorum inscribitur,

PARS PRIMA.

Vti diuersi homines diuersis modis medijsque ad Deum vocentur, quomodoque quidam diuinæ vocationi resistant. Cap. I.

BONITAS diuina, cùm sit bonum vniuersalissimum creaturis omnibus rationabilibus ingenitâ liberalitate cõmunicare sese desiderat, vniuersos ad vnionem suam sine differẽtia personarum inuitans, & dicens: Venite *ad me omnes qui concupiscitis me.* Eccles. 24. Matth. 11. Et iterum: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos.* Cuius profectò vocationis emolumentum ostendit, ad Patrem orans, & dicens: *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* Iohan. 17. Et iterum: *Vt omnes vnũ sint, sicut* & *tu Pater in me, & ego in te: vt & ipsi in nobis vnum sint,* vt scilicet sicut Pater in Filio, & Filius in Patre est: ita per vnitatis formã in Patre & Filio vnum omnes essent conflati per charitatis ignem. Vnde Augustinus ibidem: Ita est Pater in Filio, vt vnum sint, quia vnius substantiæ sunt. Nos verò esse quidẽ possumus in eis vnum, tamẽ vnum cum eis esse non possumus: quia vnius substantiæ nos & ipse non sumus Præterea 1. ad Corinth. dicitur: Quòd is, *qui adhæret* Deo, *vnus spiritus* efficitur, scilicet participatione beatitudinis in futuro, vel vnus spiritus copula dilectionis in præsenti, quia secũdùm Augustinum: Humilitas nos Deo subijcit, puritas iungit, charitas vnit. Dicitur autem vnus spiritus, quasi in vnum spirans per concordiam gratiæ, nõ vnus simpliciter per identitatem substantiæ, quam vnitatem operatur charitas, quia transfert amantem in amatum. Hæc enim sicut Deum inclinat ad terram, sic hominem subleuat in cælum: & sicut Deum coëgit humanari, sic hominẽ cogit deificari, dum suis impulsibus & aspirationibus, in supereminente quandam ab-

Ibidem. 1 Cor 6.

dam absorptionem, verum contemplatiuum cogit expirare & annihilari. Sed væ væ desidiæ temporis huius: quàm pauci, proh dolor, audire satagunt vocem inuitantis amici, nec est qui retractat dicens: Quid feci? Sed omnes ferè mundanis affectibus & inutilibus curiositatibus distenduntur. Quin etiam multi religiosi, viriq; sanctitate famosi, qui diuersis scientijs curiosis, aut inuentionibus industriosis mentem occupant etiam pro terrenis coaceruandis & conseruandis, aut diuersis laxationibus, dissolutionibus, murmurationibus, recreationibus, cõfouendis, mundanis etiam fauoribus & adulationibus frequentandis, miserabiliter abducuntur & præpediuntur: ita quòd diuinis inspirationibus & influentijs liberum aditum non indulgent: nec restat spiraculum aliquod, quo Creatorem suum anima fidelis per flammigeras affectiones attingat. Sicque diuina vocatio, vel inuitatio à diuersis diuersimodè suscipitur, vel respuitur. Quorum differentiam in numerum septenariũ redigere placuit. Nam primò sunt quidam inuitationi huic semper inobedientes, sicut duri & indurati ac obdurati filij Adam, illud ptopheticum dicentes: *Desperauimus, post* concupiscentias *nostras ibimus*. Et hi quamdiu diuinam inuitationem nõ obaudiunt, necesse est, quòd reliquis Dei donis careant, quæ nimirum ad exauditionem vocis ipsius inuitantis essent continuò secutura. Et horum quidem multa sunt genera.

Indefides.

Vocationẽ diuinam fieri septifariam.

Hier. 18.

Primum est illorum, qui de bonis operibus curam non habentes, viuere volunt secundum delectamenta corporis, ac secundùm libitum in impeditionibus, & multiplicitate cordis volutari. Quòd si quãdoque quædam opera de genere bonorum actitare videntur, sola quadam arida consuetudine ducti perficiunt. Et hi sunt inhabiles ad recipiendum Dei gratiam. Et quanquam receperint ad horam contriti, eam tamen retinere non possunt, eò quòd *ad tempus credũt, & in tempore tentationis recedunt*

Genera peccantium quinque.

Lucæ 8.

Secundum genus est illorum, qui teste conscientia lapsi sunt in mortalia, & nihilominus opera de genere bonorũ perficiunt. Deum timentes, bonos diligentes, eorum precibus iuuari cupientes, in eorũ suffragijs spem suam constituentes, ieiunantes, vigilantes, orantes, eleemosynas facientes. Sed quamdiu auersio & vitiorum delectatio, dilectionem, & conuersionem ad Deum conculcant, & illi præponderant, tamdiu semper dei gratia sunt indigni.

Tertium genus est hæreticorum & perfidorum aliquatenus in fide ab-

de aberrantium, qui quæcunque bona fecerint, vel quemcunque modum religionis assumpserint, *sine fide Deo placere* non poterunt: quia fides omnis sanctitatis, & omnium virtutum solidissimum est fundamentum.

Quartum genus est hypocritarum, qui bona quidem opera faciunt, non propter honorem Dei, vel propriam salutem; sed propter nomen sanctitatis, aut cupiditatem vanæ laudis, aut propter res transitorias consequendas: & intrinsecus falsi sunt, & à Deo auersi, licèt extrinsecus boni cæteris appareant. De quibus ait Dominus: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Matt. 6.

Quintum genus est illorum, qui sine timore & verecundia perseuerantes in mortali, de Deo non curant, nec de bonis eius; sed vitam spiritualem hypocrisim reputant, & quicquid eis de DEO vel virtutibus dicitur, inuitè audiunt, aut potius irrident. Statuerunt enim in animo suo quasi non esset Deus, cælum, vel infernus: & ideo nihil scire volùt, præter id, quod præsentialiter sentiunt. Et hi peccant in Spiritũ sanctum. Veruntamen adhuc conuerti possunt licèt difficulter & rarò contingat. Ecce quinque peccantium genera distinximus, qui quidem omnes ad vnionem à DEO vocantur: sed quamdiu peccator se paratum exhibet in obsequium vitiorum, surdus & cæcus permanet ac inepeus degustare & sentire diuinum bonum, quòd in eo Deus operari desiderat. Quòd si diuinæ vocationi veraciter obsecundare voluerit, necessarium est vt liberè proponat peccata deserere, pœnitentiam agere, virtutibus insistere, vt vel sic Deo concors & vnanimis fiat, & eius gratiam recipiat. Ad quod vt efficacius induci mereatur, tria præcipuè conslideret. Peccator quid faciat.

Primò, sic illam infinitam liberalitatem diuinam inspiciat, quòd proprio bonitatis instinctu, omnes homines ad suam vnitatẽ sine personarum accẽptione misericorditer vocat & inuitat. Nimirum cùm *vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem* sui nominis peruenire, tam malos, quàm bonos. 1. Tim. 2.

Secundò, sic de bonitate & diuina largitate sentiat, quòd cum gratia sua profluere non cessat: in omnes eius vocationi obsecundare volentes: quia tribuit *omnibus* abundanter *& non improperat.* Iacobi 1.

Tertiò, tandem in se veraciter intelligere debet & experiri, nos posse fieri vitam vnam, vnumque spiritum cum Deo, si nobisipsis penitus renuntiantes, subsecuti fuerimus Dei gratiam in excellentissimo se-

mo secretario suo, quò nos ducere velit, obedientes dominicæ voci dicenti: Qui *mihi ministrat, me sequatur, & vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Iohan. 12. Hæc autem sequela profectus ordinato semper gressu perficitur, quia gratia Dei semper ordinatè agit in quouis homine, iuxta modulum vniuscuiusque capacitatis.

Secundò principaliter sunt quidam hanc inuitationem quasi serui mercenarij receptantes, & amplectentes. Et huiusmodi licèt exterioribus operibus Deo obsecundare videantur: contrarij tamen sunt in intētione, dilectione, sensione, & in omni interna exercitatione. Tam inordinatè namque seipsos diligunt, quòd non ob aliud, nisi ob proprium lucrum, & mercedem Deo seruire quærunt, in omnibus exercitijs sibimetipsis intendentes, eò quòd inordinatè sibimetipsis cōiuncti sunt, & ad seipsos reflexi, quia vera & filialis dilectio illis deest, quæ esset eos Deo & electis omnibus vnitura. Quare meritò serui mercenarij conuincuntur, hæreditate diuina priuandi. *Non enim manet seruus in domo in æternum.* Iohan. 8. Quia mercenarius amor non modò non meretur, sed demeretur, non constituendo Deum principalem suæ dilectionis finem. Vnde licèt ipsi mandata Dei sanctæq; matris Ecclesiæ seruare videantur, legem tamen charitatis ignorant: quia quicquid agunt, necessitate cogente, non ex charitate faciunt, ne scilicet cum reprobis damnentur in æternum. Cùm igitur intrinsecus infideles sint, in Deo perfectè confidere non possunt, sed tota eorum vita interior est formido & pauor, miseria & labor. Omnes eorum preces, labores, & opera quæcunq; facere poterunt, ad expellendum hunc timorem, nullū eis prorsus effectum auxilij præstant: quia quantò magis inordinatè se diligunt, tantò plus inferni tormenta formidant. Ex quibus liquet, quòd propria dilectio, qua homines seipsos æmulantur, timorem parit infernalem: qui timor oritur ex inclinatione naturali, qua quisque naturaliter appetit esse beatus. Vnde licèt Deo quis infidelis extiterit se tamen ex se sentit ad beatitudinem, quæ Deus est, inclinatum, quam vtique timet amittere, quia se magis quàm Deum amat, & ipsam beatitudinem abstrahendo propter seipsum zelat: quapropter infidelis esse comprobatur. Iste tamen est timor, qui dicitur *sapientiæ principium,* & lex infidelium seruorum Dei: quia cogit hominem peccata deserere, virtutes concupiscere, opera bona perficere, quæ præparant hominem intrinsecus ad gratiam Dei suscipiendam, & ad efficiendum seruum fidelem. Nam in eo momento, quo vincere potest auxi-

Serui mercenarij qui.

Amor priuatus.

Prou. 1. & 9.

Seruus quomodo quis fiat fidelis.

auxilio Dei propriam voluntatem, & sic abijcere zelum suijpsius inordinatum, quòd Deo de omni necessitate sua audeat confidere, in hoc tantum Deo complacet, quòd ei gratiam suam elargiri non differt, per quam veram sentit dilectionem, omnem expellentem ambiguitatem & timorē seruilem, ac plenariè confidere facientem quantum sit ex parte Dei, licèt ex parte subiecti semper sit timendum: & sic efficitur seruus fidelis, Deum in cunctis actibus suis incipiens intendere & diligere.

Pigritia in seruiendo Deo.

Tertiò sunt quidam hanc inuitationem fideliter suscipientes, sed segniter admodum prosequentes. Et ideo dicuntur serui desides & pigri, qui scilicet gratiam iam acceptam vilipendunt, & quasi pedibus conculcant. Quibus Apostolus ait: Hortamur vos, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. 2. Cor. 6. Nam illi gratiam Dei in vacuum recipiunt, qui secundùm illam diligenti solicitudine non operantur. Et hæc est ingratitudo maximè detestanda, operanti Domino non cooperari, qui dicit: *Sine me nihil potestis facere*. Vnde sicut generatio fieri non potest Iohan. 15. in materia generabili & corruptibili siue corporali secundùm rationes seminales, nisi beneficio luminis corporum cælestium, quæ procul elongantur à generatione & corruptione: sic anima rationalis opera viua facere non potest, nisi recipiat à sole Christo beneficium gratuiti luminis gratiæ, & nisi sequatur ipsius lunæ, id est, Mariæ patrocinium, & imitetur aliquorum exempla Sanctorum, ex quorum concursu congregetur in eo viuum opus & perfectum. Et sicut natura corporalis animæ non potest vniri, nisi mediante humore, spiritu, & calore, quæ tria carnem disponunt, vt ab anima vitam recipiat: sic Deus non præstat animæ vitam, nec vnitur eidem, nisi sit humida, per gemitum compunctionis & pietatis: nisi sit spiritualis, per contemptū omnis terrenitatis, & nisi sit calida, per desiderium patriæ cælestis. Alioqui *melius* esset illi *non* agnoscere *viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti, ab eo quod illi traditum est sancto mandato*. Contingit *enim* ipsi *illud veri prouerbij*: *Canis reuersus ad vomitum: & Sus lotæ in volutabro luti*. Cui bene Dominus ait in Apocalypsi: *Vtinam calidus esses aut frigidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo*. Et tales numerantur in statu deficientium. Ad cuius euidentiam est sciendum, quòd tria sibi inuicem succedunt, quæ maximè à profectu retrahunt. Primum, est negligentia mater tepiditatis, & origo totius deficientiæ, quæ triplici funiculo texitur. Est enim negligentia cordis

Vitā animæ tria causantia quæ.

2. Pet. 2.

Prouer. 26.

Apoc. 3.

Negligentia proficiendi triplex.

Cordis. Ierem. 4. Proverb 4 Temporis. custodiendi, dum vagari permittitur circa superflua, inutilia, & nociua. Vnde Dominus: *Vsquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Ideo Sapiens consulit: *Omni custodia serua cor tuum*, quoniam *ex ipso vita procedit*. Est secundò negligentia temporis expendendi, cùm, scilicet subtracta gratia deuotionis, tædiũ incurrit omnis exercitij virtuosi. Hinc malè cauti spiritualis amoris iura non agnoscentes, cùm sine delectationibus esse nolunt, protinus ad sensualia defluunt, otiosè circumcursitantes, & in fabulis tempus dilapidantes. Tales proficere non possunt, sed deficere coguntur: quoniam diligens custodia sui, & amor solicitudinis atque silentij, totius profectus initium sortiuntur & finem.

Finis. Est tertiò negligentia finis intendendi, quia propriam industriã non applicant efficaciter ad pœnitendum & deflendum peccata commissa, ad abijcienda tentamenta diabolica, & ad consurgendum semper ad perfectiora exercitia. Ex qua negligentia secundum egreditur, scilicet concupiscentia, quia in desiderio est omnis otiosus & remissus, quæ similiter triplici funiculo contexitur. Est enim concupiscentia

Cõcupiscẽtia triplex Voluptatis. voluptatis, quæ fouetur in appetitu dulcium cibariorum, molliũ indumentorum, & lasciuorum oblectamentorum: quorum primum motum pro posse subterfugere debet, quia lubrica sunt, & maximè maculantia. Est secunda concupiscentia vanitatis in appetitu fauoris, laudis, honoris, & familiaritatis, quæ hominem euiscerant, & vanum efficiunt: quia omnia opera faciunt, vt hominibus pareant. Est

Vanitatis. Curiositatis. tertia concupiscentia curiositatis, cùm inordinatè quis appetit scire occulta, quæ mentem inquietant; videre pulchra, quæ sensus alliciunt, & mentem excæcant; habere chara, quæ affectum inficiunt, & amorẽ Dei infrigidant, & sic hominem semper ad deteriora detrahunt. Nam ex hac concupiscentia, quæ sic conscientiam amaricat & conturbat,

Nequitiæ effectus. egredietur tertium, scilicet nequitia, quæ sentina omniũ vitiorum est, quia primò torporem inducit acediæ, quo sibijpsi grauis & aliis intolerabilis efficitur in cõuersatione, incorrigibilis in admonitione, profluens in amaricationes iræ, inuidiæ, & rancoris, & infinitas fouet suspiciones, detractiones, temeraria & peruersa iudicia, & similia cunctaque toruo lustrat oculo, vnde lætatur tandem vel aliquos suæ malitiæ complices inuenire, cooperatores diabolo, & cohæredes æterni supplicij: quòd à nobis auertat CHRISTVS IESVS sapientia Patris.

Vti cer-

Vti certamina difficultatesque variæ Deo seruire inchoantibus obueniunt, & quonam pacto quisque Dei seruus Domino Deo suo fidelis consistere debeat. Cap. II.

INterrogatus Dominus, *si pauci sunt qui saluantur*, respõdit: *Contendite intrare per angustam portam, quia, dico vobis, multi quærent intrare, & non poterunt:* & hoc propter eorum desidiam, vt patet in tribus generibus seruorum infidelium, de quibus iam dictum est. Nimirum cùm intrare volentibus indicitur labor continuus, & conflictus quotidianus, qui sine magna animi industria & diligentia suppeditari non potest, vt verificetur illud Iob: *Militia est vita hominis super terram.* In cuius figura diuturna fuerat *concertatio inter domum Dauid & Saul*, quia spiritus & caro sibi inuicem aduersantur. Et hinc spiritui nostro quotidianæ decertationes incumbunt, & prælia, *à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. Parauerunt*, inquit, *sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.* Insuper *narrauerunt, vt absconderent laqueos, dixerunt: Quis videbit eos?* Denique tempestas ingruit à quatuor ventis cæli qui sunt, Spes, timor, gaudium, & mœror. *Ignis* etiam & *grando nix, glacies, spiritus procellarum*, & omnia simul cõtra miserum coniurasse videntur. Quòd si liceat aliquando vel modicũ in lucem respirare miserationum Domini, ac in animi trãquillitatem dulcedinemque tenuissimæ deuotionis, ne penitus in via deficiat, vel in laboribus succumbat: fateor vobis, quia felix hora, sed breuis mora. Rursũmque patent insidiæ, premunt angustiæ, foris pugnæ, intus timores. Tu ergo serue Dei, qui fidelis inueniri desideras, insurge, & toto conamine in prophetas Baal aciem instrue, & audacter interfice, ne interficiaris à Domino. Consecra *manus* tuas, vt benedictionem consequi merearis æterni Sacerdotis. Vnde contra tres hostes prædictos, acies belli spiritualis præcipuè dirigi debet, scilicet contra negligentiam, concupiscentiam, & nequitiam. Nam strenuitas, quæ est quidam animi vigor, excutiens omnem negligentiam, & disponẽs ad faciendum opera virtuosa vigilanter & eleganter, contra primum hostem emittenda est. Seueritas autem, quæ est quidam vigor mentis, omnẽ restringens concupiscentiam, atque ad austeritatis habilitans amorem, secundum hostem debellare consuescat. Benignitas denique, quæ est quidam animi dulcor, omnem excludens amaritudinem

Lucæ 13.
Iob 7.
1. Reg. 18. 19. 20. 21.
2. Reg. 3.
Psal. 90.
Psal. 10.
Psal. 63.
Psal. 148.
4. Reg. 10.
Exod. 32.
Strenuitas.
Seueritas.
Benignitas.

& nequitiam, & habilitans ad beneuolentiam, tolerantiam, & inde eam lætitiam, hostem tertium potenti virtute deuincat, vt sic velut verus amicus Dei *superius* ascendat. Quartò sunt quidam hanc inuitationem recipientes, quasi serui fideles in gaudium Domini sui constituendi. Qui præeligunt in omnibus diuinis obedire mandatis & Ecclesiasticis institutis, seipsos exercitantes in bonis moribus & virtutibus, ac exercitijs actiuæ vitæ, *non quæ sua sunt* quærentes, sed *quæ Iesu Christi*. Veruntamen, quia in operibus actiuæ vitæ perfectionem vniuersam constituunt, ideo necdum eos ad interiora Dominus introducit, sed eos foris relinquit exterioribus implicandos, vt sibi suæque familiæ iugiter in omni obsequio exteriorum exercitiorum sint fideles. Quia gratiam suam & opem Deus elargitur, secundùm vnius cuiusque fidelis aptitudinem & operam, vel in exterioribus virtutum operibus, vel in interioribus dilectionis exercitijs. Vnde nemo potest interna visitare exercitia vel sentire, nisi prius Deo sit totus & totaliter applicatus: Quamdiu namque corde diuisus & distractus fuerit, tamdiu effusus & instabilis animo permanebit, & à passionibus naturalibus, quæ adhuc in eo viuunt, facilè commouebitur. Et quamuis viuendo Dei mandata teneat; minimè tamen intrinsecus illuminatur, nec quid sit internum exercitium, vel quomodo fieri debeat, eruditur: contentus in eo, quòd scit & sentit se Deum intendere, ac eius placitissimam voluntatem in omnibus velle perficere. Nam quia se sentit in intentione non fictum, & in diuino seruitio fidelem, in his sibi complacet, & videntur ei exteriora opera virtuosa, facta cum intentione recta, esse sanctiora & vtiliora, qualibet exercitatione interna, quia vitæ modum extroeuntem auxilio diuino præelegit: & ideo magis frequentat exteriora opera cum discretione, quàm Deum, propter quem operatur, cum intima dilectione. Et hæc est causa potissima, cur in eius corde magis depicta sunt & versantur opera, quæ perficit; quàm ipse Deus, propter quem agit. Hinc nimirum actiuus remanet, & exterioribus deditus, nec est aptus satisfacere consilijs dominicis, eò quòd eius exercitium est potius externum quàm internum, sensuale quàm spirituale. Sicque adhuc tanquam seruus à diuina familiaritate remanet alienus, quia *nescit quid faciat Dominus eius* in interiori operatione animæ, quod vtique præsentiunt amici Dei, quibus ait in Euangel. *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia* quæ *audiui à Patre meo, nota fe-*

Serui fideles foris stantes.

Philip. 2.

Diuisio cordis.

Hi non ita dicuntur serui, vt etiam non sint amici; sed in cõparatione aliorũ.

Ioan. 15.

za feci vobis. Et ideo multi rudes ad exteriora conuersi, de spiritualibus inexperti, semper interno. arguunt & iudicant, veluti otio vacantes: sicut Martha de Maria conquerebatur, quòd in obsequio tam sancto, tam pio non se *ministrare* iuuaret. Videbatur enim ei quòd obse- Luc. 10.
quio grandi & magnæ vtilitati deseruiret, & soror sua Maria velut inutili otio superfluè vacaret. Sed Dominus super vtranque diffinitiuam protulit sententiam, & arguit Martham, non de suo ministerio, quod vtique bonum erat, sed de nimia solicitudine, qua distenta atque distracta turbabatur: deinde laudauit Mariam de interna sua exercitatione, dicens: *Porrò vnum est necessarium:* & ideo *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Hoc autem vnum est vnitiuus amor diuinus, cui iugiter inhærere est sapientia consummata. O vnum, cui nec aliquid comparari ne dicam adæquari valet in creatis. *Maria* planè *optimam partem elegit,* cùm amatoriam in Deum adhęsionem suis exercitijs frequentauit. Quam partem veri amici Dei, veluti diuinorum secretorum conscij, sibi nunc etiam eligunt. Sed alteram partem & bonam elegit Martha, scilicet actiuam & exteriorem vitam, licèt non adeò perfectam: quam adhuc eligunt serui fideles ob amorem Dei sui, vt & ipsi audiant in die iustæ necessitatis: *Euge serue* Matth. 25.
bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Qui verò perfectus in vtroque fuerit, hic beatus in facto suo erit. Quintò verò sunt quidam hanc inuitationem recipientes, vt amici Dei secreti, qui, scilicet, iugiter ante Dei conspectum cum interna exercitatione sunt erecti, licèt hanc internitatem cum proprietate quadam possideant, eò quòd eligunt ipsam amatoriam adhæsionem pro excellentissimo, ad quod peruenire queunt aut volunt: & ideo nequaquam valent se vel opera sua pertransire in quandam otiosam nuditatem: sed sui, operumque suorum imaginibus intrinsecus obuelati sunt & depicti. Quamuis autem in amatoria sua adhæsione cum Deo sentiant vnionem, in ea tamen vnione experiuntur inter se & Deum differentiam & alteritatem: quia simplex excessus in nuditatem & modipriuium ab eis incognitus est & indilectus. Et ideo sublimissima eorum vita adhuc in ratione & modo permanet. Vnde licèt intellectum lympidum habeant, & omnium rationabilium virtutum discretionem, ipsa tamen simplex speculatio patenti memoria in claritate diuina permanet eis penitus incognita & occulta. Quamuis, inquam, ad Deum erectos se sentiant in vehementi dilectionis ardore,

Vnum, cui vnicè inhęrèdū, quod.

Fidelitas secretarij imperfecti.

proprietatem tamen sui retinent, nec ad nihilum in amoris vnitatem consumuntur aut comburuntur. Præterea, licèt in Dei seruitio semper eligunt viuere, & æternaliter illi complacere, non tamen in Deo mori cupiunt omni proprietati spiritus, & vniformem cum Deo gerere vitam. Denique, quamuis omne solatium, & omnem requiem deforis accidentalẽ paruipendant, Dei tamẽ dona & opera sua intrinseca magna reputant: consolationẽ & dulcedinem, quam intrinsecus sentiunt, nimis diligũt, & sic in itinere requiescunt, nec propter prægustandum summam felicitatem in amore nudo, modo carente, plenè moriuntur. Et ideo licèt exercere possent, & cum discretione cognoscere omnem amatoriam adhæsionem, ac singulos internos ascendentes aditus, quos in conspectu Dei possibile est exerceri, remanet tamen eis ignotus excessus ipse modo carens, ac illud opulentum deuium in amorem supereminentem, vbi nunquam reperiri poterit principium, vel finis; ordo, vel modus. Nihil enim aliud amici secreti sentiunt, quàm amatorium viuidum ascensum in modo: sed quomodo super omne exercitium per amorem nudum Deus in otiositate possidetur, minimè sentiunt, sed semper ascendentes sunt ad Deum in fide vera, expectãtes æternam beatitudinem spe recta, anchorati in Deo charitate perfecta. Certificati tamen nõ sunt de vita æterna, quia nõdum in Deo sibijpsis & omni proprietati mortui sunt. Quòd si in cunctis operibus omni proprietati renuntiarent, vniuersa spiritu nudo puroque transirent: in qua puritate sine medio agerentur à spiritu diuino, certitudinem quandam capientes, quòd essent filij Dei: quia qui *spiritu Dei aguntur, filij Dei sunt*.

Amici secreti Dei.

Certificatio ista est intra limites coniecturæ, vehementis tamen: Ideo certificationis nomine & hîc & infra pluries vtitur auctor.

Sextò, sunt quidam hanc inuitationem complectentes sicut filij Dei occulti: quos vtique necessarium est, non solùm virtutibus viuere & vigilare, sed etiam super omnes virtutes in Deo mori & consopiri, vt felicius in eo renascantur. Pro quo sciendum est, quòd licèt homines cùm nascuntur ex Spiritu sancto tunc gratiæ filij sunt, & eorum vita virtutibus decoratur, ac vniuersa Deo contraria vincunt, secundùm illud Ioan. *Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum*: hi tamen hic serui dicuntur, quia necdum in Deo stabilitos se sentiunt, nec de vita æterna certificatos. Sed cùm nosipsos excedimus, & in ascensu nostro ad Deum tam simplices efficimur, quòd amor purus & nudus apprehendere nos quiuerit in ipsa sublimitate sua, vbi semetipsum exercet super omne exercitium virtutum in nostra scilicet ori-

Rom. 8. Filij Dei occulti. 1. Ioan 5.

cet origine, vbi spiritualiter nascimur, ibi transformamur, & in Deo nobis vniuersæque proprietati morimur, ac filij Dei occulti efficimur, nouam vitam in nobis reperientes, iuxta illud Apostoli: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Quod vt experiri mereamur in accessu nostro ad Deum, gestare debemus nosipsos, & ante nos opera nostra, velut æternam oblationem Dei, in cuius præsentia cuncta deferemus, & in amore moriendo, omne creatum excedemus, vsq; in supersubstantiales Dei diuitias, & ibi Deum in sempiterna nostri mortificatione possidebimus. O *beati mortui, qui sic in Domino moriuntur,* quia permanent feliciter mortui, & à seipsis in fruibilem Dei vnitatem dimersi, semper in amore de nouo morientes per intractiuam superinformationem vnitatis eiusdem. Vnde in accessu nostro cum virtutibus ad Deum, manet Deus in nobis, & ex Deo nascimur; sed in ipsa transitione nostri ac rerum omnium, nos in eo manemus, & morimur Vbi autem in amore cuncta transimus, omni consideratione morientes in quandam inscientiam & caliginositatem, ibi agimur & superinformamur ipso æterno Verbo, quod est imago Patris: ac in otiositate spiritus nostri claritatem incomprehensibilem accipimus, quæ nos circumplectens, perfluit velut aër vel stella solari claritate perfunditur. Quæ claritas est intuitio quædam & speculatio termini nescia. Deniq; quod sumus, aspicimus: & quod aspicimus, idipsum sumus, versantes in lumine deiformi: quia vita, mens, & esse nostrum simpliciter eleuatũ est, & vnitum veritati, quæ est Deus. Cui contemplationi semper adhæret exercitium modi nescium, id est, vita tendens in nihilũ. Quia cùm simplex radius diuinę claritatis, in qua fundati sumus, illuxerit, continuò nos à nobisipsis in ipsam supereſſentiam & amoris absorptionem attrahit. Cui absorptioni iuge exercitium amoris modo carens adhærendo subsequitur: eò quòd amor otiosus esse non potest, sed scita & gustu scrutari nititur inscrutabiles diuitias in suo fundo viuentes. Et sic inhiare iugiter incomprehensibili, quid aliud est, quàm obnatare fluuio decurrenti? cùm deseri non potest, nec apprehendi. Eo carere est intolerabile, consequi impossibile Nec potest ad plenum fari, nec silentio penitus occultari. Nam nosipsos inspicientes, sentimus spiritum Dei nos impellentem in hoc insatiabile desiderium: sed supra nos suspicientes, percipimus Dei spiritum trahentem, & ad nihilum redigentem in ipso supereſſentiali amore, cui vniti sumus, &

Mortui quæstioni propriæ.

Apocal. 14.

quem rebus omnibus profundius possidemus. Hæc autem possessio est simplex quidam infinitæ profunditatis sapor omnis boni, in quo absorpti sumus in ipsam profundissimam diuinitatis tranquillitatem. Cuius rei veritatem sola docet experientia, ita quòd nec ratio, nec exercitatio illud scrutari possunt, vel apprehendere. Et ideo subsequens exercitatio nostra manet erratica & modi nescia, quia bonum illud infinitum, quod gustamus, comprehendere non possumus, vel exercitio nostro attingere. Hinc in nobis pauperes sumus, & famelici, & sitibundi; in Deo verò diuites, saturi & ebrij. In nobis operosi, in Deo ab omnibus otiosi, sicque semper manebimus, quia sine amoris exercitio Deum nunquam possidere vel retinere valemus.

Quænam impediant quemque, ne perfectionis gradum attingat. Cap. III.

Matth. 11. Luc. 13. SI *regnum cælorum vim patitur, & soli violenti rapiunt illud*, non immeritò admonuit nos Dominus interrogatus, *si pauci sunt qui saluantur*, dicens: *Contendite intrare per angustam portam, quia, dico vobis, multi quærent intrare, & non poterunt*: nimirum eò quòd minimè cum omni diligentia quærunt: quibus licèt adest velle naturæ, sed tamen velle gratiæ non ita, quod solum velle vitia excludere nouit.

Rom. 7. Ioan. 15. Iob 26. In quorum persona dicit Apostolus: *Velle* quidem *adiacet mihi, perficere autem non inuenio.* Hinc Christus suis prædixerat: *Sine me nihil potestis facere*, id est, sine spiritu meo: quia teste Iob: *Spiritus eius ornauit cælos, & obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus*, id est, peccatum. Sed væ desidiæ temporis huius, cui potissimè conuenit illud Actuum Apostolorum: *Vos incircuncisi corde & auribus semper Spiritui sancto restitistis*, ne scilicet peccatum eliminare valeat, quantò minus in omnem vitæ perfectionem deducere? Sicut enim in *Lege* veteri spiritus Domini semper ductor fuerat filiorum

Actor. 6. Exod. 13. Deut. 1. & 8. Israel ex Ægypto migrantium in terram promissionis; sic etiam in profectu spirituali, nunc ductor existit vniuersæ Christianitatis. Sed sicut redundantia profluæ largitatis illius, à fragilitate naturæ, digeri vel regi non potest, in his, qui plenissima voluntate tractui illius fideliter adhærent (sicut dicit Ecclesiastes, *non est in hominis ditione prohibere spiritum*:) sic etiam effectum illius impediunt, qui voluntati eius libero arbitrio, liberaliter non obsequuntur, aut segniter

Eccle. 8.

niter famulantur. Et ideo tam multi, licèt à Deo misericorditer vocentur, & à dulcedine spiritus eius ad omnem perfectionem suauiter inuitentur, miserè desipiunt in infimis prostrati, retro respicientes, & circa minima languentes.

Impedimenta proficiendi septem.

Ad cuius euidentiam sciendum, quòd præcipuè septem reperiuntur quæ profectum debitum tam multorum impediunt, ne spiritus septiformis in eis plenum & liberum effectum sortiatur, & ad infra scriptam perfectionem anima tam efficaciter inuitata perducatur. Primum igitur vitæ perfectionem impediens est nimia sensualitas, licèt tantùm in affectu venialium ipsa consistat. Hæc enim omnia naturæ commoda & solatia quæritat effectu, si potest; vel saltem affectu, si aliter non potest, in cibis & potibus delicatis, lectulis mollibus, vestibus curiosis, colloquijs fabulosis, conuiuijs gaudiosis, & similibus oblectationibus & naturæ sensuali commodis, vt in capite præcedenti de concupiscentia dictum est. Quæ profectò spiritualia exercitia difficilia reddunt & insipida: quia carnalis *homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: nec inuenitur in* terris *suauiter viuentium*, sed potius *muscæ morientes*, id est, sensuales oblectationes, *perdunt suauitatem vnguenti*, id est, spiritualis exercitij. Nec mirum, cùm etiam mens ipsa vel corporali molestia, vel etiam aliqua de causa spirituali præpedita, si non in amoris motibus vnitiuis in die semel ad diuinum osculum aspirando toto desiderio se extenderit, vix erit quin in seipsa tepida reddatur, & de perfectione mentalis contemplationis aliquid amittat: Quia stat sponsus *ad ostium, &* pulsat sine intermissione, dicens: *Surge, propera amica mea, & veni.* Si ergo in expectatione nimia dilectum attædiat, quid mirũ, si velut offensus ad tempus se subtrahat? Et licèt tam intenso habitu sicut prius eum diligat, suæ tamen desidiæ pœnam sustinens, cum dolore prosequitur, dicens: *Quæsiui per noctes, quem diligit anima mea.* Et bene *per noctes* quærere se dicit, quia hac de causa mens in suis sursum actionibus impeditur, vt in quem primò lucidè & expeditè sine tenebris mouebatur, nunc inuolutam caligine quadam se sentit, ita quòd affectus à cogitatione phantastica in illo, in quem mouetur, separari vix valeat. Vnde prosequitur: *Quæsiui, & non inueni illum*, in tanta scilicet agilitate affectionum ardentium, vt solebam. Quantò magis cùm per inordinationes virium interiorum, aut ineptas delectationes sensuum alibi requiem quærit, à fonte bonitatis mens obliquatur, & obliquata dispergitur: & ani-

Sensualitas contra timorem.

1. Cor. 2. Iob 28. Eccle. 10.

Apoc. 3. Cant. 2.

Cant. 3.

ma per venialia semper aliquantulum offuscatur, & à desiderio, quærens alibi delectari, infrigidatur. Quòd si tales aliquando videntur habere spiritum deuotionis, fictus tamen est & deceptorius, aut potius affectus naturalis, quo quidam facilè se applicant ad quodlibet diligibile. Denique, si spiritus Dei largitate profluat tales visitare dignatur, sciant huiusmodi se recepisse mercedem in præsenti. Nec enim talibus visitationibus vti salubriter norunt, in omnibus proprium commodum & oblectationem quærentes. Et hi quidem contrarij sunt dono Spiritus timoris Domini. Non, inquam, illi timori, qui pœnam refugit; sed illi, qui refugit culpam & paternam indignationem. Primus namque licèt aliquando manum cohibet, non tamen affectum. Et ideo, vt dicit Ecclesiastes, *Non satis*, id est, non multum, *recordabitur dierum vitæ suæ*, cùm *Deus* occupauerit *cor eius deliciis*. Quorum infinitus est numerus, qui scilicet ad perfectionem aspirare videntur, sed sine labore & mortificatione.

Eccle. 5.

Præsumptuositas cõtra pietatem.

Secundum est nimia præsumptuositas in his, qui iam curam carnis & oblectationes abiecisse videntur, in exercitijs virtuosis sedulj, in castigationibus corporalibus austeri. Sed ex hoc efficiuntur vanè glorioſi, ita quòd in conscientia propria reperiuntur elati, & in alienis conscientijs dijudicandis proni, dicentes cum Pharisæo: *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, adulteri, & velut hic publicanus.* Et exinde (vt in pluribus) redduntur passionibus rancoris dediti, indignabundi, suspicioſi, temerario iudicio pleni: quæ cuncta sunt indicia cauteriatæ, perturbatæ, amaricatæ, & elatæ conscientiæ. Et, vt dicit Chrysostomus, Nec facilè reperies quenquam, nec patremfamiliâs, nec claustralem, expertem huius erroris. Sunt enim hæ diabolicæ tentationis insidiæ. Nam qui seuerè peccata discutit aliena, nunquam propriorum reatuum veniam merebitur. Hæc ille. Vnde meritò dicit Gregorius, quòd vera iustitia compassionem habet, falsa dedignationem. Et sic contrariatur dono secundo Spiritus sancti, quod dicitur pietas. Quia falsa iustitia tumorem prouocat, indignationem excitat, & sua malitia possessorem efficit peiorem, vana complacentia plenum, humanæ gloriæ cupidum, & in omni conuersatione proprij sensus & capitis, vaneque sciolum. Pietas autem non docet temeraria fouere iudicia, & aliorum vitæ detrectare; sed piè compati in omni angustia, tam spirituali quàm corporali, vt plenius videbatur infra.

Luc. 18. Temerarium iudiciũ cõtra pietatem.

Ter-

Tertium verò est nimia scrupulositas in his, qui duo prædicta impedimenta conati sunt suppeditare. Quorum conscientiam nec frequens confessio, nec dolorosa contritio, nec rigorosa satisfactio pacificare potest: sed quotidie remanent quasi *vulnerati dormientes in sepulchris*, semper trepidi, nunquam securi. Nam ipsa scrupulositas ducit ad continuam cordis inquietudinem, quandamque melancholicam passionem, humanam naturam squalore corrodentem & tabescere facientem. Et hoc propter modicam in diuina bonitate confidentiam. Neque id mirum, quia licèt semper scrupulositate conscientiæ & sedulæ confessionis laborent, nunquam tamen fideliter ab his, quæ conscientia redarguit, se emendant: & hoc est signum euidens, quòd non amore iustitiæ, sed magis timore vindictæ cuncta perficiunt. Vnde scrupulositas ista quandoque deducit hominem etiam ad conscientiam erroneam, quod est periculosissimum. De qua dicit S. Thomas super librum 2. Sententiarum, distinct. 39 quòd obligat hominem ad peccatum per accidens, cùm scilicet dictat aliquid faciendum esse bonum necessariò, quòd tamen secundùm se consideratum fieri non est bonum necessarium ad salutem, sed conscientia erat: tunc ligatur voluntas ad hoc perficiendum per accidens, scilicet ratione apprehensionis, qua iudicatur bonum illud faciendum ad salutem esse necessarium. Si verò talis conscientia dictat aliquid esse faciendum, quod tamen secundùm se est malum, tunc si illud apprehensum vt bonum fiat, peccatum incurritur, quia secundùm se malum est: si verò non fiat, peccatum tamen non euitatur, quia ratione apprehensionis voluntas ad illud perficiendum obligatur, virtute diuini præcepti, quo putat illud esse necessariò faciendum. Nam plus obligat dictamen conscientiæ, ratione diuini præcepti, quàm mandatum prælati. Denique scrupulositas ista ex duobus originem suam sumit. Primò, ex inordinato sui ipsius amore, qui timorem inordinatum incutit. Secundò, ex remisso & exiguo diuino amore, quia amor Dei confidentiam ingerit: à quo qui deficit ac desipit, pusillanimitatem incurrit. Et hi duo tertio Spiritus sancti, scilicet scientiæ, contrarij sunt, ex quo nobis profluit vera discretio, quæ potissimum est ornamentum humanæ vitæ saltem exterioris, tam in agendis, quàm in credendis, & qualiter vnumquodque ponderari debeat.

Scrupulositas contra scientiam.

Psalm. 87.

Conscientia errans.

Scrupulositatem fieri bifariam.

Quantum est affectus inordinatus humani fauoris, laudis, complacentiæ, vel amoris: propter quæ conquirenda, conseruanda, vel recu-

Gloriæ vanæ affectus contra fortitudinem.

peranda, quidam plus quàm oportet soliciti sunt, vel ea faciendo, vel in his condescendendo, quæ minus expediunt, aut saltem à via perfectionis retrahunt: vel ea rursus prosequendo, quæ conscientiæ puritatem inficiunt, eò quòd despici, derideri, non reputari, non diligi, vel ab aliorum familiaritate abijci refugiunt. Nec imitantur illud Galat. 6. Apostolicum: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Et iterum: Gal. 1. *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Et rectè quidem, quia Psalm. 52. *qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Quòd si aliqui mueniuntur qui placere non cupiunt, pauci tamen admodum sunt, qui despici desiderant. Vnde multi propter humanam amicitiam conseruandam, veri profectus infinitam patiuntur iacturam. Qui profectò quarto dono Spiritus sancti, scilicet fortitudinis, contrarij sunt, quo quis omnia extrinseca conculcare & supergredi festinat, vt patebit infra.

Immortificatio cõtra consilium.

Quintum est immortificatio suijpsius, cùm scilicet omnia prædicta quis suppeditauerit, exterioraque cuncta reliquerit, sed nondum semetipsum abnegat in omnibus, studens propriæ mortificationi, & diuinæ voluntatis omnimodæ subiectioni. Vnde Dominus: Ioan. 12. *Nisi*, inquit, *granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet:* quia nondum aptificatum est ad recipiendum diuinam inactionem. Sed qui Luc. 9. *vult venire post me*, ait Dominus, *abneget semetipsum*, omnia quæ sunt contraria naturæ viuaciter complectendo, & eius appetitum secundùm moderamen veræ discretionis in omnibus frangendo: *& tollat Crucem suam*, tam spiritus, quàm carnis mortificationem exercitando, & aduersa singula, pro nomine Iesu gaudenter amplectendo: *& sequatur me*, sine cordis retractione, per quascunque viarum semitas se trahi sustinendo, vt sic verè dicat cum Psalmista: Psalm. 56. & 107. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*, scilicet tam in desolatione, quàm in consolatione; tam in gratiæ subtractione, quàm Philip. 4. in interna deuotione vel sensione, superabundare *& penuriam pati.* Alioqui quamdiu ad hoc ipsum se paratum non inuenerit, alicui Dei dono vel aliquantulum inniti comprobatur, & esse contrarius dono quinto Spiritus sancti, scilicet diuini consilij, iudicatur; quo, scilicet, quis omnem propriam voluntatem amoris valetudine superat, & Matth. 26. dulciflua reuerentia iugiter ad Deum loquitur, dicens: Non mea Domine, sed tua voluntas fiat in omnibus: sicque fideli & humili amatori diuina voluntas sit summum gaudium, & delectatio maxima secun-

cundùm spiritus sensionem. Et sic in nobis natura summè supprimitur, & Deus summè exaltatur, & ad suscipiendum omnia Dei dona spiritus amans aptus efficitur, ac prouectius plerunque sublimatur, tam in humili patientia aduersorum, quàm in affluentia delectabili operum magnorum, æquali vtrobique charitate vigente.

Occupatio cordis in licitis nimia contra intellectum.

Sextum est in rebus etiam licitis distractiua cordis occupatio, quæ sua consuetudine quandam superinducit animi distemperantiam, & euagationem, etiam tempore quietis vel orationis ineuitabilem. Et ideo licèt approbetur in Scriptura labor fructuosus, reprobatur tamen nimia solicitudo cordis, eò quòd non sinit inferiores animæ vires ad cordis tranquillitatem & vnitatem peruenire: quantò minus à peregrinis impressionibus vires animæ superiores sustinet denudari, vt ipsam mentis serenitatem valeat attingere? Hinc scriptum est, quòd *nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.* Et: *Qui minoratur actu, percipiet* illam, scilicet *sapientiam*. Vnde dicit Ecclesiastes: *Vidi afflictionem quam dedit Deus filijs hominum, vt distendantur in ea*, scilicet per solicitudinem. *Cuncta fecit* Deus *bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum*. Sicque sensus humanus infinitis se immiscet quæstionibus & inuestigationibus, quæ sunt ad inuestigandum vtiliora relinquens. Agitque contraria dono Spiritus sancti sexto, ipsius scilicet intellectus, de quo videbitur infra.

2. Tim. 2.
Eccli. 38.
Eccle. 3.

Curiositas intellectus contra sapientiam.

Septimum denique est, pura intellectualis exercitatio, quę virtutem amatiuam veluti dominam suam prætiam non habet. Tunc enim (vt in pluribus) intellectus noster exercitatus, ipsam curiositatis & nouitatis aut vanitatis oblectationem comitem habet. Nec huiusmodi exercitatio veram redolet diuinam allectionem aut aspirationem ad diuini complexus vnionem, sed potius semper quandam experitur à Deo separabilitatem & alterietatem, eò quòd flammigeras aspirationes hanc felicissimam vnionem præcurrentes penitus ignorat. Vnde conqueritur Ecclesiastes, dicens: *Solummodò hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus.* Et ideo quantò tales plus proficiunt in contemplatione, tanto plus deficiunt in capitis euacuatione. Nam tria sunt, quæ præcipuè deducunt hominem ad amentiam. Primùm, est nimia scrupulositas in sua vel aliena conscientia, reuoluendo, dijudicando, suspicando, malè interpretando, protinus indignando: de quibus iam dictum est. Secundum, est indiscreta corporalis austeritas, præsertim in nimia sub-

Eccle. 7.

Amentiam inducentia.

tractione somni vel cibi. Quare dicit Apostolus: *Rationabile obsequium vestrum.* Tertium, est ipsius intellectus nimia curiositas inuestigando & ratiocinando: Quia *qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Si igitur occupatione salubri vim suam intellectiuam exercitare voluerit, faciat ipsam velut pedissequam vim amatiuã subsequi, vt nihil in sua contemplatione requirat, nisi quod inflammationem mentis ac vnionem spiritus redoleat & excitet. Alioqui cõtraria erit dono septimo Spiritus sancti, scilicet dono sapiẽtiæ, quæ sicut intellectus ad agnitionem, sic ipsa sapientia ad degustationem aspirat: nõ vtique quamcumque degustationẽ, sed ipsius charitatis, quæ palatum est ipsius spiritus, vt postea videbitur.

Rom.12.
Prou.25.

De præparatione actiuæ vitæ, & moralis. Cap. IIII.

INcreata Sapientia licèt super vniuersa creata radios suos, veluti quædam indicia sapientiæ suæ, diffuderit, ampliori tamen priuilegio propriam imaginem animabus humanis eleganter impressit, secundùm muneris sui largitatem. Sed *homo cùm in honore esset, non intellexit*, quinimò & sapientiæ lux infusa diuinitus, per peccati tenebras & caligines occupationum temporalium obtenebrata fuerat, eò quòd *excæcauit illos malitia eorum.* Vnde ad præparationem debitam actiuæ vitæ, visio spiritualis est nobis necessaria, ne cæcitate mulctemur æterna. Ad cuius visionis excitantiam, sicut ad corporalem, tria præcipuè requiruntur. Primum, est lumen medium visionis, aërem scilicet illuminans: per quod intelligitur infusio luminis gratiæ gratis datæ vel præcurrentis. Et hæc omnibus communiter datur, vt sic omnibus excusationis velamen auferatur. Vnde, sicut Pater cælestis *solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos:* sic in omnes gratiam gratis datã diffundere non cessat, licèt in omnibus æqualiter non operetur. Quidam enim, vt arbores malæ, fructus agrestes afferunt, eò quòd surculos & ramulos malos, id est, vitia amputare non curant, vt bonorum fructuum surculi inserantur, & gratia gratum faciens acquiratur. Dum autem hæc gratia præueniens ad introductionem gratiæ gratum facientis efficaciter negotium suum exequitur, tunc anima prauis desiderijs resistere inducta, veluti diuino timore trepida, reatuque propriæ cõscientiæ pauida, cogitat quid agere debeat: & in ea protinus nascitur peccatorum displicẽtia, ac naturalis quædam beneuolentia. Ibique præcurrens gratia summis innixa viribus gradum sistere cogitur: attritoque corde, & omnifariè quòd in se est

Psal 48.
Sapien.2.
Matth.5.

Visioni spirituali tria necessaria.

se est faciente, nec progredi propria virtute valente, restat diuinæ bonitati negotium, vtcunque inchoatum, consummandum. Quæ scilicet præclarum illud lumen gratiæ gratum facientis, animæ sic attritæ, nullis dignis meritis præcedentibus infundit. Nam hoc lumen Deus, quem nulla attingunt merita, per semetipsum infundit, cognitiuas & affectiuas animæ vires illuminans & compungens. Et hîc est consummatio gratiæ præcedentis, & initium subsequentis. Et hoc est lumen supernaturale, quod diximus ad visionem requiri spiritualem. Secundum autem, est voluntas videtis speciem visibilem in oculis imprimi permittens, per quod intelligitur motus liberi arbitrij in Deum. Secundum, inquâ, non tempore, sed natura. Quia cùm animæ gratia infunditur, simul etiam subitò liberum arbitriũ in Deum mouetur: ex qua scilicet vnione animæ cũ Deo charitas oritur, quæ vinculum amborum est & nexus amoris. Tertium denique est oculorum puritas, vt eis materialium rerum species intentionaliter, seu spiritualiter imprimi possint. Per quod intelligitur emundatio conscientiæ, quæ fit per motum liberi arbitrij in peccatum per detestationẽ. Nam charitas, nullam patitur in conscientia peccati maculam residere, quia solùm sua existentia *multitudinem operit peccatorum*, & informem attritionem commutat in perfectam contritionem. Contritio verò mox lachrymis, & dolore conscientiam abluit, & odio peccati, beneque viuendi proposito, nuda, simplici, & non ficta confessione, vitiorum virus euomere festinat, bene recolens illud Psal. *Misericordia, & veritas præcedent faciem tuam, beatus populus qui scit iubilationẽ.* Hæc duo præcipuè fideliter exequi non fastidit, vt ad tertium tantò perfectius peruenire mereatur. Ad confidentiam ergo diuinæ misericordiæ sic peruenire debet, vt in se primò diuinũ iudicium exequatur, & quantum prius per delectationes vitiosas defluxerat, tantum nunc de eisdem peccatis doleat: & quantum auertendo se prius à Creatore suo per mortale peccatum ipsum contemnendo recesserat, tantum eidem humiliter se substernendo secundùm sui totalitatem liberaliter offerat, vt sic in nouum quendam gratiæ statum renascatur, ac illi, qui summa maiestas est, & indeficiens bonitas, per vnitiuum amoris glutinum sensim vniatur. Nam solus amor illum ad spem veram, & firmam confidentiam erigit, diuinæ misericordiæ, bonitatis, largitatis, & familiaritatis, quem nulla virtus alia, nulla quantumcunque ardua pœnitentia perfectè erigere potest. Et nihil vtique tam necessarium

Arbitrium liberum.

Conscientiæ mundatio.

1. Pet. 4.

Psal. 88.

Confidentia.

Sap. 1.

sarium ad perfectionem proficere volenti. Vnde Sapiens: *Sentite*, inquit, *de Domino, in bonitate* O spes sancta, ô fidelis confidentia, dummodò non prouocet ad incuriam vel ignauiam, sed magis aspiret ad diuinam gratiam, consurgat ad beneuolentiam, incitet ad amorem, excitet ad gratitudinem, alliciat ad perfectionem, deserat grata, arripiat ardua, sustineat aduersa. Veruntamen, ipsam veritatem iustitiæ sic exequi conuenit, quòd licèt de diuina misericordia, & peccatorũ venia firmiter speret, & confidat, in se tamen iustitiæ veritatem prosequi non omittat, seque coram omnipotentia diuina quotidie velut reum & indignum humillimè prosternẽdo, præteritam ingratitudinem dolorosè confitendo, diuinam longanimitatem exaltando. Ibiq; totis præcordijs omnem voluntatem suam transfundat in Deũ, tam in aduersis, quàm in prosperis, in omnibus se lætum & pacatũ exhibens, & ad omnes se flexibilem, mansuetum, & beneuolum ostentans.

Diseussio propria.

Incipientibus Deo viuere forma.

Cæterùm, vt incipientibus, & simplicibus formula detur, discat gerere cor flexibile ad omne bonum, & in abyssali humilitate fundatũ: pro quo quotidianis exercitijs tribunal illud diuinum adeat, & delicta præterita recolendo defleat peccata, præsertim maiora, generaliter saltem, prout potest, coram Deo, quasi colloquẽdo recitet, & enumerando suspiret, debitoque tempore nuda & pura cõfessione detegat, Deum in omnibus exaltando, se verò in omnibus deprimendo, accusando, & veniam exorando, formans ad hoc orationes debitas ac iaculatorias, suspirans, & lachrymans. Quia sicut lima operatur in ferro, ita quòd in qualibet sua cõfricatione, aut derasione, de ferri rubigine modicum quid deradit: sic nimirum quodlibet suspirium aliquid de rubigine peccatorum efficaciter demit, & eliminat: Sicque magis ac magis se purgans, ad percipienda, quæ ratio non inuestigat, & intellectus non speculatur, diuino subsidio sustollitur. Peccata tamẽ carnalia magis succinctè recolat, ne ei diabolus id regerat ad delectationem, vnde debuisset accipere medicinam. Porrò dolorem pro peccatis sic ordinet, quòd potius defleat diuinam offensam, & inhonorationẽ, quàm proprium dispendium, & perditionem. Congerat pariter diuinã largitatem & propriam ingratitudinem, diuinam diligentiam, & propriam negligentiam. Deinde diuina recolat beneficia tam ingrato ex sola liberalitate collata: In creatione, qua nos fecit ad imaginem & similitudinem suam: In incarnatione, qua se dedit in imaginem & similitudinem nostram: In conuersatione, qua laborauit ad instructionẽ nostram:

Suspiriũ p peccatis.

Deflendum quidnam in peccato.

Beneficia Dei.

nostram: In passione, qua desudauit ad redemptionē nostrā. In mansuetissima longanimitate, qua tam patienter expectat emendationem nostram, & sustinet peruersitatem, & exæcationem nostram. Et in his omnibus eius infinitam bonitatis clementiā attendens, consurgat ad verā confidentiam sine hæsitatione diuinam postulando gratiam.

Meditationū gradus.

Verùm, vt omnium meditationum discretio vtcunque habeatur, sciendum est, quòd quantò meditationes ab ipso timore per dolorē & displicentiam procedentes in purissimam & intēsissimam charitatem profecerint, tantò sunt nobis vtiliores, propria virtute efficaciores, diuina gratia vberiores, ipsi Deo gratiores, ad purgationem aptiores, & ad perfectionem viciniores. Et ideo illæ meditationes iudicātur infimę, quæ solùm timorem incutere solēt, sicut mors incerta, purgatorij pœna, districtum iudicium, & infernale supplicium, quibus occupari debent, qui nondū gloriari didicerunt, & in quibus concupiscentia mundi nondum extincta est, quibus denique minima respiratio lætitiæ occasio fit ruinæ. Et horum quidem timor plerunque seruilis est, & ad modicum vtilis, comprimens quidem manum, sed non affectū, quos liberet adhuc peccare, si liceret impunè. Disponit quidem ad gratiam, sed insufficiens est ad veniam. Ad timorem enim initialem deducit, qui principium est omnium donorum, sub esse tamen imperfecto diuinum amorem introducens. Secundus verò gradus meditationum in his consistit, quæ dolorem, pudorem, humiliationem, & auersionem inducunt, sicut recordatio peccatorum, in qua se in principio occupare debet, cum Psalmista dicente: *Lauabo per singulas noctes*, id est, iniquitates, *lectum meum*. Et cum Ezechia: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Quem tamen dolorem & lachrymarum effusionem, per intentionem rectam * ordinare debet, non tantum ponderando proprium dispendium, proprium periculum, exteriorem confusionem, temporalium amissionem, aut felicitatis suæ dilapidationem, quantum diuinam indignationem, gratiæ amissionem, & ingratitudinis maculam. Et hæc ita continuare debet in principio, quousque superradiante diuino lumine, sibi videbitur expedire. Postquam enim in propria mortificatione se senserit proficere, mundum sibi vilescere, carnem deficere, & spiritum sursum aspirare, paulatim incipiet animum suum erigere, & ad diuinam dilectionem ac vnionem dulciter & fortiter anhelare. Sicut enim videmus in ædificiis arcuatis, quòd ligna prius supponuntur, vt sic muri firmi-

Timor seruilis.

Psal. 6.

Isaiæ 38.

*Aliâs adornare.

tas superædificetur: quo perfectè ædificato ac cõsummato, ligna supposita penitus amouentur: sic & mens nostra, cum in amore primò imperfecta consistat, per diuersas meditationes ad amorem vnitiuum consurgere debet, & id aspirando potius, quàm cogitãdo, prout postea videbitur. Cùm autem per continuum exercitium in amorem vnitiuum confirmata fuerit, & vsitata, ac per multas flammigeras affectiones supra se dextera dilecti sui subleuata, tunc citius, quàm excogitari potest, sine cogitatione præuia, vel concomitante, quotiescunq; placuerit, in Deum afficietur, innumerabilibus desiderijs ad ipsum solùm possidendum aspirando. Et huius ædificij salutiferi fundamentũ in principio substernendum est, vt omnis perfectionis semita, compendiosa inueniatur. Postquam igitur aliquanto tempore vitam pristinam anxius deploranerit, in quotidianis duo præsertim attendere debet, ne scilicet ad recolenda vitia pristina nimis insistat, vel ad quotidiana reuoluenda, deploranda, confitenda nimis se deijciat, aut mentem occupet & interturbet. Nam omnis peccatorum rememoratio, quam concomitatur quædam delectatio vitiosa, vel desperatio periculosa, vel pusillanimitas, aut scrupulositas conscientiosa, protinus rescindenda est, eò quòd affectum extinguit, animum deprimit, familiaritatem alienat, mentem obnubilat, & à contẽplatione reuocat. Nam tales remanent quasi *dormientes vulnerati in sepulchris*, suis doloribus contenti latibulis: nec, quandiu sic perseuerauerint, vnquam ad lucem diuinæ contemplationis assurgere prævalent, eò quòd animum contemplantis ab omnibus otiosum & liberum esse oporteat. Confiteatur igitur, & recolat peccata sua succinctè, ita vt eorum displicentiam exerceat indirectè, per vigorosam scilicet conuersionem in diuinum amorem: in qua nimirum conuersione displicentia venialium implicitè continetur, quia ex hoc illi displicet omne quod retardat, & retrahit ab amore perfecto, multoque efficacius per amorosam in Deum conuersionem delentur, quàm per directam contritionem. Et hæc est industria felicissima, à paucis admodum frequentata. Secundò diligenter attendat, quòd in quotidianis affectum venialium funditus eradicet, quoniam hæc est emendationis semita Deo gratissima. Aliud est enim ex occasione, & infirmitate; & aliud ex affectione in venialia labi. Nam quia fragiles sumus, omnia venialia cauere non possumus, quãquam bene omnes affectiones vitiosas eradicare valemus, siue sint ineptæ lætitiæ, siue vanæ gloriæ, vel propriæ complacentiæ, & similium.

Vitia quo modo recolenda.

Psal. 87.

Peccata quatenus confitenda.

Affectus venialium peccatorũ reserandus.

similium. Sed ad incœpta redeamus. Fundamentum igitur aspirationis huius,& amorosæ consurrectionis erit memoria feruida Dominicę passionis,& hic est tertius gradus meditationum. In hac autem passione, secundùm Bernardum,cogitare debemus opus,modum, & causam. Opus,inquam,quātum ad inexpresibilem acerbitatem ad compatiendum,vt congloriemur. Modum autem, quātum ad ineffabilem benignitatem,ad imitandum,vt assimilemur. Causam denique, quātum ad intensissimam charitatem ad redamandum,vt vniamur. Et primum quidem bonum est, secundum melius, sed tertium est optimum; quia ducit ad quartum gradum meditationum,id est,ad purissimum charitatis exercitium. Sicque per viam compendij totius vitæ perfectionem celeriter quis apprehendere poterit, si saltem in his,quæ dicta sunt,se strenuè, constanter, & discretè exercitauerit, licèt, proh pudor,multis videatur difficile, & paucis sit amabile: multisque videatur impossibile,eò quòd,contemptis semitis,vias quidem duras & laboriosas ambulant,sed tortuosas, ac per hoc ad optatum finem minimè deducentes,pusillanimitatem nō auferentes, nec veram confidentiam ingerentes,sed plerunque in via deficere facientes, ita quòd posteriora illorum *fiunt peiora prioribus*. Denique, nec facilè quis adeptū se putet aliquam sanctitatis perfectionem, si fortè per amorem sensualem,& oblectationem inaernam,eidem gratia diuina frequentius arridere videatur: quia multæ sunt affectiones, quæ sunt innati appetitus ipsius naturæ,& volūtatis propriæ,aut certè proprij sensus,& nouitates curiosæ,quæ quandoq; reputātur magna sanctitatis indicia. Nam præsertim citra annum 40. multū inclinabilis est natura,& inconstans, & affectuosa, quærens sæpius in suis exercitijs commodum spiritualis saporis:& oblectationis,ipsa tamen ignorāte natura. Sicq; talium conuersatio non est pura, sed affectionibus naturalibus,& diuersis imperfectionibus admixta,& infecta. Et vbi vitam cælicam,& spiritualem fouere se putat,ibi propriam,& immortificatam voluntatem,& midā naturam pascit & confortat,nisi potiori desiderio fideliter insistat propriæ mortificationi, ac diuinæ assimilationi, tam secundùm diuinitatem, quàm secundùm humanitatem, in pœnitentiæ operibus, sanctis exercitijs,& ignitis desiderijs carnalem vitam trucidando, terrenam oblectationem,vanitatem,& omnem otiositatē cōculcando, cūcta diuinæ iustitiæ contraria deuincendo,amorem purum,& intensum in dilectum subuehendo,ac omnem propriā voluntatem in diuinū be-

Passionis Christi meditandæ opus.

Modus.

Causa.

Lucæ 11. Profectus notitia.

Naturæ instabilitas.

neplacitum nudè constituendo. Insistat, inquam, felicissimæ diuinæ vnioni flammigeris affectionibus, non quidem in donis, & oblectationibus turpiter residendo quiescens, sed omnium datorem in illis, & super illas, summa cum intentione requirens.

Seruũ mercenariũ efficiunt quæ.

Nam tria sunt, quæ faciunt hominem in diuino seruitio mercenarium, & reprobatione dignum. Primum est, quòd in omnibus exercitijs semetipsum & proprium lucrum quærit, aut proprium damnum refugit: propter quæ duo ferè cuncta facit, vel dimittit: ita quòd multa bona fortiter ac voluntariè perficere possit proprijs commodis vel incommodis intendendo. Nam quidam omnia terrena despiciunt, habitum religionis assumunt, cuncta aduersa lætanter sustinent, vt cœlestia regna adipisci, vel æterna supplicia effugere mereantur. Nimirũ cùm & Platonis, vt fertur, discipulus, audita felicitate futuræ beatitudinis, ex alto præcipitem se dedit, vt illam consequeretur gloriam: cuius præcelsum præconium, à viro gentili tam dulciter ingestum audierat. Secundum est, quòd vniuersa opera sua, & exercitia quasi magna reputant, potius in operibus proprijs, & virtutibus sperantes, quàm in ipsa libertate filiorum Dei, quam sanguine suo pretioso dulcissimus IESVS comparauit. Tertium est, quòd nisi præmium à Deo se recepturos sperarent, nunquam tam fideliter suis obsequijs illi deseruirent. Plus etiam timentes fulminationem æternæ dãnationis, quàm indignationem dulcissimi patris: plus quoque affectantes adipisci æternam gloriam, & propriam salutem, quam Dei laudem, honorẽ, gloriam, & eius liberam, in obsequijs nostris, seruitutem. Tales igitur seruilis conditionis sunt, & à diuina charitate penitus intacti, quę nunquam *quærit quæ sua sunt*, faciens hominem seipsum contemnere & despicere, in Domino verò sperare & confidere.

Hæc tria sic intelligẽda sunt, vt peruerso amore finem se constituat homo sui ipsius, paratus peccare, si pœnã nõ timeret, deq; suis operib⁹ superbiens.

De ornatu vitæ actiuæ per virtutes morales. Cap. V.

NVnc autem ordine debito ea prosequamur, quæ necessaria videntur ad ornatum actiuæ vitæ & moralis. Pro quo sciendum, quòd in homine triplex est vnitas naturalis, quæ supernaturaliter ab electis possidetur. Prima est vnitas essentiæ, qua scilicet homo, cum cæteris creaturis, Deo tanquam primariæ causæ naturaliter coniungitur: *quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ex ipso*, per creationem ex nihilo essentialiter emanata: *per ipsum*, in esse conseruata: *& in ipso*, tanquam in mente artificis idealiter viuentia. Vnde naturaliter omnem hominem comprehendit siue bonum siue malum,

Vnitas essentiæ hominis. Rom. 11.

lum, nec tamen illum beatum efficit, nisi ad causam, vnde emanauit, per gratiam & liberum arbitrium reflectatur. Secunda est vnitas mentis, quæ est naturalis origo virium intellectiuarum, ex qua, tanquam ex centrali puncto spiritus, intellectiuæ vires potentialiter oriuntur, scilicet intellectus, voluntas, & memoria, quibus omnes actiones spirituales perficiuntur: & propter hanc partem anima spiritus appellatur. Tertia est vnitas cordis, quæ est omnium sensitiuarum potentiarum collectio in vnico & quasi centrali organo cordis, quod est principium & radix totius vitæ & sensualitatis. Nec tamen ob hoc hanc vnitatem à priori discernimus, vt essentiam animæ diuidamus; sed quia anima verè simplex & vna, & ab omni materialitate libera, sic corpori coniuncta est, velut eius verissima forma substantialis, & motor, ita vt quasdam potentias habeat separatas, impermixtas, & ab omni organo liberatas, quibus suo principio similis, ipsum agnoscat, memoretur, & diligat, ac per has separata totaliter (cùm tamen sit indiuisibilis) spiritus, suo principio consimilis nominetur. Quasdam verò regendo corpori, & alijs vtilitatibus, quas per corporis instrumenta consequitur, accommodas, corporeis habeat organis affixas. Et ob has in principali organo, scilicet corde residens, ab animando anima nuncupetur. Et hæ tres vnitates naturales in homine sunt, quasi vna vita & regio, tribus distincta palatijs, quæ per gratiam supernaturaliter ab electis incoluntur. Nam infima regio, scilicet cordis vnitas, exteriori exercitatione moralium virtutum inhabitatur & ornatur, iuxta formam vitæ Christi, & Sanctorum eius, tam in agendis, quàm patiendis. Secunda regio, scilicet vnitas mentis, vel spiritus, supernaturaliter incolitur, & insignitur tribus virtutibus Theologicis affluentiaque donorum & gratiæ Dei, ac ingenua beneuolentia ad sequelam Christi in omnibus suis consilijs. Tertia denique regio, scilicet essentiæ nostræ vnitas, quodammodo captum nostri intellectus excedens, & quodammodo tamen in nobis essentialiter existens, tunc à nobis supernaturaliter possidetur, cùm in omnibus virtuosis actibus, solùm Dei laudem & honorem intendentes, & tam nosipsos, quàm intentionem nostram, & omnia transcendentes, in Deo, tanquam in centro proprio, per amorosam vnionem quiescimus. Hæc est enim illa vnitas, ex qua creationis profluuio naturaliter emanauimus, & in qua semper essentialiter manemus, & ad quam amoris gressibus reintramus.

Vnitas mentis.

Vnitas cordis.

Anima vnde.

Vnitatum naturalium animæ ratio.

Vnitatum animę naturalium operationes.

Quæ nimirum vnitates, aliter ornantur in vita actuali, aliter in vita spirituali, & aliter in vita supereminenti. Nam in actiua vita principaliter ornantur perfectione virtutum moralium: quarum solidum & primarium fundamentum est humilitas, supra quam virtutum genealogiam texere cupientes, eius progressum prius edisseremus.

Humilitas quid.

Est igitur humilitas profunda cordis in conspectu diuinæ maiestatis inclinatio. Nam aduertens humilis amator Christi, tam potentem, excelsum & diuitem, tam vili & pauperi homuncioni, tam fideliter & humiliter in tanta paupertate seruiuisse, mox in eius corde tanta nascitur diuinæ magnitudinis reuerentia, quantam nec verbis explicare, nec indicijs sufficiat demonstrare: & ideo Christo nequit honores suo desiderio sufficientes impendere, vel sese satis vilipendere. Quò fit, vt in diuini honoris exhibitione, & humilibus obsequijs se semper deficere quæratur. Siquidem diuinæ magnitudini reuerentiam exhibere, extrinsecus quidem humilibus obsequijs, intrinsecus verò reuerentibus inclinationibus, primus actus est & acceptissimus humilitati, suauissimus charitati, & decentissimus æquitati. Hæc est enim in homine viua & intima radix, qua nos in Deo, & Deus nobiscum, iuxta sinceram pacem viuimus. Quia per illam nos Deo, præceptisque illius, & omni creaturæ subijcimus propter Deum, quæque vilissima & infima nobis asscribentes, nec cuiquam virtutibus nos comparare præsumentes, sed pedibus omnipotentiæ diuinæ toti, velut inutiles & pedum pulueres ad nutum sumus subiecti, ad omne beneplacitum Dei nos dirigentes. Hæc est autem beneplacita Dei voluntas, sapientiam mundi contemnere, & Dei sapientiam imitari in omni perfectione virtutum. Et ideo humilitas suam primogenitam

Obedientia.

parit obedientiam, per quam solam humilitas vera comprobatur. Est autem obedientia flexibilitas submissę voluntatis, & ad omne bonum infatigabilis animi promptitudo, quæ suo ordini inserit vniuersa. Nam carnem spiritui, & spiritum suo subigit Creatori, subiectumque facit *omni humanæ creaturæ propter Deum*,

1. Pet. 2.

sed non præter, aut contra Deum. In dandis quoque consilijs, auxilijs, & obsequijs, tam corporalibus, quàm spiritualibus, promptum & hilarem exhibet se, prout salua discretionis regula, vnicuique nouerit opportunum. Obedientia suum amatorem inferioribus reddit imitabilem, æqualibus socialem, superioribus amabilem, Deo acceptabilem, & ab eo exaltabilem, atque æternis gratiæ donis ditabilem. Hæc autem generat abdica-

dicationem propriæ voluntatis, & proprietatis. Nullus enim ſuam poteſt in alterius tranſfundere voluntatem, niſi qui matris obedientiæ fuerit vberibus ablactatus, quamuis ſaluo propriæ voluntatis dominio, poſſet quis exterioribus actibus alienis ſe voluntatibus conformare. Propriæ voluntatis abdicatio prohibet poſſeſſorem ſpecialem viuendi modum, vitis Sanctorum, & doctrinis diſſimilem vſurpare. Et per eam in agendis & patiendis, omnis occaſio ſuperbiæ penitus annihilatur, & humilitas in ſummo gradu conſummatur, Dei voluntas proprio dominio fungitur, & hominis voluntas diuinæ voluntati ſic vnitur, quòd contrarium velle, vel optare quodammodo nequeat. Ex ipſa denique ſuboritur pœnarum & dolorum omnium voluntaria perpeſsio. Spiritus enim Domini, ſpiritum humilis contingens, attrahit, & intrahit, & totum ferè conſumit. Itaque propriam voluntatem abnegat, & Deo ſe liberè reſignat, vt non aliam ſuam voluntatem vel libertatem putet, quàm Domini ſui voluntatem. Et tunc *Spiritus* Dei *reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd filij Dei ſumus*. Et ſic ſumma libertas, & profundiſsima humilitas, in vna ſimul perſona coniunguntur. Abdicatio proinde propriæ voluntatis patientiam parit, quæ eſt omnium accidentalium Dei permiſsione pacata tolerantia. Nam verè patientem non contriſtat quicquid ei acciderit, ſiue temporalium bonorum, aut amicorum amiſsio; ſiue morborum, aut ſcandalorum incurſio; ſiue vita, ſiue mors; purgatorium, infernus, & ſimilia: quin veræ charitatis imperio, diuinæ ſeſe per omnia ſubijciat voluntati. Vnde, quia eum de mortali peccato conſcientia non accuſat, leue eſt ei quicquid Deus tolerare iuſſerit, ſiue temporale fuerit, ſeu æternum. Et ſic per patientiam mirificè decoratur. Neque id mirum, quia voluntaria patientia in pœnis cum beneuolentia Chriſto veſtis extitit nuptialis, cùm in ara crucis ſanctam ſibi deſponſauit Eccleſiam. Patientia verò mititatem generat, quæ poſſeſſori ſuo pacem de omnibus pollicetur: quia *manſueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis*. Mititas autem eſt in patientia tranquillitas, per quam vis iraſcibilis quaſi ſilentio quodam immobilitatur, & concupiſcibilis virtutibus ſublimatur: quod rationalis aduertens lætatur; & conſcientia tantæ dulcedinis guſtu pace mirifica tranquillatur. Et ſic gaudenter ſuſtinet dura verba & verbera, omnemque illatam iniuriam. Mititas autem benignitatem gignit, quia ſolus mitis verè benignus eſt. Benignitas enim iratorum animos

Voluntatis propriæ abdicatio.

Rom. 8.

Patientia.

Matth. 22.

Mititas.

Pſalm. 36.

Benignitas.

blanda humanitate, dulci affabilitate, & pijs actibus emollire nititur, vbi spes spondet effectum. Per benignitatem charitatis fructuositas coalescit: quia anima benignitate referta, est quasi lampas oleo plena, errantibus lucens bonis exemplis, desolatos vngens blandis alloquijs, iracundos medicans pijs verbis & obsequijs, virtutibus pingues accendens ardore charitatis: non odijs, vel inuidentijs alienis, vitrea fragilitate tabescens, sed fraternæ dilectionis adamantina firmitate

Cõpassio. condurescens. Benignitas autem compassionem parit, quia necessitatibus omnium benigna compatientia condescendit. Est enim compassio ad omnem necessitatem pia cordis commotio, quæ primò verum Christi militem regi suo tam crudeliter occiso compati facit, imprimens eius menti tam necessariam mortis causam, tam piam & promptam patiendi voluntatem, dura verba, duriora verbera, durissima mortis supplicia. Quorum amara recordatio pium cor lachrymosa compassione concutit, & Christi dolorosa dilectione concrucifigit. Secundò, compassio proprias attendere suadet negligentias, miserias, & defectus; teporem, & pigritiam; inutilem temporis amissionem, & tantam in omnibus virtutibus pauperiem. Tertiò, suadet multifaria proximorum perpendere errata, Dei & propriæ salutis paruipensionem considerare, diuinorum beneficiorum tantam ingratitudinem reuoluere. Quorum intuitu compungitur, & desiderio salutis omnium inflammatur. Quartò, suadet inspicere corporales necessitates omnium & singulorum: quorum attentio benignam animam pia compassione cruciat. Vnde sola compassio præ cæteris à datore virtutum omnium hoc fungitur officio, quòd omnium necessitatibus pijs visceribus misereatur, & condoleat.

Largitas. Quæ compassio largitatem parit, quæ est liberalis effusio cordis, charitatiua compassione permoti. Et solus compassione misericors, supernaturaliter communi charitatis feruore siue fauore largus est. Rememorans enim Dominicæ passionis, & pietatis ineffabilia beneficia & tormenta, tanta se largitate pro qualicunque vicissitudine tam mirandæ charitatis profundat, vt pro singulis articulis tam amari martyrij, laudem, honorem, & reuerentiam rependere desiderat. Recolensque propriæ miseriæ, negligentiæ, ingratitudinis, & tarditatis; diuinæ quoque patientiæ, clementiæ, longanimitatis, & fidelitatis, toto mox spiritu diuinæ largitati sursum assurgit obuiam, voluntate perpetua prodigam offerens seruitutem. Recolens autem errores proximo-

ximorum innumeros, riuulum suæ largitatis, ad locum vnde exijt mox reflectens, diuinæ bonitatis munificentiam pijs clamoribus interpellat. Demum, multiplicem corporalem indigentiam in proximis suis attendens, vnicuique iuxta suam facultatem subuenire contendit. Ex ea nanque septem opera misericordiæ profluunt: à diuitibus quidem obsequijs, & facultatibus; à pauperibus verò pijs fauoribus, & voluntatibus. Per quam largitatem virtutes multiplicantur, animæ vires decorantur: quia largus semper est spiritu lætus, corde insolicitus, affectu profusus, & pijs actibus vniuersis communi charitate beneuolus. Opera misericordiæ.

Largitas autem quandam supernaturalem parit in operibus virtuosis diligentiam, & strenuitatem: quam nemo sic assequitur, vt is, qui ex intima largitate misericors esse probatur. Est enim strenuitas ad opera virtutum exercenda quædam inquieta cordis alacritas, vitæ Christi, & Sanctorum eius impigra æmulatrix. Cuius strenuitatis stimulis quis agitatus, corpus & animam; esse, & viuere; vires, & opes, diuinis optat laudibus, & honoribus mancipare. Per hanc supernaturalem strenuitatem animæ vires ad susceptionem influentiæ diuinæ explicantur, seu dilatantur, & ad virtutum actus vegetiores redduntur. Exhilaratur conscientia, augmentatur gratia, virtutes delectabilius, & iucundius exercentur, & opera quoque exteriora decore maiori venustantur. Strenuitas.

Strenuitas hæc temperantiam seu sobrietatem generat, qua nemo tam pollet, quàm strenuus & corporis & animæ iuxta iustitiæ regulam gubernator. Sobrietas autem potentias intellectuales, animales, & corporales, ab omni superfluitate restringit, nolens scire, vel sapere quæ non licent, *sed sapere ad sobrietatem*. Incomprehensibilis quippe est Dei natura, creaturam excedens vniuersam, sic quòd omnis creata capacitas angusta est comprehendere deitatem. Sed vt intellectualis creatura, diuinam essentiam videndo cognoscat, & amando fruatur, necesse est eam diuino lumine supra se subleuari, & in Deum amoris dulcedine trahi, quò sic Deum sua ipsius capacitate comprehendat. Qui ergo scire volens, quid sit Deus, *scrutator* fieret *maiestatis*, oppressus *à gloria*, in amentiam forsitan labereture: quia deficit omne lumen naturale creatum, à nuda visione diuinæ essentiæ. Articuli quoque fidei, non ratiocinationis indagine discutiendi, sed assertione firmissima simpliciter credendi: quia *nunc* tantùm *vide-* Sobrietas. Rom. 12. Prou. 25. 1. Cor. 13.

mus per ſpeculum in ænigmate. Scripturarum obſcuritates non ſunt ad priuatam opinionem detorquendæ, ſed iuxta Chriſti & Sanctorum vitas, & doctrinas fideliter intelligendæ. Ex Scripturis etiam, & creaturis id ſolùm accipiatur, quod ad ſalutem expedire quomodolibet comprobatur. Et ita negotium ſpiritualis ſobrietatis expedietur, per quod fides firmiter cuſtoditur, intellectus depuratur, ratio ad veritatis intelligentiam quietatur, voluntas iuxta diuinæ voluntatis beneplacitum ad opera virtutum facile flectitur, pax cordis inconcuſſa ſeruatur, & conſcientia ab omnibus ſcrupuloſitatis nexibus extricatur, quibus omnibus tam in ſe, quàm in Deo pax ſtabilis poſſidetur. Secundò, ſobrietas in ſenſibus eſt ſeruanda, & potentiæ beſtiales rationis moderamine ſunt compeſcendæ, ne ſcilicet appetitus beſtialis ſuper eſcam, & potum, ſe nimium effundat; ſed vt eſuriens ſic ſumat alimentum, ſicut æger medicinam: & ſic corporis ſanitas conſeruatur, conuerſatio honeſtatur, & fama nomenque bonum fragrantiam ſanctam emittit. Hæc etiam ſeruanda eſt in actibus, & verbis; in colloquijs, & ſilentijs; in operationibus, & ceſſationibus, iuxta ſanctorum Patrum dicta, & exempla.

Caſtitas. Hæc autem & mentis, & corporis ſobrietas generat caſtitatem, quam alius nemo, niſi verus fuerit ſobrius, perfectè poſſidere poteſt.

Corporis. Qui etiam in triplici gradu diſtingui poteſt. Prima eſt caſtitas corporis, quæ docet ab omnibus immundis actibus, & geſtibus intactum ſe cuſtodire, quæ libidinem aliquam ſpumare noſcuntur. Et hæc propter niueam pudicitiam, aſſimilatur candori liliorum, & Angelicę puritati: propter laborioſam verò reſiſtentiam, roſarum rubori, & martyrij dignitati.

Cordis. Secunda verò eſt caſtitas cordis, quæ tentationibus carnis vrgentibus, & naturalibus motibus ſtimulantibus, ad Deum integra voluntate, & tota confidentia, velut ad tutiſſimum caſtitatis aſylum confugere conſueſcit, eique perpetuò adhærendi voluntatem firmiſſimam præſentare. Et hæc augmentum gratiæ maximè promeretur, in qua virtutes omnes extolluntur, & conſeruantur. Ipſa ſenſus exteriores cuſtodit, dirigit, & gubernat: appetitum autem beſtialem reſtringit, corrigit, & informat. Eſt enim contra terrenorum incurſum firmiſſima cordis clauſura, & ad cæleſtium, omnisque veritatis influxum latiſſima apertura, ac totius vitæ ſpiritualis venuſtiſſima ornatura. Quam vt perfectius aſſequatur, non permittat ſe quibuſcunque medijs, etiam ſpiritualibus, ad aliquas ſingulares familiari-

tà-

ritates inclinari, vel constringi, nec velit à quoquam singulari fauore coli. Quia talia miro modo (licèt bona videantur) à via Dei pura, in qua gloria Dei synceriter quæritur, impediunt, inficiunt, & retrahunt. Tertia est castitas mentis, quæ possessorem suum supra sensum, & intellectum, & supra omnia dona animæ infusibilia, Deo conglutinat: quia quicquid potest creatura comprehendere, idipsum nititur pertransire, & in solo incomprehensibili bono quiescere. Vnde & Sacramentum Corporis Christi sumendum non est propter spiritualis saporis delectamentum, nec propter desiderij appetitum, aut dulcedinis affectum, vel propter pacis, & pacationis fomentum, nec ob quamcunque aliam causam, nisi solùm ad honorem Dei, & vt in virtutibus profectus fœcundior habeatur. Hæc enim mentis castitas summè præcipit obseruari, quæ nimirum ipsum animum ab omnibus creatis absolutum, diuino vultui procliuum, & deiformitate decorum, tam sublimiter in diuinam sustollit similitudinem.

Mentis.

Eucharistia quatenus sumenda.

De consurrectione ad Deum in actiua vita & morali: & de intentione triplici. Cap. VI.

POstquam fidelis anima virtutibus moralibus decenter fuerit adornata, secundùm quod actiuæ vitæ perfectioni congruit, conuenienter deinde vigorosæ consurrectioni iubetur operam dare, & dicere cum sponsa: *Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos, & plateas, quæram quem diligit anima mea.* Huius autem consurrectionis duplex est modus. Primus est mysticus & occultus, & vocatur à diuino Dionysio mystica Theologia, quia est quædam occultissima sapientia, quam immediatè solus Deus hominem in spiritu edocet. Alias autem scientias mundi Doctores suis tradunt auditoribus, verbo, calamo, & atramento: sed hæc in diuinis illuminationibus, & cælestibus distillationibus in corde scribitur, digito Dei viui. Quæ profectò licèt, propter suam excellentiam, ab humana sapientia non potest edoceri, quilibet tamen, quantũcunque simplex & idiota, in schola diuina, si se fideliter adaptauerit, hanc à Deo sapientiam immediatè recipit, super omnem intellectum, per solum amoris affectum, quam nullus Philosophus, aut sciolus, humana industria, quantumcunque studeat, apprehendet. Qui modus affectiuæ consurrectionis tactus est in præcedentibus, sed eius perfecta prosecutio videbitur postea. Et hanc in omni gradu sui profectus, pro suo modulo diligentius colere debet, quicunque veraciter, efficaciter, & salubriter proficere desiderat.

Cant. 3.

Theologia mystica.

Theologia scholastica. Psalm. 83.

derat. Secundus autem modus est scholasticus, quem latius prosequi nunc intendimus. Nam iuxta Psalm: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te* Domine, *ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum, in loco, quem posuit.* Nec mirum, cùm in hoc tota salus nostra consistat, sine quo nulla vnquam perfecta est virtus.

Pro quo sciendum, quòd sicut in actia Deo tribus animæ dotibus felici connubio coniungimur, scilicet visione clara, dilectione pura, & fruitione secura: sic in huius vitæ via per gratiam futuræ beatitudinis gloriam prælibantes, efficientijs trium virtutum Theologicarum, tribus animæ doribus correspondentium, Deo propinquantes coniungimur, tam in actiua vita, quàm in contemplatiua, licèt multum differenter. Nam in actiua vita, de qua nunc loqui intendimus, primò Deo coniungimur intentione recta, lumine fidei illustrata, cùm scilicet in cunctis, quæ agimus, vel patimur: consequi, vel vitare cupimus; simplicem cordis oculum diuino conspectui directè opponimus. Quod fit, dum in omnibus actibus, & affectibus illum solum honorare ac diligere cupimus, & intendimus, qui nos sapientia sua creauit, humanitate nobilitauit, sua morte redemit, suo sanguine lauit, & in æterna beatitudine nos beatificare disposuit. Quæ cuncta nobis fides luce clarius ostendit, quæ initium est omnium gratiarum, & donorum, & deiformium virtutum. Est enim lumen supernaturale, quod qui veraciter adipisci desiderant, vt Dei filiationem sortiantur, sese subleuent ad considerandum vnum esse summum bonum, Deum, & Creatorem cæli & terræ, ac omnium quæ in eis sunt. Hæc autem omnia ad seruitium, & vsum nostrum ex amore creauit, multifarijs nos donis, tam spiritualibus, quàm corporalibus præueniens, seipsum insuper in humana natura conferens ad omnem laborem & miseriam, passionem & mortem: adijcere paratus peccatorum veniam, communicare gratiam, vnire per amorem, præmiare per æternam sui fruitionem. Sicque natura in supremo sui, considerationis indagine subleuata, Christus per fidem adueniens, luce sua supernaturali virtutem eius intellectiuam clarificat, ita quòd plus credit, & confidit, quàm explicare sufficit, considerans, & inspiciens æternum bonum, quod expectat adipisci, certissimè sperans quod credit & inspicit. Vnde dicit Dionysius 7. de diuinis nominibus, quòd circa veritatem verè existentem, & non errantem, versatur fides diuina, quæ est stabilis collocatio credentium, collocans illos in veri-

Intentio recta.

Lumen fidei.

tate,

tate, & firmans simplicem veritatem, in transmutabili identitate, in ipsis credentibus, habentibus cognitionem veritatis: & ideo credentem in veritate, nihil mouebit à lætitia, quæ est secundùm veram fidem, sed habebit in ea permanentiam immobilis, & transmutabilis identitatis. Qui enim vnitati vnitus est, ex ipsa vnione bene nouit, quòd bene sentit, quamuis multi corripiant eum, tanquam mentis excessum passum siue furiosum: Ipse tamen bene nouit seipsum non furentem, vt errantes ei imponunt; sed per simplicem veritatem, semper eandem & eodem modo se habentem, liberatum ab instabili & variabili diuisione, contra variabilem errorem. Et sic per fidem veram stabilitus & illuminatus securè per intentionem rectam inoffenso pede finem suum exequitur. Nam intentio recta finem actionis, & itineris nobis præostendit: quia dicit Greg. quòd intentio, priusquam in actione se exerceat, hoc iam quod appetit, contemplatur. Et vnaquæque actio intentionem suam quasi oculum intuentem sequitur, qui oculus lumine fidei est illustratus. Et ideo vigilanti cura, per opera cuncta intentio nostra nobis est pensanda, vt nihil temporale in his, quæ agit, petat; sed totam se in soliditatem æternitatis figat, ne si extra fundamentum actionis nostræ fabrica ponitur, totum opus in nihilum soluatur: quia etiam summa opera inaniter fiunt, si intentione cordis extra æternitatis rectitudinem deflectuntur. Si autem rectè intendimus, bonum opus efficitur, & si minus bonum extra videatur. Nimirum, cùm intentio dirigitur amoris desiderio, qui gratificat opus: & quantò maior est amor finis, tantò vehementior est motus intentionis, ita quòd amor mouet ad finem desideratum, sed intentio cuncta disponit, & ordinat ad illius finis consecutionem, per quæ finem hunc desideratum consequi sperat. Dicit enim Glossa super illud Psalmi: *In laqueo isto, quem absconderunt.*: Quòd pes animæ amor est, & eo mouetur ad locum, ad quem tendit, scilicet, ad dilectionem bonam vel malam, quò se peruenisse per amorem lætatur. Psalm. 9.

Ad maiorem autem euidentiam, tres gradus bonæ intentionis distingui possunt. Est enim intentio quædam rectificata, quædam simplificata, & quædam deificata. Prima dicitur intentio rectificata, vtpote principaliter ad Deum & propter Deum directa, quæ procedit ex voluntate affectiua, æstu diuini amoris calefacta: quæ voluntas sic æstuans, intentionem ad consecutionem æterni finis desiderati operando impellit, liquefaciendo in Deum dirigit, nec eam sistere, nisi Gradus intentionis bonæ tres.

in æterno Deo ſinit. Vnde Origenes ſuper Cãtica dicit: Quòd qui ſancto deſiderio æſtuat, ad quodlibet opus bonum habilis inuenitur: & nihil duri in corde, id eſt, intentione portat, quod non feruore æſtuantis deſiderij in Deum liqueſcat. Hic ergo ſecernuntur filij adoptionis à filijs reprobationis. Nam qui in exercitijs & operibus virtuoſis perficiendis non attrahuntur amore diuino, ſed impellũtur aliunde, Deo vniri nõ poſſunt. Quia cùm natura recurua ſit ad ſeipſam, omnes ſupernaturali gratuitaq; dilectione vacantes, in omnibus ad ſeſe reflectuntur, & requiem quærunt in rebus extraneis, quoniam à Deo ſunt auerſi, & ad ſe naturali dilectione conuerſi, quærentes & affectantes in ſuis exercitijs & operibus virtuoſis, dulcedines & ſolatia, ſimiliaque, quorum intrinſecus mouentur appetitu, cùm econtra verum amatorem nihil contentare valeat præter ſolùm incomprehenſibile bonũ: quia charitas eſt nexus amoris, nos in Deum tranſuehens, per quam & vnimur Deo, nobiſipſis renuntiantes, & Deus vnitur nobis. Verùntamen tam ſimilis eſt amor naturalis in actibus exterioribus ipſi charitati, ſicut ſimiles ſunt vnius capitis duo pili; licèt amborum intentiones ſint diſſimiles: quia verus amator intendit, quærit, & deſiderat ſemper honorem Dei: naturalis autem amator ſibijpſi, propriocque commodo ſemper intendit. Et ſic amore naturali præpõderante in exercitio & ſenſione ſpirituali, ſimul in quatuor peccata prolabitur, ſcilicet in ſuperbiam, cupiditatem guloſitatem, & luxuriam. In hæc enim per ordinem in Paradiſo lapſus eſt Adam, qui mandatum Dei ſuperbiendo contempſit, cupiditatis inſtinctu ſapientiam concupiuit, guloſitatis motu illiciti ſaporis delectamentum quæſiuit, & poſt hæc ad libidinem inſaniuit. Sic nimirum ad exercitia tracti, duntaxat amore naturali, in qualicunque deuotione, facilè mouentur ad propriam complacentiam & inanem gloriam, putantes *ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſint*. Ad ſapientiam etiam diuinam, id eſt, internas illuminationes, reuelationes, viſiones, & ſimilia, ex curioſitate quadam per cupiditatem nimis inardeſcunt. Sapores verò & oblectationes ſenſuales in affectu ſenſuali motu guloſitatis quærunt. Ad hoc enim totum ſuum ſtudium deuotionis frequentando conuertunt. Quibus tandem adeptis, in libidinem ſpiritualem inſaniunt, cùm in his oblectationibus, & conſolationibus, oblito datore finem deuotionis ponunt, illicque requieſcunt. Et in his tam in actiua vita, quàm in contemplatiua plurimi decepti, miſerabiliter aberrant. Et *qui veſcebantur*

Naturæ recuruitas ad ſeipſam.

Amoris diuini & naturalis differentia.

Geneſ. 3.

Galat 6.

Thren. 4.

bantur voluptuosè, interierunt in vijs: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Non sic fidelis seruus diuina charitate permotus, qui non quærit *quæ sua sunt*, sed *quæ Iesu Christi.* Vnde signum intentionis rectificatę est sobria lętitia, & exultatio mentis. De qua dicit Orig. super Cant. Non inueni verius signum boni hominis, quàm si inter ærumnas fert dulcedinem mentis ex frequentia sobriæ exultationis & lætitiæ. Hoc enim signum denotat immobilitatem mentis tam in aduersis, quàm in prosperis: quod est signum intrinsecum rectæ intentionis. Vnde Greg. super illud Iob: *Erat vir simplex & rectus. Rectus* est ille, qui in aduersis non frangitur, qui ad temporalia non inclinatur, qui ad superiora totus erigitur, qui diuinæ voluntati totus subijcitur. Sciendum tamen, quòd hæc intentio licèt rectificata sit, perfectum tamen decorem per omnia non habet, quoniam adhuc in actiua vita consistens, circa multa est occupata, quamuis solùm propter Deum. Vnde Bernardus super Cant. dicit, quòd in aliud tendere, quàm in Deum, & tamen propter Deum, non otium Marię, sed Marthę negotium est. Absit tamen, vt quæ huiusmodi est, quicquam illam dixerim habere deforme: nec tamen ad perfectum affirmauerim peruenisse decoris, quippe quæ adhuc *solicita* est, *&* turbatur *ergà plurima*, & non potest terrenorum actuum vel tenui puluere non aspergi: quem tamen citò facileque deterget, & in hora sanctæ deuotionis casta intentio, & bonæ conscientiæ interrogatio ad Deum.

Philip. 2. Iob 1. Rectus quis. Lucæ 10.

Secunda verò dicitur intentio simplificata, quæ Deo magis est immediatè proxima, & odore finis æterni dulcius allecta, & est contemplatiuorũ, experimentaliter ex affectiua voluntate procedens. Experimentalis autẽ odor vltimi finis alia cuncta quodammodo contemnere facit, ex quo in nullo alio intentionem quiescere finit, sed eam vltimo fini (quantum potest) immediatè vnit: quoniam in tali experientia, intentio non ambulat, sed curritur cum sponsa, dicens: *In odorem vnguentorum tuorum curremus.* Dicit autem Bern. libro de præcepto & dispensatione, quòd ad hoc, vt interior oculus, scilicet intentionis, fit verè simplex, duo sunt illi necessaria, scilicet charitas in intentione, & veritas in electione. Cuius ratio est, quia charitas intentionem ad omnia, quæ sunt ad finem intentum, dirigit & extendit, ac per hoc arctius vnit, cùm in omnibus vnum intendit, & ad vnum tendit, & omnia, quantum potest, cum illo vno vnire quærit. Veritas autem non finit errare circa finem intentum. Alioqui, vt ibidem Bernard. pro-

Intentio simplificata. Cantic. 1. Intentioni simplificatæ necessaria quæ. Charitas. Veritas.

Matth.6. sequitur, quomodo *simplex* est *oculus* intentionalis, cum ignorantia veritatis, qui bonum diligit, & malum nescius agit? Sed illius oculum non immeritò simplicem dixerim, cui neutrum bonũ desit: quoniam ista duo, oculum intẽtionalem faciunt simplicem, scilicet amor boni, & cognitio veri: quia charitas non sinit intentionem ante finem intentum stare, nec veritas sinit eam circa finem errare, quia non quærit angulos, nec ei diuersoria placent. Porrò, recta & simplex intentio quædam est tendentia, recta sine obliquitate, & simplex sine admixtione in æternitatem, à volũtate desideratam, & à ratione dictatam, quæ tendentia continua intentionis est approximatio, & attingentia continua desideratæ æternitatis. Simplex intentio, dispersas animæ potentias in vnitatem spiritus colligit, Deo spiritum amoris vnione conimmgens. Simplex intentio est decor, initium & finis omnium virtutum, quas Deo semper offert in sacrificium laudis, & gratiarum actionis. Illa intentio simplex est, quæ nisi in ordine ad Deum nihil complectitur extra Deum, omnem simulationem, & cordis duplicitatem expellens. Est enim *oculus* ille *simplex*, qui *totum corpus* operum nostrorum

Oculũ simplicem quæ faciant.

Intẽtio simplex quæ.

Matth.6. *lucidum* reddit. Est, inquam, interni spiritus amatoria inclinatio, diuino lumine luminosa, spem, fidem, & charitatem in se complectens, & totius vitæ spiritualis intimum fundamentum existens. Hæc igitur intentio, charitate & veritate munita, temporalia deserat, ad æterna suspirando redeat, donec intentio tentio fiat. Dicit enim Hugo de arca Noë: quòd hoc est ad Deum tendere, & ad ipsum pertingere, semper eum & per desiderium quærere, & per cognitiõem inuenire, & per gustum tangere. Quòd si semel in appetitione gloriæ cælestis sorti stabilitate animus per intentionem figitur, minus rerum temporalium perturbatione vexatur. A cunctis enim externis motibus eandem intentionem, quasi quendam secretissimum secessum petit, incommutabili inhærens, & cuncta mutabilia transcendens. Hæc igitur intentio tendit in Deum solum immediatè, quantum potest, & propter ipsum: sed plerunque non totaliter propter Deum solum, quin etiam propter se quærens medicari & consolari, retinens adhuc aliquid de proprio, vt dicit Bernardus. Vnde Psalmista in persona talium ait: *Inclinaui cor*

Psal.118. *meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem*: licèt principaliter non quærat mercedem, sed Domini voluntatem. Quam intentionem si fortè plurimi supergressi sunt, dictante ratione, compellente charitate: pauci tamen admodum tam voluntarios se reperiunt

periunt ad diuinæ consolationis, & internæ sensionis subtractionem, quàm ad earum receptionem; nondum plenè sibijpsis mortui ad perferenda quæcunque aduersa, nisi consurgant ad perfectiorem intentionis gradum.

Tertia denique dicitur intentio deificata, vtpote amore finis æterni totaliter attracta. Et est propriè beatorum in patria, quia iam intentio fit tentio æterna, & elicitur à voluntate affectata deiformiter. Quidam tamen in statu viæ feruore spiritus inebriati, intentionē hanc attingere cupientes, totis præcordijs ad eius felicem consecutionem laborare non cessant, vt & ipsi in hac valle lachrymarum pro modulo suo felicem hanc deificationem, & perfectam diuinam assimilationem assequi mereantur. Deificatio autem, secundùm Bernardum, in lib. de diligendo Deum, nihil relinquit in voluntate admixtum vel proprium, sed totum per intentionem dirigit in Deū. Vnde dicit ibidem: O pura & deificata intentio voluntatis, eò certè deificatior, & purior, quò in ea de proprio nihil admixtum relinquitur: eò suauior & dulcior, quò totum diuinum est quod sentitur. Sic enim affici, est planè deificari: quæ deificatio suam perfectionē consequitur in futura vita. Vbi sic omnem in Sanctis humanam affectionem, quodam ineffabili modo, necesse erit à se metipsa liquescere & deficere, ac in Dei penitus voluntatē transformari. Alioqui, quomodo erit *Deus omnia in omnibus*, si in homine aliquid de homine supererit? Manebit quidem substantia, sed in alia forma, in alia gloria, aliaq; potentia, quam intentionem etiam in hac vita, vt dictum est, quidam prælibare merentur.

Intentio deificata.

1 Cor. 15.

Vti quisque in actiua vita morali per Dei amorem proficere debeat: deque amore multiplici Cap. VII.

EXpediti de primo, ad consurrectionem actiuæ vitæ nobis necessario, scilicet de intentione recta, (quæ licèt proficit, non tamen sufficit) ideo nunc secundum prosequamur, Deo nos propinquare faciens & vniēs: quod est dilectio præcipua charitatis igniculo inflāmata, vt, scilicet, nihil æquè vel plus Deo diligamus. Quo fit, vt in omnibus actibus animus rectè intendens, *super pectus* Domini, per amorē caput inclinet: vt cui recta intentione coniunctus est, etiam dilectione præcipua coniungatur. Omnis quippe creatura, vt talis, infra Deum diligenda est, tamen non extraordinaria dilectione, sed in ordine ad Deum: vt vel ipsa iuuet vel cooperetur in bonū, vel per eam animus ma-

Dilectio Dei præcipua.

Ioan. 21.

nducatur ad Deum, & sic seruatur ordinis rectitudo. Charitas autem, quia non vult sinere medium inter se & dilectum, ideo acumine suo cuncta penetrat, donec ad dilectum perueniat: & sic intentionem istam corroborat, purificat, & consummat: amantē insuper cum' amato arctius & efficacius stringit & vnit. Vnde Dionysius libro de diuinis nominibus dicit: Vnus est amor increatus, qui sua supersubstantiali & vniuersali appetitione ingignit omnibus rebus amorem creatum. Qui amor creatus, est quædam inclinatio & coordinatio amantis ad bonum amatum. Est enim amor, connexio & vinculū, quo omnium rerum vniuersitas, ineffabili amicitia, insolubili quoque vnione copulatur. Cùm igitur amorem nominamus, siue diuinū, siue Angelicum, siue intellectualem, siue animalem, siue naturalem, designamus nomine amoris quandam virtutem vnitiuam, communicatiuam, mouentem superiora ad prouidentiam inferiorum, & inferiora ad cōuersionem superiorum, ac coordinata ad continuam & mutuam habitudinē. Amor ergo noster, cum igniculo charitatis diuinæ fuerit inflāmatus, cum Deo stabilitur, ac perpetuatur: quia *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Quod cum Dei adiutorio fieri poterit in æternum. Nam in libro de spiritu & anima dicitur, quòd anima in se non de se amorem habet, quo semper cum Deo stare poterit. Vnde Apostolus ad Romanos: *Certus sum*, inquit, quòd *neque mors, neque vita*, &c. Quæ verba declarans Augustinus lib. de moribus Ecclesiæ, dicit, quòd licèt corpus nostrum mori possit, ipsum tamen, quo Deum diligimus, scilicet anima, mori non potest, nisi dum non diligit Deum, cui mors est non diligere Deum: quod nihil aliud est, quàm ei in diligendo aliquid præponere. *Neque vita*, quia Deus est fons vitæ. *Neque Angeli, neque principatus, neque virtutes*, id est, nec inferiores, nec medij, nec superiores: quia Angeli, cùm inhæremus Deo, non sunt nostra mente potentiores, sed toto mundo superior est mens, Deo per charitatem inhærens. *Neque instantia*, scilicet aduersa, quia eò leuiora sentimus, quò ei, à quo nos separare molitur, arctius inhæremus: & ideo *charitas omnia sustinet. Neque futura*, scilicet promissa, quia quicquid boni futurorum est, certius promittit DEVS sibi inhærentibus, & nihil est ipso Deo melius. *Neque fortitudo*, id est, violentia alicuius: *neque altitudo*, id est, prosperitas: *neque profundum*, id est, aduersitas: *neque alia creatura*, quia bonis *omnia cooperantur in bonum*, nec nos separant nisi demerito nostro. *Charitas* enim

Cap. 4.

Amor creatus.

1. Ioan. 4.

Rom. 8.

1. Cor. 13.

Rom. 8.

1. Cor. 13.

nunquam

nunquam excidit, sed nos Deo feliciter consummat & perpetuat, dum in idipsum fideliter subleuata fuerit. Quòd si in his, quæ deorsum sunt, per amorem se conuerterit, instabilitate continua fluctuabit: quia dicit Hugo in lib. de arca Noë: Quòd dum cor nostrum, vel spiritus noster per desideria defluere cœperit, quasi in tot diuisum est, quot in eo sunt, quæ concupiscit. Hinc nascitur illi motus sine stabilitate, labor sine requie, cursus sine peruentione, ita quòd inquietus sit semper spiritus noster, donec illi adhærere cœperit, vbi desiderio suo nil deesse gaudeat, & ea, quæ diligit, semper mansura confidat & credat.

Quies animæ.

Tertiò, Deo coniungi studeat animus adhæsione quieta anchora spei solidata, vt omnes tam moralis, quàm spiritualis exercitij motus, omnemque internæ suauitatis etiam diuinitus infusæ suauitatem & saporem intentionis velocitate & dilectionis acumine transcendens, in Deo, tanquam in motus sui finali termino, immobiliter quiescat. Nam in eo, cui rectè intendimus & præcipuè diligimus, immobiliter meritò quiescendum est, potius quàm in omnibus donis eius. Intentio quidem & dilectio cuncta munera bonorum operum & dona, diuinis obtutibus sedulè repræsentant: sed super omnem horum multitudinem sola in solo omnium datore requiescere concupiscit. Vbi verò supra omnia Dei dona, & supra semetipsam, & omnem creaturam in dilecto amore viuifico requiescit: illic anima *in Deo, & Deus in ea manet*, & amoris complexu vicario requiescunt. Hæc autem quies vel adhæsio quieta, continua meditatione confouetur. Quia radius rectæ & simplicis intentionis humano spiritui, æternum ac beatificum finem omnis consummationis, quasi speculatiuè præostendit. Amor autem intentionem rectam, in suum finem stabilit & perpetuat. Sed meditatio studiosa per ardua & aspera viuido quodam motu felicis aspirationis ad finem sibi præostensum, cum magna animi industria peruenire nititur: vt illo quieta adhæsione frui mereatur, solùm circa finem illum perseueranter intendens. Vnde duo rectæ intentioni necessaria sunt, scilicet vt amorem boni, & cognitionem veri meditatio studiosa suo feruore confortet & augmentet. Dicit enim Psalmista: *Et in meditatione mea exardescet ignis*, qui scilicet intentionem, quò ad cognitionem veri, illuminat: & quò ad desiderium finis, inflammat. Vnde, secùndùm Richardum, meditatio humana est studiosa mentis intentio ad inuestigandum veritatem, diligenter insistens cum labore: & in hoc differt à cogitatione & contem-

1 Iohan. 4.

Intentioni rectæ duo necessaria.

Psal. 38.

Meditatio humana.

Cogitatio. platione: Quia cogitatio fit sine labore & vtilitate, dum scilicet quis liberè cor suum euagari permittit, nec vllis terminis restringitur, quod ex vacuitate & distractione cordis, defectuque feruoris contingere solet, contra quod dicit Seneca libro de quatuor virtutibus: Cogitationes vagas & velut somno similes non recipias: quibus si animum tuum oblectaueris, cùm omnia disposueris, tristis remanebis. Cogitatio igitur tua stabilis sit & certa, siue deliberet, siue quærat. Vnde dicit Gregorius in Moralibus, quòd mens tot gressibus à Deo longè fit, quot malis cogitationibus decrescit; quum manus cessat ab opere, malus tamen non est innocens à cogitatione. Meditatio verò fit cum

Contemplatio. labore & vtilitate, cum scilicet quis cogitationem suam tantùm ad bona memoranda restringere nititur & captiuare. Contemplatio autem fit sine labore cum summa agilitate & vtilitate: quia contemplatio propriè est actus intellectus non impediti, gratia sanati, in æterna spectacula vel specula directi, & in admiratione suspensi. Porrò, meditationi humanę, ne in labore deficiat, allocutio diuina vicem reddere solet, quæ secundùm Augustinum fit inspiratione diuina, qua mentibus nostris suam voluntatem, & suam veritatem inuisibiliter ostendit: & sic humanam meditationem perficit, quia, secũdùm Dionysium, bona naturalia per bona supernaturalia perficiuntur. Motus enim animæ tam intellectuales, quàm affectuales inter Deum & animam in meditationibus quasi quidam nuntij discurrunt: qui tamen inutiles & indigni erunt in conspectu Dei, nisi lumine veritatis, & feruore charitatis, per diuinum præueniantur alloquium. Et ideo nisi diuina inspiratio vel allocutio mentem ad meditandum excitet & inspiret, quid, qualiter, & quando de diuinis meditandum sit, humana meditatio vana & inutilis remanet; quia non exardescit in ea ignis deuotionis, sed vanitatis, curiositatis, & cupiditatis. Dum verò nostræ meditationi se diuina sociauerit inspiratio, quasi viator quidam iucundissimis confabulationibus spiritum nostrum subleuat, à temporalibus abstrahendo, de æternis instruendo, & ad æterna inuitando, vt meritò dulce verbum eructet dicens: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* A cuius nimirum dulcedine cum Mose ducitur *ad interiora deserti.* Et cum Psalmista psallit, dicens: *Ecce elongaui fugiẽs, & mansi in solitudine. Expectabã eum, qui saluũ me fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate.* Super quo verbo dicit Bernardus: Non fuit cõtentus exire, nisi & longè se faceret, vt quiescere posset

Psal. 118.

Exod. 3.

Psal. 54.

Et si

Et si transtuliſti carnis oblectamenta, vt minimè iam obedias concupiſcentijs, nec tenearis illecebris & curis eius, profeciſti quidem, & ſeparaſti te; ſed nondum te elongaſti, niſi irruentia vndique phantaſmata corporearum ſimilitudinum tranſuolare mentis puritate præualeas. Hucuſque noli tibi promittere requiem. Erras, ſi circa te æſtimas inuenire locum quietis, ſecretum ſolitudinis, ſerenum lucis, habitaculum pacis. Hæc ille. Nec mirum, cùm dicat Gregorius, Quòd in ſolitudine manere, eſt à ſecreto cordis terrenorum deſideriorum tumultus expellere, & vna & viua intentione æternæ patriæ, in amorem intimæ quietis anhelare. Vnde ſequitur in Pſalmo: *Expectabam eum, qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate.* In quo ſe liberatum aſſerit à duobus in ſolitudine, quæ ſolent impedire ad interiora progredi cupientes. Primum eſt interius, ſcilicet puſillanimitas, quę prouenit ex defectu fidei & confidentiæ, ex qua oriuntur omnia interiora impedimenta. Contra quod dicit Pſalmiſta: *Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum.* Murus, ſecundùm Gregorium, eſt omne, quod itineri noſtro obijcitur, ne ad eum, qui diligitur, tranſeatur. Sed hunc murum tranſgredimur, cùm præ amore illius omnia mundo obiecta calcamus, vt ad eum, quem diligimus, expeditè peruenire valeamus. Secundum eſt exterius, ſcilicet tempeſtas, quæ prouenit ex defectu charitatis, quæ vigorata tranquillè *ſuſtinet omnia*, ex quo oriuntur omnia impedimenta exteriora & interiora: quia tempeſtas exterior (vt frequenter) interiorem generat, niſi charitas adſit, quæ *omnia ſuffert*. In ſolitaria ergo meditatione, ſola cum ſolo ſecurè manet à tentationibus externis abſcondita, veritatis fidei feruore viuificata & ſtabilita. Quod oſtendit Hugo de arca Noe, dicens: Si per ſtudium meditationis aſsiduæ cor noſtrum inhabitare cœperimus, iam quodammodo temporales eſſe deſtitimus, & quaſi mortui mundo facti, intus cum Deo viuimus quoniam ibi fixum eſt noſtrum deſiderium, vbi mutabilitati non ſubiacemus. Ecce iam ſtudioſa meditatio in tantum ſe exercuit & profecit, quòd in contemplationem tranſiuit: quia veritatem per meditationem diu quæſitam, & tandem inuentam, mens ſolet cum auiditate ſuſcipere, mirari cum exultatione, eiuſdemque admirationi diutius inhærere. Et hoc eſt meditationem meditando excedere, & meditationem in contemplationem tranſire: ſicut & cogitatio quandoque in meditationem tranſit. Cùm enim æternorum meditatio ſit

Manere in ſolitudine quid.

Pſalm. 54.

Puſillanimitas.

Pſalm. 17.

Murus inter Deum & nos.

Tempeſtas ſpiritus.

1 Cor. 13.

Contemplatio.

Meditatio æternorum quid.

quædam inquisitio veritatis æternorum cum magna animi industria, nec ab inquisitione desistat, donec quod quærit, inueniat, quantum potest, planum est quòd spiritus humanus per ipsam in æternis nec figitur, nec quieratur, donec quod per meditationem quærebatur, ei per contemplationem ostendatur. Quam citò verò quod quæsiuit, inuenerit, & spiritus illi velut acquiescendo cum admiratione inhærere cœperit, tam citò meditatio esse desinit, & in contemplationem transit. Quia meditationi, secundùm Richardum, proprium est sua promotione semper in vlteriora tendere. Sed contemplationi proprium est iucunditatis suæ * speculo cum admiratione adhærere. Sicque desinit actiua vita, & incipit contemplatiua. Nam sicut in naturalibus entium genera hoc ordine concatenata sunt, vt inferiorum suprema, superiorum infimis sint coniuncta: sic & in moralibus, supremus gradus inferioris vitę, superioris infimum attingit.

* Aliàs spectaculo.

Gradus vitę actiuæ supremus.

Supremum igitur actiuæ vitæ gradum submittentes, vitæ contemplatiuæ connectamus. Cùm enim sic intentione recta, dilectione præcipua, & adhæsione quieta quis Christo iugiter inhæserit, pijs sæpè desiderijs æstuat respicere *in faciem Christi* sui, vt quem pro tam immensis beneficijs & donis *per speculum in ænigmate* veneratur, etiam facie tenus palàm videat & agnoscat. Quoniam in operibus eum & à posterioribus agnoscere, minimè sufficere iudicat, nisi & *faciem* eius desiderabilem videre mereatur. Quamobrem industriosa solicitudine Zachæum æmulabitur, *Iesum videre* cupientem *quis esset*, sed adhuc *statura* pusillum, & ideo à tumultuantium cogitationum vel creaturarum turba præpeditum. Ascendat autem con urrectione vigorosa meditationum & affectionum *in arborem sycomorum*, ramis duodecim adornatam, hoc est, fidei celsitudinem: cuius rami sunt eius articuli. Quorum inferiores, de incarnationis Dominicæ, nostræque salutis mysterio loquuntur: superiores verò personarum Trinitatem, & naturæ diuinæ vnitatem eminentissimè confitentur. In cuius arboris apice, id est, deitatis vnitate fixè per amorem sedeat, & adhæsione quieta permaneat: quia Christus cum multitudine donorum suorum & gratiarum est *inde transiturus*. Quem cùm respexerit cum lumine fidei, protinus secundùm diuinitatem immensum, incomprehensibilem, inaccessibilem, & inuestigabilem esse, mentis oculis ostendit. Et hic est supremus gradus cognitionis in actiua vita. Chri-

1. Cor. 13. Exod. 33.

Luc. 19. Zachæus quomodo imitandus.

Articuli fidei.

stus

tus autem in hoc culmine cognitionis eum aspiciens, ait: *Festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Quod festinum nihil aliud est, quàm amoris desiderio, deitatis abyssо se protinus immergere, quam sub solo creato lumine, nulla valet intelligentia comprehendere: sed vbi cognitio foris stat, amor & desiderium intrant. Et sic in anima Deo, & Deus in anima amore vicario requiescunt. Nam vbi anima cuncta transcendens, in cacumine suæ mentis ascendit, ibi Christo in lumine fidei obuians, diuinitus illustratur, & Deum esse incomprehensibilem, incognoscibilemque docetur: vbi verò Deo incomprehenfibili se toto desiderio proclinat, illic iterum occurrens Christo, donis eius cælestibus adimpletur. Vbi denique super omnia Dei dona, supra seipsam & omnem creaturam, amore viuifico requiescit, illic in Deo ipsa, & in ea Deus requiescit. Et hic est summus consurrectionis gradus, quem in via actiuæ vitæ valeamus attingere. Ad quam dilectam dilectus in Canticis inuitat, dicens: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Quasi diceret: O *amica mea,* propter tuæ meditationis amorosam assiduitatem, quæ scilicet amoris est incentiua, quia in ea ignis exardescit. (Sicut enim ignem ligna nutriunt: sic meditationes amorosa desideria pascunt.) *surge* per meditationis extensionem, à temporalibus in æternitatem. O *columba mea,* (propter meditationis columbinam simplicitatem,) quæ simplicem habet intuitum, signans puram & simplicem intelligentiam: ex qua simplices & puræ meditationes oriuntur, quæ sunt Deo gratissimæ: *meditabor,* inquit, *vt columba. Propera,* per meditationis agilitatem, quam desiderabat Psalmista, dicens: *Quis dabit mihi pennas sicut columba?* O *formosa mea,* propter meditationis puritatem. Eius enim exercitatio sedula circa æterna mentem purificat, à temporalibus abstrahendo, ad æterna extendendo. Nam, secundùm Augustinum primo de Trinitate, Quantò mens se magis extendit ad id quod æternum est, tantò magis formatur ad imaginem Dei, vt sic meritò audiat, *Veni.* Quod nobis concedat Christus Dominus, Amen.

Cant. 2.

Isai. 38.
Psalm. 54.

De duplici modo perueniendi ad vitam speculatiuam & spiritualem, deque contemplatione duplici. Cap. VIII.

Amice ascende superius. Prophetа Dauid animæ contemplatiuæ semitam perfectionis ingerere volens: *Accedite,* inquit, Luc. 14. Psalm. 33.

ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Cùm enim creatura rationalis abiens in regionem dissimilitudinis, à Deo distet gradibus infinitis, ad hoc, quòd lucis æternæ superplenis claritatibus illustretur, necesse est animam, velut à se egredi, & gratuito Creatoris beneficio superius eleuari, vt sit aliqua approximatio, & assimulatiua quædam conformitas inter creaturam recipientem, & benignissimum Creatorem influentem. Quæ nimirum approximatio compendiosius adimpletur in semitis potentiarum affectiuarum, quàm intellectiuarum, sicuti videbitur. Sed hæc est sapientia à paucis admodum cognita: licèt Dauid ostendat liquidò per degustationem perueniendum esse ad veram illuminationem, dicens: *Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus.* Gustata quoque mellis dulcedine, *illuminati sunt oculi* Ionathæ. Hinc est quòd diuinus Dionysius 7. de diuinis nominibus vocat eam irrationabilem, amentem, & stultam sapientiam, dicens: Hanc irrationabilem, amentem, & stultam sapientiam, excedentem laudantes dicimus, quòd est omnis mentis & rationis & omnis sapientiæ & prudentiæ causa: & in ipsa est omne consilium, & ab ipsa omnis cognitio & prudentia, & in ipsâ *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ* Dei *abscondiți*. Vbi per sapientiam & cognitionem completa perfectio vtriusque potentiæ denotatur, scilicet affectiuæ & intellectiuæ. Vocat eam irrationabilem, quia nec ipsa ratio apprehendit, nec inuestigando ratione vtitur. Vocat eam amentem, id est, sine mente & intellectu, quoniam in exercitijs suis intellectu non vtitur, eò quòd ad tam summam cognitionem intellectus peruenire non sufficit. Vocat eam stultam, quia sine vsu omnimodæ intelligentiæ in affectu solo ista sapientia consurgit, quam nulla intelligentia penitus apprehendit. Et hæc sapientia non tantùm præclarior est, sed etiam vtilior alijs scientijs, cognitionibus, & apprehensionibus, quia non tantùm affectum supra se erigit, & amore extatico creaturam altissimo Creatori perfectius vnit: sed insuper intellectum in tantum eleuat, quòd multo plus omni prouidentia & cognitione diuinis fulgoribus cælitus illustretur, quàm aliquo ingenij sui exercitio valeat quis obtinere. Quæ sic à beato Dionysio definitur in libro de diuinis nominibus: Sapientia est dignissima Dei cognitio per ignorantiam cognita, secundùm vnionem, quæ est supra mentem, quando mens ab omnibus alijs recedens, postea seipsam dimittens, vna est supersplendentibus radijs, imperscrutabili & profun-

Ibidem. 1. Reg. 14.

Coloss. 2.

Sapientia quid sit.

fundo lumine sapientiæ illuminata. Hæc est illa sapientia Sanctorum à profluuio totius Trinitatis, fidelibus infusa, ac deifica diffusione diuinitus illapsa, qua mentes amantium rore cæleſti perfusæ, non aliquod emolumentum corporale, non aliqua dona Dei, scilicet gratiam, virtutes, vel gloriam: sed ipsum, qui est totius deiformis emanationis principium, scintillantibus affectionibus, insatiabilibus desiderijs, vnitiuis aspirationibus, non aliud affectantes, ipsum solum tangere, & ipsi vniri desiderant. Hic tamen est aduertendum, quòd mens, licèt huic sapientiæ coniuncta, tendat superius, tamen quantum est de suis motibus anagogicis, in ipso actuali exercitio sine omni muliebri vnctione vel delectatione consistit: sed potius est ibi miro modo corporalis afflictio, nisi Dominus profluа largitate sua dulcedine irrorare dignaretur. De hoc tamen semper lætitiam concipit: quia in hac actuali tendentia directè sine obliquatione quacunque se percipit in Deum consurgere: qui locus vnicus est suæ dignitatis, sibi naturaliter correspondens: sicut lapis naturaliter ad centrum suum tendit. Vnde multi decipiuntur in hac philosophia minus experti, semper æstimantes mentem in suis motibus consurgentem, cæleſti dulcore multipliciter irrorari. Cùm econtra mens actione laboriosissima sursum agatur, ac ex extensione spiritus fit quædam enervatio corporis, & membrorum corporalium debilitatio, ex impetuositate motuum anagogicorum, quos sine magna corporis afflictione sustinere non potest, nisi gaudium spiritus suo profluuio dolorem ipsum indulcoraret, quod subtiliter innuit Iob, dicens: *Suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea.* Prætereà, per istam sapientiam virtutes Theologicæ roborantur. Et primò, fides, quia per hoc, quòd mens insensibiliter infallibili notitia se trahi sentit in illum, qui solus est desiderij sui contentatiuus, (& hoc experitur verius, quàm oculus videre potest materiale obiectum) hinc mens certificatur, quòd ille solus & verus est Deus, quem fide colit: ita quòd si omnes mundi sapientes dicerent, Fides tua non est vera, sed deceptoria: econtra responderet, Fides vestra fallax est, & fides mea verax est. Multoque felicius per vnctiones amoris tenet infallibile firmamentum cordis, quàm per rationes & inuestigationes. Secundò, corroboratur spes, quæ est certa expectatio futuræ beatitudinis, in tantum, quòd iam de obtinenda futura gloria, quasi non timeat: quia mens prius ad reuerentiam maiestatis trepida, tantam fa-

Iob 7.

Virtutes Theologicæ quomodo per Sapientiã roborentur.

Fides.

Spes.

miliaritatem per affectiones & vnitiua desideria consequitur, quòd ipsius dilecti dono, in ipsa mente quædam confidentia relinquitur, qua omnis timor pungitiuus ab ea per modum cautelæ radicitus extirpatur. Tertiò, inflammatur & perficitur charitas, quia cùm per motus anagogicos, ad ipsius intimiorem vnionem aspirat, expolita radijs æterni solis, ab igne desuper emisso & immisso accenditur. Nam sol ist mentes multipliciter exurit, quia ipse per se augmentat ardorem in spiritu, mediante quoque ardore, resecat obstacula, quæ amorem impediunt, vt ardentius inflammetur. Insuper beneficia spiritualia superaddit, quibus amor in ipso perficitur. Facit (inquam) exurere mentem ad hoc, vt ardentissimè Deus vnicè diligatur. Denique, sapientia ista mentem exurit, vt in omnem proximum, sicut in seipsum, hoc amore ferueat. Rursum, desiderijs insatiabilibus vsque ad vnionem plenissimam aspirare languida non desistat. Nec tantùm virtutes per eam perfectum principatum obtinent, sed & mens omni philosophiæ, omnique inuestigationi rationis & inquisitionis, omnis speculatiuæ Theologiæ præponitur: quia per eam sine aliquo concomitante vel præcedente cogitatu, motum amoris habet, per apicem ipsius affectiuæ indicibili modo summum apprehendere bonum. Ad quam apprehensionem, nec intellectus consurgit, nec intelligentia speculatur. Hinc etiam gentilis eam non apprehendit, quia non quæsiuit, nec esse putauit, nec vim, secundùm quam diffunditur, in anima deprehendit. Putauit enim summam vim cognitiuam inesse intellectui, cùm sit alia vis, quæ non minus excedit intellectum, quàm intellectus rationem; & ratio imaginationem, scilicet, principalis affectio, quæ est scintilla synteresis, sola spiritui diuino vnibilis.

Charitas.

Quæ possit esse cognitiua virtus supra intellectum non video, nisi ipsemet intellectus, secundùm quòd supremo modo cælestia intuetur ac recipit.

Denique, sciendum est, quòd rationalis creatura constat ex duplici natura, scilicet, corporali & spirituali: & vtraque sibi correspondentia habet obiecta, quibus secundùm cuiuslibet capacitatem æterna veritas percipi potest. Ideo meritò duplex contemplandi modus assignandus est, quibus etiam duplici via ad ardorem amoris peruenire valeamus. Nam quidam sunt homines sensuales & rudes, qui tantùm sensibilia cognoscunt: vtpote sensum & intellectum obtusum habentes, & affectum recuruum. Ideo nec bonitatem nec veritatem diuinam in semetipsis percipiunt. Ne tamen omnino diuinæ cognitionis sint expertes, posuit Deus sensibiles creaturas, vt *inuisibilia* Dei *per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciantur*. Et sic pri-

Natura hominis duplex.

Roma. 1.

sic primus modus contemplationis, quo peruenitur ad ardorem amoris, communis est & scholasticus, per modum inquisitionis & eleuationis paulatim ascendens: incipiensque per exercitium ab inferioribus ad superiora. Verbi gratia: Primò creaturas exteriores exteriori sensu assicit: deinde superius ascendendo, quod exteriori sensu percepit, in imagine repositum conseruat, ac se magis eleuando, ratiocinando, conferendo, causam vnam omnium creatricem inuenit. Sic enim peruenerunt Philosophi ad cognitionem vnius Dei, qui tantam videntes creaturarum magnitudinem, tam decoram ordinationem, tantam earundem vtilitatem, per eas Creatorem vnum esse potentissimum, sapientissimum, & optimum, infallibili cognitione decernebant. Ex huiusmodi autem consideratione, ratiocinatione, & inspectione creaturarum, habitus quidam in intellectu relinquitur, vbi primordiale fundamentum creaturarum conseruatur: ita quòd de cætero, non tantùm per conspectionem creaturarum, sed etiam per irradiationem & illuminationem à Deo quodammodo immissam, mens ad diuina contemplanda præclarius eleuatur. Tandem verò cuncta contemplatio in affectione, & desiderabili vnitione terminatur. Alioqui enim contemplatio sine amoris affectione subsequente, parum prodest, aut nihil. Et ideo dicit Augustinus, quòd non licet semper volitando cogitare, sed etiam amando inhærere, vt semper meditatio præcedat affectionem amoris. Et sic secundùm viam scholasticam & communem, qua per creaturas vel intellectum cognoscitur Deus, cognitio præcedit amoris affectum, antequam in Deum affectus accendatur amoris. Cognitio tamen quæ sequitur amoris affectum, cùm scilicet in processu mystico diuinus spiritus supremum apicem affectus tangit, ex illo tactu relinquitur in mente cognitio multò verior, perfectior, & certior: sicut à simili quædam delectabilia cognoscuntur ad vescendum per aliqua signa, quæ in eis videntur. Ex qua cognitione vt comedantur, videntis appetitus inardescit. Sed cùm illa gustauerit, ex ipso gustu iam amplior & certior agnitio relinquitur: & ex hoc ad degustandum denuo magis inardescit.

Modus contemplandi scholasticus.

Secundus autem modus in Deum consurgendi mysticus & secretus est, ac per hoc omnibus alijs modis vtilior, & nobilior, ad habendumque facilior, sicut in sequenti sermone declarabitur: quem modum à filijs suis Dominus voluit frequentari, sensibiliaque funditus

Modus contemplandi mysticus.

ab eis amoueri: vt multò felicius & verius in secretiori thalamo affectus interius in amoris lectulo collocetum sentiant, quem Iudæi & Philosophi interius cæci per creaturas exteriores discurrendo mendicant. In hac enim mystica Theologia iubetur quis ingredi cubiculum suum interius, vbi thesaurum hunc, scilicet dilectum, absconditum inueniet: qui quæri non debet vt sensibile, prout exteriori sensui correspondet, nec prout est obiectum interiorum sensuum, nec sub apprehensiua ratione ipsius Dei, prout est dulcissimus, pulcherrimus, suauissimus, per mentis anagogica desideria appetatur, nescilicet anima, quæ quasi filia soli desiderio Conditoris inhærere debet, veluti mercenaria suam refectionem impudenter requirat: nisi tantùm ad hoc, vt in eius dulcedinis & suauitatis nutrimento viscerosius allecta, iam insatiabilibus & immensis desiderijs ad dilectum inardescat, ac vniuersa creaturæ delectatio plenius de cætero vilescat. Hæc est illa mirabilis & occulta sapientia vnitiua, quæ per affectiones flammigeras consistit in amoris desiderio, ac sine omni meditatione & inuestigatione præuia, amantis affectum sursum trahit. Non enim oportet cogitare de creaturis, nec de Angelis, nec de Deo, nec de Trinitate: quia non per meditationem præuiam, sed per affectus desiderium debet aspirando consurgere.

Proficientium modus in mystica sapientia.

Ad maiorem tamen euidentiam sciendum, quòd ista sapientia aliter debet exerceri à proficientibus, & aliter à perfectis. Nam proficientes post debitam conscientiæ purgationem, debent aliquantulum cogitando, ipsi Deo desuper inflammati occurrere, præsertim cùm sibi diuinam gratiam arridere conspexerint: non tamen cogitando de Deo, vel de Angelis (vt dictum est,) sed consurgendo per meditationes anagogicas: exempli gratia, vt rudibus occasio detur. Si quis vel simplicissimus tantùm hoc modo desiderio suo supra se consurgeret: O Domine quando te diligam? quando te constringam? quando tibi totus vniar & immergar? quando totus à tua plenitudine absorbebor? Totum te sitio, totum me tribuo: & infinita similia. Et si hæc sæpius frequentaret, citius se sciret experimentaliter inflammari, quàm si de secretissimis cælestibus, & æterna generatione vel processione mille sies cogitaret. Per tales enim aspirationes præuias, in seipsis directum prouocantes, amoris affectio paulatim accenditur, & ad mentis eleuationem quis magis ac magis habilitatur, quousque ad vnitiuam eleuationem affectio sustollatur. Cùm autem

autem per frequens exercitium in amore vnitiuo mens cõfirmata fuerit, ac per ingeminatas flammigeras amoris affectiones, vel aspirationes supra seipsam dextera dilecti sui subleuata, citius quàm cogitari posset, sine omni cogitatione præuia vel concomitante, quotiescunque placuerit in die, vel in nocte; centies, vel millesies in dilectum afficietur, ad illum totum possidendum, innumerabilibus desiderijs aspirandò, in quantum admittit valetudo corporalis. Nam in his magna discretio est adhibendà, ne corpus per feruorem spiritus ante tempus destruatur: prout postea latius videbitur. Et tũc amoris affectio præcedit *cogitationẽ, quæ tantæ mobilitatis est, quòd sicut in aspiratione & respiratione anhelitus, sine omni deliberatione procedit emissio vel immissio: sic sine omni deliberatione affectus ignitus, qui est super omnẽ intellectum, in illũ tendit; cui soli perfectius vniri desiderat, & actionẽ suam ab omni intelligentia totaliter separatam habet: tanta latitudine & promptitudine à parte superiori coadiutus, vt mira velocitate motuum citius quàm cogitari valeat, instar aspirantis vel respirantis consurgat. Cuius etiam velocitate, extensiuoque & importunissimo ardore, exercitium omnis speculatiuæ cognitionis, sicut mendicus, nullius valoris repudiatur & rescinditur, licèt importunè se immisceat.

*Aliàs cognitionẽ.

Tactus Spiritus sancti.

Hæc est igitur nobilissima sapientia mystica: hæc inquam est affectio amoris verissima, quæ primùm tangitur & tangit propter maximam vicinitatem cum suo appropriato, scilicet Spiritu sancto.

Primùm enim tangitur, quoniam amor iste verus, qui est Spirtus sanctus, est tertia persona in diuinis, & vltima respectu ordinis personarum; & per consequens nobis propinquior. Hinc est, quòd primò in consurrectione affectiua in Deum, supremum apicem affectiuæ per ignem amoris tangit, instammat, ac indicibiliter sine cogitatione præuia, vel rationis discretione ad se trahit: sicut lapis naturali motu semper ad centrum suum trahitur, eò quòd affectiua potentia, quæ est supremum in spiritu hominis, Spiritui sancto immediatè vinculo amoris est vnibilis. Secundò etiam primò tangitur, quia spiritus rationalis à Deo recipit influentiam, primò & principaliter in quantum est ipsi affinior, sed affectus per amorem dispositus, est supremus in spiritu rationali, & per consequens increato spiritui propinquior. *Hîc primò tãgitur apex affectus à Deo per immissionem igniti amoris in spiritu, tanquam Deo propinquior; antequam apprehendit eum intellectus: qui est multo plus à supremo Creatore distantior, quàm affe-

*Aliàs Hinc.

ctus: quare multo excellentior, amabilior,& ad obtinendum dilectũ facilior est ardor amoris. Primumque conscendit ad dilectum tangendum,osculandum & amplexandum: sicut à simili,ordo Seraphin,qui interpretatur ardés,est Deo vicinior quàm Cherubin,ac per consequẽs vberius, perfectius,& prius influétiam à Deo recipit, quàm Cherubin, qui interpretatur plenitudo scientiæ. Et hæc potentia,vt est supremũ in spiritu,ferè ab omnibus ignoratur: nisi ab illis,quibus ab igne Spiritus sancti immdiatè apex affectus tangitur,& mouetur. In quo tactu Spiritus sancti datur multò maior de Deo cognitio, quàm per omnẽ intellectum,& rationem inuestigando. Per quem, inquam,tactum,mouet affectum, primò per ardorem in Deum,deinde illuminat intellectum ad verissimam,& plenissimam cognitionem. Dissoluit imaginaria phantasmata,refrænat & captiuat omnium sensuum deordinationem,etiam vsque ad carnis sensualitatem,sua redundantia pestiferam corruptionem eius mortificando.

D. HENRICI HARPHII
THEOLOGIAE MYSTICAE LIBRI III. PARS SECVNDA.

De præparatione vitæ speculatiuæ & spiritualis, deque affectu quintuplici. Cap. IX.

Iohan.17.

AMICE ascende superius, Lucæ 14. Dicit Augustinus in libro de cognitione veræ vitæ: Quòd,cùm *hæc sit vita æterna,vt te solum Deum verum cognoscant*, profectò constat naturam rationalem ad hoc solùm factam, vt factorem suum Deum verum intelligat, intelligendo diligat, diligendo, in eo, qui est vera vita,æternaliter beatè viuat. Et ideo concludit,quòd diuinitatis essentiam rationabiliter inuestigare,est ad æternam vitam festinare: quam vtique negligendo ignorare, est ad mortem indeficientem damnabiliter properare: quia duo sunt æternitatis itinera: Vnũ ducens ad vitam æternam: Alterum ducens ad mortem æternam. A Domino namque se auertere, secundùm Augustinum, est cadere: in quem se conuertere, est resurgere: in quo manere, est consistere. Et hæc quidem

Itinera æternitatis duo.

quidem veraciter exequi non possumus, nisi per secundum gradum vitæ viatoris, qui dicitur vita speculatiua spiritualis, per Rachelem significata, sicut actiua per Liam, & contemplatiua supereminens per Mariam, quæ *optimam partem elegit*. Et huius quidem vitæ, quædam digna requiritur præuia præparatio, qua perficienda dinoscitur, Lucæ 10.

Pro quo sciendum, quòd duo sunt pedes spirituales, quibus hæc via perficitur, & ad debitum finem deducitur, scilicet, intellectus, & affectus: quos pariter coambulare necesse est, vt illa secretissima contemplationis itinera perquirentes attingere valeant. Alioqui intellectus sine affectu claudus efficitur: affectus autem sine intellectu cæcus esse probatur. Coambulent ergo necesse est, vt & intellectus affectui viam, per quam ambulet; & finem, quem desiderat, luculèter ostendat: affectus autem intellectum in terminum desideratum & præmonstratum impetu suo transferat & perducat. Pedes animæ duo qui.

Quia dicit Hugo super septimum Angelicæ Hierarchiæ, quòd mentes cælestes vel spiritus rationales ad interiora nitentes, cognitione & dilectione accedũt, & proximæ fiunt secundùm excellentissimam collocationem, quam habent iuxta Deum. Sed tales pedes mundos & puros esse oportet, quia nihil inquinatum illuc intrare poterit. Quod intuens Dominus ait: *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet*. Qui enim mundus est à mortali, & præcipuè per ectus, capitis lotione non indiget. Nam caput nostri spiritus est simplex intelligentia, quæ in viris perfectis Deo coniungitur, vt dicit Augustinus. Nec etiam lotione manuum indiget, quia eorum opera munda sunt, propter munditiam capitis ea in Deum ordinantis: sed tantùm indigent lotione pedum, quia tales pedes, vt cognitio vel affectio, mediante sensualitate quandoque terram tangunt. Impossibile est enim hominem aliquando non peccare venialiter, nec pati deordinationem aliquam in sua sensualitate, propter continuam conuersationem in terris: ex qua trahitur aliqua macula impuritatis in affectu, & ex hoc ruga impuritatis in intellectu. Vnde dicit Origenes: Ego impossibile puto, non cõtaminari extrema animę & infima eius: quanquam quis perfectus, quò ad homines, reputetur. Ideo charissimi discipuli Domini sunt, qui solùm lotione pedum indigent. Quos iterum inquinari timuit in Canticis sponsa, dicens: *Laui pedes meos*, compunctionibus & fletibus, *quomodo* iterum *inquinabo illos?* temporalium vmbris & imaginibus, cùm etiam intellectuales operationes & formæ in hoc loco in superintellectuali Apoc. 22. Iohan. 13. Caput spiritus nostri quod. Cant. 5.

exercitio reputentur maculæ & offendicula, vt dicit Vercellensis super eodem verbo. Ad quæ nimirum offendicula conculcanda & vitanda necesse est habere pedes nõ solùm lotos, sed etiam ad ambulandum exercitatos, & agilitate veloces. De quo gloriatur Psalmista dicés. *Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum.* Ceruus enim, secũdùm Gregorium, cùm iuga montium ascendit, aspera quæque & obiecta transgreditur, donec ad superiora eleuetur: non solùm currit, sed etiam saltat. Sic electorum mentes quæcunq; sibi obuia respiciunt, contemplationis saltu transcendunt, donec ad superna sẽ euehant. Vnde, secundùm Dionysium tertio capitulo Angelicæ Hierarchiæ, Pedes in Scriptura significant virtutem motiuam acutè penetrantem, & velocem, id est, semper tendentem in diuina. Per hos denique pedes transimus secundùm Augustinum, ad Deum: non ambulando, sed amando: quẽ tantò habebimus præsentiorem, quãtò amorem illum, quo in eum tẽdimus, habuerimus puriorem.

Psal 17.

Pedes mysticè.

Ad maiorem autem horum euidẽtiam sciendum, quòd ad emundationem vel præparationẽ debitam oculi intellectualis, tria sunt necessaria. Primum est infusio luminis gratiæ excellentioris: quam tamen actiua vita absque interni feruoris diligentia promeretur. Quæ gratia in anima similis est candelæ in laterna: quia hominem iustum calefacit, illuminat, & transradiat, habitatori suo se manifestans intrinsecus: si tamen suipsius fuerit diligens inspector: & per opera exteriora transradians, proximis lucet virtutibus & exemplis. Illuminatio namq; gratiæ, subitò mouet & excitat intrinsecus hominem. Quæ subita motio, primùm est conficiens spiritualem visionem, huic exercitio congruam, quam infusionem luminis gratiæ, per gemitus & lachrymas à rubigine peccatorum debitam ablutionem præcedere necesse est: vt sic ad susceptionem diuini radij præparetur. Vnde sicut in speculo, quòd cum flatu vel alio quocunque fuerit obtenebratum, facies humana licèt obiecta, non refultat: quam tamen absersum statim recipit & repræsentat. Quòd si speculum aliquod ad instar spirituum humana ratione decoratum, & viuidum adueniret, per illud vtique quod in se recipit obiectum, cuius est similitudinem repræsentans, cognosceret. Sic nimirum cùm à rationali spiritu obfuscans, caligo fuerit eliminata, protinus sol iustitiæ, gratiæ suæ radios immittit, qui quantum in se est, æqualiter omnibus sè infundit: imò sicut radius Solis ad fenestram immobilis perseuerat: qua reserata, ex sua naturali bonitate

Oculo intellectuali parãdo necessaria tria.

nunquam

nunquam se retrahens, domũ interiorem prius obscuram, statim irradiat: sic sol iustitiæ immobiliter præ foribus astans cordis nostri, nihil aliud expectat, quàm vt per vitiorum absterſionem aditus sibi patefiat, vt in mente nostra velut in lectulo dulciter conquiescat, per irradiationes spiritualium splendorum animã sibi desponsatam insigniens. Quòd si duo specula intellectualia, scilicet humanæ mentis & æternitatis perfectè conuenerint, tunc anima per susceptũ in se diuinũ speculum, & illud in se, & se in illo esse plenariè perciperet, cognosceret, & fruibiliter possideret. Et ideo cuncta vitia præterita quantumcunq; minima fletibus, suspirijs, & orationibus, alijsq; virtuosis exercitijs cũ summa diligentia sunt eliminãda, & expurganda: quia mentẽ humanam mirabiliter offuscant & obnubilant. Secundũ autem est, omniũ formarum extranearum, omnisq; phantasticí tumultus exclusio, vsqueadeò, quòd mens ab omnibus creaturis, & earũ formis sit libera, pura, expedita, & penitus otiosa. Nam ad motionem prædictã ex parte hominis mox occurrit recollectio virium animæ tam superiorum, q̃ inferiorum & exteriorũ in vnitate spiritus, vinculo charitatis connexarum: & sic memoria redditur expedita, sicut in primo ipsa intelligentia. Tertium est, libera voluntatis ad Deum conuersio cum recollectione omnium virium animæ, & eiusdem voluntatis ab omni inordinato affectu absolutæ, in vnitatẽ suæ mentis, ac ipsius diuinitatis ascensio, vt rationalis creatura summam vnitatẽ essentiæ diuinæ feliciter & supernaturaliter assequatur. In quibus ascensionibus anagogicis, exercitatione sedula tandem assuefactus, quoties voluerit, quoties Dei sui memoratus fuerit, toties à formis omniũ creaturarum liber & absolutus, expeditè valeat ad cor altum ascendere: sicut elychniũ candelæ adhuc fumigans, dum ardẽti supponitur, odoris illius tactu protinus flamma descendens, per virgulam fumi, elychnium adhuc tepidum apprehendit & incendit: Sed huiusmodi necesse est à naturalibus animæ passionibus & inordinatis affectionibus funditus esse liberatos & elongatos, scilicet ab amore, odio, dolore, gaudio, spe vana, & inani timore, cæterisque similibus. Nam, *Nubila mens est, vinctaq; frænis, hæc vbi regnant.* Non denique prosperis eleuetur, nec aduersis deijciatur: nulla eum extranea cura solicitet: nullius eum detineat affectio creaturæ: & sic ipsam voluntatem ad vitam spiritualem se præparasse gloriatur. Quæ tria vbi concurrerint, spiritualem causant visionem, & totius sunt interni exercitij fundamentum.

Mens quomodo illuſtretur.

Nunc autem videndum eſt, quo lumine mens taliter præparata, ſit illuſtranda. Pro quo ſciendum, quòd ſicut claritas ſolaris tribus modis & differentijs percipitur, ſcilicet in obiecto, vtpote in pariete vel terra: in radio ſuo, ſcilicet in aëre: & in ſeipſo, id eſt, globo vel rota ſolari; ſic etiam diuinus radius ſpiritui viatoris ſe tripliciter manifeſtat.

Radium diuinum manifeſtari trifariam.

Primò, in ſacra Scriptura, cum ſub cortice literæ, per aliquod donum intelligentiæ, ſenſus anagogicus inuenitur, quo mens veluti per quendam radium ad amorem ſui Creatoris multipliciter & mirabiliter erudita dirigitur. Vnde dicit Dionyſius in libro de diuinis nominibus: Indicibilia autem caſto ſilentio venerantes, ad illuceſcentes nobis in ſanctis eloquijs ſplendores exercemur, & ab ipſis illuminamur. Vnde per lumen illud internum diuinæ gratiæ, tanta ſapientiæ dilatatio in Scripturis quandoque conquiritur, vt quot ſunt verba in nouo & veteri Teſtamento, quot creaturæ in mundo, tot anima ſuſcipit intelligentias & ſermones, ad Deum & ad punctum amoris omnia referendo.

*Aliâs ſpeculis.

Secundò verò, diuinus radius refulget in ſpiritu, quo mens æternis ſuſpenſa *ſpectaculis, ſub admiratione quadam ad meditandum de ſupercæleſtibus, eruditur, ſcilicet de rationibus æternis, & de æterna generatione Filij, vel de nexu Spiritus ſancti, & ſimilibus. Quia ſicut per ſolares radios in aëre reſplendentes, oculus materialis ad cõtemplationem ſolis erigitur: ſic oculus intelligentiæ per immiſſos radios à ſole ſpirituali, non per aliquam ſcientiam diſciplinatam, vel mortalis Doctoris induſtriam, ad cognitionem ſupercæleſtium occultorum eleuatur. Hinc beatus Dionyſius ad *Titum ſcribens, ait: Verte te ad radium. Quaſi diceret: non alium Doctorem, nec aliud exemplar aſſumes ad percipiendum diuina: ſed in teipſum ingredere, & per radios tibi deſuper datos, ad contemplationem diuinorum artius te exerce. Quia ſicut rationalis ſpiritus nobilior eſt cæteris inferioribus creaturis, ſic in ipſo diuina ſapientia per immiſſos bonitatis ſuæ radios, nobilius ſe manifeſtat.

*Aliâs Timotheum.

Tertiò denique fons ille diuinæ claritatis, & beatitudinis ſeſe ſua dignantiſsima bonitate manifeſtat, ſicut aliquando fit in raptu, cùm mens ſcilicet ab omnibus abſtracta, & alienata, quantum poſsibile eſt, gratia trahente naturam, gratuito dono Creatoris ad diuina rapitur, Deum ſupereminenter viſura. Per primum lumen ad amorem vniti-

vnitiuum ascenditur: secundum autem amorem vnitiuum sedulè concomitatur. Et quantò mens magis fonti luminis per affectiones amoris appropinquat, tantò perfectius, & efficacius diuinioribus radijs velut ipsi vicinior adimpletur. Sed ad tertium lumen, quod est fons luminis, mens ipsa singulari dono, suspirijs, & aspirationibus insatiabilibus, quandoque tandem peruenire peroptans, sua importunitate diuinitus subleuatur, ac sibi suspiranti diutius dicitur à dilecto: *Amice, ascende superius:* vt postea videbitur. Lucæ 14.

Cæterùm, vt pes secundus, scilicet affectus in nobis habilitetur accuratius, sciendum, quòd (vt dicit Hugo) affectus est quædam spontanea, ac dulcis ipsius animi ad aliquid inclinatio. Et quia secundùm variam affectionem, & inclinationem motuum, amores nostri variantur, ideo subtilius est inquirendum, quis amor est respuendus, quis reprimendus, & quis amplexandus. Primus igitur affectus est naturalis, quem quis habet ad carnem suam, vel etiam ad amicos suos carnales, & domesticos: quem affectum sicut impossibile est non admittere, sic non sequi summæ virtutis est. Semper enim mollia, & suauia suggerit: quod iucundum, voluptuosum, & delicatum est, libenter amplectitur: quod autem asperum, & carni contrarium est, cum horrore refugit. Vnde huius affectus executio, peruersus amor est: & *qui* sic *amat animam suam, perdet eam*. Ab hoc affectu naturali multum differt affectio charitatiua: quia ille cum homine nascitur, hæc verò à Deo infunditur. Secundus affectus est carnalis, qui in primis suis motibus, neque virtus, neque vitium est; sed est quædam hominis habitudo, animum eius suis incentiuis inclinans: sed hominis est vel recipere, vel respuere ea. Nam faciliter alicuius forma elegantior, & sermo suauitate venustior, aspectus quoque ignorantis qualis sit in se prouocat, & perstringit affectum. Quod in puero Mose apparuit propter elegantiam suæ formæ, *tribus mensibus* occultato à matre, & à Pharaonis filia adoptato. Qui etiam affectus Dauid ad speciem Bersabeæ præuenit incautum, præuentum dissoluit, dissolutum obruit. Sapientiam quoque Salomonis absorbuit, & carnali libidine dissolutum, in spiritalis fornicationis deiecit barathrum. Et hic affectus non meretur habere nomen veri amoris: sed est idolum longinquum veri amoris, & plenus anxietate, vt dicit sanctus Dionysius de diuinis nominibus. sed affectio charitatiua plena est iucunditate.

Affectus quid.

Affectus naturalis.

Ioan. 12.

Affectus carnalis.

Exodi 2.

2. Reg. 11.

3. Reg 11.

Tertius affectus est officialis, de quo dicit Hugo: Officialem affe-

Affectus officialis.

ctum dicimus, qui munerum, vel obsequiorum exhibitorum officio quorundam animos inclinat, qui quamuis sit periculosus, tamen est admittendus, ne ab officio sit ingratus. Cauendum autem est, ne tam vitio impartiatur, aut faueat, quàm homini. Quid enim magis cauendum est, quàm ne delinitus obsequijs, vel muneribus illectus, faueas vitio, vel incuria torpeas? Ab hoc etiam affectu multum differt affectio charitatiua, quia ille *quærit quæ sua sunt*: per charitatem autem sing. la sunt omnium, & omnia singulorum, quia *non quærit quæ sua sunt*. 1. Cor. 13.

Affectus rationalis. Quartus affectus est rationalis, qui scilicet ex consideratione alterius virtutis ortum sumit, cùm nobis alicuius scientia, aut virtus, fama, aut probitas manifestata, mentem nostram dulcedinis, aut admirationis suauitate perfundit: aut nos audita Martyrum triumphali passione, suauissima deuotione compungit. Sic memoriales actus præcedentium, quasi sub oculis meditatione delectabili depingit, & ad eorum dilectionem contemplantis animum accendit. Qui nimirum affectus cæteris perfectior est, quia non modicum virtutis est, ipse amor virtutis. Ab hoc tamen affectu differt affectio charitatiua, quia hic affectus ratione mediante, ab exemplis exterioribus oritur & excitatur: affectio verò charitatiua à Spiritu sancto ad amandum etiam peccatores inflammatur, & ex Sanctorum exemplis multò dulcius afficitur.

Affectus spiritualis. Quintus affectus dicitur spiritualis, quia vel à spiritu immittitur, vel à spiritu inspiratur, & iste est triplex: Nam aliquando à maligno spiritu immittitur, cùm instigat ad vitia: quo Ammon ad amplexus sororis exarsit: & Iudas in mortem Domini conspirauit. Quandoque verò à spiritu nostro, cùm ex ingenita natura, vel studiosa exercitationis frequentia oriuntur amorosi affectus ad summum bonum diligendum, vtpote quod est summè appetibile: & sic similimi efficiuntur charitatiuæ, vel gratuitæ affectioni. Nam maximus charitatis gradus est, *vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, vt dicit Dominus. Similem tamen gradum ex puris naturalibus multi reperti sunt ostendisse, sicut Augustinus narrat secundo de ciuit. Dei, quòd multi vtilitatem reipublicæ, propriæ vitæ præponebant. Quandoque etiam à spiritu diuino inspiratur, qui licèt cum prædictis in multis conueniat propter similitudinem actuum, habitus tamen eorum differunt. Primò, quantum ad originem, quia hic à solo Deo supernatu- 2. Reg. 13. Matth. 26. Ioan. 15.

rali-

raliter infunditur. *Charitas* enim *Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis:* sed naturalis affectu cum homine nascitur, & alter per exercitium acquiritur. Secundò, quantum ad substantialitatem, quia charitas est vnificatiua, seu viuificatiua, & purior, ac feruentior. Tertiò, quantum ad formalitatem, quia charitas alias virtutes sola per habitus format, & perficit. Quartò, quantum ad finis capacitatem, quia sola charitas spiritum humanum à culpa educit, & conducit in via: adducit ad dilectum, vnit dilectum dilecto, & copulat summo Deo. Vnde Rabanus in sermone quodam: Amor diuinus est ignis in meditatione, mentem purificans à sordibus vitiorum: lux est in oratione, mentem irradians claritate virtutum: mel in gratiarum actione, mentem dulcorans dulcedine diuinorum beneficiorum: vinum in contemplatione, mentem inebrians iucunda & suaui dulcedine: sol est in æterna beatitudine, mentem clarificans serenissimo lumine, & suauissimo calore, exhilarans ineffabili gaudio in perenni iubilatione. Hæc ille. Sed nullum istorum dilectio acquisita, vel naturalis, sine charitate efficere potest.

Rom 5.

Amor diuinus.

De ornatu vitæ speculatiuæ, & spiritualis per dona Spiritus sancti, præcipuè timoris, pietatis, scientiæ, & fortitudinis. Cap. X.

VIso de his, quæ ad præparationem vitæ speculatiuæ, & spiritualis necessaria videbantur, iam prosequendum esse reor de ornatu eiusdem, qui præcipuè consistit in adeptione perfecta donorum Spiritus sancti: quia *caro non prodest quicquam, sed spiritus est qui viuificat*, vt spiritualem efficiat. Pro quo sciendum, quòd postquam per charitatem, & erectam intentionem in omnibus actibus, & vitæ suæ moribus, ad Dei laudem, gloriam, & honorem sedulè sese quis sustulerit, supereſt vt humili patientia voluntatisque deiectione, nouas animi diuitias, & dona cum certa confidentia præstoletur, non importunus exactor, nec anxius suspirator, (quia sic ad susceptionem & ornationem vitæ spiritualis melius disponitur,) offeratque se sedulè simplici, erecta intentione, cum omnibus virtutibus suis diuinis cõspectibus, & in illam sublimem vnitatem, in qua Deus est, & omnis spiritus Deum supernaturaliter amans, sine medio vnum sunt, super se & super omnia velut aspirando requiescat: vt sic ex illa vnitate diuina gratia, & dona gratiarum effluant, & huius *fluminis impetus*

Ioan. 6.

Spiritus sãctus p virtutes Theologicas quo modo agat in animam.

Psalm. 45.

ciuitatem vnitatis ſpiritus noſtri ſanctificet. Ex qua nimirum vnitate vires ſupremæ per gratiam habituatæ, potentialiter ad omnes virtutes effluunt, & in quam vnitatem rurſus refluunt, ſollicitæ *ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis* & charitatis, vt poſtea videbitur. In hac enim vnitate conſiſtit virtus, initium, & finis omnis creati operis tam naturalis quàm ſupernaturalis, in quantum naturali potentia per gratiam & dona cæleſtia creaturaliter actitatur. Quoniam ad hoc vnitati virium ſupremarum gratiam ſuam Deus infundit, vt naturalibus viribus habitibus virtutum inueſtitis, & per gratiam excitatis, homo ſemper inuigilet operibus virtuoſis: quia gratiam propter operationem virtuoſam tribuit, ſed ſeipſum ſuper omnia gratiarum dona, propter fruitionem, & quietem adipiſcendam elargitur. Porrò, cùm anima per fidem naturaliter in ſupremo ſui fuerit ſubleuata, ſuperueniens Dominus luce ſua ſupernaturali virtutem eius intellectiuam clarificat, ita quòd plus credit, & confidit, quàm exprimi poteſt, conſiderans, & inſpiciens æternum bonum, quod expectat adipiſci, certiſsimè ſperans quod credit, & inſpicit. Ex quo mox profluit amor ſenſibilis in libertate ſpiritus, cum Deo ſperantem vniens, & conglutinans. Sicque cum tribus his virtutibus Theologicis, Spiritus ſanctus animam noſtram ingreditur, velut fons viuidus ſeptem riuulis proflua largitate inundans, qui ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti, animam noſtram adornantia, & perficientia in vitam æternam.

Ephes. 4.

Timor Domini.

Primum ergo donum eſt amoroſus Dei timor, metuens magis Deum offendere, quàm damnationem incidere, vel præmium amittere. Facit autem timor tam diuinitati, quàm humanitati Chriſti deuotam exhibere reuerentiam, honorem, & cultum debitum. Facit etiam vitam ſuam, & omnia opera diſpenere diligentius ad honorem Dei, & conformitatem vitæ Chriſti. Facit denique deuotam exhibere reuerentiam, & honorem Eccleſiaſticis Sacramentis, diuinis officijs, Chriſti doctrinis & Sanctorum eius. Cum amore etiam reuerentiali complectitur omnes deuotos imitatores Chriſtianæ religionis. Cæterùm ex hoc amoroſo timore, vera procedit humilitas, & abiectio ſuijpſius, in conſideratione diuinæ magnitudinis, & ſuæ paruitatis: diuinæ ſapientiæ, & ſuæ ignorantiæ: diuinæ opulentiæ, & ſuæ indigentiæ: diuinæ liberalitatis, & ſuæ neceſsitatis. Quæ faciunt eum ſemper coram oculis Dei, modicum, humilem, & abiectum: ſub-

Humilitas.

subiectumque reddunt omni humanæ creaturæ, veritate cognitionis, & affectu humiliationis. Ex qua humilitate procedit obedientia vera, qua quis Deo, mandatis diuinis, Ecclesiasticis præceptis, propriis Prælatis, & omnibus hominibus in bonis, & iustis causis propter Deum humiliter, & grataner obedit, secundùm status sui conditionem, personarum exigentiam, & propriam facultatem, prout sancta discretio dictauerit faciendum. Per hanc etiam sensus suos, & vires bestiales, oneribus, & laboribus pœnitentialibus subijcit, iuxta naturæ suæ possibilitatem, secundùm normam iustæ discretionis. In omnibus quoque agendis, vel non agendis, aut sustinendis, propriæ voluntati, & sensui renuntiare nititur, diuinum beneplacitum diligentissimè prosequens. Qui sic timorem hunc sibi viscerosius incorporauerit, propriæ voluntati, vtilitati, & sensualitati renuntians, de eo loquitur in Euangelio Dominus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Ille nanque solus verè pauper est, qui relictis omnibus, etiam omnem voluntatem suam, diuinæ voluntati per omnia sine cordis retractione subijcit, & Christum Iesum felici imitatione secundùm vtramque naturam subsequi non desinit. Christus enim secundùm naturam diuinam, reuerentiam habuit ad humanam naturam, se humiliando, & subijciendo; nostram naturam assumendo, & sibi inseparabiliter vniendo, illam exaltãdo, & deificando, superque omnes Angelicos choros subleuando. Fuit etiam obediens desiderijs, & inclinationib⁹ sanctorum Patrum, Patriarcharum, & Prophetarum. Secundùm humanitatem autem cęlesti Patri maximam reuerentiam, & honorẽ exhibuit, in omnibus operibus suis quærens eius honorem, laudem, & gloriam. Humilis & abiectus in obsequio Patris, & totius creaturæ rationalis. Vnde lauit *pedes discipulorum* suorum, & ait: *Non veni ministrari, sed ministrare, & dare animam meam pro multis.* Erat etiam obediens vsq; ad mortẽ paternis mandatis, & legalib⁹ præceptis, vt meritò diceret Isaias: *Replebit enim spiritus timoris Domini.* Sic iste viues in Dei timore, moralibus virtutibus, & extrinsecis exercitationibus vitã suam excolit, ac diuinis mandatis obediens ad omne bonũ intentione simplici, se beneuolum & paratũ exhibet. Vnde per fidem & vnicordiam diuinæ suæque voluntatis in agendo & vitando, Deo similis effectus est, ac supra similitudinem in Deo suauiter requieuit. Et si in hoc dono se gratanter exercuerit, mox illi Deus spiritum pietatis & largitatis elargitur, quo largus, mitis, & benignus factus, magis si-

Obedientia.

Matth. 5. Pauper spiritu verè quis.

Ioan. 13. Matth. 20.

Isaiæ 11.

gis similis ac vinacior efficitur quàm prius, sentitque se magis dilatatum, ac profundatum in virtutibus, & in Deo firmius quàm prius quiescentem: cuius requies & similitudo sibi tantò dulcius sapiunt, quantò similior est effectus.

Secundum ergo donum est quædam sancta liquefactio visceroſæ pietatis ad Deum, & ad proximum. Quam pietatem, vt dicit Anselmus libro de Similitudinibus, Spiritus sanctus dono timoris superimponit, cùm menti sic timenti suijpsius compassionem inspirat pieque recolere facit, quàm misera erit, si à Deo separata fuerit: qua inspiratione mens illuminata, omnes operationes pio desiderio in fontem pietatis extendit, & omnem impietatem excludit. Hæc educit hominem ad omnes creaturas, cum misericordia compassiua, quæ molles corde nos efficit, & omni necessitati compatientes, generans amorosam quandam extroversionem, & inclinationem ad omnes creaturas. Facit autem hominem benevolum, obsequiosum & promptum Deo & hominibus, considerantem diligentius positos in quibuscunque miserijs, angustijs, & necessitatibus. Ex quo procedit vera compassio, tam erga Christum, quàm eius membra in necessitatibus suis. Ex compassione verò profluunt opera charitatis, quia Deus virtuti charitatis præceptum indidit de septem operibus misericordiæ fideliter exequendis, cùm dicit: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Ex hoc etiam dono procedit patientiæ virtus, quæ custodit, ordinat, & ornat hominem in omnibus aduersis. Porrò, si in hoc dono summa diligentia, simplicique intentione se quis exercitauerit, & aduersus omnia vitia forti reluctatu conflixerit, iam tertium donum, scilicet scientiæ & discretionis accipere promeretur: quo fit discretus, & ratione lucidus, agnoscens quid acceptare debeat vel vitare.

Compassio firma.

Matth. 19.

Tertium enim donum scientiæ dicitur. Et est habitus infusus, quo scilicet habetur iudicium certum circa credenda, & agenda, ita quòd in nullo deuiat à rectitudine iustitiæ. Est enim lumen quoddam supernaturale, infusum homini supra vim animæ rationalem, vt vitam moralem secundùm omnem perfectionem exerceat: ex quo profluit vera discretio, quæ est velut ornamentum, & perfectio quædam vitæ moralis, sine qua nulla virtus perseuerantiam consequi potest: quia mater est omnium virtutum. Ex hoc etiam lumine procedit vera cognitio, & despectio suijpsius, operumque suorum, in qui-

Scientia.

Discretio.

quibus proprio iudicio tam parum proficit, & diligit. Hoc, inquam, donum, rationalem exitum nostrum ordinat, & illustrat, in eo, quòd foras nos dirigit, & vniuersos modos operum virtuosorum discretè considerare nos edocet: sicut donum intellectus nos ad interna, & superna dirigit. ac vtrumque veritas vna, & eadem in nobis operatur, ad Deum introire nos admonens, & extrorsum ad exteriora nos dirigens. Hinc etiam in accessu nostro supernaturali ad Deum cum imaginibus intelligibilibus lumen istud donum intellectus nuncupatur, eo quòd exaltat nos, & intellectum nostrum supra naturam eius propriam insignit, & illustrat. Sed cùm ad sacram Scripturam, Sanctorum vitas, & vniuersa quæ Deus operatus est, rationabiliter cum imaginibus sensibilibus eximus, & hęc omnia plenitudine scientiæ supernaturalis aspicimus, tunc lumen istud scientiæ donum appellatur, eo quòd nos erudit, quomodo rationabiliter extrinsecus operari debemus, & conuersari, & sensualia rationabiliter, & spiritualiter intelligere. Hoc proinde donum qui salubriter accipere voluerit, necesse est vt in se quandam internam diligentiam habeat se mori velle peccatis, & viuere virtutibus, semperque clarius, & perfectius virtutes intelligere velle, & secundùm hoc earum acquisitioni velle iugiter insistere. Ad hoc enim scientia Domini sancta nos instigat: & ideò vocatur scientia *Sanctorum*. Vnde pro ea nequaquam parcere debemus impensis, nec alicui labori rationabili, & discreto: quia virtus vniuersis digna est. Sic igitur se quilibet summa diligentia exerciter, ac discretione comite simplicem intentionem suam subsequatur, in virtutibus, ac similitudine, profectu continuo proficiendo. Veruntamen, quandiu frondibus operum, & floribus morum plus intenderit, quàm fructibus virtutum, & omnium causæ finique virtutum, se magis ad sacramentorum signa, & consuetudines extrinsecas exercens, quàm ad causam, & veritatem in eis contentam: tamdiu actiuæ vitæ limites non excedit, sed sub eius termino deditus exterioribus laborabit, & per opera bona, in Deum intentione simplici relata, eum diuina misericordia saluabit. Propter quod vitam suam, & exercitium ad altiora subrigere debet, ab operibus ad finem, à signis ad veritatem intrando, vt sic forti conatu sursum actus, & factus operum suorum dominus, ac magister, internæque veritatis cognitor, regionem spiritualis vitæ subintrare, ac ad donum fortitudinis peruenire mereatur. Per quod animæ passiones superans, inter-

Intellectus & scientiæ differentia.

Sciētia quomodo acquiratur.

Sap. 10.

Exercitia quatenus fiant.

mediantia cuncta conculcans, vniuersa dissipantia propulsans, quæsti iam liber effectus ab omnibus creaturis absoluitur, & absque labore se in se recolligens, intus ardore diuinæ dilectionis accenditur, & interna deuotione, superna affectione, laude, gratiarum actione, & simplici intentione ad Deum conuertitur.

Fortitudo. Quartum est, donum fortitudinis, quod ornat hominem in affectiua vita, sicut tria prædicta in vita actiua, quia super omnia temporalia subleuat animum, ostendens, & obijciens rationi proprietatem Personarum, scilicet maiestatem Patris, sapientiam Filij, bonitatem Spiritus sancti, sensibili quodam amore nostrum affectum * intendens, ita quòd memoria ab omnibus se expedit, & euacuat: ratio in omnibus operibus suis veritatem summam aspicit: & virtus affectiua, vel voluntas in Dei bonitatem amore sensibili se semper imprimit, & inclinat. Omnes etiam animæ vires interiores, & exteriores in nudam * cogitationem erigere, & vnire conatur. Sciendum tamen, quòd fortitudo duplex distinguitur. Quædam enim fortitudo simplex dicitur, quæ facit hominem tam validum, & potentem, quòd omnes cordis occupationes, & terrena quælibet contemnendo deuincat, & abijciat. Quia dum nos donum fortitudinis interius tangit, perit nos, non in nobis, aut in nostra possibilitate confidere, sed Dei potestati voluntariè nos tradere, ac in illa totum posse nostrum fundare, cum Apostolo dicente: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* & sic in omni prælio tutiores erimus. Cui petitioni si perfectè parere voluerimus, nostram voluntatem diuinæ virtuti penitus counire debemus, & sic in nobis persentiemus veram patientiam, omnem à nobis ambiguitatem, & pauorem, voluntatisque facilem illam mutabilitatem auferentem, ac in Dei fortitudinis dono nos stabilientem. Ex tunc enim quicquid vitiosum fuerit, facilè contemnimus, & vniuersa transitoria leuiter parui pendimus, quia de talibus non curamus, & ideò neminem formidamus, sed in solo Deo speramus, in cuius comparatione neminem magnum reputamus. Et tunc omnia opera nostra & vita, tam interior, quàm exterior, sapore quodam melleo condiuntur, quoniam assistentes throno excellentissimæ Trinitatis, mellitas stillas internæ consolationis, & dulcedinis, sedulè percipimus, sicque iuxta prouerbium legis antiquæ, *De forti dulcedo* egreditur. Cuius nimirum efficacissimo tractu, iam omnia quæ mundi sunt nihili pendens, quasi funditus obliuiscitur, liber ab eis, & expedi-

*Aliàs incendens.

*Aliàs cognitionem.

Fortitudinem, bipartiti.

Phil. p. 4.

Patientia.

Iudic. 14.

ſpeditus permanens, ne eorum viſcoſa dilectione, vel tumultuoſa occupatione ab allectiua conuerſione in diuinam bonitatem aliquando valeat impediri. Altera fortitudo duplex nuncupatur, quæ facit hominem etiam diuinas conſolationes, & omnia Dei dona ſuperando tranſcendere, ita quòd nequaquam diuinis conſolationibus, aut vlli dono Dei ſe temulentus immergit, aut paci, aut quieti proprij cordis ſomnolentus inhæret; ſed hæc omnia potius aſpirando nititur pertranſire, vt eum, quem ſolum ſuper omnia diligit, ad votum valeat inuenire. Vnde ex vi affectiua duplici hac fortitudine vigorata, profluunt diuinæ laudes, honores, deuotiones, ſupplices orationes, gratiarum actiones, aſpirationes, & conſurrectiones corde, ore, intentione, & opere, quibus affectus ſenſibilis adaugetur, & inflammatur. Quia diuinum obiectum, quod ſemper intendit, & aſpicit veluti ſummam potentiam, ſapientiam, bonitatem, largitatem, charitatem, & infinita ſimilia, propter ſui profluam, immenſam, & omnifariam oblectationem, eius intuitum rapit, & affectum flammiuomis deſiderijs incendit. Ex intuitu verò & affectu multiplicatis, & vigoratis, in omni amoroſa conuerſione ad Deum, cor hominis vulneratur, interius vulneris dolorem perſentiens. Vnde quandoque tanta dulcedine, & conſolatione perfunditur, quòd digerere nequaquam valet. Ex quo confeſtim iubilus oritur, & ſpiritualis ebrietas. Ex quibus omnibus in eo conſurgit inſatiabile quoddam deſiderium ad ſatisfaciendum Deo in omnibus virtutibus, & ad amorem vnitiuum. Quod deſiderium nemo ſatiare poteſt: niſi ſolum (quod deſiderat) ſummum bonum. Ebrietas ſpiritus.

De ornatu vitæ ſpiritualis, & ſpeculatiuæ per dona Spiritus ſancti, vtpote Conſilij, Intellectus, & Sapientiæ. Cap. XI.

VIſo capite iam præcedente de quarto dono Spiritus ſancti, ſcilicet fortitudinis, quo quis omnes occupationes, diſtractiones, & inordinatas affectiones felici conatu ſupergreditur, ac amore dilecti diuinas conſolationes, & dona cæleſtia, eius comparatione ſuperando, tranſire nititur, vt in ſolo dilecto grata puritate, & fidelitate quieſcere mereatur, iam videndum eſt de quinto dono, ſcilicet conſilij: quod vtique meretur accipere, dum nullo modo à creaturis, vel etiam diuinis donis, impediri prævaler, quin ſemper ſua ſimplici intentione, & diuina laude ſubiectus conſtansque perſeueret, Deum Conſilium.

Tractus sanctissimæ Trinitatis.

super omnia quærens, & intendens, ac ad gradum altiorem semper aspirans. Hoc autem dono consilij Deus Pater fidelem suum intrinsecus trahit, & ad æternitatis suæ dexteram contemplandam, & desiderandam inuitat. Trahit etiam eum Dei Filius sua sapientia ad imitandum, dicens: *Sequere me*, scilicet ad Patrem, nam *vnum est necessarium*. Et iterum: *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*. Trahit eum denique Spiritus sanctus, cor eius expandens, & patulum reddens, vt in eo sui amoris ignem accendat. Vnde mox intrinsecus æstuans, amoris vehementiam patitur. Veruntamen, quia de his tribus tractibus in sequentibus latius prosequendum est, in præsentia supersedeo. Hoc igitur donum consilij, quo nos trahit beatissima Trinitas, est quidam internus tactus Spiritus sancti, qui virtutem nostram amatiuam intrinsecus contingit, potens nos vitare vniuersas huius seculi occupationes & tumultus, ac omnia, quæ nos ad exteriora trahere nituntur. Quaslibet etiam intrinsecas multiplicitates nos docet declinare, & vnitatem spiritus adamare. Cui consilio qui obedire studuerit, omni multiplicitati moritur, & quandam amorosam inclinationem in vnitatem adipiscitur. Porrò tactus iste fit supra rationem in ipsa essentia animæ: qui tam nobilis, tam supernaturalis, & subtilis est, quòd industria sua ratio nostra quid sit, nec comprehendere, nec intelligere potest: Nam, quantò ratio plus ad hoc inuestigandum laborare conatur, tantò minus proficit: quia specialis operatio quædam est Dei Patris in ipsa essentia animæ nostræ, quam ipsi promeruit, eò quòd tam amoroso conatu & ingenti esurie sui affectus sese compulit, & coëgit ingredi in illam sublimem, & nudam vnitatem suarum cogitationum, quam tamen vnitatem in esse suo essentiali creaturaliter sentit. Et est similitudo quædam & iucundum præambulum supereminentis vnitatis, in nobis amoris impatientiam excitans. Et ex hoc contactu defluit in ipsam intellectiuam virtutem quædam claritas singulari claredine rationem illuminans: quam toties ratio suscipit, quoties sese erigens affectu plenissimo dulciter in illam vnitatem imprimit, & immergit. Denique, qui huic consilio liberaliter acquieuit, amoris impetu stimulatus, diuino spiritu feliciter dulciterque agitatur, nec ei quicquam sufficere potest, præter Deum, facileque cuncta derelinquit, vt illum possideat. In hoc igitur dono Deum simplicis intentionis oculo iugiter contempletur, & impetum cordis sui, rationis

Matth. 9. Luc. 10. Ioan. 13.

Effectus consilij.

Tactus Spiritus sancti in essentia animæ.

fræ-

fræno coërcens, voluntatiq́ue suæ renuntians, complexum vnitatis desiderare liberaliter præstoletur, donec eam diuina beneuolentia vltro dignata fuerit exhibere. Et sic in eo spiritus consilij duplex fiet. Magnus est enim, & ordinem diuini cõsilij via regia sequẽs, qui se & omnia deserens, impatientis amoris exæstuanti vehementia proclamat: *Adueniat regnum tuum.* Et iterũ: *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum.* Et iterum: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Itemq́; *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ?* & infinita similia, quæ citharœdus Domini nobis deprompsit. Sed ille maior est, diuino consilio perfectius obediens, qui propriam voluntatem amoris valetudine superat, & subnixa reuerentia patienter ad Deum loquitur: Non mea, Domine, sed *tua voluntas fiat* in omnibus. Tali namq; conclusione Christus in agonia consilio sancti Spiritus orationem suam terminauit: quòd super omnia dilecto Patri complacuit. Sic igitur diuina voluntas humili ac fideli amatori fit summum gaudium, & delectatio maxima secundùm spiritus sensionem, etiam si per impossibile diuino beneplacito descenderet in infernum, indefessè clamitans: *Paratum cor meum Deus, paratũ cor meum.* Et in hoc gradu natura summè supprimitur, Deus autem summè exaltatur. Hinc amator huiusmodi diuini consilij, & beneplaciti aptus efficitur, omnia Dei dona suscipere: quia seipsum & propriam voluntatem penitus abnegauit, omnibusq́; suis fideliter elargitis, nihil aliud postulat, quàm quod Deus dare deliberat: cuius voluntas summũ eius gaudium est, tam in aduersis, quàm in prosperis. Et tunc spiritus noster prouectius sublimatur, & abiectius natura propria conculcatur, tam in humili patientia aduersorum, q̃ in affluentia delectabili operum etiam magnorum, æquali vtrobique charitate vigente. Quòd si in hac sui renuntiatione sine vlla retractione perstiterit, nihil aliud volens, vel affectãs, in se spiritum consilij duplicem habet, scilicet agẽdi grandia actione strenua bonorũ operum, & patiendi ardua, mortificatione propria malorum impugnantium. Sicq́; natura altissimo decore coronata est, & ipse idoneus effectus est, secundùm spiritum diuinitus illustrari, ac donum sextum, scilicet intellectus promereri, quod spiritum nostrum vniens in vnitate stabilit, & luculentissimè veritatem manifestat, latamq; charitatem cõmuni beneuolentia profluam parturit. Vnde nos erudit aspicere Deũ in vniuersis eius diuitijs, & infinita sua bonitate. Nam lumen quoddam est

Matth. 6. Psal. 76. Psal. 83. Psal. 54. Matth. 26. Psal. 56. Psal 107. Abnegatio voluntatis. Intellectus. Lumen intellectus.

supernaturale, quod intellectum nostrum in eius celsitudine conatur illustrare: si nos ipsos intrinsecus voluerimus eleuare, & huic lumini cbuiare Quærit enim hoc lumẽ hominẽ internũ, transitũ sensuum, & omnium imaginum sensualium. Petit, inquam, vt naturæ moriamur, & in spiritu viuamus: quia sic interior homo separatur ab exteriori, & tunc statim lumen hoc reperiemus, & in apice intellectus nostri susci-piemus: quia moriendo naturæ donum intellectus suscipimus, & sus-cipiendo naturæ morimur.

Ex hoc etiam crescit spiritualis quidam ascendens appetitus ad De-um, qui facit hominem interiorem semper vigilare, ac in Deum viua-citer respicere. Docet nos, inquam, lucidè & sine labore Dei diuitias aspicere, quomodo scilicet cum seipso, & vniuersis donis suis profluæ largitate semper effluit, & quomodo cum nobis ipsis & vniuersis vir-tutibus, quas impendere poterimus, ipsi debeamus respondere. Vnde meritò solis radio assimilatur, qui simplici claritate perfundit aërem, & rerum formas explicans, colorum differentias manifestat, ac calo-rem viuificum generans, totum mundum pro communi omniũ vti-litate fœcundat. Sic irradiatio doni huius primò quandam in spiritu simplicitatem generat, quæ mox præcipua quadam claritate perfun-ditur, velut aër lumine solis Quia Dei gratia, quæ donorum omnium est fundamentũ, intellectum nostrum possibilem quasi lumen quod-dam simplex per donum intellectus, habitualiter inhabitat, quo sim-plici lumine, spiritus noster in se constabilitur, simplificatur, & clari-ficatur, ac Dei gratia donisque repletur, Deo similis effectus per gratiã & deificam charitatem. Nec tamen hac similitudine creatáq; claredi-ne contentus est, quia in summum quoddam & infinitum bonum, vn-de emanauit intimo sui procliuio tam naturaliter, quàm supernatura-liter inclinatur. Sed & vnitas essentiæ diuinæ attractione sua sempi-terna omnem creaturam ad sui pertrahit vnionem, & ideo in Deum tanquam in suam perennem requiem, tam actuali, quàm habituali immersione se profundat. Gratia nanque ad Deum se habet vt radius ad solem, & per eam veluti per semitam rectam in diuina ducimur: & ideo simpliciter in nos radians, deiformes nos efficit. Conforme igi-tur æmulans suum conforme momentis singulis in Deum se profun-dat, & vnum effectum cum Deo, semper ipsam vnitatem inhabitat. Et hoc est summum & singulare negotium charitatis, in vna scilicet hora tẽporis, & actualiter diligere, & habitualiter in dilecto quiescere. Quæ

Intellectus ad solis ra-dium colla-tio.

1. Simplicitas spiritus.

duo

duo sic ab alterutro confortantur, quòd quò dilectio sublimior est, eò requies maior; & quò requies profundior, eò dilectio intensior, vtpote in inuicem vitam & valetudinem posidentes. Cùm igitur sic per similitudinem gratiæ ac virtutum nos ipsos in simplicitate cordis possidemus, & Deum supra nos, per amorem in requie vnitatis, primum gradum doni intellectus adepti sumus, quo spiritus noster in vnitate stabilitur. Apparet tamen quibusdam non mediocri sanctitate præditis, se nec Deum diligere, nec in eo quiescere. Sed huiusmodi apparentiæ causa amor est. Cùm enim intensius amare desiderant, quàm à proprijs viribus permittuntur, inde in amando deficientes, se non amare querulantur.

II. Illustratio spiritus.

Secundò verò per irradiationem huius doni, spiritus noster intellectualiter illustratur, nobilitatem nostram nos edocēs speculari. Tribuitque in omnibus virtutibus, & earum exercitijs veram discretionis regulam iuxta veritatis æternæ legem, & vitam absque errore patenter erudit gubernare. Præterea, in spiritu conuersari docet, ac illuminatæ rationis oculo cælestia simul ac terrena rectè perpendere, debiteq; facit intelligere. Nam in cælo mente conuersans, dilecti sui nobilitatem ac dignitatem contemplatur, ac miratur incomprehensibilem eius sublimitatem, ininuestigabilem profunditatem, immensam longitudinem, infinitam latitudinem, inscrutabilem sapientiam, infallibilem veritatem, ineffabilem bonitatem & largitatem, & alia infinita sibi attributa. Quæ licet secundùm conceptus nostræ mentis diuersis nominibus plurificentur, omnia tamē in Deo vnum sunt, scilicet quædam simplicissima deitatis natura. Dehinc reflectens oculos ad se, & ad vniuersas creaturas, animaduertit eas ex diuinæ bonitatis largitate liberaliter esse creatas, & modis multifarijs esse decoratas, ac inaudita charitate diuinæ pietatis liberalius humanam naturam esse redemptam ac recreatam, donisque gratiarum & virtutum supernaturaliter liberalissimè ditatam & ornatam, demumque bonitatis suæ fruitione glorioſissimè beatificandam. Quæ cuncta spiritum nostrum admiratione gaudiosa lætificant, si per amorem deificum habitualiter in Deo mortui fuerimus & sepulti, nihilominus tamē actualiter in spiritu viuentes & cōuersantes, *quæ sursum sunt sapiamus.* Vnde donū hoc vnitatem illam ostendit, per quam in Deo per profundatum amorem fruitiuū habitualiter possidemus, & eam Dei similitudinē, quā in nobis per gratiam & charitatem cæterasque virtutes actualiter habemus. Coloſſ. 3.

Infundit etiam mentibus nostris intellectualis luminis claritatẽ, quo inoffenso pede, ambulantes in spiritu, Deum possumus in spiritualibus similitudinibus speculari.

III. Tertiò, denique per irradiationem huius doni amatiua virtus, id est, voluntas affluentia largifluæ charitatis, & communi beneuolentia inferuescit: quia donum hoc per cognitionem veritatis, quam in eius lumine cõsequimur, communẽ charitatem in nobis generat: quia ditiores interna simplicitate, sunt corde mansuetiores & pacatiores: sunt, inquam, in diuinitatis pelago profundatiores, intellectu clariores, bonis operibus vberiores, & affluenti charitate communiores. Pauciioribus etiam impedimentis intercipiuntur, quia Deo simillimi sunt, qui simplicitas est in essentia, claritas in intelligentia, ac affluentissima cõmunissimaq; charitas in suæ operationis influentia. Et quantò sumus in his tribus similiores, tantò sumus ipsi vnitiores ac viciniores. Mentis igitur simplicitatem summa custodia conseruemus, per eam omnẽ imaginem & similitudinem, quoad fieri potest, transcendentes, luminosaq; ratione cuncta consideremus, ac omnia cõmuni charitate profundamus. Debemus enim semper cum Deo in vnitate manere cum Deo & omnibus Sanctis communi charitate semper effluere, profluuioq; laudis, & gratiarum actionis semper in idem reuerti, ac penetratiui amoris pondere semper in habitualem fruitionis requiem immergi. Et hæc est opulentissima vita, quam nouimus, qua donum intellectus plenariè possidemus.

Simplicitas mentis seruanda.

Cæterùm, in refluxu fruitionis, vnitas se habet vt caligo quædam modi nescia, quædamque immensitas incomprehensibilis, vnde per amorem, ac simplicem intentionem accedit spiritus, omnes virtutes actualiter offerendo, ac seipsum habitualiter fruitiueq; supra omnes virtutes. Inter quas oblationes amatorias, septimum donum exoritur, scilicet sapientiæ. Quod donum est quidam diuinus tactus in vnitate spiritus nostri, fontana scaturigo gratiarum, donorum, & omniũ virtutum. Nam spiritus Dei fons est omnium donorũ, cuius supremus riuus amoris, est donum sapientiæ: quo riuo tota humanitas Christi fuerat perfusa. In hoc autem dono sapit vnicuiq; suum exercitium, & vita, secundùm tactus huius virtutẽ, & amoris sui mensuram. Qui tactus nouissimum medium est inter nos, & Deum; inter actionem, & quietem: inter modum, & modi priuationem, quẽ Deus in nobis ante omnia dona primordialiter operatur, nouissimè tamẽ à nobis in propria

Sapientia.

pria sua natura cognoscitur, & sentitur. Postquam enim effecti mente simplices, otiosi, ab imaginibus denudati, immobiles, liberi, nobis mortui, Deo viuidi, sic Deum in nostris exercitationibus vsque ad intima spiritus nostri, amoris scrutinio quæsiuimus: tunc demum gratiarum, & donorum omnium illapsum sentimus in vnitate suprematum virium, supra rationem, non tamen præter rationem: quia nos tangi percipimus, licèt in consideratione tactus huius ratio, & omnis creata cõsideratio deficit, & refellitur, eò quòd irradiatio luminis incomprehensibilis, in vnitate virium supremarum tanta magnitudine se offert, quòd omnis operatio creata discretiua consideratione operãs labefieri, & cessare, praxisq; nostra solummodò diuinam operationem pati compellatur. Quòd si Deum nostro captu comprehendere valeremus, seipsum nobis nullo medio intercedente donaret. Sed nunc capabilia nobis dona secundùm captus nostri mensuram, & exercitiorũ nobilitatem infundit, quia fœcunda diuinitatis vnitas, desuper imminens vnitati virium nostrarum, exigit similitudinem charitatis, & virtutũ. Ob hoc etiam singulis momẽtis nouo tactu tangimur, vt maiori similitudine semper innouemur. In innouatione verò tactus illius spiritus in esuriem, & sitim spiritualem incidit, supereminentẽ diuinitatis abyssum auido gustu per amoris impetum penetrare volens. Ex quo desiderium quoddam insatiabile generatur, summis viribus elaborãs capere bonũ incapabile, & immensum metiri, sed frustra. Quia licèt omnis amans secundùm nobilitatis suæ modum, & diuinæ charitatis tactum famelico desiderio fertur in Deum, Deus tamen secundùm practicum desiderium nostrum æternaliter manet incomprehensus. Hinc in nobis esuries, & inhiatio desiderij sempiterni permanet, diuinæ quoque abyssi immensitate nostro conatu obuiante, in ipso occursu tam magna, & immensa claritas, & intentio feruoris generatur, quòd spiritus noster ab operatione sua retrusus feriari cogatur, & in sui vnitate sensibilis amoris incendio liquefieri, ac paulominus annulari, ad diuinam operationem sicut pura creatura quasi passiuè se habens. Et in hoc gradu, gratia Dei nostræque virtutes factæ sunt amor sensibilis, proprium subiectum afficiens, sed circa obiectũ deficiens. Quia spiritus noster, extremo quodam defessus anhelitu, ab omni opere destitutus est, & amor effectus. Vnde simplex, & aptum receptaculum est omnium donorum, habilis ad omnes virtutes.

De consurrectione vitæ speculatiuæ, & spiritualis, secundùm partem hominis inferiorem. Cap. XII.

Vlsò de adornatione debita vitæ spiritualis secundùm gradus, & differentias donorum Spiritus sancti, iam de consurrectione vitæ spiritualis prosequendũ esse reor, qua noua nobis gratia semper superinfunditur, vt amans spiritus ad centrum suæ consurrectionis introduci mereatur. Et primò de consurrectione secundùm partem hominis inferiorem, scilicet secundùm vnitatem virium sensitiuarũ. Quæ nimirum consurrectio quatuor gradibus perficitur, semper eum ad altiora vitæ spiritualis subleuantibus, & digniorem exercendi materiam ingerentibus Nam primò diuina gratia profluis irriguis influens inferiorem partem hominis, scilicet sensitiuam intrinsecus excitat, & stimulat, vt eum toto corde totisque viribus sursum trahat, exigens cum Deo amatoriam conficere vnitatẽ: quem tractum sentit in corde, in vnitate virium sensitiuarum, & præcipuè in vi concupiscibili: quia tractus huius negotium agitur in inferiori parte hominis, quam, priusquã ad altiora tendatur, emundari necesse est, & igniculo charitatis superpositam sursum agi. Hic autem internus stimulus adfert, & aufert; pauperem facit, & ditat; humiliat, & sublimat; delitias ingerit, & tristitias; sperare facit, & desperare de seipso; ac indicibilia sunt contraria, quæ alternatis vicibus hîc contingunt.

Consurrectionis spiritualis gradus quatuor.

I.

1 Reg. 2.

Ad maiorem autem euidentiam, hanc diuinam gratiam nos stimulantem, & ad spiritualem consurrectionem excitantem assimilare possumus illuminationi solis, & eius efficientiæ super terram. Sicut enim sol oriens mox in occidẽtalem partẽ in mundum illuminat, & cuncta calore viuifico refocillat: sic sol iustitiæ, suprema spiritus inhabitans, inferiorem hominis partem, cor scilicet cum omnibus sensitiuis potentijs sibi radicaliter coniunctis, subito motu illuminat, & accendit, cor liberum reddens ab omnibus, & omnes simul animæ vires, in virtute sui Spiritus illuminat, & accedit. Igniculo verò charitatis in corde succenso, mox omnes animæ vires sensitiuæ, in suam originem concurrentes, sui cordis vnitatem celebrant, quam nemo veraciter possidere potest, nisi in cuius corde Spiritus sanctus ignem accendit amoris, vbi anima, tanquam in regali lectulo decumbens, in pace suauiter requiescit. Ex hac autem vnitate cordis compunctio generatur, non quidem doloris, sed amoris; quia tunc anima in se operationem inactio-

Effectus solis.

actionis diuinæ perſentiens, ad reamandum compungitur, & totis vitalibus inardeſcit. Ex qua compunctione mox quædam amoris affectio generatur, cor & vim appetitiuam compungens, & penetrans. Eſt autem amoris affectio, quidam ſapidus in Deum cordis appetitus, tanquam in ſummum bonum omnis boni contentiuum relatus, qui omnibus creatis valedicit, ne ſcilicet in earum abuſu ſenſualitatis concupiſcentias foueat, quia ſentit ſe contactum intrinſecus æterno amore, cui ſuper omnia diligentiam adhibere concupiſcit. Et ideo facilè contemnit omnia, vt quod diligit aſſequatur. Vnde ex hac affectione conſurgit deuotio cordis, diuinæ laudis, & honoris, & gratiarum actionis prodiga flamma, quaſi flamma altaris incenſi, in qua boni odoris thymiama gratitudinis adoletur, quod igne non redolet alieno. Hoc autem thymiama conficitur ex omnibus ſpeciebus pretioſiſsimis beneficiorum Dei, in creatione, recreatione, gubernatione, redemptione, glorificatione. Quas congerit compunctio, conterit affectio, incendit deuotio, & olfactui diuino in redolentem odorem laudis offert gratitudo. Ex gratitudine verò naſcitur in corde geminus dolor. Vnus ex defectu diuinæ laudis, honoris, & gratiarum actionis: alius ex deſiderio profectus, & incrementi virtutum, in quo ſemper ſe deficere dolet. Qui nimirum dolores, radix ſunt & fructus, principium, & finis omnium virtutum vitæ ſpiritualis.

Amoris ſtimulus.

Thymiama myſticum quod.

Dolor geminus.

Secundus gradus iſtius conſurrectionis perficitur in voluptate ſpiritualium delitiarum, quarum ſuauitate guſtata, repente cor, & omnes ſenſitiuæ potentiæ, tanto torrente voluptatis internæ potantur, vt ſe ſpiritus amans æſtimet diuini amoris amplexibus penitus inuolutum. Quæ deliciæ cunctis mundi voluptatibus ſunt maiores, etiam ſi omnes vna capere poſſet creatura. In cuius voluptatis infuſione Deus per dona ſua cordi ſic affecto pariter illabitur, tantæ ſuauitatis ſaporem, & iucunditatis conſolationem ſecum ferens, vt cor ipſum voluptate dulciſsima faciat intrinſecus exundare. Cordis etiam tam ingens cauſat profluuium, quòd ſe homo præ vbertate lætitiæ nequeat continere. Nec mirum, cùm ebrietatem parturiat ſpiritualem. Eſt autem ebrietas vberior affectiui ſaporis, & internæ voluptatis in corde receptio, quàm ipſum cor dirigere poſsit, aut deſiderium exoptare, diuerſis corporis geſtibus profluens, & exundans. Quidam etiam cantibus diuinis, quidam vberibus lachrymis vbertatem dul-

II.

Pſal. 35.

Ebrietas ſpiritus.

cediuis exprimunt. Aliquorum etiam membratam impatiens occupat titillago, quòd eos cogat, aut currere, aut salire, aut pedibus tripudiare, aut manibus plaudere, vel membris tremere. Quidam etiam intra se dulcedinis voluptate liquescunt, infinitaque similia continuant in illa. Et hæc est delicioſiſsima vita secũdùm cordis affectionem, quæ haberi potest ab homine. Vnde tanta quandoque delitiarum vbertate repletur, vt cor eius quasi vasculum mustò plenum absque spiraculo, subitam minetur ruptiuram. Tu autem fidelis amator, si sapiens fueris, sicut apis argumentosa, singula Dei dona, tam præterita, quàm præsentia, rationis, & cõsiderationis alis circumuola, charitatiuæq; discretionis aculeo, sic singulas diuinæ consolationis suauitates deliba, vt nusquam moras contrahas, sed ex omnibus materiam mellis, id est, laudis, & gratiarum actionis enucleãs, omnibus ad diuini amoris euoles vnitatem, in qua cum Deo manere desideres in æternum.

III. Tertius proinde gradus istius consurrectionis, quãdam ingerit inuitationem, & allectionem, altius adhuc, & purius cor amantis intrinsecus ad vnitatis suæ complexum attrahentem, & in nouo gradu exercitij altioris erigentem. Hæc enim inuitatio super omnes priores delicias cor amantis afficit, & delectat, quo consolationis, & dulcedinis suæ donis quantumlibet præcipuis post tergum positis, suam nobis amantiſsimam præsentiam, & amplexus dulciſsimos æmulãtibus, humilió; laude, & intima gratiarum actione, ad diuinarum diuitiarum pelagum (vnde cuncta dona profluunt) reuertentibus, omnes animæ nostræ vires ad seipsum trahere nititur, inferiorem animæ partẽ eleuans, & exornans. Corde verò sic ad tantarum deliciarum conuiuiũ inuitato, mox toto affectu hiantibus arterijs se dilatat, & expandit, ac omnes animæ vires ad pacis, & charitatis vniclinium toto se desiderio præparant, & ornant. Hæc autem inuitatio, est quædam æterni solis illuminatio, cor ipsum tantæ delectationis gaudio tam patulum reddens, vt nulla queat humana virtute recludi. Et ideo cor intrinsecus vulneratur, & amoris læsionem patitur, sed non tristitiam: quia amoris vulneratio, est dulciſsima passio, & grauiſsima pœna. Est etiá veriſsimum signum post futuræ sanitatis, causans pariter gaudium, & dolorem. Nam sic vulnerato splendidus sol iustitiæ Christus radios infundit suæ claritatis, & ad suæ rursus vnitatis cõplexum inuitans, cordis vulnus renouat, & relidit. Porrò Christo per gratiam suam inuitante, & ad vnionis osculum corde se totis viribus erigẽte, nec tamen

Cordis apertio.

Vulnus amoris.

vnitatis

vnitatis copulam consequi prævalente, mox in languorem incidit spiritualem. Et sic recens feruor, additus priori, corporis humores absque labore externo adurit, consumit, & siccat. Sed ne palleas lector sane: nam languor iste *non est ad mortem*, sed vt manifestentur opera Dei. Sic namque felici anima diuini complexus osculum consequi non valente, & eo carere non volente, amoris impatientia gene atur, tam exteriora, quàm interiora intolerabili æstuatione perurgens. Qua durante, nullius eam vsus creaturæ delectat, omnia sustinere parata, vt id, quod amat, obtinere valeat. Nam amoris impatientia cor amantis comedit, & sanguinem eius bibit, quia validior est omnibus gradibus spiritualis ardoris. Vnde etiam hoc in gradu feruor cordis internus validior est cunctis gradibus æstus huius spiritualis, corporalem naturam absque exteriori labore conterens intrinsecus, & consumens, fructusque spiritualium virtutum magis decoquens, & perficiens: quia radij diuinæ claritatis plerumque tanto feruore cor impatientis amatoris inuruntur, quod intimum sanguinem faciunt ebullire. Nam aliquando tam anheloso desiderio, & æstuanti impatientia cor impatiens, à carcere corporis absolui desiderat, vt illi quem diligit vniatur, vt sese vix in hac mortalitate sustinere valeat, cum Apostolo clamitans: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quo fit, vt oculis cordis in cælum totus intentus, cælestem aulam plenam gloriæ contempletur, & dilectum suum gloria, & honore coronatum, vbertate voluptatis suæ Sanctos vniuersos inebriantem, se verò velut exulem à patria, multisque calamitatibus circundatum. Et hinc interdum nascuntur lachrymæ, & gemitus, & anhelosa desideria multiplicantur. Quæ lachrymæ cor illius tepore roriſluo, vel in modico refocillant, vtiles profectò naturæ corporeæ ad seruandum valetudinem corporalem, quò sic facilius amoris impatientia toleretur, vt salus, & vita corporis non amittatur. Huic autem impatienti amori nonnunquam * spirituales gratiæ conferuntur. Nam interdum in ἔκστασιν, vel excessum spiritus rapiuntur, & de veritate sibi, vel alijs necessaria verbis aut imaginibus corporis aut similitudinibus spiritualibus edocentur, vel etiam de futuris eis aliqua reuelantur: quæ visiones, vel reuelationes dicuntur. Quæ si fuerint Angelo operante Dei virtute, figuris imaginarijs exhibitæ, in speculo imaginationis ostenduntur. Si verò fuerint veritates intellectuales, vel simi-

Ioan. 11. Languor animæ amantis.

Rom. 7.

Lachrymæ amoris.

* Aliâs speciales.

Reuelationes fieri multis modis.

similitudines aliquæ spirituales, quibus seipsum Deus vtcunque reuelat, oculis intellectualibus ingeruntur, & quantum facultas suppetit, verbis depromi possunt. Aliquando etiam in mentis excessum amator impatiens rapitur, licèt non penitus extra se, in quoddam scilicet bonum incomprehensibile, quod iuxta eum modum quo vidit, vel audiuit (quod in hoc intuitu simplici idem est) nullis valet sermonibus explicare. Et hoc solus Deus, absque alicuius creaturæ adminiculo, operatur, & raptus vocatur. Quandoque verò Deus subitis fulminibus coruscat in spiritu, quæ scilicet ictu breuissimo splendescentia spiritum supra semetipsum velut in momento rapiunt, sed ipso lumine mox disparente, reuertitur ad seipsum. Et hæc est solius Dei præcipua quædam, & excellens operatio, quæ reddit eos intellectuali lumine coruscos, quos dono tam singulari visitare dignatur. Interdum denique patiens amoris impatientiam, spirituali quodam lumine (Deo, quo placuerit medio, id agente) irradiatur. Ad cuius luminis blandam faciem, appetitiua cordis affectio medullitus delectata, dum in occursum illius impetu se flammeo valenter erigit, mox, sicut *mustum absque spiraculo nouas disrumpit lagunculas:* ita cupido cordis ex occursu luminis huius, tanto torrente potatur insolitæ voluptatis, vt liberalitatem noui gaudij, quod ob angustiam proprij captus intra se minimè continere sufficit, voce corporea eructare cogatur, & iubilus nuncupatur. Qui est gaudium cordis, quod nec verbis explicari potest, nec penitus reticeri; sed ineuitabiliter velit nolit extrinsecus reboat, proprias vices seruans, donec exercitium illud omnino consummauerit. Interdum etiam tantam Deus impatienti cordi dulcedinem suauitatis infundit, vt cor in delitijs veluti piscis in aquis innatet. Quidam denique intima deuotione suspensi, reuelantibus Angelis per somnia crebrius edocentur, sicut *Angelus Domini* Ioseph *in somnis apparuit, dicens: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Et iterum: *Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Et iterum cùm reuersurus erat ex Ægypto. Multisque locis Legis veteris ab Angelis homines edoctos per somnia reperimus.

Iob 32.

Iubilus.

Matth. 1.

Matth. 2.

Reuelationes falsæ.

Hic tamen diligentius intuendum est, quòd multi vigilias sensuum inueniuntur obseruare, qui multarum cogitationum immissionibus, quasi quibusdam reuelationibus, suo iudicio se reputant abundare, vel etiam miranda per somnia videre. Sed hi, quia sensuum

nego-

negotijs intendunt, impatientiam amoris ignorant, vulnera charitatis nescíunt: sed dilectionis languore minimè detenti, sani ægrius e- languescunt. Nam angelus Satanæ, *se* transformans *in Angelum lucis,* 2.Cor.11. ad deceptionem insipientium, incautorum, vel elatorum, qui pleni sunt vanitate, & vacui charitate, lumen quoddam phantasticum infundit intrinsecus, à quo se sentiunt, veluti sacco penitus obuolutos. Et quia semper ad tales nouitates & reuelationes aspirant, in hoc lumine multa mirabilia per imagines phantasticas percipiunt. Quędam enim diabolus immittit cogitatui, quasi diuina fuerit inspiratio: quæ quidem aliquando vera sunt, sæpius autem falsa. Et hæc nimis g atanter ab inexpertis acceptantur, & tanquam diuina stolidè venerantur, ac in talibus intimo cordis gaudio delectantur. Quo fit, quòd ab inani gloria paulatim depasti, virulento pabulo, diuini amoris affectum inficiunt. Aduertens ergo Satanas misellum fatuum vanis visionibus delectari, vices multiplicat, visiones ingeminat, vt infelicem illudat, donec tandem immissionibus friuolis ingesta, veraciter asserere, & pertinaciter defendere non formidat, simul cum operum suorum fructibus in barathrum serpentinæ seductionis, & maledictionis ruiturus in æternum. Qui verò per vias præmonstratas incesserint, quamuis possibile foret huiusmodi diabolico lumine quandoque tentari: difficile tamen esset eos per hoc aliquatenus superari. Hactenus de triplici gradu huius consurrectionis dicta sufficiant.

De quarto gradu huius consurrectionis, qualiter exercetur in cælica sanitate, & infernali languore. Cap. XIII.

VIso de tribus gradibus consurrectionis secundùm partem homi- IIII.
nis inferiorem, qui perficiuntur in prosperitate & affluxu diuinę gratię, iam prosequendum de quarto, & supremo gradu eiusdem, qui perficitur in aduersitate, & retractione diuinæ gratiæ. Pro quo sciendum, quòd qui peruenire desiderat ad perfectam diuinam vnionem, necesse est, quòd Deo viuat secundùm sui totalitatem, ita quòd diuinę gratię, & inspirationi satisfaciat, & in omnem perfectionem virtutũ ac spiritualium exercitiorũ subsequatur. Sic, inquam, in Deũ per charitatẽ eleuatus, & sibi suisq; operibus perfectè mortuus, sicque cum viribus suis cedens superinformationem incomprehensibili veritatis (quæ Deus est) patiendo suscipiat. Et sic viuendo potest in virtutes egredi, ac moriendo in Deum ingredi. In quibus omnis

nostra perfectio consistit. Quæ duo simul iuncta, sunt sicut materia, & forma; corpus, & anima, sicut postea latius videbitur. In his autem duobus exercitijs clarificatur quis in intellectu, ditatur & superfluit in sensione, & affectu. Vnde se totum dirigit ad Deum erectis viribus, puris intentionibus, vigorosis desiderijs, argumentosis viuacitatibus. Hinc etiam facit eum amor in omnibus esse sui iuris, quia sequitur amorem in omnibus impulsibus suis, & qualitercunque moueatur ab eo, semper in amore, & virtutibus proficit.

Motus amoris.

Amor autem mouet vnumquemque secundùm exigentiam suæ dispositionis, habilitationis, & exercitationis, quia gratia naturæ cooperatur & exercitijs. Vtilissima tamen eius motio consistit in duobus, scilicet in cælica sanitate, & infernali languore: quorum vicissitudinem omnem amantem spiritum sustinere necesse est. Hinc etiam vtrique conuenientibus sibi exercitijs fideliter correspondere debet.

Sanitas cælica.

Nam cælica sanitas ipsum eleuat super omnia in quandam imperturbabilem libertatem, Deum, secundùm omnifarium desiderium cordis, & animæ, laudandi, & amandi. Cùm enim Deum quis in se sentit cum multitudine diuitiarum suarum, hanc sanitatem adeptus est, quia ex hoc sapiens efficitur, illuminatus ratione, profluus doctrinis cælestibus, & anagogicis, feruidus, & largifluus, charitate superplenus, & ebrius spirituali lætitia, & sensione, fortis, & agilis, ac industrius in prosecutione diuini beneplaciti: & alia innumerabilia consequitur, quæ sola docet experientia, sicut in præcedentibus tactum est, & in sequentibus prosequendum.

Languor infernalis.

Languor autem infernalis hominem deijcit in omnem desolationem, & priuationem omnis saporis, & consolationis. Licèt enim interdum cælica sanitas seipsam ostendens confidentiam, & spem ingerat, cui vix contradici potest, statim tamen iterum deijcitur in desperationem, à qua vix subleuari, vel consolari potest, quasi nunquam electus esset à Deo. Tunc enim sentit se miserum, & peccatorem, quasi nullam de Deo, vel vita spirituali notitiam habentem. Omnis consolatio creaturarum est ei desolatio, cùm tamen ex altera parte diuina consolatione penitus sit priuatus. Inter has ergo duas mensas famelicus sedens, & desolatus, factæ sunt ei *lachrymæ* eius *panes die ac nocte.*

Psalm 41.

Sagitta diuinæ probationis prima.

Hic igitur consurgit quartus gradus spiritualis consurrectionis, secundùm partem hominis inferiorem, quo diuini splendoris ac feruoris subtractio, & amantis desolatio inferiorem animæ partem, ad altio-

altiora virtutum exercitia prouehit, & nouo vitæ spiritualis ornatu decorat. Nam ipse quondam opulentus, & omni suauitate refertus, ac amoris ardore æstuans, iam se pauperem inuenit, & tepidum, à Deo derelictum, & ab omni dulcedine desolatum, *sedens*que cum Iob *in sterquilinio* desolationis, & præterita considerans, querulatur, & dicit: Nonne tu eras ille quondam potens, & diues inclytus, & nullius indigens, qui terram despiciens, in cælestibus versabaris, nec vllis Dei donis contentus, ad solius deitatis inhiabas amplexus? Vbi nunc virtutum diuitiæ, amoris deliciæ, suauitates consolationis internæ, præ cuius dulcedine, dulcibus lachrymis, flammeis suspirijs, mellitis laudibus, desiderijs, & gratiarum actionibus deuotissimè redundabas? Et hæc est prima sagitta diuinæ probationis, qua discernuntur serui fideles ab infidelibus. Sed, proh pudor, quàm multi sunt in quibus diuina consolatione subtracta, charitatis, & perfectionis feruor infrigescit, ita quòd in virtutibus, & operibus bonis protinus labefacti, carnis mollitiem, & corporis quietudinem etiam extra discretionis regulam concupiscunt: Quia nimirum nonnulli diuinis optant consolationibus refici, si tamen has sine suis laboribus valeant adipisci: sin autem, in creaturis venantur solatia, à quod interdum damnosa sequuntur pericula. Quidam etiam pusillanimes, & tenelli sibi videntur, & ideo quicquid humanitatis, & solatij suo corpori quiuerint exhibere, totum sibi necessarium suspicantur. Sed meminerint scriptum esse: Quia Dei *sapientia* non habitat *in* terris *suauiter viuentium*. Et hi quidem licèt mortale vitium statim non incurrant, ardor tamen deuotionis minuitur, & internum cordis exercitium præpeditur, ac diuinæ suauitatis, virtutumque sapor obtunditur. Quidam autem post acceptas diuinæ suauitatis epulas, ad tempus à Deo derelinquuntur, licèt non vsquequaque: qui plerunque instabilitatis ægritudine laborantes, diuersis inordinatis appetitibus agitantur. Nam hodie modum vnum eligunt viuendi, cras autem alium, sicque infinitis circumferuntur inconstantijs. Cuius ratio est, quia cordis intentione, & industria plus virtutum operibus & exterioribus cultibus inuigilant, quàm Deo diligendo, & ad eius vnitatis complexum anhelando. Vnde quamuis per hoc gratia non amittitur, eò quòd in virtutum actibus Deus intenditur, inconstantia tamen animi enutritur, quia supra omnia virtutum exercitia in Deum animus se quiescere non experitur. Vnde thesaurum pretiosum igno-

Iob 2.

Infidelitas in derelictione.

Iob 28.

Amici instabiles.

rans in agro suo geritabsconditum, quia quem in semitis virtutum, & operum gyrouagus quæritat, hunc supra suam intentionem, & omnem virtutum, & exercitiorum multitudinem, in suæ mentis solitudine non habet. Vt igitur inconstantiam suam curet, super omnia in Deo & in eius vnitate sublimi requiescere discat. Quidam denique ad Deum eriguntur, intentione quidem recta, sed non simplici, cum aliquo scilicet extraneo iuxta posito, quod sub eadem intentione pariter extraordinariè quæritur. Vnde in omnibus, quæ agunt, natura quod suum est occultè venatur, eis nihilominus plerunque quæstionem hanc ignorantibus, vtpote propriam notitiam non habentibus. Et hi similiter vitam suam diuersis modis mutare proponentes, & diuersa consilia quærentes, hodie vnum eligunt confessorem, cras alium. Et sicut importuni sunt in exigendo consilium de singulis, sic rarò consilium cuiusquam exequuntur: sed in consilijs sibi vitupera-

Naturæ quæstio.

ta defendere, reprobata excusare, & probare, damnata verò saluare conantur. Et quidem occultus amor sui, & elatio cordis absconditæ, huius constantiæ potissima sunt fomenta. Et hi oram inferni lubrico pede perambulant, in profundum barathri, si paululum nutauerint, prolapsuri.

Sagitta diuinæ probationis secundæ. Tob. 12.

Cæterùm, qui in hac tentatione serui fideles inuenti fuerint, illos Deus secunda probationis sagitta aggreditur, sicut Tobiæ dictum est: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Hi nanque non solùm spiritualibus consolationibus denudantur; sed insuper infinitis tribulationibus, & tentationibus exponuntur, tam spiritualibus, quàm temporalibus. Qui tantis calamitatibus fracti, sine dum ad amicitiæ perfectionem peruenerint, iam incipiunt desperationis lapsum timere, & in desperationis limen impingere, veluti in stationis vltimo termino constituti. Et hîc quidem amici veri fidelitas comprobatur. O verè fidelis amicus, qui circundatus vndique tribulationibus innumeris, dicebat: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Cuius fidelitatem si quis voluerit imitari, confidat se à Deo non odiosè, sed amorosè derelictum, humilique corde retractet; se nihil habere, *quod non* acceperit: & ideo, sicut gloriari non debuit, *quasi non* acceperit; ita nec nunc contristari debet, quòd aliunde acceptum amiserit. Vnde sedeat cum Iob humiliter in pulueremiseriarum suarum, & virtute crucifixi, quæ vt *testa* arripiat, impatientiæ *sanies* radat, dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut*

Fidelitas vera quæ.

Iob 13.

1. Cor. 4.

Psalm. 21.

Iob 1. & 2.

sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. Matt. 26. 27. Reuoluat, inquam, quomodo Christus in tantis angustijs & pressuris suæ passionis & mortis, à dilecto Patre fuerat etiam internis delectationibus priuatus, secundùm inferiorem hominem. Insuper ab inimicis erat illusus, vilipensus, innumerabilibus iniurijs affectus: tandem ignominiosissimæ morti addictus est & crucifixus: obediens tamen in omnibus dilecto Patri permansit vsque ad mortem, cum tanta patientia, mansuetudine, & inextinguibili amore, crucifigentium malitiam excusans, veniam pro eis deprecans, omnes conuerti volentes in suam gratiam recipiens. Et nos similiter si viuentes in angustijs nobis omnino morimur, tunc *omnia* nobis *in bonum cooperantur*. Nam Christus cùm se totum obtulit voluntati Patris, in hac sua renuntiatione amor eius tanti vigoris & ardoris erat in spiritu, tantaque pressura & angustia in natura, quòd omnia membra eius superbenedicta sudorem sanguineum sudabant decurrentem *in terram*. In qua suijpsius renuntiatione nos sibi vendicauit amore suo ad seruiendum ei: in passione verò & morte debitum nostrum solvit, vt sui iuris essemus, morientes vitijs, concupiscentijs, & omni prorsus proprietati. Si ergo eum sequi cupimus, propriæ voluntati renuntiare iubemur, & eius beneplacito per omnia subdi: & sic eius emptio confirmatur in nobis. Debemus etiam restringere sensus, deuincere naturam, tollere crucem, sequi Christum, vt sic ei debitum pro nobis solutum solicitè reddamus, quia per eius mortem & nostram voluntariam pœnitentiam eidem vnimur, & serui fideles efficimur. Sed vbi nostræ voluntati etiam in aduersis morimur, vt eius beneplacitum fiat velle nostrum & desiderium, ibi eius dilecti amici efficimur. Moriens ergo sibi, diuino beneplacito totaliter se offerat, dicens: *Fiat voluntas tua*, tam in aduersis, quàm in prosperis. Totus enim tuus sum Domine. *Tolle quod tuum est, & vade:* quia paratum me senties ire, siue in infernum, siue in paradisum, si tuæ dulcedini sic complacuerit. Et sic renascimur spiritualiter, à Spiritu sancto verè liberi effecti, quia spiritus noster per amorem eleuatur in vnitatem diuini spiritus, libertatem vnam cum Deo possidens. Qua libertate spiritus noster supra naturam propriam eleuatur, id est, supra pœnas, labores, angustias, perplexitates, solicitudines, timores mortis, inferni, vel purgatorij, & supra omnes aggrauationes, quæ contingere possunt in corpore & anima, in præsenti & in futuro; quia

Reliquiæ Christi. Luc. 23. Rom. 8. Luc. 22. Abrenuntiatio. Matth. 6. & 26. Matth. 20.

consolatio & desolatio, dare & accipere, viuere & mori, & similia, subter amorosam illam remanent libertatem, qua spiritus eius vnitus est spiritui diuino. Vnde etiam nubes illa tenebrosa citò pertransiet, & claritas solis iustitiæ totam regionem maiori gratia & consolatione perfundet, quàm ante. Quod vtique meruit per abnegationem seu abrenuntiationem suijpsius, & humilem vnicordiam diuinæ voluntatis in omnes angustias & tribulationes. Et ideo gratia Dei clarificabit & adimplebit omnia interiora eius. Et tunc sentiet quòd eum Deus diligat, & ipse Deo placeat & in hoc tota natura eius interna consolatione replebitur, ac sanguis eius in venis mirabili calore quasi bullire videbitur, ad omnia membra diffluens. Cor etiam oblectatione vehementi seipsum expandens, exhibet ad opulenta munera donorum & gratiarum altioris vitæ recipienda. Sic affectiua virtus ad Deum aspiratione mirifica se patulam reddit, velut flamma quædam ignea deuotionis internæ cum laude & gratiarum actione. Dehinc anima declinat in detestationem & indignationem suijpsius. Ratio quoque defectus & negligentias multiplices ostendit, in quibus sibijpsi displicet, indignum se reputans diuinis consolationibus & beneficijs, dignumque desolationibus vniuersis, licèt Deus sola sua infinita largitate dona sua tam largifluè communicat. Et in hoc magis in Dei laudem & gratiarum actionem animus accenditur. Sic iugiter exerceat ascensum in Deum per inflammata desideria, & descensum in seipsum cum humilitate & despectione propria, vt sic in vtroque quotidie proficiat, vt diuina gratia profusius affluat, & affectus in laudem & gratiarum actionem accrescens, in se deficiat. Tunc enim quicquid rependere potest, quasi nihil sibi videbitur, respectu illius, quod rependere desiderat. Et in hoc desiderium vulnerabit cor eius sensibili dolore, qui dolor augetur & renouatur in exercitijs anhelosi amoris ad Deum. Et hæc est tertia probationis sagitta. Vnde quandoque videbitur languenti, quòd cor & sensus dilaniabuntur & disrumpentur, & tota natura desideriosis consurrectionis impulsibus mori & deperire debeat, efficacia amoris impatientis agitata. Dum igitur impatiens amator sic æstu diuini amoris vulneratus & languidus ardore continuo per impatientiam decoquitur & detorretur, flamma desiderij & affectionis in dies accrescente, quandam intolerabilem cordis angustiam incurrit, velut si parturiens pariendi facultate priuetur. Quo fit, vt dum intui-

Sagitta diuinæ probationis tertia.

intuitu vicario, nunc vulnus cordis, nunc vultum amati contemplari non desinit, siccitate crescente (quæ lima caloris est) simul crescat & ardor impatientiæ, & dolor angustiæ. Et hic probantur occulti filij Dei. Nam aucto languore, tandem id agitur, vt quemadmodum arbor in arido, sic ipse in nimio æstu totus deficiat & arescat, ac martyr amoris effectus corporaliter moriens, purgatorij nescius, amoris igne purgatus, ad patriam supernam euolet. Veruntamen licèt huiusmodi secure moriatur, quem nimius languor amoris viuere non permittit, arbor tamen, dum fructus ex se speratur vberior, non est aliquatenus euellenda. Hinc licèt omnes patientes amoris impatientiam sub hoc exercitio languere necesse est, nequaquam tamen omnes morsuntur, discretionis regimine gubernati. Et ideo tales fortes sint in expectando dilectum, prudentes aduersus diabolicas insidias, visiones scilicet, & immissiones, nec stolida facilitate mori eligant, sed semper Dei laudes, sibique nouas virtutes, patienter viuendo, procurent, ac rationis moderamine quantum valuerint se compescentes, & tempus à Deo præfixum expectantes, viam amoris regiam, quaqua versum duxerit, peramara, dulcia, læta, vel tristia, ac similes amoris impetuosos turbines libera fronte gradiantur. Tandem enim tempore constituto, contemplationis alas recipient, & volatu celerrimo, Dei visuri arcana, cælorum abdita penetrabunt.

De consurrectione vitæ speculatiuæ, & spiritualis, secundùm vires animæ superiores, id est, secundùm mediam partem hominis. Cap. XIIII.

EXpediri de consurrectione spiritualis vitæ, quantum ad partem hominis inferiorem, iam prosequamur eandem, prout in superioribus animæ viribus feliciter actitatur. Quam vtique fidelis anima promeruit in eo, quòd de cunctis suis desolationibus per mortificationem propriæ voluntatis, interni gaudij sibi libamentum confecit, & in Dei manibus cum illo se offerens, de eo, quod ad honorem suum pati sibi concesserit, iucundatur. Hoc enim, ni fallor, si sic perfecerit, nunquam tam intimo gaudio refectus fuit, quia nil puto dulcius amatori, quàm vt se sentiat omnino sub dilecti sui voluntate redactum, si tamen per omnes prædictos gradus prius ascenderit, quamuis non omnibus modis prædictorum exercitiorum vsus sit. Non

enim omnes necessarios esse dicimus, sed tamen fundamenta virtutum, quæ sunt humilis obedientia in agendo, & mortificatæ voluntatis patientia in sustinendo, omnino esse necessaria confirmamus. Quia cùm quicquid amor dare voluerit, vel auferre, in hoc pacem & complacentiam inuenerit, & se perfectè renuntians, in Deum per amorem, ad prosequendum diuinum beneplacitum, secundùm sui totalitatem trãsfuderit, in hoc eius spiritus immobilis, & liber perseuerat, eò quòd in aduersitatibus sine retractione voluntatis ambulat: & habilis effectus cum Deo immediatam vnionẽ experiri meretur. Præterea omnimodam enim voluntatis vnionem Deum in se sentit secundùm plenitudinem gratiarum & donorum, quasi viuidam sanitatem essentiæ suæ, & omnium operum suorum. Et exinde tandem sequitur vigorosa quædam consurrectio, partem hominis superiorem, scilicet supremas animæ vires, illuminans, ad perfectionem deducens, ampliori gratia & dignitate ditans, ipsiusque Dei maiorem similitudinẽ imprimens, ita quòd in ea Deus fulgentiori claritate coruscãs, opulentas influentias donorum suorum ingerit, spiritum nostrum stabilientiũ, clarificantium, & locupletantium. Sed hæc influentia diuina exigit efluxum, & cum omnibus infusis diuitijs in suam originem petit refluxum, omnia collata repetens cum vsura, & amplius exigens, quàm vlla soluere posset creatura. Et in hac cõsurrectione Deus occurrens, multa mirabilia reuelat: nec mirum, quia gradus eius, & habitudo sublimior est & Deo similior, quàm prioris, eò quòd supremæ vires animæ insignius ad actualitatis suæ perfectionem deducuntur.

Vnio immediata voluntatis dicitur hic, qua voluntas plenissimè ita soli Deo adhæret, vt nullũ eius donũm amet: sed siue concedatur, siue auferatur, nihil omnino curat: eiusq; beneplacita voluntate contenta.

Hanc igitur consurrectionem, quæ in plenitudine diuinæ gratiæ peragitur, cooperante propria industria & argumentositate, similare possumus fonti tribus riuulis diffluenti. Est autem fons iste plenitudo gratiæ in vnitate spiritus infusione diuina scaturientis. Quia gratia fontaliter in vnitate spiritus nostri se tenens essentialiter immanẽdo, tribus riuulis operationis diuinæ deriuatur in tres intellectuales animæ vires, velut in tres alueolos actualiter se diffundendo. Primus ergo riuulus ab vnitate spiritus in ipsam vim memoratiuam diffluens, est quædam mentalis, simpla & vniformis serenitas, nullis qualiumcunque formarum discretionibus variata, sed supra omnia sensibilia vel sensitiua, phantastica, imaginaria, ac vniuersa præpedietia, memoriam eleaut, & in vnitate spiritus stabilẽ reddit. Nã à summis ad ima aquarũ more defluitans, vniuersos alueolos viriũ tam supremarum, q̃ infimarũ pertrãsit, & eos more marini refluxus ad suã recurrẽs originem,

Fons triumriuulorum.

Riuus operationis diuinæ in memoriam.

nem, ſuper omnẽ multiplicitatem & officiorum occupationes ſuſtollit, ac mentalem in homine ſimplicitatem creans, tribuit *vnitatem ſpiritus in vinculo pacis*. Sic homo ſecundùm intellectualem memoriam, velut in ſerenitatem ætheream eleuatur, & ab omnium formarum incurſibus, & temporalium mutabilitatibus deputatur. Nam per hoc ſimplex, ſerenum, & infuſum ſibi lumen inuenit ſe recollectum, ſtabilitum, penetratum, & anchoratum in vnitate ſuæ mentis, & in nouum ſpiritualis vitæ gradum eminentiorem prioribus conſtitutum. Et hic vnitatem ſpiritus ſui, veluti quandam propriam poſſidet manſionem. Ac vnitas ipſa per Dei dona ſimplicemque intentionem ad illam excellentiſsimam inclinabitur vnitatem, in qua cum omnibus Sanctis Pater & Filius nexu ſancti Spiritus ſunt vniti. Ephes. 4.

Riuus operatiõis Dei in intellectum.

Secundus autem riuulus ab vnitate ſpiritus in ipſam vim intellectiuam defluens, eſt quædam ſpiritualis claritas, influentia ſua noſtrum intellectum, & rationem ad quæuis virtutum exercitia cognoſcenda, & ad arcana ſacræ Scripturæ diſcretionis acumine penetranda, multiformiter illuſtrans, & reuelans in omnibus virtutibus luculentiſsimam veritatem. Vnde ſicut ſol materialis radijs ſuis vniuerſum perluſtrat, clarificat, & fœcundat mundum; ſic diuina claritas, quæ (prout hîc ſumitur) eſt quædam interna apparitio Dei, ſcilicet intelligentia quædam ex Deo fluens, quæ noſtram internitatem apertam conſeruat, & intellectum noſtrum ſuper omnem tumultum imaginationum & cogitationum in puro quodam & nudo ſilentio ſuperexaltat. In quo noſter intellectus attingit ipſum eloquium Dei, quod eſt internum quoddam ſuſurrium, faciens nos intelligentes. Quo nimirum habiles efficimur, ad ſuſcipiendam *omnem veritatem*, quam nos Dei ſpiritus intrinſecus edocet. Et ſic noſter intellectus ad eloquium Dei ſemper eleuatus permanet. Hæc, inquam, claritas in ſuperiori mente reſplendens, effundit in omnes vires inferiores, lucidos & ſplendentes radios, ſcilicet ſapientiam, ſcientiam, clarum intellectum, rationalem conſiderationem & diſcretionem in omnibus virtutibus, quibus in anima regnum Dei perornatur. Sed amor, qui Deus eſt, ſine menſura regnat in puritate ſpiritus noſtri, veluti carbonum ardentium flamma ſtridens, igneo amore incendens & inflammans cor noſtrum & volũtatem, ſenſus & affectum, & omnes animæ vires in amorem modineſcium, & impetuoſum transferens, prout poſtea clarius videbitur. Veruntamen efficacia claritatis huius, Ioan. 16.

Claritas Dei in intellectu.

ius, nequaquam noſtræ facultati ſubiacet, licèt noſtris iugiter inſit animabus, ſed Deus ſecundùm inueſtigabilè beneplacitum ſuæ voluntatis, eam pro loco & tempore pandit & abdit, dat & accipit, & ad nutum ſuum ſilere facit & loqui. Illuſtrati tamè lumine claritatis huius, reuelationibus aut attractione ſuperiori neceſſariò non indigent, quoniam eorum vita, conuerſatio, manſio, & omnis intrinſeca habitudo, ſuper ſenſualitatem exiſtit in ſpiritu, vbi Deus ipſis vel alijs neceſſaria, quæ voluerit, reuelat. Hic igitur oculis ſuis intellectualibus iam clarificatis prouidè conſideret, an in omnibus perfectam Chriſti ſimilitudinem gerat, non ſolùm ſecundùm humanitatem, ſed etiam ſecundùm eius diuinitatem, quia *ad imaginem & ſimilitudinem* Dei creati ſumus. Deinde ſe ad intellectualem eleuet veritatem, ſcilicet, ſublimem Dei naturam cum perſonalibus proprietatibus & attributis, quantum creatum lumen oſtendere ſufficit, conſiderans. Quia nõ decet tam immenſæ bonitatis naturam infœcunditate mortua ſterileſcere, ſed in inueſtigabilis excellẽtiæ virtutibus & operib⁹ diteſcere. Conſideratur enim diuinitatis natura, vt immenſa quædam ſimplicitas, inſcrutabilis profunditas, inacceſsibilis altitudo, incomprehenſibilis latitudo, æterna longitudo. Vt ſilens quædam & tranquilla caligo, vaſta ſolitudo, requies æterna Sanctorum, commune fruibile ſuiipſius & omnium beatorum: & plura ſimilia mirãda conſiderari poſſunt in hoc infinito p lago deitatis. Porrò, licèt propter noſtrorũ ſenſuum ruſticitatem, quibus & per quos loquimur, ſenſibiles ſimilitudines proferimus, in veritate tamen bonum immenſum & ſimpliciſſimum intellectualibus oculis aſpicitur. Deinde conſideret perſonarũ proprietates, & attributa, Patrem ſcilicet omnipotentem eſſe potentiam & maieſtatem, creatorem & conſeruatorem, motorem, principium & finem cauſamque primariam omnium creatorum: Ac Filium eius vnigenitũ in inueſtigabilem eſſe ſapientiam & veritatem omniũ creaturarum, vitam & exemplar, artis paternæ regulam infallibilem, deitatis oculum abdita cuncta peruidentem, gloriæ paternæ ſplendorem, electos iuxta ſingulorum merita perluſtrantẽ. Spiritum denique ſanctum incomprehenſibilem eſſe largitatem charitatis, miſericordiã inæſtimabilis pietatis, pelagum inſcrutabilis bonitatis, torrentem cælicolas omnes inebriantem indeficiẽtis voluptatis, flammam igneam omnia in fauillam redigentem, deificæ vnitatis præparatorem, & introductorem ad gaudium æternæ felicitatis, nexum & complexum Patris

Genes. 1.

Cõſideranda quænam in diuina natura.

Cõſideranda quatenus perſonarũ proprietates.

Patris & Filij, omniumque Sanctorum in fruendo delitijs ac diuitijs deitatis, ac infinita similia. Denique licèt incomprehensibilis plenitudo diuitiarum Dei nos in admirationem operum diuinorum sustollat, præcipuè tamen largiflua communicatio diuinæ naturæ, stupore suæ effluentiæ super omnia reddit attonitos. Cùm scilicet cõtemplamur incomprehensibilem deitatis essentiam esse commune fruibile Dei & omnium beatorum, ac diuinas personas, se suis effluxibus & operibus communicare (in bonis gloriæ, gratiæ, vel naturæ, in supernaturalibus vel naturalibus) omnibus creaturis, rationalibus, irrationalibus, intellectualibus, materialibus, & immaterialibus, pro dignitate, captu & indigẽtia singularum. Ethinc enascitur admiratio quædam ineffabilis, ex qua sublimis oritur in diuina bonitate confidentia, quoddamque præcipuum internum spiritus gaudium, cunctas animæ potentias, & ipsam spiritus vnitatem penetrans & complectens. Ex quo nimirum denuo tertius riuulus oritur ab vnitate spiritus in ipsam vim amatiuam defluens. Riuus diuinæ operationis in vim amatiuam.

Hic autem riuulus est infusio quædam ignis spiritualis, volũtatem amore silenti ac tranquillo penetrans & accendens, ac magnificis diuitijs & delitijs inundare faciens. Nam gaudium prædictum sancti Spiritus & afflatio diuini amoris ex plenitudine fontis gratiæ riuum istum eliciunt voluntatem ignea qualitate succendentem, & in vnitatis fauillam omnia redigentem, omnes animæ vires opulentis muneribus ingenuitate præcipua perfundentem, ac amorem quendam, eò subtiliorem & laboris expertiorem, quo spiritualiorem in ipsa voluntate creantem. Calor autem huius ignei amoris tam vehemens est, quòd totos nos per ardorem comburere & inflammare nititur. Qui cùm perfectè spiritum in vnitate complectitur, tunc spiritus viuacitatem attingit, abyssales Dei diuitias spiritum degustare faciens, ita quòd omnia interiora eius mirabili quadam oblectatione commouentur. Et exinde protinus anhelatio consurgit & conflictio in amoris vnitatem. Nam spiritus amans diuinum amorem inuocat, vt in abyssum suæ infinitatis illum deuoret & consumat, vbi vniuersi spiritus in operibus suis deficiunt, & ipsi fruitioni cedunt. Econtra verò diuinus amor in nobis permanens & nos in ipso, ac omnia bona opera nostra nobiscũ operans sine voce, cum intellectuali impressione, clamore valido iugiter ingerit, dicens: Soluite quod debetis, amate * amorẽ vos æternaliter amantem. Hæc enim vox est excitatio vel agitatio quædã Anhelatio in amoris vnitatem. *Aliàs amatorem.

interna in noſtro ſpiritu, omni tonitruo materiali terribilior, cuius coruſcatio cælum nobis apperit, & lumen æternæ veritatis oſtendit.

Amor ſine ſilentio.

Et quia nunquam amor ſilet, quantò plus amamus, tantò ardentius amare concupiſcimus, donec ardor amoris tam intemperatus efficitur, quòd ipſum amoris exercitium inter nos & Deum vadat, & redeat, more fulguris coruſcantis, & tamen comburi non poſſumus. Is igitur, cui riuuli prædicti ſic infunduntur, ſpiritualis efficitur, & diuino lumine luminoſus: quia gratia in vnitate ſpiritus, veluti fons viuus ſcaturiens, per potentiarum riuulos effluens, ſuæ fœcunditatis efficaciam, virtutum operibus manifeſtat: ſed refluxum omnium riuulorum ad originis ſuæ locum expoſtulat. Nam Deus mare quoddã eſt infinitæ magnitudinis, fluxum iugiter faciens & refluxũ, ac electorum mẽtibus infundens aquas gratiæ vel gloriæ, iuxta dignitatem vel indigentiam ſingulorum, easq; cum alueis ſuis vniuerſis, vſq; ad minimã guttam, etiam cum vſura repetens & reſorbens. Præcipuè tamen exigit (vt dictum eſt) à nobis diligi iuxta magnificentiam ſuæ dignitatis.

Deus cur comparetur mari.

Amor beatorum qualis.

Quod quia nulla prorſus creatura perficere poteſt, omnis amans ſpiritus in hoc ſalutare mandatum deficit. Vnde fidelis amator ſoluere cupiens quod petitur, ſummis innixus viribus propriũ modum excedit. Et in ipſo exceſſu vagabundus diligit ſine modo, totiſq; præcordijs volens, ſed nequiens opus perficere virtutis infinitæ, cùm tamen finita ſit virtus omnium creaturarum. Sed amor impatiens, nec de impoſsibilitate ſolatium accipiens, nec de difficultate remedium, licèt ſua deficientia labefactatus fuerit, vires tamen reſumens ad præſumptum opus exequendum, toto ſpiritu renouatur, quatenus Deus iuxta ſuam exigentiam & ſecundùm amoris deſiderium diligatur. Huius dẽiq; rei gratia glorificati ſpiritus vniuerſi iugiter in vnam amoris flammam conglobantur, vt exactum opus dilectionis, quod per ſe nullus adimplere ſufficit, ſaltem in vnum flammeum amoris cuneum conglutinati, valeant aliquatenus conſummare: quod tamẽ vniuerſæ creaturæ foret impoſsibile. Vnde amor vnum eligit ex duobus, aut opus præſumptum perficere, aut ardore ſuperferuido liquefactus in ſua deficientia prorſus annulari. Et licèt neutrum aſſequi poteſt, in hoc tamen luminoſa ratio mirifica voluptate iucundatur, quòd dilectus ſuus tam dignes & excellentiſsimæ maieſtatis eſt, vt omnem creatã virtutem in infinitum excedens, à nulla prorſus, quàm à ſua propria dilectione, pro magnitudine ſuæ dignitatis ametur.

Electio amoris.

De con-

De consurrectione vitæ speculatiuæ & spiritualis, secundum partem hominis supremam, id est, secundùm vnitatem essentiæ ipsius animæ. Cap. XV.

NVnc ordine debito prosequamur exercitium spiritualis consurrectionis, quod celebratur in vnitate nostræ essentiæ. Ad cuius euidentiam primò sciendum est, quòd vnitas spiritus nostri ad vnionem spiritus diuini dupliciter se habet. Primò essentialiter: & sic immediatè naturaliter absq; aliquo vicissitudinis interstitio Deo coniungitur: quia spiritus noster iuxta summum & intimum apicé essentiæ suæ, sui exemplaris, ad cuius imaginé creatus est, impressionē, luminisq; diuini vultus signationē semper suscipit, inhabitatio Dei perpetua naturaliter factus, & ab æterna immansione diuinæ essentiæ possessus, continuoq; semper diuinæ conseruationis affluxu frequentatus. Hæcautē vnitas spiritus nostri cum Deo, nequaquā sua virtute subsistit, sed in Deo manens, ex Deo manat, & à Deo dependens, in Deum velut in suam æternam causam reflectitur, nec à Deo vnquam in æternum separabitur. Nam ipsa naturaliter ineſt nobis adeò, vt si creatura aliqua à Deo, id est, à sua causſa eatenus separaretur, protinus in nihilū decideret. Veruntamen hæc vnitio, qua sic Deo naturaliter spiritus noster est vnitus, nec sanctos nos efficit, nec beatos; quia ab omnibus æqualitate naturali veraciter habetur, licet non æqualiter ab omnibus experitur. Est tamen quodammodo causa primaria, & quasi materiale quoddam omnis sanctitatis, & principium beatitudinis.

Vnitas spiritus creati cum vnitate spiritus diuini quomodo se habeat.

Vnitio spiritus nostri cum Deo quid efficiat.

Secundò verò vnitas nostri spiritus, præter hanc essentialem habitudinem, etiam potentialiter & operatiuè se habet in semetipso, velut in proprio personali esse subsistens. Et hic est fons & origo suprematum potentiarum ipsius animæ, principium & finis omnis creati operis, tam naturalis quàm supernaturalis creaturæ. Veruntamē vnitas, in quantum vnitas est, non operatur, sed omnes animæ vires, quouis modo operentur, virtutem & potestatem ab origine sua recipiunt, id est, ab ipsa vnitate spiritus, in essentia sua personali originaliter subsistentis. Vnde in hac vnitate omnino necessarium est, vt vel Deo similis spiritus per gratiam & virtutes, aut dissimilis per mortale peccatum efficiatur: quia sicut *ad imaginem*, ita *& ad similitudinē* Dei, id est, ad gratiæ informationē creati sumus. Quæ, scilicet gratia lumen est deiforme nos illuminans, & nostro Creatori nos assimilans, sine quo Deo super-

naturaliter vniri non possumus, quamuis imaginis impressionem, & naturalem cum Deo vnitatem amittere non valeamus. Ob quam causam Deus in nobis aptitudinem congruam susceptioni suæ gratiæ reperiens, instinctu suæ liberalissimæ bonitatis sibi nos vnificare, ac per gratiam assimilare non differt. Quo spiritus noster in amorem fruitiuum immergió felicissimo se profundat, & ex hoc ipso fit quædam vnio supernaturalis & mediata, in qua initium ac semen nostræ beatitudinis consistit. Ex ea namque ea, quæ Deo sunt naturalia, nobis autem supernaturalia, dona fluunt, vt tamen in ea spiritus amans super omnia naturalia requiescat. Nec est hîc aliud nisi Deus, & spiritus Deo coniunctus & vnitus. In qua scilicet vnitate nos à Spiritu sancto suscipimur, & versa vice nos cum Spiritu sancto Patrē & Filium suscipimus, totamque deitatis naturam. Cæterùm, inclinatio fruitiua spiritus in Deum super omnia requiem quærens, omne id in essentiali sua existentia supernaturaliter consequitur, & possidet, quicquid illic Spiritus sanctus naturaliter est adeptus. Porrò in hoc omnis nostra beatitudo consistit, quòd per gratiæ vel gloriæ mediū, in essentialis vnitatis suæ requiem spiritus introducatur: quia gratia via est, per quam venire necesse est in nudam ac simplicem essentiæ suæ vnitatem, cui Deus cum omnibus suis diuitijs liberaliter se infundit. Peccatum enim, quod solùm est obex gratiæ tantum chaos tenebrarum & dissimilitudinis, inter potentias & essentiam (quam Deus inhabitat) interponit, quòd essentiæ suæ spiritus noster vniri nequeat: quæ sibi vtique patria esset, & proprium quietis cubiculum, nisi per peccatum in regionem dissimilitudinis exularet. Ex quibus patet, quòd Deus quibusdam mediis, gratia, scilicet, & donis multifarijs ad nos venit, cui vicevers a virtutibus & exercitijs mediantibus occurrimus. Et sic actualis iste concursus diuinis donis, nostrisq; virtutibus cum operatione spiritus mediantibus, perficitur, & felici consurrectione spiritus noster in vnitate suæ essentiæ Deo counitur. De qua scilicet vnione sermo præsens loquitur. Hæc enim cōsurrectio cæteris nobilior, altiori gradu nos ad summum exercitiū spiritus nostri sub creato lumine prouehit, magis ac magis semper in Deum profundat. Quæ profundatio similis est fluminibus sine cessatione & reuersione in mare defluentibus, quia mare est eorum proprius locus. Sic miro modo cùm vnitate supernaturali solum Deum possidemus, tunc essentialis nostra demersio virtutes omnes, & omne exercitium amoris supergreditur.

Hæc beatitudo in patria tantum permittitur his, qui hoc eius semen, quod est gratia, in finē vsq; conseruauerint, secundùm quā diuina fruentur essentia, quæ Spiritui sancto naturaliter est cōmunicata.

Profundatio spiritus creati in Deum quæ-

Ad ma-

Ad maiorem autem euidentiam sciendum, quòd modus istius consurrectionis excitatur & mouetur quodam intimo Christi tactu, spiritus nostri penetralia diuinitatis suæ claritate tangentis. De quo non incongruè sponsa gloriabatur in Canticis, dicens: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.* Hunc autem tactum spiritus noster quasi non cooperans patitur, quia supremæ potentiæ hoc tactu in vnitate spiritus adunantur, solo Deo illic operante. Modus huius consurrectionis vt excitetur. Cantic. 5.

Nam illic omnis operatio & ratio fatiscit, quia ratio diuino lumine & magis virtus amatiua sentit hunc tactum, ratione tamen modum eius comprehendere non valente. Quid autem sit iste tactus in sua origine, vel quid sit amor in seipso, inuestigare non possumus; sed eius negotium duplex est, quia spiritum amantem extrahit, & intrahit. Extrahit enim nos per effluxum quendam Spiritus sancti, quo nos diuites efficit, implens omnia auida vasa nostra donis suis omnifarijs, & exigens vt cum donis suis, secundùm eius beneplacitum, viuere studeamus. Cùm ergo tactus iste, rationem nostram illuminans, semper est viuidum quoddam medium inter nos, & Deum, sine intermissione à nobis exigit vitam virtuosam, per quam Deus in nobis viuat, & nos in Deo, & sic Deo supra nostram naturam assimilemur, & in gratia simul, & gloria semper similes perseueremus. Hinc ex eius tactu funditus interius commouemur, ac quoddam insatiabile desiderium, & auidum appetitum suscipimus, quem nec ratio, nec vlla creatura compescere, vel sedare potest. Nimirum, quia in sua effluentia, vult totus noster esse, docetque nos viuere in opulentia virtutum. Nam effluens Dei tactus, nos facit in spiritu viuentes, ac gratia sua nos replet, rationem nostram illuminans, veritatis agnitionem, & virtutum discretionem nobis infundens, ac in Dei præsentia nos stantes tam potenti virtute conseruans, quòd omnem saporem, sensionem, ac vniuersi effluentia Dei dona sine defectione spiritus sustinere valeamus. Vnde ex hoc tactu effluunt omnes riuuli diuinæ bonitatis, quam quò magis gustamus, eò amplius degustare desideramus, & inde profundius eius tactui inhiamus, ac per hoc magis suæ dulcedinis flumina nos perfluunt, & inebriant: quo fit, quod semper clarius agnoscimus diuinam dulcedinem esse incomprehensibilem, & infinitam. Vnde omnes animæ vires expanduntur latissimè, præcipuè tamen appetitus voracis desiderij, quia sentimus eum cum vniuersis suis

Tactus extrahens quid.

diuitijs velle nostrũ esse, nobiscumq; manere feliciter. Et licèt tactus diuinus intrahens, exercitium in nobis excitet multo nobilius, vtpote ad diuinam vnionem, & nostri absorptionem nos inuitans, sicut videbitur: vtile tamen, & necessarium est, vt fidelis amator, hanc vicissitudinem semper exerceat, quia in his duobus est vita æterna. Quapropter in huiusmodi contemplationis celsitudine subleuati, debent ab omnibus absoluti, nunc quidem interius fruitioni vacantes ingredi, nunc autem operibus bonis exterius, cùm tempus requisierit, egredi, & diuino spiritui tam in vacatione, quàm in exteriori operatione, vbilibet indesinenter vnitè colligari. Nam sicut oculos corporales, cùm subitò ad videndum extrinseca aperimus, sine mora nobis perceptibili denuo recludimus: sic in Deo mortui, ex Deo viui, cum Deo semper permanentes, opportuno tempore debemus nos aperire moralibus virtutibus sensibiliter operantes, *ne gratiam Dei in vacuum* recipiamus, ac iterum introrsum per amorem gradientes, Deo dulciter adhærere, eique sine separatione, & turbatione permanenter vniri.

2. Cor. 6.

Tactus intrahens quis.

Secundò verò tactus iste nos intrahit. Qui scilicet intrahens Dei tactus nos ex nobis assumit, exigens nos liquefieri, & in vnitatem suam ad nihilum redigi, ac mox funditus in æternam felicitatem, hoc est, in amorem illum (vt ita dicam) vnissimum, ac simplicissimum, qui Patrem, & Filium in vna fruitione complectitur, & sic in amplo diuini amoris amplexu baptizamur, vbi deficiunt omnes vires nostræ, sedemusque *sub vmbra* dilecti, *& fructus*, id est, Filius *eius dulcis gutturi* nostro, quem Pater in nostro gignit spiritu: qui tam infinitè dulcis est gutturi nostro, quòd eum nec glutire, nec in nos mutare valemus, sed ipse nos in se penitus absorbet, & mutat. Tribuit enim nobis plenitudinem gratiarum, & donorum, docens nos exercitia perfecti amoris, hoc est, mutuam contemplationem inter nos & Deum, mutuam gustationem, & agnitionem, placere & complacere, in amorem liquere & defluere, quia Deus nobis seipsum dat, licèt eum capere non possumus, & ab eo nobis effluunt multifaria dona in anima & corpore, in corde & sensibus, & in omnibus viribus gustamus, & sentimus consolationes, & suauitates amoris sui. Licèt autem eius consolationes, & dona supereffluant, semper tamen famelici, & sitibundi permanemus, auidè ad donum illud anhelantes, quod est ipse amor super omnia dona sine mensura: quia solus amor est, quo seipsum

Cantic. 2.

ipsum spiritus Dei largissimè donat, & communicat. Sic ergo nos intrahit, & exigit nos vnum amorem cum eo fieri, sicut rogabat Patrem Christus, sæpius idipsum repetens. Cui nimirum intractiuo tactui, si quis curam vigilem adhibuerit, vicinusque permanserit, in mortalis peccati præcipitium labi non poterit. Cæterum, intractus iste præsertim nos incitat ad amandum dilectum secundùm suam dignitatem. Cuius dignitas, cùm sit infinita, nos amans infinitè sicut infinitus est, ideo à spiritu nostro amorem exigit sine mensura. Cuius amor adeò vehemens, & intrahens, ac consumens est, quòd importunitate sua concitò labimur in amorem modinescium. Quia nescimus, nec valemus quomodo diuino amori respondere debeamus, cùm tam auidus sit & auarus, quòd omnia, quæ contingit, deuorat & consumit in suam proprietatem. Vnde etiam amorem nostrum, huic amori cedere necesse est, quia nos ab eo defendere non valemus. Quapropter amor noster efficitur simplex, & nudus, & otiosus sine operatione. Et amor Dei ignis consumens est, nos deuorans, & absorbens in vnionem cum Deo. Ac vnitas diuinę naturę per suam nobilem amorositatem omnia in se trahens amoris opera illa, quicquid ibidem in alteritate manifestatur, incendio sui amoris consumit, quia ipsa est amoris abyssus, omne amans efficaciter intrahens, & ineffabiliter sem etipsa transformans. Hæc autem intractio, quidam internus contactus est, ex ipsa supereſſentiali vnitate Dei procedens, in quo amantes in vno amore cum Deo, quodam amplexu penitus efficiuntur liquefacti. Nimirum, quia super hunc tactum in ipsa silenti, tranquillaque spiritus essentia, quædam incomprehensibilis charitas emicat. Et hæc est excellentissima Trinitas deitatis, ex cuius diuitiarum profluuio tactus iste causatur. Illic enim inuicem Deus in spiritu, & spiritus in Deo regnant. Vnde tactus iste trahit, & incitat spiritum nostrum ad profundissimum, & sublimissimum exercitium spirituale, quod sub creato lumine poterit exerceri. Eleuat enim se spiritus efficacia virtutis amatiuæ negotium omnis operationis superegrediens in vnitatem mentis, in qua tactus huius viuida vena scaturizat: eò quòd tactus iste ad cognoscendum in sua claritate Deum, intellectum incitat, & ad immediatè eo fruendum affectum amatiuæ virtutis trahit, & inuitat, quod super omnia Deum amans spiritus naturaliter, & supernaturaliter concupiscit. Per illuminatam ergo rationem intimo contuitu se spiritus exaltat, penetralia sui, vbi tactus iste scaturit, ar-

Ioan. 17.

Amor modinescius.

Amor vt ignis sit cōsumens.

Eleuatio spiritus.

dentissimo prospectu contemplans. Ratio tamen licèt summis innixa viribus, & omnis intellectus in huius prospectus scrutinio deficit, & caligat: quia superemicans diuina claritas, hunc tactum causans, occursu suo omnem visum, & intellectum, creato lumine tantùm illustratum, obtenebrat: vtpote infiniti splendoris existens, & aciei omnis creati luminis reuerberatiui.

Amor vt ifrustratus desiderio non fatiscat.

Quamuis autem ratio, & intellectus præ foribus gradum sistere compellantur, virtus tamen amatiua, quæ sicut intellectus ad notitiam, sic ad gustum ipsa diuinitus inuitatur, amoris impetum prosequi cupiens, progredi non fatiscit. Nam ipsa solius fruitionis (quæ gustui magis debetur, quàm visui) delectatur amplexu. Et ratio in se cæca, cùm sit in meridie, vt in tenebris æquè palpitans, intellectu nimia claritate caligante, & in ianuis excubante, ipsa cum Moyse caliginem intrare festinat: quia quandam esuriem spiritualem insatiabilem incurrit comprehendendi bonum increatum, cùm tamen ipsa creata sit: veluti si totum pelagus minimus maris pisciculus deglutire conaretur. Et sic in ea stabilitur esuries æterna, cùm nequaquam capere valet bonum increatum. Sed quoniam amoris fiducia hoc proprium habet, vt secundò ac tertiò frustrata, à suo conamine non fatiscat, post defectum semper vires reparans, ad idipsum perficiendum esuriem renouat & adauget. Ex vena tamen tactus huius melliflui deliciarum riuuli fluitant, quia tactus iste, iuxta desiderium omnifarium spiritus, secum adfert delectamenta saporis.

Amori proprium quid.

Tactus amoris quid adferat.

Et hæc est amoris vita supra rationem, & intellectum, iuxta summæ operationis eius negotium, quia ratio in hoc gradu, nec conferre, nec auferre quid valet amori, cùm amor noster diuino sit tactus amore. Vnde nullum hîc sentio post futurum vnquam à diuina charitate diuortium, quia talis amator omnibus inordinatis affectionibus, consolationibus, intentionibus, &c. funditus moritur, vt verè dicere possit: *Mihi mundus crucifixus est*, tam efficacem auersionem ab omnibus deordinationibus in se persentit. Porrò conflictus hîc agitur diuini, nostrique amoris. Nam Deo per Spiritum sanctum in nostrum spiritum se proclinante, ac dulciflue tangente, spiritus noster econtra diuino tactu permotus, ac amatiua virtute subiectus, in Deum se imprimit & inclinat, & sic vicario tactu Deus retangitur, ex quo conflictus amoris oritur, ita quòd penetratiuis amoris iaculis vterque vulneratur, & mutuis se fulminibus interlucent, altero alteri

(Galat. 6. Conflictus diuini nostrique amoris.

suam

suam faciem ostendente, quod iugi esurie facit eos in alterutrum inhiare. Alter alterum totum esurit, & desiderat, & alter alteri se totum offert, & hoc facit amantes, liquefacto amoris incendio fluitare. Porrò Dei tactus, & eius largitio, nostraque relargitio, stabili soliditate confirmant amorem, & vnus simplex amor fiunt, & spiritus amans, quasi totus amor efficitur. Vnde in hoc exercitio nec error intercidit, nec deceptio, sed ad *optimam partem* pertinens, in hac vita gratiæ prægustatur, & in patria feliciter adimpletur.

De quatuor gradibus, vel differentijs amoris. Cap. XVI.

Caput 4.

DIcit Beatus Dionysius in libro de diuinis nominibus, quòd vnus est amor increatus, qui sua supersubstantiali, & vniuersali appetitione ingignit amorem creatum omnibus rebus, qui, scilicet amor creatus, est quædam inclinatio, & coordinatio amantis ad bonum amatum. Est enim amor connexio, & vinculum, quo rerum vniuersitas ineffabili amicitia, insolubiliqúe vnione copulatur. Rationalis autem creatura, mortalitate naturæ suppressa, ac vitijs inuoluta, multis gradibus est à summo, & purissimo amore, qui Deus est, sua labilitate digressa. Ad quem vtique gressibus amoris redire nos oportet: quia Deum amare, est ad ipsum accedere, & intrare, ac gustare, *quoniam suauis est Dominus*. Et quantum quis amat, tantum amoris gressibus dilecto Deo propinquat: quantum autem amare negligit, tantum ingredi recusat, quia verus amor inter se, & dilectum, nullum medium patitur: nec quiescit donec ad ipsum, & in ipsum perueniat: & tam prope, quòd si fieri posset, hoc idem ipsum sit quod ipse. Vnde Augustinus in Epistola ad Macedon. dicit, quòd tantò nobis melius est, quantò magis ad illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando. Quem tantò habebimus præsentiorem, quantò eundem amorem, quo in eum tendimus, poterimus habere puriorem. Vnde solus amor quoddam viuidum est, & diuinum instrumentum, quo nos ducit, inuitat, allicit, trahit, & cogit ad suam agnitionem, timorem, affectionem, subiectionem, aspirationem, gratificationem, assimilationem, amorem, vnionem, & desideratissimam fruitionem. Hic igitur amor, quo totalis cursus viatoris perficitur, licèt multis gradibus distingui posset, ad exercitium tamen quotidianum lucidius cognoscendum, secundùm exigentiam, & aptitudinem amoris vniuscuiusque viatoris, quatuor gradibus distinguere statui.

Amor quid sit.

Amare Deum quid.

Psalm. 33. 1. Pet. 2.

Amor vt instrumentum sit Dei.

Amor communis quis.

Primus autem gradus amoris potissimè negotium suum, & exercitium extra nos exequitur, & dici potest amor communis, qui Deum quidem timet & amat super omnia, obediens Deo suisque Prælatis, & Ecclesiæ sanctæ in fide vera & virtutibus, & bonis operibus. Et amor quidem otiari nescit, sed, secundùm Gregorium, operatur magna, si est: si autem operari renuit, amor nō est. Effectum tamen suum amor iste præsertim in exercitijs exterioribus ostendit, & virtutibus moralibus. Quia nimirum effluxus quidam est fraternæ charitatis ad proximum, cum operibus misericordiæ, & pietatis, in suis necessitatibus spiritualibus, & corporalibus, ad seipsum in omnibus corporalibus exercitijs, in resistendis tentationibus, & naturalibus passionibus, in pœnitentiæ & abstinentiæ operibus. Et in hoc amore, sicut suam practicam consequitur, sic & pro suo modulo quandoque quandam persentit in eo fruitionem, scilicet exercitiorum suorum dulcifluam internam oblectationem. Nam, secundùm Origenem super Cantica, de natura boni operis est, quòd ad ipsius multiplicationem multiplicatur & delectatio: & quasi quoddam spirituale condimentum est sibi hilaritas bene operantis. Vnde, secundùm Albertum, Bonum operatum facit dulcedinem in gustu, & gaudium in corde. Sic in omnibus amoris exercitijs suis fidelis amicus oblectationem quandam consequitur, & fruitionem. Huic autem amori si profectum adijcere velis, exteriora opera sine solicitudine, & multiplicitate cordis exercere studeas, mentem semper ad Deum erigens. Quia licèt approbatur labor, dicente Psalm. *Labores manuum tuarum quia manducabis*, &c. reprobatur tamen solicitudo cordis, & distractio, dicente Domino: *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima, Maria optimam partem elegit.* Cuius ratio est, quia per solicitudines, perplexitates, & multiplicitates amoris affectus debilitatur, & diuersis tentationibus exponitur. Hinc est, quòd facilè naturæ suæ per sensualitates, & oblectationes obsequens, statim in amore refrigescit, in spirituali sapore desipit, in virtutibus decrescit, ac in detestabilem tepiditatē, & ingratitudinem defluit. Qui verò Hiebuzæos istos legitimè decernauerit, citò sensualitatis, & naturæ victoriam obtinebit, ac in omnem amoris perfectionem protinus accrescet.

Psalm. 127.

Iuuæ 10. Amoris iactura vnde proueniat.

2. Reg. 5.

Amor sensitiuus quis.

Secundus gradus amoris, negotium suum & exercitium, intra nostram habitationem exequitur. Hic enim amor est gratia Dei, & nostra bona voluntas, in qua possidemus spirituales diuitias, & plenitudi-

tudinem omnium virtutum, quibus Deus in medio nostri viuit, & habitat cum gratia, & donis suis, vbi semper crescere possumus, & proficere. Et hic quidem amor sensibilis, vel sensitiuus dicitur, quia negotium suum principaliter exequitur in inferioribus animæ viribus, quibus scilicet anima corpori coniungitur. Vnde etiam quàm maximè sensibili deuotione, & oblectatione confouetur, & inflammatur. Et hic quidem amor respuit omnem appetitum, & gustum inordinatum, ac omnia, quæ deordinant diuini amoris exercitium, hominem ponens in quandam humilem suiipsius abiectionem, & displicentiam. Facitque iugiter clamare ad Deum desiderijs aspirationibus: Adiuua me Domine vt amem te. Quantò verò plus clamat, & desiderat, tantò plus amat: & quantò plus amare appetit, tantò plus sapit. Nam sapor, & appetitus aliquando cor & sensus, corpus & animam perfluunt & inebriant. *Hic* tamen *quæritur inter* amicos, *vt fidelis quis inueniatur*. Nam qui verè amat, non est mercenarius, nec quærit lucrum, vel præmium; non sensionem spiritualem vel delitias; sed amat, & desiderat amorem, id est, Deum propter seipsum. Desiderat autem eius dona, in quantum nos ad amorem diuinum incitant, alliciunt, & inducunt. Et quantò plura dona recipit, tantò pauperior est: quia semper dona retributionem exigunt, & ad relargitionem inflammant. Hinc etiam cor amans semper vacuum, auidum, & insatiabile permanet, & accipere, & reddere huius amoris exercitium stabiliunt. Accipere quidem, quia fluuius donorum abundantia sua totam vitam sensualem superinfluit, ita quòd voluptates animæ sensus sustinere non possunt, sed vita sensualis ebria est, discretionem non habens. Quantò verò plus inebriatur, tantò magis intellectualis ratio diuina sapientia, & claritate perfunditur. Cuius nimirum inebriatiua virtute cor amans omnem contemnit, & abijcit propriam voluntatem, in prosperis, & aduersis, in vita vel in morte. Spiritus autem diuinus, tam largiflua bonitate se communicans per amorem, nihil aliud à nobis exigit, quàm amorem purum. Sed eius effluentia dona à nobis exigunt virtutes, quantum ad interiora; & opera bona, quantum ad exteriora, secundùm omne diuinum beneplacitum. Et in vtroque obedire debemus, scilicet æterno eius amori, per amorem respondendo, & eius liberalibus donis, in virtutibus & bonis operibus vicem rependendo: vt sic liberè quæ præcipit perficiamus, & sine recalcitratione quicquid nos sustinere permiserit suscipiamus. Exer-

1. Cor. 4. Amator fidelis vt petatur.

Accipere amorem quid.

Spiritus Dei quid à nobis exigat.

citium huius amoris liberum est, & sine verecundia, quoniam eius natura est auaritia, & liberalitas, quia semper vult exigere, & offerre; dare, & accipere: ibique semper est trahere, & sequi; tangere, & tangi. Cùm autem amor auarus est, ab anima totum exigit, & desiderat quod est, & quod potest. Anima verò dives est, & larga, auido amori totum impendere volens, quod exigit, & desiderat. Vnde cùm sentit tactum amoris extractiuum, quo scilicet hominem traxit ad similitudinem suam, ibi tribuit conflictum desideriorum, & affectuum, contra omnes exteriores deordinationes, & dissimilitudines, donec per diuinam gratiam, & amorem peccatis renuntiantes, Deo se conformes efficiunt in virtutibus, & virtuosis actibus, in intentionibus, & affectionibus, diuinum quærentes honorem, & propriam salutem. Cùm verò tactum amoris intractiuum sentit, quo nos incitat ad propriam mortificationem, vt soli Deo viuamus, ibi donat spiritualem conflictum, quo passiones naturales, & omnes aduersitates, & tribulationes tranquilla patientia deuincamus, omnique proprietati moriamur. Nam anima sic amore præuenta, totam se impendere desiderat. Amor autem quicquid acceperit deuorat, consumit, & exurit, quia *Deus ignis consumens est*, non naturam, sed omnem dissimilitudinem. Porrò cùm amor iste suam abyssalem largitatem repræsentat, ostendens animæ totum quod est, & infinita liberalitate communicare deliberat, tunc anima tam dulciter præuenta gulosa est, & auida latè hians, & totum quod ostensum est, deuorare cupiens. Cùm enim percipit Deum velle totaliter esse nostrum, tunc oritur ei desiderium tam auidum, profundum, & vacuum, quòd si Deus daret omnia præter se, penitus sufficere non posset; & quantò plus auidè comprehendere nititur, & deuorare, tantò melius sentit se à Dei diuitijs incomprehensibilibus defraudari. Et hoc est exercitium amoris in nostra habitatione, quod tamen modum, & rationem non excedit.

Amor vt sit auarus.

Deut. 4. Hebr. 12.

Tertius verò gradus amoris negotium suum exequitur inter Deum, & nos. Est enim quoddam sanctum, ac viuidum ascendens desiderium ad Deum, quod per motum Spiritus sancti, ac beneuolentiam, & amorē cordis nostri in diuinum honorem, laudem, gratiarū actionem, feruidam aspirationem, ignitum amorem, & omnifarium amoris exercitium, continuè renouatur. Nam inter nos, & Deum viuida, & actualis dilectio semper mediare debet, quæ liberam Dei inac-

tio-

ctionem,nostramq; liberam adiunctionem vnitim transformabit. Et hæc dilectio nullatenus esse potest otiosa,quia exercetur inter Deum viuum,& spiritum nostrum viuum. Vnde quantum actualis dilectionis sensérimus in nobis, tantum nos in gratia viuimus. Quantum autē essentialis amoris nostram actualem dilectionē complectentis sensérimus,tātum à nobisipsis in amorem dimergimur,tantumq; felices existimus. Et hîc quidem amor practicus & fruitiuus quadam æqualitate militant. Nam in inferioribus gradibus praxis præstantior est, in superiori verò fruitio prævalet. Sed in exercitio præsenti cùm se quis cum totalitate sui viriumq; suarum erigens ad Deum dirigit, cum viuido quodā amore practico,tunc amorē suum in sua profunditate,vnde originatur,& in sua fruitione sentit velut abyssum quandā sine termino. Si ergo per amorē practicū in amorem fruitiuum ingredi voluerit, tunc omnes aliæ vires animæ perfluenti veritati, quæ Deus est, cedere compelluntur,ac in Deo sibijpsis mori funditus per effluxionē suijpsius, ac immersionem in illā simplicissimā diuinā essentiam,sicut in proprium centrum. Hæc autē felicissima mors contingit in spiritu, cùm tres vires superiores,se in suis singulis exercitijs, operatione suæ vigorosissima funditus extenuant;annihilant,& in propriā deficientiam perducunt, vt in ipsam latissimam diuinitatem absorptæ feliciter effluant. Sic per exercitium amoris efficacissimum vires in vnitatem spiritus nostri amore deficientes influunt, vbi amorem nostrum purum,& quietum inueniunt,& se cum eodem amore Deo veraciter vnitas in amore, quia suprā nudam cogitationem nostram nihil est, nisi amor æternus,qui Deus est. Vnde nos oportet cogitationem nostrā per amorem perducere in sui deficientiam, & expirationem, si cum Deo nos in vnitatem amoris inuenire volumus:& hoc est nobis mori, vt Deo viuamus. Nam vbi Deo per amorem perfectè inhæremus, ibi morimur,& expiramus:vbi verò spiritu suo nos transformat, ibi Deo viuimus,& fruimur. Porrò,quod in nobis est mori,& viuere, hoc est, agere,& agi. Agimus enim ad nostram expirationem, agimur verò ad nostram transformationem, vbi feliciter,& continuè renascimur electi filij Dei. Et hic gradus meritò vocatur amor modinescius, quia sua vehementia caret omni modo, quo spiritus noster seipsum exercendo, omni hora extenuat,& annihilat, quia vires eius in amore modipriuio penitus deficiunt,& se euacuant in quoddam otiosum esse. Rursumque tactum diuinum spiritus noster persentiens,

Amor practicus, & fruitiuus.

Viuere, & moti nostrum quid.

Amor modinescius.

operando sese denuò extenuat,& annihilat. Et hæc vicissitudo frequẽtatur impetu quodam spiritus,à nobis nos excutiens,nec tamẽ in Deo persistere prævalens.

Quartus denique gradus amoris dextra dilecti subleuatus,supra nostram capacitatem negotium suum exequitur. Spiritus enim diuinus in amorem suum nos sustollens,supra rationem in seipsum,vnione felicissima nos habitare,& requiescere facit,& hic gradus multis nominibus decoratur. Dicitur enim amor eleuatus,quia supra omnem operationem eleuatur,& spiritum eleuat in quandam diuinam claritatem, id est,in quandam nudam intelligentiam,& nudum amorẽ. Dicitur autem nudus,& otiosus,ac quietus, quia ab omnibus intermedijs denudatus,nudè se trãsfert in amorem essentialẽ,& otiosus ab omni operatione vacat,nec in eo viuit accessus,& recessus, nec impetuositas amoris,vel virtutum: sed est sicut oleum,quod bulliendo omni dissimili exusto,& consumpto iam sedatum est, incalescens,& in seipso superinardescens. Viuit etiã quietus in Deo, & Deus in eo, nec quicquam aliud interuenire potest, sed nutriens,& pascens omnes virtutes,nullũ sumit nutrimentum nisi in Deo. Et sicut fons semper effluit, & in suo viuido principio semper plenus permanet: sic etiam per dona,& omnẽ sanctitatem semper effluit,& in se super omnia quietus,& immotus remanet. Dicitur etiam purus, quia ab omnibus alienis affectibus est depuratus,& penitus indepictus. Deniq; dicitur amor essentialis,qui in ipsa essentia animæ constitutus est, in quẽ spiritus subleuatur, cùm supra rationẽ, & amorem practicum per nudam intuitionẽ in essentiæ suæ tranquillitate, & vnitate constituitur, ac cum Deo spiritus vnus, & vnus amor efficitur. Nam in hoc essentiali amore, noster intellectus eleuatur sine fine per vnionem, quam essentialiter cum Deo possidet. Dicitur etiam amor fruibilis,vel fruitiuus, cùm amori diuino perfectè amor noster coniunctus est. Nam Deus se in ipsa vacua nostri spiritus otiositate fruibiliter manifestat,& amãs spiritus in essentiali fruitione sibi defluit,& liquescit sine reuersione, secundùm naturam fruitionis, qua spiritus sibijpsi in Deo moritur, veluti flumina sine reuersione in mare defluentia. Vnde in essentiali fruitione, nullam spiritus inter se,& id quod amat, percipit discretionem, quoniam à se in quandam essentialis amoris latitudinem dilatatur, cujus flamma spiritum nostrum in ignem amoris diuini infinitæ magnitudinis subuehit,& vnum amorẽ, ac fruitionem efficit: quia amor Dei,&

Amor eleuatus.

Amor nudus, otiosus, & quietus.

Amor purus.

Amor essentialis.

Amor fruitiuus.

Dei, & amor noster semper similes sunt, & vnum in fruitione, vbi spiritus eius *amorem nostrũ deglutit, & absorbet cum seipso in vnam fruitionem, & vnam beatitudinem. Vnde licèt de natura amoris est nunquam otiari, sed semper operari; tamen quantum appropinquat æterno amori, tantum appropinquat ipsi fruitioni, quæ vacare cogit: & hoc ideo, quia cùm amor noster amori diuino perfectè coniunctus est, tunc non agit, sed agitur, & à spiritu diuino transformatur, quia in fruitione solus Deus operatur, vbi omnes amorosos spiritus expirare facit, & eos consumens in vnitatem spiritus sui transformat. Est enim fruitio complexus dilecti in dilecto super omne desiderium in quendam simplicem nudum amorem, vbi Pater cum Filio dilectum suum comprehendit in vnitatem fruitiuam Spiritus sui, supra naturæ fœcunditatem. In quo complexu cogitur expirare, liquare, diffluere, & in fruitione vnum cum Deo fieri. Et quantò magis huic complexui propinquamus, tantò magis de hac fruitione participamus. Porrò proprium exercitium huius gradus amoris est assimilare, & vnire: quæ duo licèt salubriter frequententur, & exerceãtur in omnibus amoris gradibus, hîc tamen duntaxat effectũ suum, & perfectionem plenè sortiuntur. Vnde Deus naturaliter effluit veritate, & amore, quia veritas æterna à Patre generatur, & amor æternus ex vtroque procedit, & in his Deo similes esse debemus supra omnia virtutũ exercitia. Secundò verò naturaliter influit vnitate, & essentia, quia vnitas diuinæ naturæ intrahit tres personas in nexu amoris, & essentia diuina comprehendit vnitatem in otiositate circumplexu quodam fruitiuo in essentiali amore. Sic amoris nexus vires nostras intrahit in vnitatem spiritus nostri, sicque vlterius in simplicem vnitatem essentiæ nostræ superascendimus, vbi diuinam vnionem suscipimus, & eius fruitionem degustamus. Vnde Deus in spiritu nostro habitans, has quatuor proprietates in nobis efficit, quas (cùm in simplicitate spiritus nostri efficaciter introuersi fuerimus) continuò reperimus: Quia per nostram introuersionem primò statim immensæ claritati diuinæ obuiamus, in qua noster intellectus consideratione qualibet, & imaginibus vniuersis priuatur, ac si nunquam rem aliquam vidisset, & audisset. Et quia puritas hæc spiritus nostri diuina claritate perfusa, in profundo nostri intellectus fundata est, ideo cum intellectu nostro introuerso, puro, & nudo semper ascendere debemus, simpliciter aspicientes illam diuinam claritatem, id est,

*Aliâs spiritum.

Amor vt operetur.

Fruitio q.d.

Amoris huius gradus exercitium proprium quid.

Deus vt effluat, & influat.

Effectus Dei in spiritu nostro qui-

æternæ veritatis apparitionem, quæ in nobis semper splendens est, & inhabitans, in qua puritas, & nuditas nostri spiritus fundata est, vt in eandem simplicem claritatem transformemur. Secũdò verò quia Deus in simplicitate nostri spiritus cum quadam infinita opulentia sua manet, ideo in eadem amabili introuersione, vbi diuinæ claritati sic obuiamus, diuitias istas persentimus, & in his spiritus noster ab omni velle, & desiderio adeò liber est, & otiosus, ac si in cælo, & in terra non esset aliqua res, qua nos indigeremus, quia diuitijs illis vniti sumus quæ Deus est. Et quia tanta puritas introuersæ nostræ voluntatis, Dei perfusa diuitijs in profundo nostræ virtutis amatiuæ stabilitur: hinc cum amore nostro puro, nudo, & introuerso simpliciter ascendere debemus in ipsam incomprehensibilem Spiritus sancti bonitatem, qui diuitias suas, id est, seipsum in nostri spiritus simplicitatem, ac nostræ voluntatis eleuationem puram infundit. Et hæc duo diuinæ puritati, ac simplicitati nos similes efficiunt.

Deus vt maneat in spiritu nostro.

Tertiò verò cùm nos in illam diuinam claritatem, & Dei diuitias introuertimus, mox diuinam vnionem sentimus, quam cum spiritu nostro conficit, per quam & vniuersis creatis inadhæsibiles efficimur, ita vt nemini nos placere delectet, & nos abstrahẽdo, nemo nobis placere possit: & sic nulla creatura potest in nobis immorari nisi solus Deus. Et ideo cũ vnitate spiritus nostri semper habere debemus æternum * viuidum ascensum in ipsam venerabilem Dei vnitatem, quæ sine intermissione dat, & recipit; offert, & exigit, nec amantem quemque in semetipso durare permittit. Quartò denic; Deus in simplicitate spiritus nostri habitat cum sua essentia, quia cùm per claritatem, & diuitias, ac vnionem cum Deo nosipsos derelinquimus, & omnia superando transimus: tunc in ipsam simplicem vnitatem essentiæ nostræ peruenimus, & immensam ibidem amplitudinem, & infinitam profunditatem essentiæ diuinæ persentimus. Vnde cum nostra essentia in ipsam diuinam essentiam, & cum nostra natura in ipsius naturam supereminentem ascensum habere debemus: quia quælibet natura rationalis de iure quærere debet suum principium. Et hæ sunt quatuor proprietates omnem profunditatem excedentes, quibus nostri spiritus simplicitatem sine mensura clarificat, & ditat, & in vnitate conseruat, & in essentia possidet.

Deus vt viuiat se spiritui nostro.

* Quæ de ascensu essentiæ, & naturæ nostræ in essentiã naturam que diuinam dicuntur hic, non intelligunt quò ad cognoscendũ hanc essentialiter, atq; de facie in hac vita, sed o stendunt quis sit desid. eorum nostrorum finis tantum, ad quem semper aspirare debemus, consequendus tamen solùm in alia vita.

D. HEN-

D. HENRICI HARPHII THEOLOGIAE MYSTICAE, LIBRI TERTII

PARS TERTIA.

De supremo exercitio vitæ speculatiuæ, & spiritualis. Cap. XVII.

Mice ascende superius Luc. decimoquarto. Ad prosequendum euidentius supremum gradum in exercitio spirituali, & cõtemplatiuo, quod absoluto spiritu duntaxat attingitur: sciendum quòd primò fieri necesse est quandam mirabilem diuisionem nõ corporis, & animæ: sed animæ, & spiritus, quã operatur in nobis *sermo Dei viuus, & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti*, vt sic spiritus ab omnibus exoneratus, liberè suum negotium exequatur. Vnde verbum hoc Apostolicum exponens Augustinus, libro de spiritu, & anima, ac etiam Richardus, libro de exterminatione mali, dicunt: Quòd in creaturis nihil hac diuisione mirabilius cernitur, quoniam id, quod essentialiter vnum est, & indiuiduum, in seipsum quadam partitione diuiditur: neque enim in homine vno alia est essentia sui spiritus, & alia animæ suæ, sed vna eademque substantia simplicis naturæ. Non enim in hoc gemino vocabulo, gemina substantia intelligitur; sed tantùm ad distinctionem ponitur gemina nominatio eiusdem essentiæ: vna superior per spiritum, alia inferior per animam designatur. Ita quòd in hac diuisione in imo remaneat quod animale est, & sursum euolet quod spirituale est. Hoc enim ab animali diuiditur, vt vsque ad speculationem diuinæ glorię sublimetur, & suo Domino coniungatur, & in eandem imaginem trãsformetur: quia *qui adhæret* Deo *vnus spiritus* efficitur. Prętera, spiritus humanus à corpore, & anima in tantum aliquando subtrahitur, quòd meritò spiritus in spiritu esse dicitur, cùm scilicet omnium exteriorum obliuiscitur, ignarus pariter eorum, quæ in corpore corporaliter aguntur, & illis solùm per memoriam, vel intellectum interest, quæ in spiritu, vel per spiritum actitantur. Vnde Haymo super

Hebr. 4.

Diuisio inter humanum spiritum, & animam.

1. Cor. 6.

Spiritũ esse in spiritu quid sit.

Apoc 1. Spiritū esse in spiritu quid sit.

illud Apocalypsis: *Ego Ioannes fui in spiritu*, dicit: Ioannes in spiritu fuit, quòd tamen ipsam carnē penitus non deseruit, sed spiritui æternitatis adhæsit mens eius, & à spiritu docente, spiritus docendus assumptus fuit: ideo tam mirabilia & profunda vidit. Aliquandō verò spiritus humanus, tanto feruore super se rapitur, quòd meritò spiritus supra spiritum esse dicatur: cùm scilicet, non solùm omnia transcendendo despicit, sed etiam semetipsum contemnendo relinquit, ac in comparatione dilecti se despicit: vnde miro modo fit, quòd per ignem dilectionis in illum, qui est supra se, sustollitur, & vt exeat à se, per vim amoris impellitur, nec se cogitat, cùm Deum solum amat. Deniq; quādoque spiritus humanus in tantum à semetipso quodammodo diuidi-

Spiritū esse supra spiritu u quid sit.

Spiritū esse sine spiritu.

tur, quòd spiritus sine spiritu esse meritò dicatur: cùm scilicet à semetipso iam penitus incipit deficere, & à suo esse, in supermundanum quēdam, & plusquam humanum statum trāsire, ita quòd ipse, iam non sit ipse, saltem eo tempore, quo Domino iam incipit altius inhærere, totus intrans in illud diuinitatis arcanum, & dicens cum Propheta: *Defecit in salutare tuum anima mea.* His igitur præmissis, gradum hunc prosequamur, illum vitæ supereminenti copulantes.

Psalm 83.

Pro quo sciendum, quòd immensa Dei illuminatio nos incomprehensibili claritate irradians circumfulget, & perfundit incomprehensibili lumine fruitiua nostri spiritus inclinationem, in quo se spiritus fruitiua quiete profundat. Hæc autē simplex inclinatio profundati amoris spiritus nostri, fruitiuum amorē in nobis causat. Qui cum fine careat, super omnia immensus est, & imperscrutabilis, vniuersisq; dilectionis exercitationibus supereminens. Nam Deus in ipsa vacua nostri spiritus otiositate se fruibiliter manifestat, & amans spiritus in eminenti fruitione sibi defluit, & eliquescit, nullam inter se, & illud quòd amat discretionem percipiens, cùm à se in quandam eminentis amoris latitudinem dilatatur, & flamma amoris illius, in ignem eum subuehit infinibilis amoris Dei. Et hæc in amore liquatio, penitus omni modo caret secundùm naturam fruitionis semper sine reuersione profluens, & ideo per consequens, hic amor fruitiuus abyssus quædam est. *Abyssus* ergo Dei *inuocat abyssum*, id est, omnes vnitos spiritui Dei complexu diuini amoris. Est autem hæc inuitatio cuiusdam habitualis claritatis superinfusio, quæ brachijs immēsi amoris nos cōplexans, id agit obuolutione suæ infinitatis, quòd in vastā caliginem deitatis defluētes, quodāmodo nosipsos amittamus; & sic Dei spiritui sine me-

Amor fruitiuus, vt sit quædam abyssus. Psal. 41.

dio-

dio feliciter vniti, ad Deum per seipsum valeamus ascendere, & cum ipso, & in ipso, nostram æternam beatitudinem possidere.

Exercitium huius amoris triplex.

Et hic gradus triplici modo potest exerceri. Primus modus est, cùm quis pondere fruitiuæ inclinationis supra praxim omnesque virtutes in diuinis, simpliciter se profundat, simplici contuitu fruitiui amoris in anteriora prospectans: in quo prospectu Deo protinus immediatè se præsentat, ipsumque ex vnitate diuina lumen quoddam irradiat, sub triplici similitudine se manifestans. Primò, vt caligo quædam, cuius immensitate veluti quodam complexu penitus obumbratur, & omni modo, quasi vagabundus priuatur. Secundò, vt serenitas quædam, cuius informitate omne consideratum, & omnem rerum differentiam amittit, simplici claritate circũfulsus, & perfusus. Tertiò, velut quoddam nihilum, cuius inanitate ab omni opere sabbatizare cõpellitur, eò quòd operatione diuini amoris ipse vincitur, sed acumine penetrabili fruitiuæ inclinationis sui spiritus ecõtra Deum vincens, vnus cum eo spiritus efficitur, per quam vnionem gustum fruitiuum consequitur, & secundùm profundationem suijpsius immensis Dei delitijs, diuitijsque repletur. Ex hac autem repletione complexus quidam, ac plenitudo affectiui amoris in supremarum virium vnitatem effluit, ex qua rursum *fluminis impetus* penetratiui saporis descendit, cordis *ciuitatem*, & sensitiuarum virium suburbana lætificans. Et sic *Altissimus* Dominus *tabernaculum suum* intrinsecus immobile reddit, & stupidum, operationis suæ dominio, viribus eum in tantum destituendo, quòd in intimis suis nil aliud sciat, vel sentiat, nisi quandam singularem claredinem cum sensibili dulcore, & penetrabili sapore.

Et hic est primus modus summæ spiritualis exercitationis, qui toties impeditur, quoties vir spiritualis quauis occupatione, vel quolibet exercitio virtutum intermediante intrinsecus intercipitur, aut formatur, quoniam iste modus est intimus animi sabbatismus, vniuersa supergrediens, & postponens.

Secundus modus est, cùm quis affectuosè, & practicè conuertitur in diuina, ad exhibendũ Deo reuerentiam, & honorem, seque, & omnia sua in sacrificium charitatis, & amoris, igne consumendo adoleat, sicque medio quodam ad Deum feliciter properat. Hoc autem mediũ est donum sapientiæ, quod viros spirituales secundùm amoris sui mensuram in actus virtutum dirigit, tantaque vehementia deuotum animũ tangit, & accendit, quòd vniuersa, quæ Deus donare queat, præter

Deum solum illi modica videntur, vtpote præ dilecti amore minimè sufficientia. Sentit nimirum in intimo spiritus sui, silens quoddam, & occultum susurrium diuini tactus, quod omnium virtutum finis est, & initium. In quo velut in altari, spiritus Deo sacrificia virtutum manibus synceræ affectionis immolat. Quod etiam velut ignis altaris amori vitaliter inhabitat.

Esuries amoris.

Et ex hoc in tantum crescit amoris esuries, quòd per excessum sui se iugiter immolando, in operatione sua deficiat, & in extremo spiritu defessus, ab amoris igne resolutus, quodammodo annulletur. Esurit enim Deum plenè degustare, quem nullo conamine prævalet capere, sed è contra in singulis Dei irradiationibus à Deo comprehenditur, & recenti amoris tactu tangitur. Sicque iugiter in eo amoris esuries affectuosa renouatur. In hoc ergo modo fidelis amator gratiæ similitudinem gerens, summo affectu dilecto vniri desiderat. Et hic modus nobis est vtilior, & laudabilior iam præmisso, quoniam hic illius est causa, cùm nemo supra praxim quietem consequi potest, nisi prius amorem affectuosum, & practicum exercuerit. Et ideo necesse est gratiam Dei nostrumque practicum amorem præcedere, & subsequi, hoc est prius ac posterius exerceri, licèt eo tempore, quo feliciter à Deo agimur, & fruitionem consequimur, ab omni operatione feriari cogamur. Nam absque amoris operatione mereri non possumus, nec aliquando Deum adipisci, nec idipsum saluare, quod antea fuimus per amoris opera consecuti. Sed hic modus impeditur, quoties vir spiritualis cuiuis Dei dono insederit, aut cuilibet innixus fuerit creaturæ, quoniam esuries quædam est, quam præter Deum nihil prorsus poterit satiare.

Tertius denique modus cæteris est præstantior, ex duobus iam dictis ortum habens. Est enim vita spiritualis, norma iustitiæ regulata. Nam Deus in nos veniens, fruitionem exigit, & operationem: vtrumque simul, & neutrum ab altero præpeditum, sed potius alterum ab altero confortatum. Et in his duobus vir spiritualis vitam suam vtrobique totus possidet, & indiuisus. Quia totus est in Deo, vbi fruitiuè quiescit; & totus in seipso, vbi practicè diligit. Sicut enim amor fruitiuus cum Deo causat vnitatem, sic amor practicus alteritatem. Porrò summus amator hæc duo per singula horarum momenta pariter exigit, scilicet quietem, & operis innouationem. Iustitia ver spiritus nostri vocem huius exactoris exaudire cupiens, iugiter quod

peti-

petitur, adimplere desiderat. Et ideo in singulis Dei irradiationibus spiritus noster in diuina practicè, fruitiueque conuertitur, per quod & in virtutibus innouatur, & in fruitionis quietem profundatur. Nam Deus vnico munere se, & sua dona largitur: spiritus autem noster in singulis conuersionibus in diuina se, & omnia opera sua relargitur. Proinde consolatio, pax, gaudium, pulchritudo, diuitiæ, & infinita talia lætificantia cor humanum, oculis luminosæ rationis in Deo sub spiritualibus similitudinibus ostenduntur, nec tamen propter ostensionem huiusmodi, nec propter Dei tactum, amor operationem deserit: quia vir iustus vitam veram fruitiuam, & actiuam pariter in spiritu stabiliuit, quæ quidem in æternum manebit: sed post hanc vitam in statum mutabitur altiorem.

Cæterùm, quicunque hanc operationem, & quietem in vnico exercitio non possident, hanc iustitiam minimè sunt adepti, cùm vir iustus in sua conuersione ad Deum, impediri non potest, quin tam fruitiuè, quàm practicè in diuina conuertatur, eò quòd similis est speculo gemino, in vtranque faciem obiectorum imagines susceptanti. Nam secundùm superiorem suam faciem, Deum suscipit, cum omnibus donis suis: secundùm inferiorem verò faciem sensibilium imagines suscipit pariter per fenestras sensuum introductas. Potest igitur dum vult, ad interiora se conuertere, & absque impedimento hanc iustitiam exercere. Veruntamen homo, dùm in hac vita degit, mutabilis est: & ideo frequenter ad exteriora absque necessitate, & imperio luminosæ rationis, sensuum intendens negotijs, conuertitur, & maculas venialium contrahit: quæ tamen in amatoria conuersione ad Deum, sic penitus absumuntur, quemadmodum in camino ignis aquæ guttula absorbetur. Sic spiritus Dei spirando nos extrahit ad amandum, & virtuosè operandum: ac iterum in seipsum intrahit ad quiescendum, & fruendum. Et hæc est vita æterna, quam nunc quoque prælibare poterimus, sicut à simili corporalem aërem intra nos existentem protinus expiramus, vt intrahendo denuo nouum aërem attrahamus, in quibus duobus nostra mortalis vita subsistit.

Spiritus noster vt expiret per inactionē diuini spiritus.

Præterea, licèt spiritus noster, per inactionem diuini spiritus expirare cogitur, & opere suo deficere, feliciter in fruitionem, & beatitudinem quandam effluens: semper tamen iterum in gratia, charitate, & virtuositate renouatur. Sicque mira vicissitudine semper introuerti debet in quandam otiosam fruitionem, & exire per virtuo-

sam operationem, semperque spiritui diuino coniunctus permanere per amorosam inclinationem. Sicut enim oculi corporales iugiter aperiuntur, & vident, ac iterum in momento nobis imperceptibili recluduntur, & iterum aperiuntur, veluti semper aperti permanentes: sic in Deo per amorem fruitiuum morimur, & iterum ex Deo exeuntes ad operationem virtuosam, per amorem practicum in nobis viuimus, subitò tamen in Deum denuo reuertentes, vt moriamur, ac cum eo per inauulsibilem adhæsionem semper permanemus. Et hæc est nobilissima sensio, quam in nostro spiritu sentire, vel experiri possumus. Quam in Canticis adeptam se sponsa gloriabatur, dicens:

Cantic. 2. *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.*

Cella vinaria quid.

Cella ista vinaria est vbertas diuinæ sapientiæ, intelligentiæ, prudentiæ, & discretionis, vbi noster intellectus, & ratio nectare, vel mulso primæ veritatis inebriantur. Et tunc amor debitè suis exercitijs ordinatur, ita quòd non semper effluat in ipsam caliginosam inhabitationem, quam intimè diligit, vtpote suæ naturæ magis conuenientem: sed illuminata ratio quandoque circunducit eam, ostentans, & objiciens mirabilia, & amabilia, quæ fecit Deus ex infinita sua potentia, sapientia, & bonitate in omnia creata: præcipuè tamen in illud glorioßimum, ac omni deuotione complectendum speculum immensæ admirationis, & totius sanctitatis, sanctißimam scilicet humanitatem Domini nostri Iesu Christi, ac omnia quæ in hac mortali natura tam gratiosè, piè, & amorosè sua dignatißima bonitate agere, & pati dignatus est: vt sic velut apis nobilißima, ex omnibus, quæ sibi ratio lucidè proposuit, mellea sugat pocula laudis, gratiarum actionis, & reciproci amoris. Quibus feliciter onerata, in proprium alueolum concitò reuolans, in amatum suum per dulcedinem amoris fruitiui, velut in abyssum quandam funditus diffluat, illuminata ratione foris excubante. Vbi cùm summam operationem suam mellea sua pocula contutans consummauerit, & vsque ad deficientiam spiritus sui peruênerit, ac aliquantißper à diuino spiritu dulciter acta, obumbrata, confota, ac circumplexa fuerit, denuo illam illuminata ratio deducens, velut apem argumentosam circumuolare cogit ad assueta mellea pocula recolligenda, vt simili fœcunditate reuolet in idipsum. Et in his ordinatur charitas, cùm mens humana supra singula quæque requiescere nouit iuxta sapientiam veritatis, & illuminatæ rationis, ex omnibus mellitam dulcedinem diuinæ maiestatis, boni-

Anima vt sit apis.

bonitatis, largitatis, charitatis extrahens, cum qua iugiter reuolet in appropriatum alueolum, id est, in ipsum amatum, vnde omnia effluxerunt. Ad hoc enim duntaxat celebratur hæc vicissitudo euolationis, vt vberiori semper fœcunditate reuolet in dilectum. Et hæc semper intentio non solùm principalis, sed & vnica est: & hoc potius ex necessitate, quàm ex dilectione: quia, sicut inferius declarabitur, exercitium acceptissimum Deo, feliciter exercetur in ignota consurrectione ad Deum per flammigeras affectiones, & aspirationes, quibus citius, quàm excogitari potest, sine omni cogitatione pręuia, vel concomitante, quotiescunque placuerit, centies vel milliesies in die, vel nocte in Deum afficitur, innumerabilibus desiderijs ad ipsum solum possidendum aspirando. Sed hoc exercitium ex necessitate quandoque intermittitur, cùm, quoniam vt huius desiderij completionem consequamur, necesse est ipsam diuinam perfectionem secundùm possibilitatem imitari, præsertim in his, quæ nobis exemplo reliquit in assumpta natura. Hinc est, quòd hæc ipsa pia mente recolere debemus, vt ad assimilationem aspiremus: tum, quia tam vigorosam consurrectionem continuandam naturæ fragilitas non sustineret: tum, ne tanta quiete delectati torpescamus.

Charitatis ordinatio.

De sex, quæ sunt necessaria ad perfectam fruitionem. Cap. XVIII.

Amice ascende superius. Ascensus iste est progressus diuini amoris, qui est abyssus interminabilis, & ideo infinitis gradibus ascendere poterimus per amorem practicum in amorem fruitiuum. Cùm enim quis cum totalitate sui viriumque suarum se erigens, cum viuido quodam amore practico ad Deum se dirigit, tunc amorem suum in sua profunditate, vnde radicaliter originatur, & in sua fruitione sentit velut abyssum quandam infinibilem. Si ergo per amorem practicum ingredi voluerit in amorem fruitiuum, tunc omnes aliæ vires animæ perfluenti veritati, quæ Deus est, cedere compelluntur. Vnde sicut aër perfluentem solis splendorem, & calorem suscipiendo patitur, similiter ferrum ignis splendorem, & calorem, ita quòd cum igne, igneas actiones peragit, vrendo, & illuminando, sicut & aër calefaciendo, & illuminando, natura tamen propria seruata (quia nec ferrum ignis, nec ignis ferrum efficitur, est tamen ibidem vnio quædam immediata:) sic Deus semper est in essentia animę. Cùm ergo vires eius superiores intro se conuertunt amore practi-

co, Deo similiter immediatè vniuntur in simpla quadam scientia omnis veritatis, & in quadam eminenti sensione, & degustatione omnis boni: quæ simpla scientia, & sensio Dei, in essentiali amore possidetur. Exercetur autem, & conseruatur per amorem practicum, & ideo viribus animæ est accidentale per mortificatiuam introuersionem in ipsum amorem: sed est eminens, & semper immanens ipsi essentiæ animæ. Et ideo nos oportet semper actualiter intro conuertere, & in amorem renouare, si volumus amorem cum amore confouere. Vnde Dominus præcepit in veteri lege, dicens: *Ignis in altari meo semper ardebit*. Nam inter hominem (quem Deus virtutibus decorauit, & in vitam contemplatiuam sublimauit, iuxta summam eius introuersionē,) & Deum suum nullum est medium, nisi illuminata ratio, & practicus amor. Supra rationem autem, & amorem practicum subleuatur in quandam nudam intuitionem in essentiali amore: vbi cum Deo spiritus vnus, & amor vnus efficitur. Et in hoc eminenti amore eleuatur eius intellectus, sine fine per vnionem, quam essentialiter cum Deo possidet: in qua eleuatione habilis efficitur in sua contemplatione, cùm Deus voluerit videre omnes creaturas in cælo, & in terra, cum discretione vitæ, & præmij. Nam hic amor æternus in spiritu viuens, quo sine medio Deo vnitus est, lucem suam, & vigorem diffundit in omnes animæ vires, & est origo omnium virtutum: quia gratia diuina defluit vsque in extremas, & infimas animæ vires. Ac inde prouenit amor cordialis, & ad Deum delectatio sensibilis, quæ duo replent, & perfluunt cor & sensus, carnem & sanguinem, omnemque naturam corporalem. Causant etiam corporis compressiones & agitationes ineuasibiles & efficitur quis velut ebrius, mustoque plenus, nec sui iuris, & sic totus homo veluti quadam fruitione perfunditur.

Introuersio vt fiat.

Leuitic. 6.

Amor cordialis.

Delectatio sensibilis ad Deum.

Pax vera quænam necessaria fruitioni hominum.

Veruntamen ad fruendum Deo, prout nunc de fruitione loqui intendimus, sex sunt necessaria. Primum est, vera pax inter Deum, & se, quam qui voluerit in se reperire, necesse est, vt in tantum Deum diligat, vt liberrimo animo propter eius amorem, & honorem, omnibus inordinatè vsitatis, & amatis abrenuntiare valeat. Quicquid enim in creatis delectabiliter, & amorosè possederat, quo perplexitas, vel anxietas generari, vel quocunque modo internum exercitium impediri poterat, totum rescindere debet, ac cordiali amore animoque viuaci ad Deum, & in Deum eleuari, & iuxta vires per arden-

ardentem charitatem supra omnia in simplicem mentis nuditatem exaltari: vbi lex amoris completur, & in quandam fruitionem terminatur. Ad quod necessariò cordis puritas requiritur: quam qui consequi voluerit, cum æmulatione rem quamcunque possidere non poterit, nec cuiquam spontanea promptitudine adhærere, vel conuersatione communicare. Quia omnis conuersatio, & æmulatio, quæ non est purè propter Deum, cor eius depingit, & contaminat, eò quòd non est ex Deo nata, sed ex carne. Hinc oportet omni carnali æmulationi renuntiare, & soli Deo dilectione adhærere, & eum possidere. In qua possessione Dei, cum dilectione purificatur intrinsecus ab vniuersis imaginibus: quia Deus spiritus est, quem nullus propriè figurare nouit. Opera autem exteriora dum ratio dictauerit, sunt quidem perficienda, sed sine solicitudine cordis, & multiplicitate, mente semper ad Deum erecta: quia licèt approbetur labor, reprobatur tamen cordis anxietas, & solicitudo. Quoniam in omnibus perplexitatibus, solicitudinibus, & multiplicitatibus amoris affectus debilitatur, & diuersis tentationibus, & insidijs exponitur. Et ideo naturæ sensualitates, & oblectationes etiam in minimis exequentes, facilè refrigescunt in amore, desipiunt in spirituali sapore, decrescunt in virtute, defluunt in abominandam ingratitudinem, & tepiditatem. Qui verò legitimè oblectationes vitiosas debellauerit, citò victoriam obtinebit, & in omnem perfectionem efflorebit. Quòd si facili labore victoriam desiderat, eligat semper animum internum, & eleuatum gerere, plus amplectendo interna amoris exercitia, quàm externa virtutum opera Quia quamdiu ad interna exercenda sui compos permanserit, tamdiu pacem habebit. Alioqui si externus fuerit, diuisus erit, nec Deo plenè viuere, nec vitijs plenè mori poterit.

Puritas cordis.

Opera exteriora vt perficiēda sint.

Secundum est internum silentium, id est, quædam mentis denudatio, & omnium formarum, quæ dilectum non repræsentant, omnimoda expoliatio. Oportet enim quòd ipsa memoria sine anxietate & solicitudine à cunctis imaginibus depingentibus libera sit, & absoluta, vt scilicet animus sit totus liber, patulus, super omnia eleuatus, ac vt mens Deo vacet, ab omni consideratione rerum nuda, & vacua, qua Deum solum desideriosè possideat. Nam spiritualis in desiderio libertas facit hominem exclusis omnibus rerum formis expeditum ad Deum in omnibus externis exercitijs, vt inter illa se valeat eleua-

Silentium internum.

re in laude, gratiarum actione, & in omnibus, quæ operari norunt affectio, & dilectio, diuina gratia, & interna diligentia, ad omne exercitium spirituale fideliter opitulantibus. Si verò in exercitijs exterioribus aliquando distrahitur, & ab internis elongatur, amicum habeat orationis studium: & industriosa diligentia se reuocet ante conspectum Domini, donec interiorem sentiat vnitatem, & in Deum amorosam conuersionem, quibus omnes imaginationes, & peregrinæ impressiones dissoluantur veluti nebula: vt sic cùm voluerit omnia penetrando, super omnia eum, quem amat, valeat contemplari. Quod vtique facillimum est efficaciter amanti, quia vbi amor, ibi oculus: & *vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum*. Omnia nimirum à corde citius euelluntur, quæ amatiua nostra virtute non complectimur, nec desiderijs possidemus. Nam purus amor & indepictus, spiritum facit simplicem, & ab omnibus otiosum, sustollit hominem supra seipsum, & super omnia opera sua: coniungit hominem Deo, & spiritum stabilit in quiete & fruitione.

Matth. 6.

Amor purus quid valeat.

Prælati spirituales quales esse debeant.

Porrò nullus ad prælaturam idoneus iudicatur, nisi vtraque manu vtatur pro dextera, quo scilicet in omnibus actibus se tam expeditum inueniat ad ingressum, sicut ad egressum: ad contemplationem, & fruitionem, sicut ad actionem: quia Prælati spirituales in vtroque perfecti esse debent. Denudet ergo virtutem suam intellectiuam, & per fidem supra rationem subleuet, vbi resplendet radius solis æterni, docens & ostendens omnem veritatem. Veritas autem liberum eum redder, & nudum intuitum suum ab omni imaginatione stabiliet. O beatum intuitum, quem semper amatiua virtus cum amore nudo subsequitur, in qua sequela semper fluunt riuuli gratiarum Dei, animam ipsam introducentes ad fontem viuum Spiritus sancti, vbi venæ profluunt æternæ suauitatis, animam inebriantes, & supra rationem eleuantes in vastitatem æternæ salutis: & hæc est radix & substantia totius sanctitatis, ex qua semper procedit donorum exercitium, & virtutum: quoniam amor otiosus esse non potest.

Adhæsio amorosa.

Tertium est quædam amorosa adhæsio, & hæc est ipsa fruitio. Qui enim ex amore puro Deo adhæret, non propter aliquam propriam vtilitatem, ipse Deo in veritate fruitur, sentitque se Deum diligere, & se à Deo diligi. Nam purus spiritus amore nudo semper inclinatur, & intellectum depuratum sequitur vsque in suam originem. Cùm enim purum, & liberum ascensum habeat in Dominum, præter

ter eius honorem, nihil aliud prorsus intendens, necessariò consequens est, quòd Dei bonitatem sapiat, & veram cum eo vnionem sentiat, in qua spiritualis vita perficitur: quoniam ex ea desiderium semper de nouo contingitur, & ad noua interna opera excitatur, operandoque spiritus ascendit in nouam vnitionem, sicque semper opus, & vnio renouantur. Et hæc est adhæsio gratuita, & fœcunda, quæ nos adeò dilecto vinculo charitatis coniungit, quòd vniuersis creaturis inadhæsibiles efficimur, vt nemini nos placere delectet, & nobis adhærentibus Deo, nemo inordinatè placere possit. Hanc autem operationem, & vnionem continuatam nos docet Dei tactus, qui semper est viuidum quoddam medium inter nos & Deum, rationem nostram illuminans, & nos pariter continuè intrahens & extrahens. Intrahens quidem, & à nobis exigens, vt nobisipsis renuntiantes, & penitus exuentes, in Deum nos totaliter effundamus, & vnum efficiamur, ac eum secundùm eius dignitatem adhærendo, diligamus: & cùm eius dignitas infinita sit, infinitè nos amans, sicut infinitus est, sicà spiritu nostro amorem exigit sine mensura. Hinc omnes vires nostræ in vnum conglobatæ, scintillantibus affectibus respondent, & dicunt: Amemus amorem nos æternaliter amantem. Sicque succrescit quoddam insatiabile desiderium, & auidus amoris appetitus, quem nec ratio, nec vlla creatura conpescere, vel sedare potest, se totum in Deum per amorem effundere cupiens, & diuinam totalitatem in se comprehendere gestiens: quæ duo sunt ei impossibilia, nisi deficientibus in operatione viribus, à spiritu diuino felicius agatur, & eius operationem patiatur supra omnem operationem suam: & sic patiendo comprehendat eum, quod est incomprehensibiliter comprehendere, scilicet patiendo, non comprehendendo. Est etiam iste tactus extrahens, & exigens à nobis vitam virtuosam, diuinamque similitudinem, in quibus duobus dum obedientes fuerimus, tunc viuimus secundùm diuinum beneplacitum.

Tactus Dei quid sit, & quid doceat.

Tactus Dei intrahens.

Tactus Dei extrahens.

Quartum est, in eo, quo fruitur, quiescere. Nam vbi dilectus à dilecto vincitur, & in puro nudo eminenti amore possidetur, ibi dilectus in dilectum cum dilectione prolapsus est, alterque alterius in possessione, & quiete mutua totus est. Vnde ex diuino contactu plerumque spiritus amans, per amplexum quendam vnitiui amoris penitus liquescit: quoniam ex illo profluit quoddam incendium, adimplens

Quies in Deo.

virium ſuperiorum vnitatem, & conſumens vniuerſas imagines, & omnia media. Tandemque apparitio quædam ſequitur vitam perpetuam demonſtrans: ſed quomodo vel quid ſit in ſe, penitus eſt indicibile: quia nec aliqua poteſt oſtendi ſimilitudine, nec verbis aut exemplis quibuſlibet edoceri: ſed ex Deo effluit, & in mente ſublimiter eleuata ſemet oſtendit: quam dum contemplari ſpiritus appetit, ſubitò omnem ſui modum amittit, & cum lumine illo vnum efficitur: quia in eius complexu ſpiritus clarificatur, & totus diuino lumine perfunditur, primæque veritati, quæ Deus eſt, vnitur: vbi Deus in eo, & ipſe in Deo requieſcit, ac æterna quadam fruitione alter alterius eſt amplexus.

Obdormitio in Deo.

Quintum verò eſt quædam in Deo feliciſsima obdormitio, in qua ſpiritus à ſe defluit, neſciens vbi vel quomodo, hoc tantùm cum ſponſa dicens: *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt.* Cum enim intrahens Dei vnitas nihil aliud ſit, quàm amor quidam interminus & imperſcrutabilis, ſua virtute Patrem, & Filium, & omne in eis viuens in æternam intrahens fruitionem: ideo in hoc amore ardere volumus, & comburi in perpetuum, cùm in hoc conſiſtat ſumma felicitas omnium ſpirituum beatorum. Quamobrem nos oportebit vitam noſtram fundare ſuper illam infinitæ profunditatis abyſſum, & ſic poterimus in æternum mergi in amorem, & à nobis demergi in ipſam imperſcrutabilem profunditatem: & in eodem alterabimur, & à nobis exaltabimur in ipſam incomprehenſibilem altitudinem, ac in ipſo amore modo carente palabimus, & palantes vagabimur, & à nobis deuiabimus: & ipſe nos ducet, & ſeducet in incomprehenſam amoris Dei amplitudinem. In quo quidem influemus, & à nobis defluemus in ignotas delicias opulentiæ bonitatisque diuinæ, in quibus liquebimus, & deliquebimus, profundabimur, & deprofundabimur æternaliter in gloriam Dei. Quoniam qui ſpiritu Dei aguntur, habiles efficiuntur ad eliquendum in amorem, ab omnibus amoris exercitijs liberi, & otioſi, patientes, & recipientes diuinum ſimplicem amorem, eorum ſpiritum conſumentem, & in ſeipſo annihilantem. Sicque omnium obliuiſcuntur, vtpote in amorem liquefacti, nec ſcientes ſeipſos, nec aliquam creaturam, niſi ſolum amorem quem guſtant, & ſentiunt, à quo poſidentur in quadam ſimplici, & nuda otioſitate. Sentiunt, inquam, ſe quandam longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, & profunditatem cum amore, qui

Cantic. 5. Vnitas Dei intrahens quid ſit.

re, qui sine mensura est, omnia complectens, & semper manens incomplexus.

Sextum est, quædam contemplatio caliginis, quæ ratione scrutari nō potest, in qua se spiritus mortuum sentit & perditum, vnumque cum Deo sine alteritate, & discretione. Ibique Deus fruitio, pax, & quies eius est. Et hæc fruitio vacat vndiq; quoniā in ea dilectus dilectū vltra omne desiderium per nudum, & simpliciſsimum amorē amplectitur. Vbi Pater cum Filio in vnitate Spiritus sancti omnes amatos spiritus comprehendit: quorum quemlibet secundùm mellifluam bonitatis suæ complacentiam confouet requie fruitiua. Vbi mira confabulatio mutua, & plena complacentia ipsius Dei, & ardētis spiritus, gaudiumq; tam opulentum, vt omnem capacitatem creati spiritus excedat. Ibi spiritus velut expiratus sine spiritu effectus, à seipso defluēs, & transiens, vnus cum Deo spiritus per fruitionem constituitur, abyssali beatitudini diuinæ inauertibiliter inhærens. Vnde licèt in nobis viuant Dei cognitio, Dei dilectio, Dei contemplatio, & adhæsio: longè tamen altius in nobis viuit deitatis fruitio. Nam iuxta hoc, quòd Deo per dilectionem adhæremus inspirati, spirituales siue spiritus dicimur: & iuxta illud, quo spiritu Dei transformamur, sine spiritu velut expirati effecti, Deo fruimur. Denique, qui prædicta sex in se senserit, erit ei in sua introuersione tam promptum, & facile contemplari & frui, vt ita ferè dixerim, sicut in natura viuere. Ex cuius opulentiæ abyſso vita communis oritur: quia liberalitas, qua veraciter præditus est in diuinarum diuitiarum abyſso radicata est: & ideo se continere non potest, quin iugiter effluat per exercitia & opera virtuosa: quia iam factus quasi viuidum voluntarium instrumentum Dei, quo Deus, quod vult, & quomodo vult, operatur: nec huius operationis efficaciā sibi asscribit: & ideo volūtarius manet & promptus ad agendū quodcunque Deus præceperit, validus & fortis ad tolerandum quodcunque Deus permiserit. Gerit enim vitam communem, contemplari, agere, & pati æquè paratus, & vtrobique perfectus est, quam vitam nemo habere potest, nisi solus verus contemplatiuus. Caligo fruitiua.

De tractu Spiritus sancti. Cap. XIX.

NVnc ordine congruo de felici tractu Sanctiſsimæ Trinitatis prosequendum esse reor, cuius opera licèt indiuisa esse noscuntur, vt tamen nostra Trinitas illi vtcunque respondere & correspōdere videatur, vnicuique personæ in diuinis tractum magis appropria-

priatum assignare curabimus. Trahit enim Spiritus sanctus virtutem amatiuam, Filius virtutem intellectiuam, Pater autem virtutem memoratiuam. Spiritus emm sanctus amorosam animam dulciter allicit, dum oculis eius intellectualibus imaginem imprimit intellectualem diuinæ bonitatis & charitatis, quæ ipsemet est secundùm personalem proprietatem: in qua sese tam diuitem & vberem ostendit omniũ bonorum tam largifluè, non solùm in omnes generaliter effluentem, sed affluẽtius in dilectã suam modo singulari gratia sua, donisq; multiplicibus profluentem, adornantem, & perficientem eius introuersam voluntatem cælesti sapore, vt anima sapiat, agnoscat, & probet, quàm suauis & bonus est Dominus. Hic sapor quandoque tam immẽsus est, quòd animæ gustanti videtur omnia creata simul liquari posse illo abyssali sapore. Nam omnẽ animæ regionem perfluens inundare facit, in tantum, quòd anima fidelis intellectualem affectuositatem : periẽs, explicat in aduentum supereffluentis influxus diuinæ liberalitatis: velut si totam illã immensitatem deglutire & digerere conaretur : sed potius ipsa perfluitur, & vndiq; circumplectitur, veluti si iam intrasset *in gaudium Domini* sui. Hinc statim eius amatiua virtus superior à calore sancti Spiritus sursum trahitur, luce suæ bonitatis & amati illustranda, ad Deum laudandum, glorificandum, & in omnibus profluа charitate gratias agendum. Vnde virtus amatiua feliciter illustrata in æternam illam claritatem aspicit, de qua deliciæ tam copiosè defluunt. Et ex hoc consurgit concito quædam consideratio illuminatæ rationis, licèt veraciter agnoscat, quòd illas incõprehensibiles delicias nunquam intelligere valeat, quia luce creata gaudium immensum considerat: & ideo in sua consideratione deficit. Intellectus tamen dum fuerit ab illa immensa claritate transformatus, sine intermissione lætitiam illam incomprehensibilem æternæ beatitudinis contemplatur: & ratio multò subtilius solito creaturaliter in luce creata considerat, vt sese reficiat in subtilissimis imaginibus, & effluentibus operibus illius abyssalis deitatis. Ex quibus dilectum suum esse considerat tantæ magnitudinis, & incomprehensibilitatis, quòd nunquam à creatura poterit plenè comprehendi. In eo namque contemplatur esse summam beatitudinem, pulchritudinem, plenitudinem, dulcedinẽ, charitatem, veritatem, æternitatem, maiestatem, fœcunditatem, claritatem, fidelitatem, bonitatem, saturitatem, fruitionem, coronam, gloriam, & vitam nostram, & infinita similia, quæ considerat in illa infinita

Tractus Spiritus sancti.

Amatiuæ virtutis opus quod.

finita diuinitatis abyſſo: quæ ſunt imagines ex ſimplici diuina eſſentia elicitæ creaturaliter: quia vbi ratio has imagines apprehendit, ibi ſunt creatæ, & elicitæ ſimilitudines diuinæ naturæ; ſed vbi hæc omnia principium ſortiuntur, & finem ſecundùm ſimplicem intuitum in quandam abyſſalem diuinitatis eſſentiam, ibi ratio deficit, quoniam ibi ſunt vna ſimpla diuinitatis natura.

Calor ſolis vt deſignet calorẽ ſancti Spiritus.

Proinde tractum hunc calori naturali conuenienter aſſimilare poſſumus. Videmus enim in ſole, quòd per virtutem luminis ſui fœcundum calorem cauſat in terræ naſcentibus, quæ beneficio ſui luminis attingit, ſingula ſecundùm propriam aptitudinem fructuoſa reddẽs. Cùm igitur calor iſte virtutẽ ac naturã à ſole recipiens, eius beneficio, & virtute opera ſua perficiat: conſequens eſt, vt ad ſuam originem, & cauſam inquantum poteſt, redire contendat, vnumquodque iuxta propriam aptitudinem ſuæ fœcunditatis ſecum ſurſum trahens, quantum prævalet. Sic Spiritus ſanctus dum virtutem amatiuam, per obiectum diuinæ bonitatis, & amoris illuminat, in anima protinus viuidum quendam, & fœcundum amorem cauſat, oculo illius intellectuali commendabilitatem, & amoroſitatem ſuam oſtentans. At quoniam iſt calor à Spiritu ſancto ſumpſit exordium, in ſuam originẽ, & cauſam redire contendit, amatiuam virtutem ſecum trahẽs in ipſam nudam, & patulam apertionem ſuæ cogitationis, coram nuda præſentia incomprehenſibilis bonitatis Dei, & amoris: in qua ſibi conſtituit tranquillam quandam, & ſilentem admirationem incomprehenſibilis bonitatis, & igneam flammã perfluentis, & profundantis amoris. Et ſicut ſol fœcunditatem cauſat etiam ſub terra, vt patet in auro, argento, omniq́ue metallo, & lapidibus pretioſis: ſic obiectum diuinæ bonitatis & amoris attingit inferiorem virtutem amatiuam, quæ cõſiſtit in ſenſione naturę ſenſitiuæ, oſtentans illuminatæ rationi largifluas operatiões ſuas, quas creatis vniuerſis exhibuit, ac prę ſertim creationem generis humani, cuius etiam naturã aſſumere dignatus eſt, & inaudita in illa mortalitate dignatiſsima pietate pati cõſtanter, & agere fideliter non deſtitit, ob amorem, ſalutem, redemptionem, & glorificationem noſtram. Specialiter autem reuocat ad memoriã omnia, quæ profluæ pietate multifarijs modis egit circa propriam eius ſalutẽ. Cùm igitur per illuminatam rationem ſic noſtram ſenſualitatem illuſtrat, in ſenſuali etiam affectione quendam calorem cauſat amoris, & deuotionis, per quem ipſa ſenſualitas fœcunda redditur, ſic quòd in

Calor Spiritus ſancti vt attingat inferiorem virtutem amatiuam.

ea crescat aurum cordialis amoris, argentum, id est, claritas inferioris rationis, omneque genus metallorum, id est, bonarum cogitationum, in quibus scilicet Deus est laudandus, glorificandus, amandus, & etiam consideratione, quomodo scilicet eius sensualitas, ad laudē, honorem, seruitium, & beneplacitum Dei sit ordinada. Omnifaria quoque genera lapidum pretiosorum, id est, virtutum moralium, quæ proprium situm in sensualitate sortiuntur, quibus adornatur sensualitas, & habilitatur ad omne opus bonum. Sed hic calor cum fructibus suis in suam originem, vnde causatus est, redire contendit: in abyssum scilicet diuinæ bonitatis, & amoris, ipsam sensualitatem cum affectione sensibili, ac amore cordiali, flammigeraque deuotione secum trahens. Sanguinem insuper cordis attractione sua vigorosa sursum ebullire cogit. Circa vitalia verò cordis grandem commotionē, & agitationem excitat, eò quòd moralis virtuositas ibidē in sanguine situ suum possidet. Arterias autem, & venas à corde sursum intumescere facit, ac totum hominem per ebullitionem sanguinis igniri: sicque corpus, & anima pariter à Spiritu sancto sursum aguntur, calore causato tam in affectione intellectuali, quàm sensuali, per amorosum illud obiectum infinitæ suæ bonitatis, & amoris, eidem luce clarius præostensum: per quod dilectæ suæ fiduciam quandam tribuit, quòd sit DEI sponsa, ad Deum diligendum, eiusque bonitatem degustandam, & in perpetuum perfruendam ab æterno præelecta. Et hæc fiducia læua sponsi dicitur, super quam se capite reclinatam sponsa commemorat, dicens: *Læua eius sub capite meo.* Hanc enim Spiritus sanctus eius capiti iugiter sua pietate supponit, ne si vel ad horam subtraxerit, in abyssum desperationis ipsa cadat. Sed sapor amoris & sensio prædulcis à Spiritu sancto per attractionem caloris sui causata, meritò dextera cēseri debet: qua sponsam inexplicabili dignatione complectitur: quam licèt sæpius, non semper tamen experiri meretur: ac per hoc in spe quadam & expectatione diuini complexus amorosa constituitur, dicens: *Et dextera illius amplexabitur me.*

Fructus caloris sancti Spiritus.

Cant. 2.

Gustū sensibilem spiritus multifariam subtrahi.

Nam multis de causis ille complexus interdum subtrahitur. Primò namque subtrahi solet ex amorosa quadam indignatione, quæ cōtingere solet inter amātes propter indicium amoris alteri cuiquā ostēsum, quo mutuus amor vel in minimo relaxari timet, eò quòd zelotypus est. Sic Spiritus sanctus animam sentiens quantulamcunq; consolationē extraneā admisisse, sensionē suæ dulcedinis & amoris eidem

sub-

subtrahit per indicium illud, amorosam indignationē ostentās, vt ipsa se deliquisse cognoscat, corripiat, & caueat, ne (quòd absit) indignationem suam reseruet, qui sine compare solus amari desiderat. Secundò verò subtrahit, vt anima dilecta recognoscat, hæc à semetipsa minimè habuisse, nec proprijs exercitijs meruisse, sed ex libera dilecti bonitate profluxisse: ne per incuriam, vel propriam complacētiam insoleſcat, sed magis semper se humiliare studeat. Tertiò proinde subtrahit, eò quòd aliquādo natura sensualis ex effluentia sensionis illius nimiū debilitatur & vulneratur, præsertim circa pectus, vbi magis ebullire facit vitalem cordis sanguinem. Tūc enim calorē suum Spiritus sanctus retrahit, vt natura refocilletur, & ad nouā sensionē rehabilitetur. Quartò autē se subtrahit, vt sic amorosæ animæ euidētius innotescat sua propria tepiditas & acedia in exercitijs amoris, virtutū, & bonorū operū, si sensionē suæ bonitatis & amoris eidem non elargiretur, & ad requirendam à dilecto gratiā & auxilium magis solicita reddatur, quasi sine illius sensione & consolatione, nec in amore, virtutibus, & exercitijs proficere, nec in acquisitis quidem persistere valeat. Quintò etiam se subtrahit, vt felix sponsa per experientiā probetur, si iam ad tantam strenuitatem exercitiorum profecerit, quòd experimentali consolatione carere possit. Sextò denique se subtrahit, vt ipsa discat & agnoscat, quòd in hac sensione, nec est vera sanctitas, nec vera amoris iustitia: quia nec sanctiores sunt, nec magis diligunt, qui maiorem sensionem secundùm sensualitatem recipiunt: sed qui virtutem suam amatiuam, in spiritu supra sensualitatem per amorem operantem diuinæ voluntati penitus subiectam, promptam & vnitam habent: ita quòd secundùm diuinum beneplacitum pauperes esse sciunt omni terrena consolatione, tactu, sensione, & sapore priuari: & in hoc solo posse consolari, quòd Deum amāt purissimè amore intellectuali, qui solus amor verus est. Quòd, inquam, omnes virtutes & omnem iustitiam perficere norunt ad honorem Dei, nullam aliam sensionem, vel oblectationē quærentes. Nam quantum hæc voluntaria paupertas accrescit, tantū & vera sanctitas & pura charitas inualescit. Et isti cum Paulo sciunt *abundare & penuriam pati*: quia cùm Spiritus sanctus corpus & animā perfluit amorosa sensione & dulcifluo sapore, hoc ipsum tam efficaciter cum gratiarum actione recipiunt, tam prudenter ad Dei laudem & honorem, ac propriam vtilitatē expendunt, tam largè in amorem diuinum regerendo cōsumunt, ac si plenis præcordijs antea veluti suæ Phil. 4.

salutì necessaria postulassent. In apice tamen Superioris affectus tanta tranquillitate recipiunt, omnia sancti Spiritus beneplacito cõmendantes, siue dare voluerit, siue retrahere, quasi nihil inde curãtes: quia pro nullius rei amissione quis dolere vel contristari solet, nisi quam prius vel desiderio conquisitam, vel amore possessam lætabatur. Quidam tamen non abre in omnibus exercitijs hanc sensionẽ expostulant: quia sine illa se tepidos & acedioſos in amore & operibus virtuosis sentiunt, licèt etiam gradum perfectionis attigisse videantur. Et hoc ideo, quia nondum in spiritu & veritate Patrem adorare didicerunt, quales duntaxat dicuntur à Domino veri adoratores. Deus, inquit, *Spiritus est, & qui adorant eũ, in spiritu & veritate oportet adorare*: quia tales adoratores quærit Pater cælestis. Deum autẽ in spiritu adorare, est eum honorare, & laudare cum intellectiua spirituali admiratione suæ infinitæ dignationis & commendationis in omnibus obiectis, quæ cõprehensibili modo nostris oculis intellectualibus ostendũt illam incomprehẽsibilem Dei laudabilitatẽ secundùm omnem suam perfectionem. Sed adorare in veritate, consistit in duobus. Primũ est, quòd in adoratione Dei nullum obiectũ sibi proponat, quod Deo nõ conueniat: sicut qui in articulis fidei, vel aliqua secta noscuntur errasse, qui Deum adorant in aliqua falsa phantasia, cui nulla veritas in Deo correspondet. Secundum est, quòd in adoratione rectam & puram intentionem habeat, nec illud creaturis inhærere permittat, quo potissimè Deũ adorare & honorare debuerat, scilicet, amorem suum. Nam propriè eum amore Deus adoratur & honoratur. Et solus amor agit, quòd in adoratione sua quis intentione rectissima floreat in creatis vel donis nihil requirens, non saporẽ, non consolationem, nõ dulcedinem, non sensionem, non bona temporalia, non æterna: sed tantum diuinum honorẽ & beneplacitũ. Et talis adoratio ritè celebrata, fructuosior est & acceptior, q̃ variæ & magnæ sensiões amoris in sensualitate causatæ: quia fit in spiritu supra sensualitatẽ. Et ideo spiritus postquam sui compos fuerit, hãc adorationem sẽper exercere potest, eò quòd operatur sine corporali instrumento. Sensio verò consistit in natura sensuali, quæ multis calamitatibus inuaditur, dum eidẽ sensio sui amoris subtrahitur: & sic tepidus & remissus nullum exercitium ad Deum exhibere prævalet, qui totum exercitium in interiori sensione amoris fundauit. Et quia sensibilem saporem consuetus est experiri, illo subtracto, frequenter insequi cogitur saporem exterioré, & consolatio-

Iohan. 4. Adorare Deũ in spiritu quid.

Adorari Deum in veritate bifariam.

Sensio in quibus consistat.

lationem in creaturis, aut saltem oblatam gratanter accipit, vel ad minus non respuit, sicut Propheta Dauid, qui ait: *Renuit consolari anima mea*, &c. Et hæc est vna causa potissima, cur tam pauci ad veram perfectionem perueniunt. Qui tamen hanc interiorem amoris sensionem humiliter susceperit, prudenter expenderit, & larga prodigalitate in laudem & honorem Dei consumpserit, multum per omnem modum vitam suam adornaret, tam exteriorem, quàm interiorem tam inferiorem hominis partem, quàm superiorem. Nec aliàs plenè Deum diligere poterit *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex totis viribus:* nisi per istam sensionem corpus & animam, ac omnes vires sursum agentem. Facit enim hominem multum spiritualem, tenendo eum erectum stantem in ignea flamma deuotionis, & amoris coram præsentia diuinæ maiestatis, laudantem Deum, & amantem *ex toto corde, & anima, & mente, & spiritu, totisq; viribus* secundùm modum & possibilitatem viatoris. Psal. 76. Deut. 6. Matth. 22. Marc. 12. Lucæ 10.

De tractu Filij Dei. Cap. XX.

QVemadmodũ Spiritus sanctus solita bonitate virtutem attrahit amatiuam, obijciens illi dulcifluum obiectum infinitæ bonitatis & amoris in Trinitate personarũ sibi appropriatũ: sic & Filius ad se intellectiuam virtutem attrahit, eidem obiecto quodam incomprehensibili demonstrans perfectam imaginem diuinæ perfectionis, qui est ipsemet Filius Dei, protinus exigẽs ab anima, vt sese per donum sapientiæ penitus assimilare conetur, dicens illud Exodi: *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi monstratũ est in monte*, id est, in eleuatione intellectiuæ virtutis. Vnde Christus ait ad discipulos suos: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Nec tamẽ Patrem ostendere voluit, præterquã in sua perfecta imagine, hoc est, in semetipso. Vnde Philippo petenti: *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*, concitò respondit: *Tanto tẽpore vobiscum sum, & non cognouistis me?* scilicet secundùm diuinitatẽ per fidem, quæ diuinitas in eius operibus relucebat. *Philippe, qui videt me, videt & Patrẽ meum.* Et *nemo venit ad Patrem*, scilicet videndũ, *nisi per me.* Quia incomprehensibilis illa diuina essentia fruibiliter aspici non potest, nisi per lucẽ, quæ Christus est. De quo Iohannes ait: *Erat lux vera, quæ illuminat omnẽ hominem* Hinc etiã Christus se dicit *ostiũ*, per quod nos intrare oporteat. Et hoc non solùm secundùm humanitatẽ, sed etiã secundùm diuinitatem. At verò, cùm Pater origo sit & principium omniũ creaturarũ, Exod 25. Heb. 8. Matt. 5. Iohan. 14. Iohan. 1. Iohan. 10.

vtpote qui cunctas creauit per Filium, ideo omnes creaturæ intellectuales, rationales, aliæque vniuersæ, ad Patrem velut originem & causam primam inclinantur, illique naturaliter assimilari & vniri desiderant secundùm vniuscuiusque capacitatem & aptitudinem. Hinc omnes appetitu naturali cum Philippo clamare non cessant: *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Veruntamen Pater omnibus creaturis rationabilibus secundùm earum rationalem intellectum, est magis inaccessibilis, quàm Filius & Spiritus sanctus: quia principium est & origo omnium aliarum personarum, non habens ipse principium vel originem. Nec ab aliquo mittitur aut datur hominibus per gratiam & dona: sed mittit & spirat Filium & Spiritum sanctum, id est, sapientiam & amorem, ad eum cognoscendum & amandum. Hinc ad Patrem loquens Sapiens, ait: *Sensum autem tuum quis sciet*, id est, quis habebit notitiam tui, *nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis?* Sapientia itaque Patris, est Verbum eius, quo ad se & omnia perfectè loquitur. Nam hoc Verbum est obiectum intellectus sui, in quo solo sese plenissimè cognoscit & intelligit: quia nullus intellectus intellectualiter intelligere potest seipsum vel aliquid aliud sine obiecto intellectuali. Pater igitur ex natura sua, est quædam æterna diuina intelligentia, seipsam sine intermissione secundùm essentiæ suæ & naturæ totalitatem perfectè intelligés: quod vtique fieri necessarium est in obiecto quodam deiformi secundùm suam totalitatem paternæ naturæ perfectissimè simulanti, propter quã similitudinẽ dicitur imago Patris. Sed quoniam obiectum est intelligentiæ paternalis, ideo dicitur esse Verbum, Patris: quia sicut os corporale hominis humanam habet locutionem & verbum, sic etiam intelligentia suam habet loquelam, hoc est, actualem suam intelligentiam, & suum actuale internum obiectum, est eius verbum. Et hoc verificatur in omni intelligentia tam humana, q̃ Angelica ac diuina. Sed quoniã intelligẽtia paternalis, est ipsamet natura diuina secundùm potiorem suam nobilitatem, ideo paternalis intelligentia, qua scilicet in obiecto suo perfecto & deiformi seipsum intelligit, quædam est operatio diuinæ naturæ: quare non immeritò obiectum illud paternale Filius Patris dicitur: quia sicut in vniuersitate naturæ pater terrenus filij sui principiũ est & origo, sic etiam intelligẽtia diuina paternæ naturæ, principiũ est & origo illius obiecti; in quo sese intelligit. Cæterũ, obiectum illud intellectui paterno coæternũ est, eò quòd Pater æternus nũquam

Iohan. 14.

Sapien. 9.

Fœcunditas vt sit in diuinis.

Pater.

Verbum.

quam esse poterit sine intellectuali agnitione & intelligẽtia sui ipsius. Deniq; obiectum illud per omnẽ modũ est æquale Patri: aliâs enim nequaquam sese Pater perfectè cognosceret in obiecto. Nec solũ obiectum illud, est de eadem natura qua & Pater, id est, qua & diuina intelligentia, sed est eadem natura: quoniam illud obiectum deiforme paternalis intelligentiæ, semper introspiciens est & immanens in intelligentia paternali, per fœcunditatem intellectiuæ naturæ Dei: ac semper actualiter intelligens est per continuum, æternum, actualem intellectum paternalis intelligentiæ: quæ scilicet intelligentia est eadem & vna natura cum illa, quam inspicit vel intelligit, quoniam in Deo tantùm vna est simplicissima natura. Nunc autem inspiciens est naturam & essentiam Patris, eò quòd in Patre nihil est, quàm eius essentia & natura. Et ideo eandem Patris essentiam & naturam plenissimè intelligit.

Præterea, deiforme obiectum intelligentiæ paternæ, semper est Filius. antestans in quadam alteritate, sicuti paternæ perfectionis imago quædam perfectissima: & sicuti prolatum intelligentię paternæ Verbum, & Filius, fructusque fœcunditatis paternæ naturæ. Quæ nimirum alteritas personalitatem causat Filij, subsistentis in eadem diuina natura, in qua & Patris persona subsistit. Ex quo concluditur, quòd Filius in omni perfectione diuina perfectus Deus est sicut, & Pater, licèt fœcunditatem paternitatis non attingit. Nam Filius est à Patre, sicut imago viuida à suo exemplari: sicut intellectuale verbum ab intelligentia paterna sine intermissione prolatum: & sicut æternus fructus diuinus paternæ fœcunditatis. Pater autem à nullo est, nec à Filio quicquam est secundùm modum istius fœcunditatis: quia Filius se videt, modoque personali sibi complacet in Patre, sicut imago in suo exemplari, sicut verbum prolatum in intelligentia proferente, sicut fructus viuidus in sua viuida & fœcunda natura. Et sic Pater personalitate paterna vice versa sese videt in Filio. Vnde congruè dicit Ioannes: *In principio,* id est, in fœcunditate pater- Ioan. 1. nalis intelligentiæ, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,* scilicet in alteritate personali: *& Verbum erat Deus,* id est, vnius essentiæ & naturæ cum Deo Patre: Ex quibus in parte patet, quomodo Filius est imago perfecta Patris æternum que perfectum Verbum prolatum, ac Imago. genita Sapientia Patris, in qua se videt, & omnia creata, vel causata, aut certè possibilia fieri secundùm immensitatem suæ sapientiæ &

maiestatis, sicut artifex industriosus in arte sua videt ea, quæ didicit operari. Vnde etiam dicit Augustinus, quòd Filius est ars ipsius Patris,

Ibidem. *per* quam *omnia facta sunt*: quia secundùm Ioannem: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est*, scilicet per hunc

Sapientia. Filium vel artem, *in ipso vita erat*. Augustinus super Ioannem: Facta est terra, sed ipsa non est vita. Est autem in ipsa sapientia Dei spiritualiter facta ratio quædam, & hæc est vita: sicut arca in omni opere non est vita: arca tamen in arte est vita, quia viuit in anima artificis. Proinde omnia erant in ipso causaliter subsistentia, antequam in semetipsis effectiuè fierent. Si quæris qualiter omnia, quę per Verbum facta sunt,

Omnia vt vitaliter, & causaliter sint in Filio. in ipso vitaliter, vniformiter, & causaliter subsistunt: conspice quomodo rerum omnium huius mundi causæ simul & vniformiter in Sole subsistunt: quomodo numerositas herbarum & fructuum in singulis seminibus simul continetur: qualiter, inquam, regulæ multiplices in arte artificis vnum sunt, & in animo di ponentis viuunt: ac qualiter infinitus linearum numerus in vno puncto vnum subsistunt. Ex quibus velut pennis philosophicæ theoriæ arcana Verbi mentis acie poteris inspicere, & quantum datur humanis rationibus cernere, quomodo cuncta, quæ per Verbum facta sunt, in ipso viuunt & subsistunt. Et sic *quod factum est, in ipso vita erat*. *Et vita erat lux*, scilicet intellectualis *hominum*, qua scilicet illuminantur homines, non pecora, quæ rationales mentes non habent, quibus sapientiam videre

Psalm. 42. possent. Quam lucem petebat Psalmista, dicens: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam*, id est Christum, qui est lux mundi, & veritas Patris. *Ipsa*, scilicet lux & veritas, *me deduxerunt* à peccatis, *& adduxerunt in montem sanctum tuum*, id est, in perfectionem virtutum in actiua vita: *& in tabernacula tua*, per sedulam contemplationem. Sed *emitte* denuo, vt me educant, adducant, perducant, & inducant in vitam su-

Psalm. 35. Ioan. 14. pereſſentialem, ac *in lumine tuo* videamus *lumen*: quia *nemo venit ad Patrem* contemplandum, *nisi per* te, *& in lumine tuo*. Sed ad incœpta redeamus.

Cæterùm, cùm Filius non solùm imago Patris esse dinoscatur, sed etiam exemplar vnicum omnium creaturarum, ideo creaturæ rationali magis est accessibilis & agnoscibilis quàm Pater: non tamen in essentia sua diuina, sed secundùm intellectuales imagines in similitudinibus imperfectis, sicut in hac vita Dei veritatem agnoscere poterimus. Ad maiorem denique notitiam simplicibus imprimendam, Fi-

lium

sium suum Pater misit in terram imagine nostræ humanitatis indutum, vt per hanc imaginem cognitam ad agnitionem deuenirent incognitæ suæ diuinæ imaginis, qua tandem occultissimæ paternitatis agnitionem attingerent. Vnde Philippo Dominus protinus respondit: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Quasi diceret: Pater in sua personalitate occultus & inaccessibilis est, quia secundùm Ioannem: *Deum nemo vidit vnquam, nisi vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris.* Et iterum apud Matthæum: *Nemo nouit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare:* sicut verbum prolatum, intelligentiam proferentem manifestat. *Qui*, inquam, *videt me, videt & Patrem*: quia etiam secundùm humanitatem imago fuit suæ diuinitatis. *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Qui ergo Patrem videre desiderat, Filium inspiciat, & sese eidem assimilet secundùm perfectionem vitæ, quam in humanitate nobis ostendit, ac per affectum inflammatum, cætera cuncta respuendo, ad illius amplexum anhelet, quia *si* sic Christus in se fuerit *exaltatus, omnia*, id est, totum hominem trahet *ad* se ipsum, id est, ad suam similitudinem per amorosum obiectum diuinæ sapientiæ. Cùm enim oculus noster intellectualis eleuatus fuerit vsque ad nudam & patulam cogitationem coram incomprehensibili sapientia Dei, tunc eidem per sapientiæ donum multiplices imagines spirituales diuinæ perfectionis imprimuntur, ita quòd secundùm omnem perfectionem, in speculo lucidissimo perfectam vitam agnoscendo considerat: quia diuina sapientia oculis intellectualibus sese velut imaginem perfectam & viuidam diuinæ perfectionis ostendit. Porrò sapientiæ donum non solùm lux est, virtutem intellectiuam agnitione diuina clarificans, sed etiam ignis est, intellectiuam affectionem, id est, superiorem virtutem amatiuam, in amorem accendens, ad possidendum illam perfectionem. Et hoc habet donum sapientiæ supra donum intellectus, quod solùm illuminat. Cæterùm, sicut ignis omne combustibile primò siccans & habilitans, tandem in propriam similitudinem, id est, igneam qualitatem conuertit: sic Filius Dei per obiectum & sapientiæ donum, animam ad suam similitudinem habilitat, eidem intelligere dans modis multifarijs in obiecto suę sapientiæ, diuinam perfectionem per lumen doni sapientiæ: quoniam, vt dicit Sapiens: *In sapientia est spiritus intelligentiæ sanctus, vnus,*

Verbum vt humanam naturam assumpserit. Ioan. 14.

Matth. 11.

Sapient. 7.

Ioan. 12.

Sapientia vt sit lux.

cus, multiplex, subtilis, modestus, discretus, mobilis, incoinquinatus, suauis, amans bonum, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, stabilis, certus securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus intelligibiles.

Animā trahi ab æterna sapientia.

Cùm igitur anima per clarum intellectum diuinæ perfectionis & agnitionem virtutis & veritatis habilitata est, tunc eam diuina sapientia trahit ad suam similitudinem per internam vnctionem & inflammationem ipsius doni sapientiæ in affectionem & amorem prosequendi & comprehendendi perfectionem, à diuina sapientia sibi propositam. Nam in speculo diuinæ sapientiæ quandam videt imaginem totius sanctitatis & perfectionis, cui supra omnia se virtutibus & sanctitate similem exhibere desiderat. Et sicut industriosus artifex imaginem exarare deliberans secundùm exemplar appositum, tam diu superflua & nodosa præcidere nititur, donec ipsius exemplaris perfectam similitudinem sortiatur: (quæ similitudo secundùm potentiam in ligno prius occulta tenebatur:) sic anima per tractum diuinæ sapientiæ, tam insatiabile desiderium percipit attingendi secundùm modum suum similitudinem diuinæ perfectionis, quòd cum argumentosa diligentia, omnem dissimilitudinem abscindere studet, vt in se diuinæ perfectionis similitudinem recipiat: quam Deus in eius possibilitate creauit, & in speculo suæ sapientiæ proposuit, illud ostendens velut exemplar perfectissimum, ad cuius similitudinem omnia sunt reducenda. Ad hoc enim hominem creauit, vt Deo suo similis esset in virtutibus & sanctitate. Creauit etiam in eo similitudinis huius possibilitatem, ac oculo eius exteriori perfectissimum exemplar proposuit, scilicet, in humana natura æternam suam imaginem, & oculo eius intellectuali suæ sapientiæ Deiformem imaginem: in qua velut in speculo totius perfectionis exemplar prospicere potest. Dedit insuper gratiam suam & dona Spiritus sancti, velut instrumenta quædam satis congrua ad producendum potentiam illam in actum, secundùm mensuram suæ industriosæ cooperationis. Et hæc omnia, potentiam scilicet, exemplar, & instrumenta, quantum in se est, voluit omnibus esse communia, ne quis friuolam prætendat excusationem. Nam minima Dei gratia gratum faciens, quam omnibus sese coaptantibus conferre paratus est, industriosæ nostræ diligentiæ sufficeret ad rescindendam omnem dissimilitudinem, vt verificetur illud Ioannis: *Dedit eis potestatem filios Dei*

Ioan. 1.

Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Denique, ad quantamcunque diuinam similitudinem se quis peruenisse gloriatur, nunquam tamen cesset rescindere, & ad omnimodam similitudinem reducere: quia diuina perfectio, cui se conformare laborat, sine mensura est. Potentia quoque similitudinem illam attingendi hominibus præstita, semper insatiabilis permanet in hac vita: quia cum incremento similitudinis gratia Dei, per quam similior effici potest, semper accrescit. Et quoniam adhuc mortalis semper mobilis & mutabilis est, ideo per vices accrescit ad similitudinem, & decrescit ad dissimilitudinem: quæ duo semper inter se militant. Vt ergo victoriam similitudo semper obtineat, & dissimilitudo sedulè iugiterque rescindatur, exemplar sibi datum & propositum semper inspiciat diligentissimè, tam secundùm humanitatem, quàm secundùm diuinitatem: vt eius imagini deiformi se per omnia conformet, & cum Sapiente dicat: *Hunc amaui, & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui eam sponsam mihi assumere: & amator factus sum formæ illius: doctrix est enim disciplinæ Dei, & electrix operum illius.* Sapient. 8.

De tractu cælestis Patris. Cap. XXI.

VT autem totam Trinitatem, suam imaginem in anima creatam & impressam trahere doceamus, sciendum est, quòd sicut Spiritus sanctus trahit virtutem amatiuam, & Filius virtutem intellectiuam, sic & Pater amorosè trahit virtutem memoratiuam nudam scilicet animæ cogitationem: & in his tribus imago perficitur Trinitatis. Hîc ergo primò notandum est, quòd (sicut iam dictum est) Filius Dei est Verbum prolatum paternæ intelligentiæ. Hîc verò cogitationem ipsam assimilare conabimur Patri, & intelligentiam in anima, ipsi Filio. Et hoc ideo, quia Trinitatis imago in his tribus animæ viribus accipitur secundùm substantiam imaginis, licèt specialiter illius imaginis similitudo considerari potest in tribus animæ viribus secundùm earum perfectionem: hoc est, sicut in operatione vnicuique appropriata subsistunt. Quamuis enim summa nobilitas imaginis in hoc consistat, quòd ad exemplar illud æternum operatione vnicuique virium appropriata conuertatur: similitudo tamen illius imaginis ad exemplar suum magis propinqua relucet, cùm vires, in quibus imago consistit, cum operationibus eisdem appropriatis, supra propriam personam vnicuique appropriatam, cuius vires existunt, indeclinabiliter reflectuntur. Quia paterna intelli-

Nobilitas animæ summa in quo consistat.

telligentia semper sese secundùm sui totalitatem proloquitur cum Verbo æterno: quod ideo Filius Dei dicitur, quia genitum est per naturalem operationem intellectiuæ naturæ diuinæ: quod quia semper profertur, semper & gignitur. Cæterùm, diuina voluntas semper est volens, amans, & sibi complacens. Pater in Filio, & Filius in Patre: & vbi mutuus amborum amor effluit in mutuum amoris complexum, velut ex quodam principio in quadam alteritate stans à Patre & Filio, ibi est Spiritus sanctus in vnitate quidem naturæ, sed in alteritate personæ.

Animam trahit bifariam à Patre æterno.

Sed vt intentum prosequamur, notandum est, quòd Pater æternus fidelem animam per nudam cogitationem dupliciter trahit ad suam simplicissimam vnitatem. Primò, trahit eam præ cæteris personis per fidem: quia nunquam traheretur à Filio vel Spiritu sancto, nisi prius crederet esse Filium & Spiritum sanctum. Hinc Christus ait: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus, qui misit me, traxerit eum.* Ioan. 6. In hoc ergo tractu oculo simplici trahitur anima ad suum principium, vnde in sua creatione originata est: & ad suum finem, ad quem desiderio propriæ salutis semper inclinatur. Et quia Pater est principium omnis creaturæ, ideo meritò tractum hunc cælesti Patri adscribere voluit. Licèt enim, vt dictum est, secundùm intellectualem comprehensionem Pater est magis inaccessibilis & incognoscibilis nobis in hac vita: tamen secundùm simplicem primariam fidei visionem, est magis accessibilis & cognoscibilis: sicut in omnibus operibus & inquisitionibus animæ, causa finalis primò secundùm simplicem intentionis intuitum inuenitur & agnoscitur, sed secundùm inquisitionem rationalem & comprehensibilem considerationem intellectualem prius inueniuntur & agnoscuntur ea, quæ ducunt ad finem. Secundus verò tractus Patris est vltimus in Trinitate, quo trahitur anima ad luminosam agnitionem diuinæ veritatis. Nam licèt anima dulciter à calore Spiritus sancti trahatur, in omnifariam considerationem diuinæ bonitatis, & à Filio per obiectam imaginem diuinæ perfectionis, & ad eius similitudinem capescendam, necdum tamen in his anima contenta, deuotis clamitat suspirijs, & ait: *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis:* Ioan 14. cùm ipse sit originale principium omnium desideriorum nostrorum quietatiuum. Tunc illam sapientia Patris instruit, quomodo paternam visionem attingere valeat, dicens: *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 5. Ex quo intelligit ani-

anima cor suum, id est, nudam suam intellectualem cogitationem esse purificandam, vt Deum Patrem videre mereatur: quæ cogitatio nuda conuenienter etiam oculus animæ dicitur, quia Pater cælestis corde videtur, non in sua nuda diuina essentia in hac vita, sed in quadam pariformi diuina imagine nostræ cogitationi incomprehensibili modo præsentata. Tunc anima fidelis cogitationem suam ab omnibus imaginibus intellectualibus, quibus modo comprehensibili satis fructuosè in tractu Filij, & Spiritus sancti vsa est, penitus euacuat: & sic munda iudicatur, & apta ad videndum Patrem cælestem. Quia sicut natura in rebus materialibus nihil vacuum esse patitur, sic Pater in cogitatione iam nudata penitus, & mundata, vacuitatem esse non sinit. Et ideo *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Est tamen nonnulla differentia inter vacuitatem materialem & spiritualem, quia materialis vacuitas ad se trahit, sed spiritualis ab alio felicius trahitur: eò quòd vniuersa Dei dona trahunt hominem & eleuant ad vitam, & similitudinem diuinam, si sese à peccatis, & dissimilitudinibus euacuare studuerit. Hic ergo trahit Pater euacuatam cogitationem super omnes imagines comprehensibiles, puro ac simplici oculo eius ostentans illam simplicem incomprehensibilem imaginem diuinæ essentiæ, veluti principium, & causam omnium, quæ sumpserunt originem in tempore & æternitate, velut, inquam, subsistentiam quandam conseruatiuam omnium, quæ conseruari necessariò indigent in tempore, vel æternitate: veluti denique finem beatificum omnium, quæ beatificari desiderant.

Oculus animæ quis. Matth. 5. Vacuitas spiritualis vt differt à materiali.

Per hoc igitur obiectum omni deuotione recolendum, amoroso sui contuitu Pater cælestis animam trahit, & tranquilla pace complectitur, dicens: Hæc *est* filia mea dilecta, *in* qua *mihi bene complacui*. *Veni* dilecta mea, & ponam in te thronum meum, quoniam in te *complacui*. *Hac requies mea in seculum seculi: hîc habitabo, quoniam elegi eam*. Cui illa: *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius*. Veruntamen Domine, *bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula*, memoriæ vnum, intelligentiæ vnum, & voluntati vnum. Conuocansque vires suas vniuersas, *Venite*, inquit, *omnes, qui laboratis, & onerati estis* sanctis exercitijs, instis operibus, affectibus pijs, & Pater cælestis reficiet *vos* pace dulcifiua, tranquillitate beatifica, & quiete fruitiua. Nam in illo simplici contuitu, vbi scilicet anima nuda, ac patula cogitatione, simplicem & incomprehen-

Matth. 17. Psalm. 131. Matth 17. Cantic. 7. Matth. 11.

sibilem imaginem paternalis essentiæ aspicit, incomprehensibili tamen modo, saltem suo intellectui, ibi tam saporosam quietem, & tranquillam pacem experientia felicissima inuenit, & in ea vbertate tam profluа se satiat, quòd super omnia dulcem illum intuitum exercere, ac illi iugiter inhærere desiderat. Vnde etiam quicquid hunc beatificum visum impedire, retardare, vel obscurare quoquo modo deprehenderit, omni diligentia fugere & euitare satagit, dicens cum Psalmista: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Psalm. 4. Cæterùm, ex huius exercitij quietissimi continua inhabitatione, sic anima fidelis in hoc intuitu habilitatur, & quodammodo essentiatur, quòd per eundem intuitum in omnibus operibus, ac multiplicitatibus immobiliter cum cælesti Patre permanet in illa pacifica tranquillaque habitatione simplicis suæ cogitationis. Nec quidem distrahi, vel turbari potest huiusmodi, quamdiu intuitus ille beatificus nec ablatus fuerit, nec obfuscatus: sed propter passiones, & sensualitatis deordinationes, oculus eius obnubilationem aliquando patitur, plus vel minus sæpius, vel rarius, secundùm mensuram mortificationis, & supplantationis ipsius sensualitatis. Ideo beatus ille seruus, qui sic omnes passiones suas felici victoria suppedit auerit, quòd oculus eius simplex rarissimè, vel tenuem turbationem, aut obnubilationem sustinens, frequenter optatam tranquillamque pacem insilenti habitatione cogitationis suæ felicissimè continuat. Denique tractus iste Patris cælestis, propter suam saporosam quietem, & dulcem tranquillitatem, multos otiosos efficit, ad pedes Iesu cum Maria sedere, & vacare quæritantes, & hanc sicut *optimam partem* eligentes, omnem exteriorem occupationem euitantes, eò quòd per simplicem intuitum, tranquillam inhabitationem paternæ quietis, & pacis impræpediti, & inoffensi, posidere desiderant: diligenter tamen caueant, ne plus quàm expediat, sese quærere conuincantur. Ne, inquam, plus diligant, & intendant saporem, sensionem, oblectationem spiritualem, & otiosam quietem, tranquillamque pacem, quàm Patris cælestis salutiferam inhabitationem. Et ideo securius esset huiusmodi, quòd sese in hoc simplici contuitu per indefessam exercitationem habilitarent, & essentiarent, vt in omnibus fructuosis operibus, & occupationibus salutiferis, quietam illam inhabitationem per simplicem illum intuitum conseruare, & posidere valerent, & practicè semper ad volitum impræpediti, ad talia perficienda accedere, vel dimit-

Lucæ 10.

dimittenda abscedere, semperque liberè, & expeditè, vel ingredi ad contemplationem, vel egredi ad actionem, cogitatione nuda in sua semper inhabitatione quietissima persistente. Sicut mirum suam imaginem in anima creatam Trinitas sanctissima sua profluа pietate trahere non cessat, Pater memoriam, seu nudam cogitationem; Filius intelligentiam, Spiritus sanctus voluntatem, seu virtutem amatiuam superiorem. Et in his tribus animæ viribus in operationibus singulis appropriatis persistentibus, specialiter imago sanctissimæ Trinitatis in sua suprema, & perfecta similitudine consistit.

Præterea, ad maiorem euidentiam paternalis attractionis, qua simplicem nostrum intuitum sublenat, & habilitat ad videndum simplicem, & incomprehensibilem imaginem essentiæ paternalis, sciendum est, quòd distinguuntur tres gradus agnoscendi vel videndi diuinam veritatem: quorum duo reperiuntur in statu viatoris, tertius in statu comprehensoris: & horum differentiam similitudinariè considerare possumus in exteriori visu corporalium oculorum. Gradus tres videndi veritatem diuinam.

Primus gradus est, cùm oculus corporalis cernit aliquam rem retro positam in opposito speculo, quando scilicet res retro posita suam imaginem imprimit ipsi speculo, speculum verò reflectit eandem imaginem in oculum corporalem ipsius cernentis, per cuius reflexionem retro se posita quis cernere potest. Et huic visioni conuenienter assimilatur agnitio, qua Deus agnoscitur per imagines, & similitudines, quæ per rationalem considerationem recipiuntur, & eliciuntur ex creaturis, qualem agnitionem Philosophi gentiles adinuenerunt, & omnibus Christi fidelibus adhuc communis est: qui per lumen fidei ex auditis, vel lectis, aut rationali consideratione indagatis, ad Dei notitiam perueniunt. Et ad hanc notitiam, seu agnitionem deseruiunt omnes figuræ, & parabolæ in Scripturis positæ.

Secundus verò gradus visus corporalis est, cùm oculus corporalis cernit aliquam rem non in se, sed in imagine, & similitudine vera præsentatam. Et huic visui congruenter assimilatur agnitio, qua Deus agnoscitur per imagines, & deiformes similitudines, quas ipsa cogitatio nuda sine medio suscipit ex præsentia illius abyssalis, & superintellectualis incomprehensibilitatis Dei secundùm vniuscuiusque perfectionem. Sed in hac similitudine reperitur quædam dissimilitudo, quia licèt vtrèque visiones tantùm per imagines contingunt, quę non sunt ipsę res, quas videre desiderant, oculus tamen corporalis per ima-

ginem suam, perfectam agnitionem adipisci potest rei illius in imaginem sibi præsentatæ: sed oculus intellectualis nullam imaginem recipere valet, ex qua perfectam Dei agnitionem attingere queat: præsertim quoniam omnes imagines intellectuales naturam ipsius intellectus humani sortiuntur. Cùm igitur intellectus noster creatus sit, & quadam finitate mensuratus, hinc etiam imagines omnes intellectuales in statu viæ creatas, & mensuratas esse oportet. Deus autem increatus, & immensus est, & ideo perfecta Dei cognitio nullis imaginibus intellectualibus acquiri potest. Si tamen agnitionem aliquam, vel tenuem adipisci volumus, has imagines in huius obsequium frequentare necessarium est, vt de Deo, secundùm Gregorium, velut balbutiendo loqui valeamus. Vnde per imaginem diuinæ incomprehensibilitatis, quæ scilicet ipsi cogitationi nudæ obijcitur, Deus perfectè nō agnoscitur, quia nec Deus est, nec perfecta Dei imago, quia tūc nostræ creatæ cogitationi inaccessibilis nō esset, sed est quædam similitudo gloriosæ, & diuinæ incomprehensibilitatis. Tertius autem gradus est, cùm oculus corporalis omnibus imaginibus semotis, aliquam rem cernit realiter in seipsa, & cum seipsa non in imaginibus, vel similitudinibus, sicut in duobus præcedentibus. Et hoc modo nullam creaturam quis videre potest, nisi tantùm lucem exteriorem, quæ videtur cum seipsa, sed alia cuncta mediante luce: ita quòd cum seipsa sese, & omnia alia manifestat. Nec tamen semper, sed eo duntaxat tempore, cùm speculum ipsius oculi cum semetipsa informat, & illuminat. Nam cum oculus in tenebris est, nec lumine lucis clarificatus, tunc videt quidem lucem, sed nō cum seipsa, quoniā illuminatus nō est: sed videt per imaginē lucis, quam recipit ex præsentia lucis. Et iste gradus corporalis visus aptè similatur excellentissimæ, & gloriosæ visioni gloriæ. Vbi nudam gloriosam diuinam essentiam in seipsa, & cum seipsa merebimur intueri: hoc est in sua gloriosa propria forma sine medio qualiumcunque similitudinum, vel imaginum: quia seipsam dignatissima largitate gloriosis ostendit intelligentijs, per gloriæ lumen ad hoc habilitatis, velut obiectū quoddā glorioſiforme: & quod magis est, virtuti nostræ intellectiuæ sese incōprehensibili dignatione penitus inseparabiliter vniet: veluti quædam gloriosa diuina forma suæ habilitatæ materię ad videndum sine medio seipsam, quia sine lumine deiformi Deum videre non possumus. Nunc autem quoniam oculus noster intellectualis in caligine mortalis vitæ detinetur, ad visionem gloriosam

nondum

nondum habilitatus, ideo gloriosam lucem essentiæ diuinæ sine similitudinibus capere non valet. Omnes autem similitudines, quas intellectus recipere potest, à diuina perfectione infinitè sine mensura deficiunt: & ideo Deum in hac vita imperfectè cognoscere cogitur, clamans cum Tobia: *Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Cui Angelus: *Fortè*, inquit, *animo esto, in proximo est vt cureris.* Interim verò ingeminare potest illud sponsæ, dicentis: *Sub vmbra illius quem* desiderabam *sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Dum scilicet Spiritus sanctus virtutem attrahit amatiuam in puritatem amoris, ac Filius amorem deducit in claritatem intellectus, vt discat non solùm gustare, sed & videre. Sicque feliciter intellectus, & affectus simul coambulant, vsque ad nouissimum intellectus: dehinc inflammatum affectum Pater cælestis suscipit, & sustollit vsque in ipsam nuditatem cogitationis. Vbi lux quædam intellectualis effulget, quam nec sensus, nec ratio, nec natura, nec consideratio capere valet, quia claritas immensa lucis illius reuerberat & caligare facit oculos rationales. Supra rationem verò simplex oculus noster in apice intelligentiæ solus manet apertus, contemplans & spectans hanc lucem irreuerberatus. Hæc autem lux nobilior est, & superior omnibus in natura creatis, quia naturæ perfectio est, & clarificatum medium inter nos & Deum, libertatem nobis ad Deum tribuens, & audaciam. Nostra verò simplex nuda cogitatio viuidum speculum est, in quo lux ista relucet, à nobis conformitatem, & vnionem cum Deo requirens. In hoc enim viuido speculo viuit Deus in nobis cum donis suis & gratia. Nos autem in eo viuimus per virtutes, & opera bona.

Tob. 5.

Cantic. 2.

Psalm. 33.

De consurrectione nobilissima, quæ dicitur mystica, & ignota. Cap. XXII.

OSi iam occultissimam, & diuinissimam hanc sapientiam prosequentes, eius modum, & seriem ordinemque diligentius indagare possemus, quam diuinus Dionys. ad Tim. scribens, lucidè satis explicat, dicens: Tu autè Timothee amice circa mysticas visiones forti contritione sensus derelinque, & intellectuales operationes, & omnia sensibilia, & intelligibilia, & etiam existentia, & nõ existentia: & sicut est possibile ignote consurge ad eius vnitionẽ, qui est super omnem substantiam, & cognitionem. Etenim excessu tui ipsius ab omni irretensibili, & absoluto mundè ad supersubstantialẽ diuina-

rum tenebrarum radium sursum ageris. Vide autem vt nullus indoctorum ista audiat. In quibus verbis suprema sapientia includitur, & culmen totius perfectionis, vt est in via possibile, totaque profunditas librorū beati Dionisij: quibus perfectè cognitis, quicquid est super intellectum in libris eius, ad intelligendum leuius efficitur. In his igitur verbis primò ponitur, quid amouendum sit: secundò, quomodo consurgendum, cùm dicit: Tu autem Timothee amice, circa Mysticas visiones. Mysticas autem visiones in omni Philosophia sua Dionysius appellat eas, quæ transcēdunt omnis entis cōsiderationes, quando scilicet vis intellectiua cognoscit ex affectu præcedente, & non è conuerso. Et illa est verissima cognitio ab omni errore & deceptione penitus aliena. Vnde meritò mystica cognitio vocatur, id est, occulta & secreta, tum quia pauci ad ipsam recipiendam se disponunt, tum quia occultè consistit in corde, vt nec stylo, nec verbo plenè valeat enodari: in qua cognitione affectus dominatur. Et ideo prosequitur quæ debeant derelinqui, dicens: Forti cōtritione sensus derelinque, & intellectuales operationes, &c. Cùm enim hæc apprehēsio desuper est, & non de subtus, sensus extirpari iubetur. Nec solùm sensus exterior, sed etiam interior, quia nec sub ratione dulcis, odorabilis, pulchri, melodiosi, vel suauis Deus apprehēditur (cùm hæc omnia prævia apprehensione rationis * dirigantur:) sed hæc vnitiua apprehensio sit supra intellectum, & rationem. Porrò sensus omnes habent inclinationem quandam naturalem ad suas operationes, quam difficillimum est refrænare. Cumque sensus & intellectus exeunt circa obiecta exteriora ad suas operationes, tunc anima exit cum illis, & diffunditur circa eadem obiecta: & sic incuruatur sub semetipsa, nec valet ascēdere supra seipsam. Et ideo forti contritione, & exercitio comprimendæ, & claudendæ sunt fenestræ omnium sensuum, vt anima in se recollecta, valeat ad Dei vnionem supra semetipsam consurgere. Ad quem anima mouebitur ardentissimè, quoties voluerit, postquam ab omnibus peccatis, desideriis, curis, creaturis, & imaginibus, quæ ipsam ligatam tenebant, liberata fuerit, & depurata. Oportet ergo speculatiuum discipulum alibi haurire sapientiam istam, quàm in his, quæ respiciunt apprehensiones speculatiuæ cognitionis. Et in hoc apparet huius sapientiæ mira nobilitas, & dignitas amplectenda. Ideo namque Dionysius eam diuinissimam vocat, quia felicem animam à semetipsa exire, & seipsam expoliare quodammodo necesse est, & affectu

sequi

Cognitio mystica quæ.

I. Quænam debeant relinqui.

* Aliàs diligantur.

sequi velut pediſſequam ipſum amorem collatum diuinitus, per diuinam quoq; ſurſum actione cognitione digniſsima informari. Vnde in tantum apprehenſiones ſenſuum exteriorum, & interiorum elongari debent, eorumq; delectationes, prout cauſam motiuã reſpiciunt, quòd nec ab ipſo verò diligendi Dei amatore debent dil gi, vel concupiſci: (ipſe enim ſolus Deus appetendus eſt:) niſi dumtaxat ad hoc, vt per illam dulcedinem ad intimiorem affectus vnionem efficacius, & importunius inardeſcat, quia tota hæc ſapientia in ardenti deſiderio collocatur, vbi omnis operatio, & officium intellectualis virtutis extirpari præcipitur. Licèt enim vis intellectualis quandoq; multa de diuinis percipiat, maximè quando theorijs diuinioribus illuſtratur, illa tamen vis in mente conſiſtit. Ideo hæc eſt multum eminentior, cuius motibus ignita mens erigitur ad profundiorem ſapientiam, tum ratione ſuperioris efficientiæ, tum ratione ardoris ipſam ſuperius erigentis, qui ſuper omnes habitus gratuitos, & infuſos in ſpiritu rationali principatum obtinet, ratione ſuæ importunæ extenſionis, & dignitatis. Hæc enim affectio principatum tenens, eſt ipſa ſcintilla ſyntereſis, quæ ſola vnibilis eſt diuino ſpiritui. Cùm igitur incomparabiliter intellectui ſupereminet, ideo eius ſuſpendit officium. & ideo ab illa ſecludi præcipitur. Nec tantùm operationes, prout exeunt à vi ſenſitiua, vel electiua, eliminari iubentur, ſed etiam omnia earum obiecta ſenſibilia, & intelligibilia. Cæterùm, intelligentia generaliter euelli præcipitur, quia cùm omnes homines naturaliter ſcire deſiderent, in nulla tamen ſcientia, vel notitia tendentia ſpiritus conquieſcit, quàm in pura, & iucunda cognitione primæ charitatis, quam ſolam inuenit nobilitati humanæ intelligentiæ correſpondentem, quæ tantæ nobilitatis eſt, quòd ſpecies etiam Angelicas faſtidiat, querula penitus, & errabunda, donec ad agnitionem illius, à quo originaliter exijt, triumphali virtute reuertatur. Sequitur: Et etiam exiſtentia, & non exiſtentia,

Per quæ duo, omnis modus ſpeculatiuus apprehendendi diuinam naturam excluditur. Nam exiſtentia dicuntur hîc illæ rationes æternæ in mente diuina, quibus aliquid extractum, vel exemplatum in creaturis inferius correſpondet. Nam cùm mens æternas conſiderãdo rationes in quantum ab ipſis egredientem creaturam cõſiderat. in tantum infra ſeipſam ex altera parte finitur, & ſumitur, vt nõ totaliter ſupra ſemetipſam erigatur: hinc vnitiua ſapientia, quæ creaturarũ con-

Exiſtentia quid ſignet.

plationem, vel consideratione vniuersam in suis motibus derelinquit, si ad suum vnicum intelligibile, vel diligibile supra seipsam aspirans intra semetipsam contemplationem sumit, sic nō est supra mentem, sed infra. Et ideo licèt respectu existentium sit nobilis contēplatio, dimitti tamen præcipitur, cùm sit ibidem incuruatio quædā, vel perceptio naturalis. Et sic per hanc relatiuam contemplationē omnimodam humanam apprehensionem non relinquit, nec omnino velut per alium mens supra limites naturales collocatur. Quamobrem, ordinatissimus procedendi modus in humanis ad diuina reperitur, cùm mens supra se prouecta mouetur in Deum immediatè, velut in centrū suum, sine omni commixtione, vel intermissione alicuius creaturę superioris, vel inferioris. Deniq; non existēria hîc appellantur ea, de quibus nihil exemplatum in creaturis reperitur, sicut omnis consideratio de summa Trinitate, & ordine personarum, quoniam illud exemplatiuè in creaturis nunquam apparet, quòd aliquis aliquem generet, qui sit idem quod ipse qui genuit, quorum quilibet sit verè existēs substantia: aut quòd amor, id est Spiritus sanctus connectens sit æqualis, & existens substantia cum ipsis amātibus. Talis igitur contemplatio, quamuis inter speculatiuas excellentissima iudicetur, tamen derelinqui iubetur, non quia bona non sit, & nobilis; sed quia superior apprehensio quædam est in mente humana, quæ præsertim hîc intenditur, per quā solam excellentissimè supremus spirituum attingitur, & optima Mariæ portio nuncupatur. Alia verò portio per Rachelem significatur, sed contemplatio in creaturis per Liam, quæ lippis erat oculis. Et hæc est ratio, quia quantò mens Deo magis appropinquat, & in eum transformatur intimius, tantò diuinius, & eminentius attingit supercælestia. Nulla verò cōtemplatio speculatiua virtututem habet transformandi, sed solus amor extensiuus deificans nos in Deum transformat, qui solus diuina apprehendit, ad cuius pedes nulla contemplatio cognitiua proficit, sed potius velut pedissequa gradum sistens, à longè prospicit reginam Esther ad amplexum regis Assueri consurgentem.

Modus procedendi in humanis ad diuina quis.

Non existēria quæ sint.

Lucæ 10. Gene. 29.

Esther 2.

II. Modus in Deum consurgendi.

Dicto igitur vtcunque de his, quæ necessariò relinquere oportet, deinde secundum prosequitur, quomodo scilicet consurgendum sit, dicēs: Et sicut possibile est ignotè consurge ad vnitionem. Hæc autem consurrectio, quæ per ignorantiam fieri dicitur, nihil aliud est, quam affectum immediatè moueri motu intelligentiæ nō concomitante, vt solus,

solus affectus tangat, & in ipso actuali exercitio, cognitio speculatiua nihil agnoscat. Et hic est vnicus oculus sponsæ, quo sponsus in Canticis vulneratum sè meminit, dicens: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa: vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Et hæc est cognitio cæteris excellentior, quæ per ardentissimum amorem vnitiuum actualiter sine medio dispositum animum, ardentissimè facit in dilectum suis sursum actiuis extensionibus assurgere: quæ consurrectio ignota dicitur, quia remoto omnis imaginationis, rationis, intellectus, vel intelligētiæ exercitio, per vnitionem ardentissimi amoris, id sentit in præsenti, quod intelligentia capere non sufficit: quinimò oculum intellectus oportet funditus reprimere, quia semper apprehendere vult, ad quod tendit affectio, ita quòd maxima aduersatio in hac cōsurrectione est vehemens inhærentia intellectus cum affectu. Sed eam argumētosis exercitijs rescindere necesse est: quia pura affectiua cōsurrectio nūquam fit, nisi totaliter oculus intelligētiæ rescindatur, cùm melius vnitur ex eo, quòd nihil recognoscit supra mentē eleuata cognitio. Nam quantum intellectus se cōmiscet affectui, tantum habet de impuritate; & quantum oculus intellectus excæcatur, tantum oculus affectus in sitis extensionibus liberius & incomprehensibiliter eminentius eleuatur. Deinde subdit respectu cuius fit ista consurrectio, dicens: Consurge ignote ad eius vnitionem, qui scilicet est supra mentem & cognitionē. Cuius causa partim supra dicta est, quia nec gratia, nec gloria, nec dimissio pœnæ, vel aliquid huiusmodi in desiderijs sursum actiuæ consurrectionis ibidem requiritur, sed ille solus, cui soli propter se mens in multiplicatione vehementium desideriorum vniri desiderat, qui sub apprehensione obtentus, prout ab affectu tendente percipitur: supra omnem mentem humanam & cognitionem attingitur. Sed & modus ipsum apprehendendi, quo cum affectu tangitur, supra mentem & rationem esse dicitur: ita quòd effectiua in apice supremo constituta, nihil aliud quàm soli Deo vniri desiderat: sed quoniam hoc difficile est, adiungitur, sicut est possibile. Cùm enim affectiua à prædictis libera fuerit, tunc velut auicula pennis ardentium affectionum erecta, tanta libertate perfruitur, vt quoties voluerit, ardētissimè moueatur in Deum, ac supra semetipsam mens erecta, quandoque motu & consurrectione, quasi totaliter extra corpus videatur. Sequitur: (Etenim excessus tui ipsius.) Per hunc autem excessum amoris igne continuatum, anima efficaciorem separationem & purgationem per flam-

Cant. 4. Cognitio quæna melior & excellentior.

meas suas extensiones, omnem rubiginem consumentes promeretur, quàm prius in dolore & lachrymis. Licèt enim via purgatiua per lachrymas & dolores efficax est ad abluendum & consumendum delicta, hæc tamen multo efficacior est, quæ per consurrectionem ardoris perficitur. Vnde per istũ excessum ardoris huius, leuius ab omni irretentibili & absoluto, iam liber ad diuinæ incomprehensibilitatis claritatem, ablatis penitus obstaculis, agillimè sursum agitur: quia per continuam consurrectionem motuum anagogicorũ magis ac magis affectus extenditur, & quasi quibusdã flammeis scintillis mens efficacius purgatur, ac alibi requem inueniens, ab amore carnaliũ sine murmuratione carnis sequestratur multo plus, q̃ prius. Exinde præterea puris moribꝰ affectus fit agilior, vt quoties voluerit, sine præmeditatiõe præuij intellectus ardẽtissimè moueatur. Licèt enim in principio exercitij consurrectionum anagogicarum, apex ipsius affectus cum difficultate consurgit, per amorem tamen ipsius excessiuum, & per efficaciorem purgationem ad libitum quasi sine difficultate supra se consurgit, & agilitate motuum mirabiliter alleuiatur. Quamuis etiam in ipso motu anagogico, natura & amor pariter concurrant, efficacius tamen remotis impedimentis: ac maiori desuper adueniente immissione, multo plus ardor amoris, quàm vigor affectus naturalis facilitatẽ & agilitatem motuum incomparabiliter operatur.

Affectus vt fiat immũdus.

Deniq; tangit adhuc duo, quæ maximè derelinquere nos oportet. Primò, scilicet omnẽ irretentibile, quod respicit affectum: quoniam cuicunque creato afficitur, illi necessariò coniungitur, & per consequens irretitur: & sic minus ægilis ad consurrectionem diuinorum efficitur. Nec mirum, quoniam affectus immundus redditur, dum in creatura se viliore delectatur. Secundò omne absolutum derelinqui debet. Absolutum autem dicitur omne, quod sua propria forma cognoscitur, esse distinctũ habens: cuius omnem speculationẽ amoueri necesse est, alioqui intellectus immundus, & tenebrosus efficitur, quia dum tantum humana mens scientia speculatiua repletur, in comparatione illius sapientiæ, quæ est per superspléndentes diuinos radios, quasi quadem obtenebrante caligine obfuscatur. Hoc autem quod sequitur: Sursum ageris, nõ est tantùm intelligendum de agiliori cõsurrectione, sed etiam de suprema cognitione ipsius intelligentiæ. Nam illa sola de diuinis est vera cognitio, quæ scilicet de experimentali notitia sursum actiuæ consurrectionis relinquitur. Diuina profectò

Cognitio de diuinis verissima quæ.

misera-

miseratione, secundùm quod competit consurgenti, hoc accidit, quòd cùm mens per curricula multorum temporum aspirauit, vt intimius coniuncta dilectum suum amoris ardentiori vinculo constringat, vt illi aliquando tandem ad tempus modicum, iuxta propriam capacitatem, sicut in raptu quodam, visio beata concedatur: præsertim cùm ab irretentibili & absoluto mundâ dirigitur & erigitur ad diuinarum tenebrarum radium, lumen scilicet incomprehensibilitatis diuinæ, quæ tenebræ seu caligo nominatur, propter excedentem claritatem. Dicit enim Dionysius ad Timotheum, quòd diuina caligo lumen est inaccessibile, in qua Deus inhabitare dicitur, & intuisibilis quidem existens propter excedentem claritatem. Hæc enim sapientia immediatè est ante cognitionem raptus. Vnde sic diutius aspiranti, quandoque dicitur: *Amice ascende superius.* Et ideo licèt prius dicebatur: Consurge, hìc tamen dicitur: Sursùm ageris, quia in consurrectione vnitiuæ sapientiæ natura operatur, & gratia, in hac autem eleuatione suprema intelligentiæ, sola gratia eleuans, immediatissimè operatur, & tam intellectiua, quàm affectiua potentissimè consummatum officium obtinent actuum suorum, non per modum agendi, sed patiendi. Luc. 14.

Tandem verò concludit, dicens: Vide ne quis indoctorum ista audiat. Hìc beatus Dionysius Doctores speculatiuos confutat, qui cuncta scire se existimant, cùm tamen de vera sapientia, qua mens ad Deum trahitur, parum, nisi coniecturando cognoscunt, qui æstimatione sua diuina percipere credunt ingenio, vel scientiæ plenitudine: cùm è contra mystica Theologia per apicem affectionis consurgere docet per amorem discipulum veritatis. Vnde doctrinam huius præclaræ sapientiæ sibi soli reseruare voluit increata sapientia, vt sciat omnis mortalis, quia Doctor est in cælo, qui solàm sapientiam veram suis scholaribus per cælestes immissiones, id est, radios charitatis suæ manifestat, vt ex hoc omnes mundi sapientes confundantur, quòd simplex vetula, vel rusticus pascualis ad istius sapientiæ consurrectionem pertingere potest, quam nulla philosophica scientia, vel mortalis industria comprehendere valet. *Posuit enim tenebras latibulum suum*, nec Deum apprehendere possunt, nisi sub ratione boni, dulcis, & sic de alijs: sed ista sapientia anagogica est quædàm theoria per se distincta, & ab omni sapientia speculatiua diuisa, quæ transcendit omnem rationis apprehensionem. Multi ergo sa- Doctrina speculatiua confutanda quæ. Psalm. 17.

pientum huius mundi, quoniam summam hanc sapientiam attingere non valent, insipienter irrident, & per consequens Deum altissimum collatorem eius: & ideo meritò iubet eam indoctis huiusmodi minimè manifestari. *Iesus* autem exultans *in spiritu dixit: Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quoniam sic placitum* est *ante te.*

Matth. 11. Lucæ 10.

De inhabitatione caliginosa sub vmbra dilecti. Cap. XXIII.

VIso in superioribus de agnitione Dei, quam anima susçipit in imaginibus, & similitudinibus secundùm modum, quo in statu viæ attingere licet ad agnoscendum quid sit Deus: iam altiori consilio, graduque sublimiori inquirendum esse reor, de perfecta Dei agnitione per negationem, qua scilicet intelligitur quid Deus non est. Nam anima cùm in duobus agnitionis modis iam præmissis contentari nequaquam potest, cùm minimè sufficiant, nec plenam agnitionem Dei conferant, ideo relictis illis, anima dilecta totis sè præcordijs subleuat ad videndum dilectum in sua nuda glorioſa essentia, deuotis suspirijs clamitans, & dicens: *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Et iterum: *Domine ostende* nobis *faciem tuam, & salui erimus.* Cuisi rursum obijcitur simplex illud obiectum paternalis essentiæ, vbi per simplicem intuitum nudæ cogitationis, quietam inhabitationem possidendò iam adinuenit, quia tamen experiri iam incipit, quòd omnis illa intuitiua cognitio dumtaxat in imaginibus similitudinibus versatur, veluti Deum per indumenta quædam, & non ex facie recognoscens, cùm liquidò sentit, quòd omnia, quæ per intellectum humanum, & cogitationem nudam imaginari valeat, ab ipsa veritate diuinæ essentiæ, in infinitum sua dissimilitudine distant: hinc protinus oculum suum intellectualem ab infimis imaginibus corporalibus, vsque ad supremas imagines diuinales denudare festinat. Nec retinere vult imagines diuinitatis, vnitatis, trinitatis, bonitatis, nec sapientiæ, nec quidem ipsius diuinæ essentiæ probans luce clarius, quòd hæc omnia, quantumcunque præcelsa videbantur, Deum tamen in sua proprietate non repræsentant, sed secundùm modum, & mensuram humanæ comprehensibilitatis, & intelligentiæ. Quapropter per nudam cogitationem suam superascendere non cessat in illam caliginosam, & informem nihileitatem. Vbi nimirum in quandam Dei perfectam ignorantiam constitui-

Ioan. 14. Psalm. 79.

tuitur, velut inter duas mensas, id est, duas agnitiones diuinæ veritatis, quasi fame peritura, dum ad mensam inferiorem inclinare se despicit, vbi Deus in imaginibus creatis tantummodò tenuiter, & vmbraticè cognoscitur, & diligitur: ad mensam verò superiorem, vbi Deus in nuda sua glorioſa essentia cognoscitur, & diligitur, adire non permittitur, quamdiu mortali suo corpore detinetur. Hoc enim & sacra Scriptura nos docet, ad Moysen dicente Domino: *Non videbit me homo, & viuet.* Et iterum Apostolus: Nec *oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus* diligentibus se. Et iterum: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Et Ioannes: *Charissimi, nunc filij Dei sumus,* sed *nondum apparuit quid erimus: cùm* autem *apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* His igitur, & similibus, non absurdè probat, quòd ipsam nudam, glorioſam diuinam essentiam experimentali cognitione nequaquam attingere potest, nisi supernaturaliter, & miraculosè Deus hoc ipsum ei indulgere voluerit, & in semetipso dignatiua largitate ad hoc habilitando subleuare, & illuminare placuerit, oculo illius intellectuali lumine gloriæ plenius glorificato, vt sic cum Psalmista *in lumine* eius videat *lumen.* Hoc est, *in lumine* gloriæ, quo nostra virtus intellectiua clarificabitur, & habilitabitur ad glorioſam deiformem agnitionem, *videbimus lumen* illud glorioſum eius essentiæ diuinæ.

Exod. 33. Isa. 64. 1. Cor. 2. 1. Cor. 13. 1. Ioan. 3. Psalm. 35.

Hinc felix anima contemplationis supereſſentialis auida, in ipsam nudam caliginoſam vacuitatem seu nihileitatem cogitationis suæ coram immediata ignota glorioſæ diuinitatis præsentia, suam inhabitationem constituit, eò quòd illic fine medio lumen illud glorioſum in ipsam caliginem refulgere non cessat, licèt, proh pudor, eam tenebræ comprehendere non possunt. Vnde Ioannes ait: *Quod factum est in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Cuius ratio est, quia caligo illa nondum est glorificata. Dum autem aliquando glorificata fuerit, lumen in lumine comprehendet, & anima ad mensam superiorem subleuata resedebit, vbi Deum gustare valebit & bibere, hoc est, in sua nuda glorioſa essentia cognoscere & amare. Si tamen interim suam inhabitationem in ipsa caligine sub mensa superiori, quadam anheloſa longanimitate perseueranter possidere curauerit, velut catellus micas *de mensa* domini decidentes expectans. Vnde sicut ani-

Ioan. 1. Matth. 15.

ma fidelis & argumentosa cum Patre pridem habitationem suam in nuda simpliciq́ue cogitatione perfecerat, præ foribus essentiæ paternalis eandem in omnibus operibus suis super omnem multiplicitatem, simplici intuitu, placidaq́ue tranquillitate frequentissimè visitans, requirens, ac possidens, ingrediens, & egrediens ad imperium dilecti, ita nunc quoque suam inhabitationem operosius extruit, in illa caliginosa suæ cogitationis vacuitate sub excelsa mensa diuinæ supereffluentiæ, coram immediata & ignota præsentia dilecti. Licèt autem in excelso posuerit nidum suum, & in tuto collocasse videatur, nihilominus tamen semper solicita sit, quomodo Deo magis ac magis placeat, diuinum beneplacitum semper demulcere quærens, in operibus virtuosis, exercitis vigorosis, & affectibus amorosis, super omnes occupationes & multiplicitates hanc inhabitationem continuè visitans per excessum quendam simplicem suarum cogitationum, super omnes similitudines & imagines, & super omnem nominationem Dei. Sic post omnem occupationem & tumultuationem secundùm sui totalitatem *in idipsum* reuertetur, *in pace* requiescens, in illam * vacuitatem & caliginosam nihileitatem suæ cogitationis, sicut in propriam suam inhabitationem. Nec intelligendum est, quòd ibi penitus sit otiosa, sed quoniam quandam occupationem otiosam possidet, scilicet amorosam quandam anhelationem ad videndum nudam & glorioſam faciem dilecti sui: ad sedendum, inquam, cum cæteris electis ad mensam illam supremam, vbi dilectus iuxta promissum transiens ministrabit ei. Vbi denique dilectus cibus eius erit & potus, & quicquid esuries & sitis gloriosa desiderare potest.

Psalm. 4.
* Alias vacuam.

Anhelatio animæ tria cõplectitur.

Tædium amoris.

Cæterùm, hæc anhelatio amorosa in hac caligine celebrata tria simul complectitur, scilicet tædium, desiderium, & spem. Primum autem tædium quoddam complectitur in omnibus, quæ sub hac caligine continentur, quoniam ibi dilectum suum minimè reperire prævaleat, nisi in imaginibus, & similitudinibus, quem in sua proprietate videre desiderat. Hinc etiam quoddam amorosum tædium de ipsa caligine, quam inhabitare cogitur, incurrit, donec sese dilectus sua pietate manifestare voluerit. Non enim ignorat, quòd ipsius dilecti occultatio contingit ex parte proprij defectus, cùm Deus in se gloriosum lumen esse dinoscitur, in quo *tenebræ non sunt vllæ*, vt dicit Ioannes. Et ideo creatis vniuersis in seipso cognoscibilior est creaturis intellectualibus, licèt ipsum agnoscere nequeant, eò quòd intellectualis oculus eorum,

1. Ioan. 1.

per lu-

per lumen * naturale necdum ad hoc habilitatus est, nec etiam per lumen gloriæ, quod semper necessariò requiritur: sicuti sol materialis creaturis vniuersis in se magis est visibilis, vtpote fons ipse visibilis lucis. Veruntamen vniuersi corporales oculi illam aspicere propter nimiam claritatem non possunt, propter eorum debilitatem, & inhabilitatem. Sic ergo felix anima tædium sustinet suæ caliginis, quam ex seipsa causatam non ignorat.

* Alias spirituale.

Denique licèt vtcunque gaudeat super omnem imaginem, & similitudinem in hanc se conscendisse caliginem, omnemque creaturam effugisse, & superuolasse, stans inauertibiliter coram immediata præsentia dilecti glorioso lumine caliginem suam illustrantis, quamuis lumen illud glorioſum eius caligo comprehendere nequeat, tædium tamen sustinet propter debilitatem, & inhabitabilem oculi sui intellectualis lumen illud capere, vel sustinere non valentis: quo nimirum cogitur inter duas mensas famelica, & sitibunda residere.

Secundum verò est quoddam flammigerum desiderium ad glorioſam, & nudam dilecti faciem videndam, & fruendam in plenitudine amoris. Quia numquam plenum gaudium, nisi in perfecta Dei visione, & cognitione valebit adipisci. *Petite*, inquit, *& accipietis, vt gaudium vestrum plenum sit.* Et item ait: *Videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis* Cùm igitur anima in hoc feruido, & penetratiuo desiderio coram ignota, licèt immediata Dei præsentia steterit, statim recipit *verbum* illud *absconditum*, de quo dicitur in libro Iob: *Porrò ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurrij eius*, id est, occultissimas inspirationes alloquentis Verbi, quod est Filius Dei Christus Iesus sapientia Patris: qui, vt dicit Iob, absconditus *est ab oculis omnium viuentium.* Hoc *Verbum* animæ amorosæ dulci susurrio loquitur in ipsa caligine suæ cogitationis ipse Pater in illa caligine cum Filio, & Spiritu sancto inhabitans, sicut promiserat Christus, dicens: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Ibi denique Verbum suum loquitur, non in imaginibus, vel similitudinibus, quæ procul funditus eliminatæ sunt; sed in sua gloriosa luce, licèt ipsi animæ Verbum hoc absconditum maneat: quia quamuis *lux* ipsa luceat *in tenebris, tenebræ* tamen eam comprehendere *non* possunt. De quo Verbo diuino dicit Sapiens: *Cùm quietum silentium contineret omnia, & nox in cursu suo medium iter haberet, omnipotens Sermo tuus exiliens de cœlo à regalibus se-*

Desiderij amoris.

Ioan. 16.

Iob 4.

Iob 28.

Ioan. 14.

Ioan. 1.

Sapient 18. Silentium mysticum.

dibus venit. In caligine quippe cogitationis tenent omnes creaturæ *silentium*, vbi caliginosa *nox* suum cursum habere dinoscitur, id est, si tum suum in hac vita, quæ tota cursus quidam est. In media verò * vita cursus huius, inter Deum scilicet, & creaturam, mensam superiorem, & inferiorem, aduenit *omnipotens Sermo* diuinus *à regalibus sedibus* paterni cordis, quo scilicet dulce susurrium infert auribus dilectæ suæ diuinarum inspirationum, quibus eam vigilem reddit, ne in ipsa caligine præ tædio dormiat, desiderijs otiosa, & amore tepida.

* Aliâs via.

Spes secura. Tertium autem est spes secura, quam anima ex occultissimo susurrio paterni verbi meretur adipisci. Nam vt cæcus à natiuitate, qui desiderio flagrat ad videndum exteriorem visibilem omnium creaturarum ornatum, quem quia nunquam vidit, quicquid illi de huiusmodi dicitur cum desiderio quidem, sed sine imaginibus, & similitudinibus recipit, cùm in se quæ nunquam vidit, nequaquam formare potest: sic felix anima venas suscipit diuini susurrij auribus quidem desideriorum suorum, sed sine imaginibus, & similitudinibus, quia susurrium illud incomprehensibilem gloriam diuinæ essentiæ multifarijs demultionibus eidem inspirat, de qua nunquam perfectam imaginem habuit, vel habere velit: quia duntaxat nudam gloriosam diuinam essentia in seipsa, & cum seipsa videre desiderat, quomodo, & quando dilecto illam sua pietate manifestare placuerit.

Cæterùm, licèt in hoc statu in ea creaturæ vniuersæ silere cogantur, ipsa tamen minimè sibijpsi silentium indicere potest, non cessando viscerosis desiderijs dulcia susurria cum dilecto inuicem frequentare, eumque nunc pijs argumentationibus, nunc gratiarum actionibus, nunc amorosis aspirationibus conueniens, & alloquens. Quod vtique susurrium, licèt sine verbis & imaginibus celebretur, nec percipere quis potest, nisi ipse dilectus, & dilecta, dicente sponsa: *Dilectus meus mihi, & ego illi:* nos tamen pro modulo nostro balbutiendo colloquium illud dulcissimum prosequamur, quibusdam dissimilibus similitudinibus. Nam inspiratum Dei verbum in sua nuda cogitatione loquitur animæ, dicens: *Ego sum alpha, & omega*, hoc est, *principium, & finis* omnium creaturarum, essentiale bonum earum, ac perfecta beatitudo, vnicuique iuxta modum, & capacitatem suæ naturæ: plenitudo sum immensarum æternarum diuitiarum gratiæ, & gloriæ, quas nec *oculus vidit, nec auris audiuit*, quas præparaui diligen-

Susurrium amoris.

Cantic. 2.

Apocal. 1.

Isaiæ 64. 1. Cor. 9.

gentibus me, vt satientur & inebrientur *ab vbertate domus* meæ. Cui felix anima dulci susurrio desideriorum suorum respondet: O quam *beati* qui edunt, & bibunt ad mensam tuam *Domine*, quoniam te lucidè cognoscunt, iucundè laudant, magnificè gratias agunt, ardenter diligunt, & te fruuntur *in lætitia, & exultatione. Ego autem hic fame* crucior, proiecta in cinere, & caligine, & lumen cæli non video. Sitio te clarè cognoscere. Esurio te perfectè diligere, nec desiderium meum adipisci valeo. Obsecro Domine, *si inueni gratiam* in oculis tuis, *ostende mihi faciem tuam*. *Quid enim mihi est in cælo? & à te quid volui super terram?* Cui rursum Dominus: *Ostendam tibi omne bonum*, ostendam tibi faciem meam: veruntamen non hac vita, quia *non videbit me homo, & viuet*. Futuri temporis est, quod petis, non præsentis. Nunc instruuntur sponsalia, parantur impensæ, instituitur ornatui, paratur amplexui, sed in futurum reseruatur mutuæ fruitionis desideratissimus complexus. Ad quod illa: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*. Peto Domine, vt verbum tuum fiat sicut *sacrificium vespertinum*. Et ego requiescens in spe, veluti catellus Dominimei, sub mensa perseuerabo patiens & sustinens, vt saltem *de micis* eius vtcunque sustentari valeam, cum sponsa dicente: *Sub vmbra illius quem* desiderabam *sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*. Et iterum: *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis*, id est, quia amorosum susurrium tuum, & spes secura, quibus me pascere, & consolari digneris, mihi *meliora sunt*, & dulciora, imaginatiua cognitione, magisque saporosa, & *fragrantia*, super oblectationem omnis intellectualis imaginationis. Ideo cæteris reiectis *vbera* tuæ fidelitatis & consolationis, velut fructus huius vmbræ requirere non desinam, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Veruntamen dilectus meus interim saltem *osculetur me osculo oris sui*, quoniam in tenebris conuenienter osculari potest, licèt videri non ita. Tunc Pater misericordiarum, *qui* tribuit *omnibus* abundanter, *& non improperat*, dulciter se inclinat, vt osculum conferat, id est, immediatam suam ignotam præsentiam ad amandum proflua prodigalitate funditus exponit. Ac anima illicò suspensis susurrijs, & desiderijs vniuersis, os suum, nudam, scilicet, & simplicem suam præsentiam in Deum proclinat amorosa quadam profundatione suijpsius. Ibique se inuicem osculantur Deus & anima, quoniam ipsa sine medio Deo coniungitur in vnitatem amoris, & feliciter deificatur secundùm diuinitatis totalitatem, prout videbitur in capite sequenti.

Psalm. 35. Psalm. 83. Psalm. 44. Lucæ 15. Exod. 33. Psalm. 72. Exod. 33. Lucæ 1. Psalm. 140. Matth. 15. Cantic. 2. Cantic. 4. Cantic. 4. Iacob. 1.

De felicissima deificatione animæ amorosæ. Cap. XXIIII.

ETIa nunc prosequamur de felicissimo contubernio diuino, quo felix anima gratiosissimum & nobilissimum susurrium Deo ingerit, dicens: *Osculetur me osculo oris sui:* quodque post anhelosa desideria per nudam & simplicem mentis otiositatem amoroso immergio in dilectum se proclinans, tandem consequitur, vbi felici cõplexu se inuicem osculantur, quoniam immediatè Deo per amoris vnionem coniungitur, & quodammodo deificatur. Dicit enim Bernardus super eodem verbo: Ego arbitror neminem facilè scire, quid sit osculum, nisi qui accipit. Est quippe manna absconditum, & solus qui edit, adhuc esurit; & solus qui bibit, adhuc sitiet. Non est cuiuslibet hominis, sed si quis semel ab ore Christi susceperit, habet proprium experimentum, quod profectò solicitat & cogit amplius adpetendum. Hoc osculum sola & rarò perfectio experitur. Oportet enim huiusmodi amare castè, vt ipsum sponsum solum, & non alium amet petat, vel quærat: amare sanctè, quia non in concupiscentia carnis, sed in puritate spiritus: amare ardenter, vt ita amore sponsi inebrietur, quod maiestatem non cogitet. Hoc osculum nihil aliud esse credimus, nisi Spiritum sanctum, ad consolationem animæ sanctę missum. Sicut enim osculantium spiramen se permiscet, vt vnus anhelitus iudicetur, sic Spiritus sanctus nostro spiritui dulciter immissus, fit vnus spiritus cum eo: quæ scilicet vnio deificationem animæ feliciter accelerat. Quæ nimirum deificatio super omnem rationem & intellectum experientia felicissima sentitur impleta, vbi nec ratio valet attingere, licèt illuminata ratio ea, quæ sentit amor, semper intelligere conetur. In aliquibus etiam ratio veritatem inuenit, in quibusdam verò falsitatis errorem incurrit, quia ratio præsertim in his, quæ supereminent, facilè deuiare potest. Qui autem ad hoc à Deo plenius illuminantur, sine falsitatis errore veritatem adipiscuntur.

Bernardus. Osculum mysticum. quod.

Ad sciendum igitur quomodo felix anima deificari potest, Primò notandum est, quòd anima nostra duplex esse habet, scilicet esse essentiale, & esse actuale. Porrò secundùm esse suum essentiale, est quædam simplicissima spiritualis substantia, nihil in ea plus comprehendendo, quàm scilicet essentialitatem in æternum immutabiliter retinebit. Licèt enim omnipotentia diuina protinus ipsam animam, si vellet, in nihilum redigeret, vel in aliam creaturam commutaret, veluti substantiam panis & vini in corpus suum, & sanguinem solo

Essentiale esse animę quod.

verbo

verbo supereffluentissima largitate conuertit, minimè tamẽ eius substantiã in suam propriã naturã immutare valeret; Hoc enim esset aliũ à se constituere Deũ, quod est impossibile. Secũdum autem esse ipsius animæ, dicitur esse actuale, quod in operibus perfectiõis, vel etiã in operositate perfecta viriũ suarũ initium sumit. Hoc autẽ esse est quędam adornatio & perfectio essentiæ ipsius animæ. Non enim anima nostra à Deo facta est, vt velut truncus insensibilis otiosa quædã substãtia sine omni operatiõe permaneat, sed vt opera viuida perficiat. Et in hoc esse actuali magis propriè vera nobilitas animæ consistit, quàm in esse suo essentiali: quia propriè secundùm esse suum actuale, facta est *ad imaginem & similitudinem* Sanctissimæ Trinitatis: & secundùm illud esse saluari potest, vel damnari. Vnde dicit Apostolus: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem nõ habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiã, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam: charitatem autem non habuero,* nihil sum. Et Iohãnes: *Qui non amat, manet in morte.* Quasi diceret: Anima, quæ non est secundùm esse suum actuale, nihil est, & veluti mortua, quæ corpori nudũ esse tantummodò tribuit, sine omni motũ bonorum operum. Et ideò meritò secundùm esse suum actuale, cuncti beati spiritus velut à digniori nomina sua sortiti sunt, vnusquisque secundùm propriam actualitatem. Cuius etiam causa potissima liquidò clarer ex eò, quòd esse nostrum essentiale tantùm, sine actuali esse, nec cognoscitur, nec diligit, in quibus tota nostra beatitudo consistit: hoc enim est exercitium omnium spirituum beatorum.

Actuale esse animæ quod.

1. Cor. 13.

1. Iohan. 3.

Præterea diligentius intuendum est, quòd sicut in anima quædam consistit essentialis viuacitas, secundùm esse essentiale naturæ, sic etiam in anima quædam essentialis sanitas reperitur secundùm essentiale esse gratiæ, & quædam essentialis beatitudo, secundùm esse essentiale gloriæ. Nunc autem sicut riuulus originem suam & naturam ab ipso fonte recipit, nec altius ascendere prævalet, quam primaria fontis illius scaturigo consistit: sic etiam actuale esse ipsius animæ naturam suam & originem trahit ex ipso essentiali esse, tam in natura, quàm in gratia & gloria. Nec altius ipsum esse actuale conscendere potest in his tribus statibus & differentijs, quàm ipsum esse essentiale prius eleuatum fuerit in natura, gratia, & gloria. Nam esse actuale ipsius animæ in nuda natura sublimiora opera perficere non po-

Beatitudo essentialis animæ quæ.

test, quàm ipsi naturæ conueniant; nec etiam in gratia & gloria, quam tali gratiæ vel gloriæ congruat. Hinc ergo, sicut esse actuale animæ in natura quãdam essentialem viuacitatem præuiam habet in ipso esse essentiali animæ vnde sumpsit originem, sic etiam ipsa sanctitas actualis, qua scilicet esse actuale ipsius animæ formatur, & eleuatur, ad statum quendam supernaturalem, quandam essentialẽ sanctitatem præuiam habet, qua scilicet esse essentiale animæ formatur, & eleuatur, ad quoddam supernaturale esse essentiale per habitum diuinæ gratiæ. Et ideo Doctores communiter sentiunt, quòd ipsa essentia animæ influxum gratiæ recipit, diuidens singulis viribus eius, prout cuique opus est. In se nihilominus formans habitum virtutum ad perficiendum opera virtuosa, secundùm exigentiam & naturam ipsius gratiæ. Sic etiã in gloria actualis beatitudo ipsius animæ, qua scilicet esse actuale ipsius animæ formatur & eleuatur ad quendam beatificum glorioſum statum, præuiam habet quandam essentialem glorioſam beatitudinem, qua scilicet ipsum esse essentiale animæ formatur, & eleuatur ad quoddã esse essentiale beatificũ & glorioſum per habitũ & lumen ipsius gloriæ, ipsi essentiæ animæ primitus infusum. Ex qua protinus defluit in omnes vires animæ & corporis ad opera glorioſa perficienda, eas habilitans secundùm vniuscuiusque modum, naturam, & capacitatem. Sic vires animæ nostræ, præsertim superiores, scilicet virtus intellectiua & amatiua, formantur & ornãtur habitibus glorioſis, ad perficiendum, continuandumq; tria opera glorioſa, quæ dicũtur tres dotes animæ, in quibus nostra summa beatitudo consistit. Nã virtus intellectiua glorioſo quodam lumine formatur & habilitatur, ad intuitum quendam glorioſum, quo Deum in sua nuda glorioſa essentia videre valeat. Virtus autẽ amatiua quodã amore glorioſo formatur & habilitatur ad opera duo glorioſa perficienda. Quorum primum est quidam amor excessiuus, in illud amoroſum, beatificum, & glorioſum obiectum superexcellentissimæ Trinitatis: quod obiectum virtus intellectiua perpetuò sine intermissione luce clarius ostẽdit. Secundum est, quædam beatifica glorioſa fruitio eiusdem amoroſi obiecti, quæ feliciter confouetur in quadam æterna beatifica vnione ipsius Dei & animæ, dilecti & dilectæ, sponsi & sponsæ, secundùm meritum & capacitatem vniuscuiusque animæ beatificandæ.

Animæ glorioſæ dotes tres quæ.

Intuitio.

Amor.

Fruitio.

Deificatio animæ.

Veruntamen ad admirabilem ipsius animæ deificationem euidentius ostendendam, nunc incœpta prosequamur, quomodo scilicet

anima

anima dicatur deificata secundùm illud Prophetę: *Ego dixi: Dij estis, & filij excelsi omnes.* Psal. 81.

Sciendū ergo, quòd illud esse actuale ipsius animæ, quod originatur in viribus eius, in seipso imperfectum est, vtpote nōdum formatum, sicut vires in animæ substantia plantatæ consistunt, quoniam à seipsis nullam operationem habere noscuntur, eò quòd in seipsis materiales sunt, sed formales cum suis obiectis. Quædam autem earum cum medio, sicut vires imaginibus & similitudinib⁹ vtentes, vtpote visus, phantasia, memoria, ratio, intellectus: quædam verò sine medio, sicut auditus, odoratus, gustus, tactus, & interior affectio, tam superior, quàm inferior, quæ vires cum suis obiectis sine medio formantur: quoniam auris immediatè percipit in se sonum auditū, sic virtus olfactiua suscipit odorem, similiter gustus & tactus. Sed virtus affectiua, quia semper interius remanet, & obiectum suum (vt in pluribus) exterius permanet, ideo cum suo obiecto sine medio formari non potest, cum creaturæ, quæ foris obsistunt, ad eam intrare nequeant: nec ipsa ad illas exire. Et ideo quando obiectum illius eidem præsens non est, mox seipsam transfert in obiectum, sicut in sua memoria vel phantasia formatum fuerit, * sicq; cum obiecto suo formatur per medium imaginis illius. Si autem obiectum suum exterius præsens fuerit, protinus imaginem illam interiorem deserit, & se cum cæteris viribus transfert in obiectum suum principaliter vel præsentialiter assistens, sine medio suæ formæ seipsam vniens ei quantum potest. Quæ nimirum formatio virtutis affectiuæ inter hæc duo, scilicet affectum & obiectum tantam causat vnionem, quòd sicut anima & corpus in homine velut materia & forma simul vnita, vnum hominem constituunt: sic etiam affectiua virtus & obiectum vnum fiunt, quasi materia & forma, secundùm capacitatem & naturam ipsius materiæ, id est, virtutis affectiuæ. Quoniam vnaquæque virtus formatur secundùm propriam capacitatem & actualitatem, ad quā creata dinoscitur. Et hanc actualitatem mediante forma deducit ad actū, quia sine huiusmodi formatione nulla virtus operari potest. Porrò si virtus aliqua, semper obiecto aliquo formata persisteret iuxta formā suam vel obiectum, congruè satis sese nominare posset & dicere, secundùm formalitatē meā sum hoc vel illud, eò quòd à digniori debet fieri denominatio. Cuius ratio est, quia tunc imprætermisse necessitaretur agere secundùm exigentiam suæ formæ, nec quicquam aliud operari valeret. Vt verbi gratia, si corporalis oculus aliqua fuerit ima-

* Aliās illicque

Virtus affectiua animę quomodo formetur.

gine cuiuſpiã creaturæ inſignitus iugiter & formatus, ita quòd imago illa ſpeculum ipſius oculi ſecundùm ſui totalitatem occuparet, oculus non abſurdè diceret: Secundùm meam formalitatem ſum illa creatura, cuius formam indui: in qua quamdiu perſeuerauero, nullam aliam creaturam videre potero. Denique quicquid ſibi quælibet virtus ſpecialiter appropriat, conuenienter anima ſecundùm eſſe ſuum actuale appropriare poteſt. Ex his vtcunque admirabilem illam deificationem & immediatiſsimam vnionem oſtendere poterimus, quam anima feliciſsima cum Deo poſsidet per amorem, qui cauſat illud dulcifluum oris oſculum, de quo nunc loquimur. Nunc ergo diligentius intendite. Licèt cum eſſentia ſua Deus intimior ſit & præſentior animæ noſtræ, q̃ ipſa ſit ſibi, ſicut ſubſiſtentia quædam eſt omniũ creaturarum: hæc tamen diuina præſentia ſecundùm eſſe duntaxat eſſentiale ipſius animæ eſſe dinoſcitur, nec ſanctum faciens, nec beatum eſſe eius actuale: quia non eſt obiectiua præſentia, quæ ſola eſſe actuale animæ formare ſolet. Cùm igitur intellectiua virtus animæ Deũ agnoſcit in formis & ſimilitudinibus, amatiua virtus ſe protinus tranſfert in Deum, ſicut illum in *imaginatiua virtute reperit imaginatũ, ſtatimq; cum eadem imagine virtus amatiua formatur, in ea Deum diligens & amplectens ſecundùm exigentiam illius imaginis, ſiue fuerit imago maieſtatis, bonitatis, pietatis, charitatis, ſiue ſapiẽtiæ, aut diuinæ eſſentiæ: nihilominus tamen ſimplicem & rectam eius intentionem per omnes imagines & ſimilitudines, nudè ſine medio tranſfert in Deum. Cùm autem per virtutem amatiuam anima ſuper omnem imaginem & ſimilitudinem in illam caliginoſam nihileitatem ſuæ cogitationis aſcenderit (vt dictum eſt) ibi Deus eidem obiectiuè ſine medio præſens eſt, ſecundùm totalitatem diuinitatis ſuæ.

Anima q̃nã ſibi appropriare poſſit.

* Aliàs intellectiua.

Cæterùm, quia vnaquæque virtus ſimplicem animæ ſubſtantiam penitus complectitur, velut ſuam propriam ſubſiſtentiam, anima verò totum eſſe ſuum actuale in viribus ſuis, quibus operatur, habet, & poſsidet, ideo anima per vires ſuas, non ſecundùm eſſe ſine eſſentia animæ conſideratas, ſine qua ſubſiſtere non poſſunt, DEO per amorem immediatè coniungitur, & vnitur, ſecundùm eſſe ſuum actuale, quod in amatiua virtute poſsidet, & cum eo plenariè formatur, ſecundùm diuinitatis totalitatem, ſicut materia cum ſua forma, iuxta capacitatem & naturam virtutis eius amatiuę, ſicut Deus & anima ſpiritus vnus efficiũtur, ſecundùm eſſe actuale virtutis amatiuæ, ſicut corpus &

Anima vt fiat vn* ſpiritus cum Deo ſuo.

corpus & anima vnum hominem constituunt. Hoc autem vnum esse Dei & animæ spiritus vnus propriè vocatur: quia Deus spiritus vnus est, & anima spiritus vnus est, qui duo mirabilibus formulis simul vniuntur. Nam hæc vnio fit per operationem amoris, cuius operari est, in dilectum spirare.

Præterea notandum, quòd iste vnus spiritus secundùm formã suam Deus est, secundùm materiã autem est ipsa anima. Cùm igitur forma, secundùm quod forma, semper nobilior est in esse illo, in quo est forma, quàm ipsa materia: materia verò in esse illo, in quo est materia, suã perfectionem recipit à sua forma, ac opera vniuersa secundùm exigẽtiam formæ perficiuntur: ideo congruè satis vnum illud, quod ex duobus adunatum est, secundùm eius formalitatem nominauimus, cùm à digniori debet fieri denominatio, sicut (verbi gratia) ferrum candẽs & ignitum ignem vocamus. Vnde etiã à simili spiritus iste Deus denominari potest, quia secundùm formam suam Deus est, ideo talis anima dicere potest: Ego sum Deus, nõ secundùm esse essentiale meæ substantiæ, quæ scilicet immutabilis permanet, sed secundùm formalitatẽ esse actualis, quã in amatiua virtute possideo. Eia quanta dignitas amorosę animæ, de qua subtiliter Apostolus loquitur, dicens: *Qui adhæret* Deo, *vnus spiritus est*. Nam adhęsio discernit duplicitatem substantiæ in Deo & anima, quia propriè sibijpsi nullus adhęrere dicitur, & vnitas illa spiritus fit per superinformationem animę in ipsa virtute amatiua, vt dictum est. Deniq; licèt anima in statu viæ cum Deo sine medio formatur, solummodò secundùm amatiuam virtutem, in statu tamen gloriæ formabitur, etiam sine medio secundùm virtutem eius intellectiuam cum illius essentiæ diuinæ glorioſissima forma, sicut etiam in hac valle miseriæ largitate diuina nonnullis vmbraticè conceditur experiri, in lumine Deiformi Deum cernentibus: & tunc ipsa secundùm esse suũ actuale ipsius intellectiuæ naturæ perpetuè deificabitur. Nam per vires superiores sic deificatas formabuntur, & glorificabuntur à Deo, immediatè tamen, vires omnes sensuales, tam exteriores, quàm interiores, totaque congeries nostri corporis. Et sic iuxta sententiam Apostolicam, erit Deus *omnia in omnibus* nobis. 1 Cor 6. Coloss 3.

De septem signis veræ electionis. Cap. XXV.

IN superioribus progressum viatoris celeri cursu perstringẽtes, tam in vita morali, & actiua: quàm in vita spirituali, & contemplatiua, meritò verba thematis frequentauimus, cùm tota salus viatoris

sit in profectu amoris, quo sibi moriens, Deo viuat: cuncta deserens, Deo approximet: cætera detestans, Deo inhæreat, amplexetur, & teneat. Veruntamen, *beatus quem* ad hoc *elegisti* Domine. Licet enim *multi vocati* esse videantur ad fidem, & Christianitatem; ad innocentiam, vel pœnitentiam; ad castimoniam, & solitudinem, & religionem; sed *pauci sunt electi* ad perfectam sui mortificationem, & conscientiæ tranquillam assecurationem. *Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* Non est qui percipiat donum hoc, *non est vsque ad vnum: vnam* scilicet petens *à Domino*, & *hanc* requirens. Quoniam aliter nemo scit, *an odio*, vel *amore dignus sit*. *Tu* autem *Domine, qui nosti corda omnium, ostende quem elegeris ex his, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt:* scis enim solus *quos* elegeris. Interim tamen & nos fratres signa quędam diuinę electionis, & futurę prędestinationis prænotare curabimus, quasi vincula quędam insolubili nexu Deo nos colligantia: ne, quod absit, patiamur recidiuum, aut lethale diuortium, quibus profectò Deus animæ vires efficaciter attrahens, & ineffabiliter sibi conglutinans, felici quadam stabilitate confirmat: non tamen separabilitatis possibilitatem auferens, sed difficultatem quandam efficiens. Quod denotans in Canticis, ex electis vna, dicit: Exui *me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

Pſalm. 64. Matth. 20. Rom. 11. Iſaiæ 40. Pſalm. 52. Pſalm. 26. Eccleſ. 9. Actor. 1. Apocal. 19. Ioan. 13. Cantic. 5.

Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd sicut septem sunt animæ vires magis principales, sic etiam septem assignanda sunt signa, quibus hæ vires à Deo viuaciter attrahuntur, dulciter vniuntur, & quodammodo inseparabiliter colligantur. Prima vis animæ dicitur concupiscibilis, quæ tunc à Deo perfectè trahitur, vnitur, & colligatur, cùm plenariam sentit omnium mundanorum auersionem, & desipientiam: quibus nimirum impellitur ad affectum solitudinis, & fugam societatis, sicut oranti Arsenio responsum erat: Fuge mundum, & saluaberis. Vnde Dominus ait per Osee: *Lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius.* Vbi dicit Albertus Magnus, libro de veris virtutibus, quòd locutio eius ad cor, est de arduis gratis menti securitatem præstare. Nec tamen in solo tractu solitudinis confidendum est, nisi pœnitentiæ feruor, & emendationis, ad se mortificandum in omnibus concomitetur: & sic tandem eorum vsu, dulcorem quendam spiritualem feliciter experiatur, omnem austeritatem suo vigore delectabilem efficientem: quia *qui Christi sunt, carnem suam*

Cõcupiſcibilis vis, vt trahatur à Deo. Oſee 2. Galat. 5.

crucifi-

crucifixerũt cũ vitijs & cõcupiſcentijs. Ex quib⁹ finaliter inſolubile vinculũ exoritur, vim ipſam cõcupiſcibilẽ tam efficaciter illaqueãs & Deo colligãs, quo quis, licèt diuina cõſolatione, & interna deuotione priuetur, in infimis tamen conſolationẽ, vel minimã, quæ Deum non ſapit, nequaquã admittere prævalet, ingeminãs illud Dauidicũ: *Renuit cõſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum.* Et illud Apoſtoli: *Mihi mũdus crucifixus eſt, & ego mundo:* id eſt, quæ mundus diligit, quaſi tormenta ſentio; & quæ cõplector, mundus crucẽ reputat. Et hoc eſt primum ſignum veræ electionis, quo Iohannẽ Euangeliſtã nubere volẽtem ad effectum ſpiritualẽ retraxit Deus, vt Chriſtum imitans, reſpueret lene cõiugis pectus, vnde poſtmodum ab eodẽ inuitans, Odor, inquit, tuus concupiſcentias in me ſuſcitat æternas. Quam electionem Chriſtus innuens, ait: *Sic eum volo manere, donec veniam*: ſcilicet in integritate carnis, dulcedine ſpiritus, & contemplatione mentis.

Signum diuinæ electionis I.

Pſal. 76.

Galat. 6.

Electio Ioannis Euangeliſtæ.

Iohan. 21.

Secunda vis animæ dicitur rationalis, quæ tunc à Deo perfectè trahitur, vnitur, & colligatur, cùm perfectiſſimum illud exemplar humanitatis Chriſti ſemper amplectens, quantum ad omnia virtutum exercitia, in eandem imaginem ſe transformare laborat, vt ſic omnimoda cõformitate perfectam in ſe Chriſti ſimilitudinem gerat: præſertim cùm aſpirat ad amplexũ illius abyſſalis humilitatis, de qua Ieſus peculiare mandatũ dedit, dicẽs: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Mitis*, inquam, quantum ad exteriorẽ exhibitionẽ: *humilis* verò *corde*, quantum ad interiorem diſpoſitionẽ. Per cuius vigoroſam imitationem, eouſq; interdũ perducitur, quòd veritate cognitionis ſub omni creatura ſe deſpiciendo deijcitur, & exteriori humiliationi, prout illius ſtatui congruit, innititur, affectuq; vilitatis ab omnibus deſpici gloriatur. Et exinde vinculo quodã humilitatis perfectiſſimè colligatur, quo nunquam ſibijpſi de virtutibus aut meritis nouit adſcribere, nunquam honore quocunque ſibi oblato penitus inſolescere. Et hoc eſt ſecundùm ſignum veræ electionis: quia Antonius videns mundum laqueis plenum, quæſiuit à Domino, dicens: Quis illos euaderet: & reſponſum eſt ei, ſola humilitas.

Rationalis vis animæ vt trahatur à Deo.

Matth. 11.

Electionis diuinæ ſignum II.

Tertia vis animæ dicitur iraſcibilis, quæ tunc à DEO perfectè trahitur, vnitur, & colligatur, cum dulcoroſa quadam, & tranquilla patientia, propter amorem, & honorem dilecti cuncta ſuſcipit aduerſa, gaudens, & exultans: quia dignus habitus eſt *pro nomine IESV contumeliam*, & tribulationem *pati*, illud Tobiæ prudenter attendens:

Act. 5.

Tob. 12. *Quia acceptus eras Deo, necesse* erat, *vt tentatio probaret te.* Tribus ergo modis occultos filios probare Deus assolet. Primò per seipsum, vniuersam scilicet gratiam refrigerantem subtrahendo, ita quòd remanent obnubilati, desolati, & aridi, quasi penitus à Deo derelicti, & reprobati, tanquam *vulnerati dormientes in sepulchris*, de quibus Ecclesia concinit, dicens: Sicut *aurum in fornace* probauit electos Dominus, & *quasi holocausti hostiam accepit* eos in æternum. Vnde cùm de Paulo Dominus præmisisset, dicen: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus* terræ, statim subiunxit: Et *ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Et si in huiusmodi probati fideles inuenti fuerint, secundò eos probare solet plerumque per suos tortores, id est, dæmones, scilicet non solùm subtrahendo diuinum influxum, sed etiam diuersis tentationibus expositis denegando ferè cunctum diuinæ protectionis auxilium. Sicut enim Iob corporaliter à Deo traditus fuerat ad flagellandum, tam in totalitate rerum, quàm membrorum, vt tantùm anima illius, id est, vita salua seruaretur: sic isti spiritualiter infinitis tentationibus, etiam inhumanis, & reprobis obstinantia, & blasphemia plenis lethaliter exponuntur, vt non videatur in eis remanere sanitas, nisi duntaxat in superiori parte syntheresis. Cùm enim occultissimos filios suos Deus, nullis aduersitatibus, nullisque tribulationibus, & desolationibus contristare potest, vtpote ad omnia perferenda paratissimos, nisi duntaxat in his, quæ quandam obdurationem, & inuidentiam contra Deum eis ingerere videntur, hinc est, quòd eisdem impugnationibus illos occultissimo suo iudicio probare frequenter experitur, quibus nimirum in tantum sedulè cruciantur, quòd beatus Augustin. & Bernardus, illorum pressuram infernali pœnalitati non inconuenienter assimilant. Tertiò denique dolorem dolori Deus superaddens, illos tandem actualiter finit persequi, despici, derideri, ac velut insanos, & obsessos reputari, etiam ab his, qui seculari honestate, probitate, scientia, & sanctitate præditi videantur. Qui profectò potissima talibus offendicula desolationis obijciunt instinctu diabolico, licèt ipsis ignorantibus, prouocati. Sicut enim sanctus Iob à tribus amicis, qui venerant ad consolandum eum, scilicet instigante Satana, statim impetebatur iniustis correptionibus, falsis derisionibus, & nephandis detestationibus, ita quòd (ipsis penè non aduertentibus) eorum charitatiua visitatio verteretur in feralem desolationem, & domesticam impugnationem:

Tribulationem electorū Dei fieri tristatiam.

Psalm. 87.

Sapient. 3.

Actor. 9.

Iob 2. & 3.

Iob 3. & 4.

nem: sic isti talium desolatorum anxietates, & gestus singulares, peruersè quidem interpretantes, deridentes, & exprobrant, infamant, detrahunt: & illud præsumptuosè persequi non desinunt, quod veluti ignotum magis excusare, vel admirari, aut potius venerari debuerant, eò quòd vniuersa dubiosa, & ignota semper sunt ad partem meliorem interpretanda. Et ex his occulti Dei filij per omnia depurati, tandem ad hoc indissolubile vinculum felicis mortificationis attingunt, quod semper omnem desolationem, & nullam consolationem affectant, exemplo Christi dicentis illud Psalmistæ: *Improperium expectauit cor meum, & miseriam.* Et hoc est tertium signum veræ electionis, quo beatissimus Pater noster Franciscus arrham æternæ felicitatis promeruit, cùm post nimium dolorem oculorum, & capitis per dies quinquaginta, incredibilem quoque murium infestationem lætissimè perpessam à Domino tandem audiuit: Gaude nunc Francisce, quia ad infinitum thesaurum æternæ vitæ tibi repositum, perfruendum ex nunc te inuestio. Præsens autem afflictio, & infirmitas tibi data est pro arrha thesauri illius. Psalm. 68. Electionis diuinæ signum III.

Quarta vis animæ dicitur libertas arbitrij, quæ tunc à Deo perfectè trahitur, vnitur, & colligatur, cùm quis omni proprietati, & propriæ optioni mori desiderat, vt sic voluntas eius in diuinum beneplacitum liquefacta penitus absorbeatur. Et hæc est potissima libertas creaturę rationalis, diuina scilicet potiri voluntate: quia nimirum ab omni timore funditus absoluitur, & in quadam ineffabili securitate constituitur, Deo non seruiens amore præmij, vel timore supplicij, sed amore dilecti: quoniam omnis amor commodi, vel timor incommodi ab eo sublatus est. Sicque tandem ad hoc vinculum pertingit vnicordij, quòd si dilecto placuerit, etiam ipsam totalitatem infernalis pœnalitatis sine retractione cordis ob amorem eius libens sustineret, incessanter illud Dauidicum repetens: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*, scilicet tam ad aduersa, quàm ad prospera. Et hoc est quartum signum veræ electionis, quo scilicet Abraham liberalissimè filium offerens, amicus Dei meruit appellari, & audire Dominum dicentem: *Quia fecisti hanc rem*, benedicens *benedicam* te, *& multiplicabo* semen tuum *sicut* stellas cæli. Libertas arbitrij vt trahatur à Deo. Psalm. 56. & 107. Electionis diuinæ signũ IIII. Genes. 22.

Quinta vis animæ, quæ & parti superiori conuenienter adscribitur, dicitur virtus amatiua superior: quæ tunc à Deo perfectè trahitur, vnitur, & colligatur, cùm per flammeam charitatem in sua perfectio- Vis amatiua animæ vt trahatur à Deo.

ne constituitur, ita quòd nihil etiam in proximo diligat, nisi virtutes: nihil odiat, nisi peccatum: & hoc sine omni differentia personarum, vt non sit quis tam intimus sibi, in quo vitium palpet, vel diligat, aut eius familiaritatem exquirat, nisi in quantum profectus suus, vel illius requirat: nec tam aduersarius, in quo aut naturam, aut virtutes odiat, vel saltem ad eius salutem intepescat. Et hoc solum propter diuinum honorem & amorem, & proximorum salutem. Matth. 5. Lucæ 6. *Diligite*, inquit, *inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filijs* Altissimi. Et iterum: *Vt sitis filij Patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*. Ex quo vinculum indissolubilis effluit charitatis, quod eodem vultu & affectu dilectionis amicos & inimicos, notos & extraneos, benefactores & persecutores amplectitur. Quod quidem ab amore diuino purissimo pariter & intentissimo defluit, quem eadem hilaritate & affectuositate suscipit, vel in omnibus consolantem, aut in omnibus desolantem, quærens in singulis dilecti sui gratissimum beneplacitum. Et hoc est quintum signum electionis, quo felix illa Magdalena electa dinoscitur, dicente Domino: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Et subdit: *Fides tua te saluam fecit, vade in pace.* Vnde postmodum acta feruore dilectionis, omnem humanam conuersationem abhorruit, & in solitudinem solis amplexibus confouenda diuinis, deuota perrexit.

Electionis diuinæ signum V. Lucæ 7.

Intellectus animæ vt trahatur à Deo.

Sexta vis animæ dicitur intellectiua, quæ tunc à Deo perfectè trahitur, vnitur, & colligatur, cùm eliminatis cunctis occupationibus, ac mentalibus discursibus, ad indaganda spiritualia & cælestia, mens ipsa continuis exercitijs, non quidem ex curiositate, vel propria oblectatione, sed ex spirituali feruore laborat, & ad inuestiganda occulta Dei consilia, vt illa perficiat: ad cognoscendum quoque secretissimas dæmonum insidias, & subtilissimas naturarum abductiones, vt illas reijciat. Ex quibus tandem peruenire mereatur, vt cum Apostolo conuersans *in cælis*, iam inferioribus in obliuionem traditis, peregrinas impressiones admittere nesciat, nisi quantum animarum salus exquirat, factus felicissimus ambidexter & speculum bifaciatum, in quo scilicet introuersionis & extrouersionis æqua promptitudo reluceat, vt patet plenius in tertiadecima industria. Et hoc est sextum signum electionis, quo Dauid, secundùm cor Dei electus, erat eleganter insignitus, quia solius Spiritus sancti instinctu, sine omni exteriori admini-

Philip. 3.

Electionis diuinæ signum VI.

miniculo, suam edidit prophetiam, & tam apertè, quòd plus euangelizare videretur, quàm prophetare.

Septima vis animæ dicitur memoratiua, vel nuda cogitatio, nos educens ad contemplationem supereminentem, prout videbitur inferius: quam qui veraciter adeptus fuerit, signum quoddam æternę prędestinationis, & munus æternæ fruitionis præguſtauit. Quo scilicet Paulus electus, & ad supereminentem visionem admissus, inducialiter ait: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Memoria animæ vt trahatur à Deo. Electionis diuinæ signũ VIII. Rom. 8.

D. HENRICI HARPHII THEOLOGIAE MYSTICAE, LIBRI III.

PARS QVARTA.

De congrua præparatione vitæ contemplatiuæ & supereſſentialis. *Cap. XXVI.*

AMICE ascende superius. Lucæ 14. Eia nunc viscerosis affectibus processum vitæ contemplatiuæ supereſſentialis prosequamur: in qua nimirum ipsius viatoris suprema fruitio & communicatio diuinæ largitatis consistit. Vnde dicit Psalmista: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum.* Psalm. 83. Statim enim subiungit: *Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.* Sicut enim Angelorum agminibus nos inserendos & assimilandos manifesta tradit auctoritas, sic etiam secundùm quod hic profecerimus veris virtutibus, ita illic iuxta mensuram perfectionis iungemur cælicis spiritibus, & hîc quoque plerumque subleuamur diuinis illuminationibus. Et quia contemplatio supereſſentialis diuinarum illuminationum arcem obtinet, ideo multos virtutum gradus & propriæ mortificationis ascensus peragere nos oportet, vt sic debitam præparationem, præuiam ad illam eminentissimam illuminationem percipiendam, nostra peregrinatio compleat. Licèt enim quibusdam necdum debitam per-

fectionem attingentibus hanc feliciſsimam illuminationem diuina largitas indulgere dinoſcitur, quibuſdam etiam ad tramitem vitæ perfectioris primitus aſpirantibus, aut etiam in initio ſuæ conuerſionis, ſicut Apoſtolo Paulo, *ad tertium cælum* rapto, conceſſum eſt benignitate largitoris, huiuſmodi tamen (vt frequenter) poſt adeptam tantam diuinæ conſolationis celſitudinem poſtmodum iudicibilibus anguſtijs & tentationibus, etiam execrandis & preſſuris ſpiritualibus vel corporalibus probare crebrius & examinare Deus aſſolet, ſicut examinatur argentum, prout oculata fide in pleriſque conſpexi, quorum mirabilem diuinæ clementiæ prælibatam gratiam agnoſcens, tantis preſſuris poſtmodum frequenter agitari vidi, quòd nec ore exprimi, nec inexpertis (vt puto) vera credulitas ingeri poſſet. Nam Auguſtinus, & Bernardus, illorum preſſuram infernali pœnalitati non inconuenienter aſsimilare conati ſunt, ſicut tactum eſt in capite præcedenti. In cuius etiam argumento de Paulo, in primordio conuerſionis tam feliciter rapto, eodem tempore Dominus ait: *Ego oſtendam illi, quanta oporteat eum pati pro nomine meo.* Quoſdam verò alios, hanc præparationem præuiam humano iudicio viuaciter adeptos, & hanc felicem raptus excellentiam conſecutos reperi: & tamen à Domino poſtmodum penè iugiter indicibilibus & multifarijs amoris & dulcedinis viſitationibus circumplexos.

2. Cor. 12.

Act. 9.

Mortificationis propriæ gradus nouem.

Et hæc quidem præparatio præcipuè conſiſtit in puriſsimis affectibus propriæ mortificationis, quorum hic nouem gradus aſsignare curabimus, vnicuique propriam illuminationem annotando. Primus ergo gradus propriæ mortificationis, quo felix amator à regione diſsimilitudinis egrediens, ad diuinam ſimilitudinem ingredi nititur, ad videndum Deum *deorum in Sion*, eſt illorum, qui iam in timore Dei fundati, ſine mortali peccato viuunt. Nam ſicut diſsimilitudine à Deo recedimus, ſic ſimilitudine ad Deum accedimus. Quibus nimirum accedentibus conſulit Pſalmiſta, dicens: *Accedite ad eum, & illuminamini: & facies veſtra non confundentur.* Sed horum, proh dolor, puſillus eſt grex, quia pauci ſunt, reſpectiuè, quibus cælelli *Patri complacuit dare regnum*. Et horum illuminatio nubila eſt, quia vix mortalia plenè diſcernere & præcauere valent: cum quibus ait Pſalmiſta: *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduerſus eum*. Sufficit enim illis inimicorum manus euaſiſſe: quia in ſua illuminatione

1.

Pſalm. 83.

Mortalia peccata ſolùm vitãtes.

Pſalm. 33.

Lucæ 12.

Pſalm. 12.

frigi-

frigidi remanent & desides, naturæ commoda requirentes, & in multis sensualitatem confouentes, tantùm in hoc contenti, quòd mortalia cauere valeant. Quorum est vita periculosa, conscientia timida, conuersatio multis impugnationibus circundata, & saluatio dubia, quia Deo & naturæ pariter seruire difficillimum est, vt in mortale præcipitium facile relabantur. Vnde de eorum damnatione diabolus multum confidit eò quòd mundanis adhuc nimium implicati, & ad fauorem, laudem, honorem, proprium commodum, similiaque semper inclinati in omni conuersatione, quasi super oram infernalis abyssi gradiuntur. Quòd si vsque in finem in bono perseuerauerint, horribiles & diuturnas purgatorij pœnas exoluent: ex eò præsertim, quòd in omnibus affectum venialium rescindere minimè curauerunt, pro bonis nihilominus respectiuè præmia modica recepturi, vtpote peractis affectionibus & intentionibus imperfectis. *Si*, inquit Apostolus, cuiusquam *opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem*. 1. Corint. 3.

Secundus verò gradus est illorum, qui diuinas inspirationes subsequentes, à sæculi vanitatibus se diligenter abstrahunt, consilia bonorum requirunt, quorum conuersationi se participes efficiunt, illud Psalmistæ considerantes: *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris*. Et hi clariore luce merentur illustrari, qua scilicet incitantur, peccatorum occasiones subterfugere, Sermones & Ecclesias frequentare, Confessiones puras crebrò facere. Cum quibus ait Psalmista ad Dominum: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*. Hos tamen diabolus tentationibus aggrediens, in bonis operibus, & exercitijs arduis molles, & debiles reddit, ac somnolentos. Nam, quia criminalia, & manifestiora tantùm venialia deuitant, diaboli laqueos, vt oportet, in minoribus non aduertunt, qui dulciter eis ingerit de diuina bonitate confidentiam, & crassam promittit securitatem, eò quòd propter Deum seculum sibi contempsisse videntur, & similia: per quæ ducuntur in propriam complacentiam, & vanam gloriam tam subtilem, quàm necipsi deprehendere queunt. Vnde etiam efficiuntur, vt frequenter, scioli, quasi nullius egentes auxilio vel consilio, multisque modis in vitia spiritualia turpius plerumque relabuntur.

II. Inspirationes diuinas subsequentes. Psalm. 17. Psalm. 118. Laquei diaboli occulti.

Tertius autem gradus est illorum, qui magis elongati ab illecebris sæculi, iam ardua frequentant exercitia corporalia, cum Psal- III.

Psalm. 16. Exercitia corporalia frequentantes.

missa dicentes: *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.* Hæc enim faciunt, vt euitent infernum, alleuient purgatorium, & glorioſius intrent celeſte regnum, illud Pſalmiſtæ ſubſequentes: *Inclina mi cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Vnde merentur illam illuminationem percipere, quam

Psalm. 118. Ibidem.

Dauid precatur adipiſci, dicens: *Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, & doce me iuſtificationes tuas,* ſcilicet in exercitijs corporalibus. Veruntamen diabolus eos excæcatos detinet, ne ſpiritualium exercitiorum excellentiam agnoſcant, ſed ſummam meritorum & virtutum in exercitijs corporalibus conſtituant, in fame, & ſiti; in frigore, & nuditate; in ieiunijs, & vigilijs; orationibus vocalibus, & eiuſmodi: quomodo verò ſpiritualia debeant exercitia frequentare, propriæque mortificationi inſiſtere, ac omnium virtutum verum fundamentum ponere, penitus ignorant, quaſi virtutes opera reputantes, & pro dulci nucleo teſtam amaram maſticantes. Cæterùm, hi ſuis demeritis adhuc amicorum & cognatorum carnalium, vel ſpiritualium, naturalem viſcoſitatem velut licitam & debitam amplectuntur: qua ſcilicet ſolicitudine quadam ſuperflua ſuis innituntur, gaudentes *cum gaudentibus,* flentes *cum flentibus,* ita quòd pro ſingulis eorum infortunijs ferè ſolicitantur, ſicque ſemper remanent diuerſis inuoluti curis & perplexitatibus, ita quòd ad hominem interiorem peruenire non queunt, ſed infinitis affectibus immortificatis & impuris, ſecundùm occurrentium viciſſitudinem quatiuntur, *ergà plurima* turbati, cum tamen *vnum* eſſet *neceſſarium.*

Affectus amicorum inordinatus quàm ſit noxius.

Luc. 10.

IIII. Exercitia ſpiritualia frequentantes.

Quartus dehinc gradus eſt illorum, qui non ſolùm ardua frequentant exercitia corporalia & exteriora, ſed etiam ſpiritualia & interiora, mentalibus orationibus, doloroſis gemitibus, compaſſiuis affectibus, amoroſis deſiderijs, & ſimilibus dediti, ſecundùm temporis viciſſitudinem, & ſancti Spiritus inſpirationem, ad exprimendam vtique deuotionis dulcedinem, & experimentalem ſenſionem, quam in exercitijs ſuis præcipuè quæritant, potius oblectamenta propria, quàm purè diuina beneplacita cupientes. Et hi quidem in ſuo lumine gloriantes, & in ſuo dulcore quieſcentes, deſolatis, & ſub ſarcina penè deficientibus, quaſi deridentes, illud Pſalmiſtæ reſpondent: *Multi dicunt, Quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo.* Hinc etiam præſertim in ſua voluntate proprietarij remanent, à magis expertis nullam informationem

Psalm. 4. Proprietarij in ſua voluntate qui.

nem recipientes. Quòd si Deus (vt assolet) in suis aspirationibus abeis exigat omne quod sunt & possunt, cuncta plenis affectibus offerunt, & subire paupertatem, abiectionem, exilium, passionem, & mortem parati sunt. Confitebuntur autem *tibi* Domine *cùm benefeceris* illis: sed subtrahe parum per gratiam, adijce desolationem, suscita confusionem, ingere persecutionem, & videbis, quòd *in facie* benedixerint tibi, & *iniquitas* immortificatæ voluntatis mentietur *sibi*, quia legati adhuc amore priuato, & retracti instinctu diabolico, voluntatem, quam obtulisse videbantur, in fœcibus occultissimæ proprietatis, ipsis etiam non aduertentibus, tractu naturæ subtilissimo permanere sinunt, potius affectantes, quòd Dominus eorum voluntatem, quàm ipsi diuinam exequantur. Psalm. 48. Iob 1. Psalm. 26.

V. Voluntati propriæ renuntiantes imperfectè.

Quintus proinde gradus est illorum, qui in omnibus operibus, exercitijs, & conuersationibus propriæ voluntati in liberum Dei beneplacitum renuntiare studeant: sed quia nondum in his diu sunt exercitati, in hoc proposito, licèt inuiti, sæpe vacillant, quia talis affectus per exercitiorum frequentiam, nondum est radicatus, sicque spiritum inconstantiæ plerumque patiuntur: nunc omnem proprietatem abdicantes, nunc in hoc proposito velut dubij vacillantes. In quorum persona dicit Psalmista: *Et dixi, Forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis.* Quòd si funditus affectu quodam irreuocabili renuntiarent omni proprietati, aduersa quæque sicut prospera placida mente complectentes, & in humilitatis spiritu se diuinæ voluntati per omnia subijcientes, fructum copiosum suorum operum & exercitiorum prælibando mox perciperent; Deus enim illis semitas virtutum occultissimas, omnibus ferè ignotas reuelaret. Psalm. 138.

VI. Proprietatis omnis perfecta renuntiatio. Rom. 8. Psalm. 26. Consolationis internæ gula.

Sextus autem gradus illorum est, qui iam ex ingeminatis desiderijs & frequentatis exercitijs, omnem proprietatem Deo perfectè resignant cum plena perseuerandi constantia: quia profectò in ratione plenius illuminantur, ad agnoscendum, quòd bonis *omnia cooperantur in bonum*, dicentes cum Psalmista: *Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Veruntamen spiritualem consolationem nimis auidè quærunt, per quam scilicet omnem aliam aduersitatem facilè sustinere poterunt. Hanc enim solam velut ex proprietate quadam intentius à Deo desiderant, intentione tamen fruitionis illius necdum ad ple-

numquàm purificata. Quod ex eo cognoscere possunt, quia corde minimè quietantur, donec ad concupitam pro voto perueniant. Hanc enim orationem à Deo petere, seruatis debitis circunstantijs & intentionibus, licèt in se malùm non sit, velut tamen quoddam imperfectum à vera puritate propriæ resignationis desipit, quia defectum quendam occultissimum, & à paucis agnitum contrahit, in eo quòd secundùm omnifarium diuinum beneplacitum in se Deum sine retractione cordis tam in aduersis, quàm in prosperis operari non permittit. Quod tametsi dignum agnoscant, in hac tamen sui resignatione perficere non student, & ideo nec in alijs exercitijs, virtuosis operibus & virtutibus profectum percipiunt, eò quòd occultas naturales inclinationes, & subtiles inordinatas affectiones ad plenum nec discernunt, nec agnoscunt.

VII. Septimus porrò gradus est illorum; qui vtraque manu, scilicet aduersitatis & prosperitatis, vtuntur pro dextera, dicentes cum Psalmista: *Paratum cor meum Deus*, scilicet ad prospera: *paratum cor meum*, etiam ad aduersa. Felix Iob, qui probatus in vtroque dicebat: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Et hi quidem diuino beneplacito per omnia satisfacere cupiunt, tam in introuersione, quàm in extrouersione; tam in intentione, quàm in amore. Nam quocunque se vertunt, diuinam voluntatem exquirunt & sequuntur, sicut vmbra per omnia sequitur motum intermedij. Vnde cum sponsa dicere possunt: *Sub vmbra illius quem* desiderabam *sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Quia nimirum tales Deus multifariè donis suis & diuersis illuminationibus illustrat, nec eos nox ipsa præsentis aduersitatis obnubilat, vtpote perfectè fundatos supra nudum amorem in quo non solùm agere grandia, sed etiam pati ardua didicerunt. Quibus rectè dicit Propheta Dauid: *Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Hi nanque iam ordine debito supersplendentes illuminationes in intellectu à Deo percipiunt, quibus ditescit memoria, claresçit intelligentia, & inflammescit voluntas seu virtus amatiua. Sed quia (præsertim incautis) omnis abundantia periculosa est, his donis frequenter acceptis, occultissimis ignorantiæ tenebris obfuscati, partim abuntur, in illis donis pluspquam expedit, quiescentes, & propriam oblectationem diligentes, quod nec aduertunt, nec agnoscunt. Quamdiu ta-

Psalm. 107.

Iob 1. Aduersa & prospera æqualiter susciperc.

Cantic. 2.

Psalm. 138.

diu tamen oblectationem naturæ suæ in his diligunt, tamdiu ad arcem perfectionis pertingere non possunt. Sicque, dum abest, diuinã consolationem inordinatè non affectant; sed tamen dum adest, incautè degustant.

VIII. Resignatio sui integra.

Octauus autem gradus est illorum, qui nihil in electione sua relinquunt, sed Deo se funditus in sacrificium medullatum offerunt, quicquid de eis facere dispoſuerit, in tempore vel æternitate, nullũ viscum amoris vel attractionis in creaturis vel donis diuinis relinquendo. Quòd si terrena possideant, ab illis otioſi sunt & liberi, tanquam non habentes, & tunc illa licitè sine detrimento spiritus, secundùm conditionem & statum ad suam necessitatem & aliorum subuentionem retinere possunt. Et isti vt frequenter potiora dona quàm cæteri recipiunt, quia Deus eis multa reuelat & ostendit, in imaginibus, formis, & similitudinibus, eò quòd Deo proximi facti sunt, licèt quibusdam nondum adhuc perfectis hæc eadem Deus communicare consueuerit, ad eorum graue periculum, nisi per hæc ad debitum inducantur profectum. Veruntamen vnum illis ex communi ordine Deus frequenter occultat, quo solos occultos filios visitare consueuit, contemplationẽ scilicet supereminentem, æternam felicitatem præsibantem, sicque coguntur in ipsa habitatione caliginosa subsistere, cum Psalmista clamantes: *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.* Sed cur istis occultat contemplationem hanc gratissimam, nisi quia talibus illuminationibus assuetis, semper aliquid supereſſe videtur in donis vel reuelationibus, ad profectum tamen eorum vel aliorum nõ necessarijs, quod in orationibus à Deo desiderãt? Multifarias etiam reuelationes susceptas affectu quodam proprietatis (licèt ipsis non aduertentibus) possidere gratulantur; cùm tamen ab omnibus otioſi ac liberi esse debeant, quasi nihil tale percepissent, nisi tantùm diuinam in eis dignatiuam largitatem admirantes, & illi gratias agentes, & ea, quæ profectui proprio vel aliorum conueniunt exequentes: alioqui quandam in eis relictam proprietatem ostendũt. Hinc liquidò patet, quàm perfectè cunctæ proprietati mortificatum esse oporteat eum, qui ad contemplationem supereminentem ordine debito peruenire desiderat.

Contẽplatio supereminens qb⁹ solis præstetur, Psal 17.

IX. Abnegatio sui perfectissima.

Nonus denique gradus est illorum, qui vigorosis suis exercitijs, & sursum actionibus propter amorem Dei totum sanguinem & medullam corporis sui pene consumpserunt, nec eis quicquam remansit virium,

rium, nisi quantum viuacitas spiritus subministrare poterit, vtpote quorum sanguis quasi desiccatus, & calore diuino decoctus est, ipsis tamen propter excedentem feruorem ignorãtibus. His autem Deus tanquam occultis filijs plenitudinem donorum & gratiarum infundit, & suam quandoque beatissimam claritatem communicat, ferè nõ *in* speculo & *ænigmate*; sed, vt quoad in hac vita fieri potest, quasi *facie ad faciem* Deum intelligant, licèt in talibus minimè requiescunt, omnem propriam vtilitatem & oblectationem suppeditantes, & in sola cruce Domini Iesu per sequelam perfectam gloriantes: plus exoptantes omnem desolationem & abiectionem, quàm consolationem & exaltationem, vtpote fundati & cõsolidati in sola fide, charitate formata: charitate, inquam, nuda sine refrigerio cõsolationis omnem aduersitatem decertare cupientes, sicut Christus in cruce triumphauit in omnibus sola nuda charitate: quia Christi humanitatem in omnibus sequi, & eidem se conformare desiderant, in subtractione consolations, & sustinentia desolationis vniuersæ, dicentes illud cum Psalmista: *Improperium expectauit cor meum, & miseriam.* Quia in tanta sunt humilitate fundati, quòd omni desolatione se dignos reputant, vniuersæque creaturæ (sine fictione) æstimatione propria sese substernunt, & ab omnibus iniuriari ac vilipendi, omnique tribulatione vsque ad mortem circumuolui cupiunt, vt sic ductorem omnis desolationis patientissimum imitantes, dulcem Iesum, vsque ad turpissimam mortem crucis eidem se perfectè conforment. Verùm licèt huiusmodi didicerint in sola cruce Domini gloriari, nunquam tamen sua negligentia vel incuria diuinas * consolationes, influentias, operationes, attractiones, illuminationes, quoquo modo retardare vel impedire præsumunt, sed se secundùm omnifariam administrationem diuinæ gratiæ tam intus, quàm extra, pro posse & nosse, voluntaria & viuida instrumenta iugiter offerunt, ne de vitio ingratitudinis arguantur: quia de eis præcinuit Psalmista, dicens Domino: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Cæteris verò temporibus, sicut quantum ad hominem exteriorem, semper quærere debent abiectissima, & ab omni humana consolatione destituta; sic quantum ad hominem interiorem, puram affectare debent Dei charitatem, ab omni consolatione nudam, & omni desolatione circũdatam, ita quòd nunquam tantum pati possent, quin semper maiora pati propter Christum

Filij Dei occulti qui.

1. Cor. 13.

Psal 68. Humilitas perfecta filiorũ Dei.

* Aliàs visitationes.

Psal. 35.

stum affectent, iugiter recolentes illam inexpresibilem angustiam, & desolationem spiritus & carnis Iesu in agonia sudorem sanguineum desudantis. Ibi namque nudus amor sine omni refrigerio spiritualis consolationis in tam horribili colluctatione, tam magnificè triumphauit, vt hominem redimeret, & per eandem viam subsequendum esse salubriter doceret. Lucæ 22.

De ornatu vitæ contemplatiuæ & supereminentis. Cap. XXVII.

Perfectio cuiuslibet rei.

SIcut dicit Doctor sanctus in tractatu de visione diuinæ essentiæ, perfectio cuiuslibet rei consistit in coniunctione eius cum suo fine: finis autẽ intellectus creati, est * summũ intelligibile, quod est essentia diuina. Vltima verò perfectio intellectus creati, est coniunctio eius secundùm actum intelligendi. Res verò quælibet intelligibilis est secundùm id, quod habet de actu, & non secundùm id, quod habet de potentia, vt patet per Philosophum nono Metaphysicæ. Et ideo cùm essentia diuina sit purus actus, poterit esse forma, qua scilicet intellect⁹ intelligit, & hæc erit visio beatificans, quia ad hoc, quòd intellectus humanus, Deũ per essentiã videat, oportet quòd essentia diuina vniatur intellectui nostro, quodãmodo vt forma intelligibilis. Forma verò nõ coniungitur perfectibili, nisi quando perfectibile dispositiones habet, quibus efficitur susceptiuum talis formæ, sicut corpus non vnitur animæ, nisi prius in corpore sint dispositiones cõuenientes ad animã suscipiendam. Hoc autẽ dispositiuum in intellectu, est lumen gloriæ, quo perficitur intellectus ad videndum Deum per essentiã. Hinc etiam vt ibidem dicit, in illa visione beatifica, licèt ab omnibus videbitur essentia diuina, illam tamen vnus alio perfectius videbit: quod quidẽ non erit per aliquam similitudinem Dei perfectiorẽ in vno quàm in alio, cùm illa visio non sit futura per aliquam similitudinem: sed erit ex eo, quòd vnus intellectus maiorem habebit facultatem ad videndum Deum, quàm alius: quæ facultas non competit intellectui creato per suam naturam, sed per illud lumen gloriæ, quod intellectum in quadam conformitate constituit: ita quòd intellectus plus participans de lumine gloriæ, perfectius Deum videbit. Plus verò participat de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate: quia nimirum vbi maior est charitas, ibi maius est desiderium. Desiderium autem quodammodo desiderantem facit patulum, & aptum ad susceptionem boni desiderati. Et ideo qui de charitate plus habuerit, clarius Deum videbit, &

* Aliâs supremum.

De⁹ cur perfectius ab vno videatur quàm ab alio.

bit,& perfectior,& beatior apud eum in æternum manebit. Hinc est quòd vita contemplatiua in sacra Scriptura tantopere commendatur, & optima pars à Domino iudicatur: quia, vt dicit Richardus super tertiũ Senten. dist. 35. vbi illa, in qua perfectius vigere potest actus diligendi Deum ex charitate, est magis meritoria simpliciter, sicut est vita contemplatiua, quia iugis contemplatio rei dilectæ, & purè delectari in re dilecta, vehementer intendunt & accendunt actum diligendi. Verùm, vt cœpta de ornatu ad vitam supereminentem clarius prosequamur, sciendum, quòd nemo arbitrari debet, ad hanc contemplationem peruenire se posse profunditate scientiæ, vel subtilitate intelligentiæ, vel quibuscunq; exercitationibus, quantumlibet arduis; sed solum, quem Deus sua gratuita largitate sibi suo spiritu vult vnire, ac lumine claritatis dignatur illuminare, is Deum contemplari poterit, & non alius. Vnde ad illam percipiendam, admodum pauci perueniũt, tum propter eorum ineptitudines, quibus sese disponere & adornare dissimulant, faciendo quod in se est: tum etiam propter latibulum luminis, in quo eatenus contemplatur. Vnde etiam ad plenum nemo per cuiusuis scientiæ doctrinam, vel ingenij perspicaciam hæc, quæ dicturi sumus, intelliget: quia quicquid humanitus intelligi potest, vel edoceri, longè est infra veritatem, quam vmbraticis verbis balbutire iam intendimus. Qui verò Deo vnitus est, & lumine veritatis huius illustratus, eam vtique potest intelligere: quia sic intelligere Deũ, est iam esse Deum cum Deo, & absq; omni alteritate intercedente, vel impedimento prohibente. Sed ne mireris sane lector vocabuli nouitatem. Propterea namque ait Dauid: *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes.* Veruntamen licèt accessus luminis illius inaccessibilis nostræ facultati minimè subiaceat, ne tamen inueniamur ingrati, quod in nobis est, facere studeamus, & in aduentu Domini debitè semper adornati, appareamus. Et ideo fidelis amator, intima deuotione feruidus. Deum in quiete possidens fruitiua, sesoque in accedente dilectione operatiua, & omnem vitam suam in virtutibus cum iustitia directiua, plerunque per occultam Dei manifestationem introducitur, velut in Sponsi cubiculum, in vitam supereminentem, qua Deus sub lumine quodã diuino videtur, & secundùm eum modum, quo se Deus videt, citra tamen statum beatitudinis consummatæ: præsertim si in tribus diligenter se adornare studuerit.

Lucæ 10.

Cõtemplationem supereminentẽ quomodo quis obtinere valeat.

Psal. 81.

Vt homo se præparet

Primum est, quòd extrinsecus sit in cunctis virtutibus bene per omnia or-

nia ordinatus, & intrinsecus ab omnibus intermediantibus efficaciter expeditus, ac in vniuersis actibus adeò mente (quasi nil ageret) otiosus. Nam si intrinsecus est actu cuiuslibet virtutis occupatus, necessariò consequens est actus illius imaginem in eius animo esse figuratam: & donec ita se habuerit, nunquam contemplari poterit: quia adornatio primò necessaria, & Deo magis accepta est denudatio perfecta trium virium intellectualium ab omnibus intermediantibus, vt sic anima cum suis viribus vna vni, & sola soli feliciter coniungatur. ad videndū Deum sub quodam lumine.

Secundum est, vt Deo intrinsecus intentione dilectioneque cōiunctiua fideliter adhæreat, amore diuino succensus instar ignis excandescentis ac inextinguibilis: & eo tempore contemplari poterit. Ad cuius euidētiam quærit Doctor sanctus 1.2. q. 29. Vtrum amor causat mutuam inhæsionem, vt scilicet amans sit in amato, & econuerso, sicut in Canonica sua Iohannes affirmare videtur, dicens: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ad cuius solutionem adducit duplicem inhæsionis effectum, scilicet quantum ad vim apprehensiuam, & quantum ad vim appetitiuā, & secundùm vtramq; determinat amantem esse in amato, & econtra: de cuius prosecutione gratia breuitatis supersedeo. 1. Iohan. 4.

Tertium est, vt in excessu omnis modi, quadamque superintellectuali caligine sese perdat, sicut de inhabitatiōe caliginosa prædictum est. In qua scilicet caligine cuncti verè contemplantes secundùm fruitionis abyssum velut in solitudine aberrauerunt, nunquam sese humanitus inuenire valentes: in qua scilicet abysso statim supereminens quædā incipit Dei apparitio, in qua & participatio vitæ videtur æternæ, per quam & amans quisque fit videns. Et hæc quidem cōmunior est via, licèt alijs multis vijs & modis Deus hanc beatissimam fruitionem dilectis suis communicare solet. Quæ scilicet visio perficitur in apice mentis per lucem & claritatem eminentem, quæ claritas datur in ipsa silenti spiritus existentia, vbi super omnia dona, & omne propriū creaturæ opus, spiritus in ipsa otiosa sui vacuitate, eam susscipit claritatem, ac in ipsa sui vacuitate per amorem fruitiuum, spiritus perdit seipsum. Quia sicut occulta deitatis natura secundùm modum personarū æternaliter contemplatur & amat; sic secundum essentiæ suæ vnitatē in quodam semper complexu fruitur personarum. In quo nimirum complexu deuoti spiritus vniuersi vnum cum Deo profundo amoris profluuio protinus efficiuntur.

Vt lumẽ diuinum suscipiatur quænã necessaria.

Vt autem rudibus & simplicibus aliqua formula detur, qui se voluerit intima deuotione ad hoc lumen recipiendũ disponere, & quod in se est faciendo, ad contemplationem supereminentem adaptare: Primò, cunctis se viliorem reputando per abyssalem humilitatem Deo omnique creaturæ studeat se subdere, omnique proprietati funditus renuntiare. Et sicut vmbra motui intermedij, sic voluntas sua diuino beneplacito per omnia debet coaptari, vt sic in eo libere & impræpeditè, Deus opus suum tam in aduersis, quàm in prosperis valeat operari, sicut de beato Patre nostro Francisco canitur: Hic creaturis imperat, qui nutui subiecerat se totum Creatoris. Affectibus quoque desiderijs vires suas superiores, & præsertim virtutem amatiuam ad influxum sui principij debet quasi per quandam violentiam ingerere, vbi perseueranter importuna quadam sedulitate pulsando, velut ad amici ianuam confidenter excubet, donec introducatur, & vsque in propriam deficientiam à Spiritu diuino feliciter agaturi Alioqui enim ipsam superinformationem diuinæ claritatis suscipere, vel inactionem illam eminentissimam velut impræparatè pati non meretur. Nam vires sunt quasi pedissequæ, reginam Esther, id est, animam ad interiora regalis cubiculi deducentes, & ante conspectum regis Assueri, id est, ipsius æternæ & diuinæ claritatis præsentantes. Cùm igitur anima sic summis innixa viribus super omnia creata subleuata persistit, dilectique sui præsentia suauiter oblectata, tunc vires ab actualitate propria desistere compelluntur, & inactionem diuinam feliciter patiuntur. Tunc enim subitò sentit anima in fundo virtutis amatiuæ tantùm quendam Spiritus sancti veluti fontem viuidum, fluentibus venis æternę suauitatis: in virtute verò intellectiua, percipit superspl endentes illuminationes æterni solis, cum veritate diuina. Pater denique cælestis eius memoriam denudat, & ab imaginibus vniuersis purificat, inuitans & trahens illam ad ineffabilem eius vnionis copulam. Et hæ sunt tres portæ, quas ipsa Trinitas animæ amorosæ dignanter aperit, ad infinitissimum suum thesaurum contemplandum & agnoscendum. Ipsa verò anima vice versa cunctas vires exhibet ad offerendum suam totalitatem, & ad recipiendum illius sibi præostensam infinitam totalitatẽ. Deus autem amatoria quadam altercatione plerumque se denegans, ostensa conferre dissimulat, ita quòd anima concupitam affectionem adimplere non valet, quia nec se totam dare potest, nec Deum totum accipere; sed quantò plus dat &

Esther 15.

Portæ tres, quas sancta Trinitas animæ aperit.

dat & accipit, tantò plus dare & accipere desiderat. Hinc etiam in se nimirum inquietatur, & amoris impatientiam patitur, quia nec Deum potest deserere, nec ad votum acquirere, nec profundare, nec inaltare, nec comprehẽdere. Et ideo varias eius tempestates, quas illo tempore patitur, nec lingua valet dicere, nec calamus exprimere. Nam amor facit amantem nunc calidum, nunc frigidum; nunc pauidum, nunc audacem; nunc lætum, nunc tristem; nunc timidum, nunc sperantem; nunc confidentem, nunc desperantem; nunc ridentem, nunc lamentantem; nunc orantem, nunc laudantem: & innumerabilia sunt, quæ his contingunt, qui in amoris huius impatientia viuunt. Hæc tamen est deuotissima & vtilissima vita, quæ secundùm modum & rationem exerceri potest. Nam tota vita eius est dare seu offerre quicquid est, habet, aut prævalet, & à Deo exigere quicquid eius infinitam magnificentiam misero peccatori dare condecet, se penitus per affectum & etiam effectum, iuxta status sui conditionem, dilecto conformare in omnibus virtutibus & virtuosis actibus, secũdùm eius humanitatem: & denique quotidianis vigorosissimis & violentissimis quibusdam aspirationibus se dilecto, secundùm eius diuinitatem totaliter pro posse counire. Hæ sunt quatuor rotæ exercitiorum currus Israel, quibus quasi in tertium cælum animæ amorosæ subuehuntur. Veruntamen, aspiratio illa vnitiua, de qua superius satis dictum est, in ea maximè vigere debet & frequentari, quoniam illa maximè deducit mentem ad complexum dilecti.

Amor vt mutet amãtem.

Currus Israel rotæ quatuor quæ.

Sed cum diuina liberalitas animæ amorosæ sese proflua pietate communicare voluerit, & vnũ vni penitus counire, tunc anima cum recta intentione, puro amore, & ineffabili anhelatione Deo adhærente, & tamen plenam vnionem consequi non valente, spiritus diuinus eidem protinus occurrit velut ignea flamma stridens & incandescẽs ac exurendo intermedia quæque consumens & absorbens. Tunc anima ab omnibus denudata, soloque spiritu diuino subacta, statim vna vni feliciter obijcitur & counitur, recto tramite procedẽs in ipsam nudam diuinitatis abyssum, omniumque exercitiorum oblita, se persentit quasi raptam & absorptam, ac in amore cum DEO spiritum vnum effectã. Hinc iã silent vires omnes, & sensus quietati sunt, vtpote satiati & inebriati fonte bonitatis & diuitiarũ Dei: quia singuli plus recipiunt q̃ desiderare possunt. Et quod magis admirandum est, anima sic feliciter absorpta, velut oleum sese dilatans in vestimento diffluit,

Spiritus diuinus vt spiritui creato occurrat.

& aquæ gutta in vino posita, sicilla deficiens in se, & diffluens in dilectum mirabilibus formulis sese dilatat in immensum, vt dilecti capax fiat, & cum eodem sentiat, *quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum.* Quod etiam eisdem ferè verbis Apostolus consulit dicens: *Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum.*

Ephes. 3.

Cōtemplatio vt sit actus intellectus nō impediti.

Cæterùm, quia contemplatio, secundùm potissimum statum viatoris, prout hic sumitur, est actus ipsius intellectus non impediti, scilicet per aliquam turbationem vel occupationem: gratia sanati, scilicet ab omni labe vitiorum & affectuum inordinatorum: in æterna spectacula, scilicet per mentis extensionem immobiliter directi, vt cùm fieri potest, nunquam intentione voluntatis, sed sola interpellatione necessitatis facies mentis inde flectatur: & in admiratione suspensi: de qua scilicet suspensione dicit Richardus de arca mystica, quòd ex nouitate rei, quæ est supra nostram æstimationem, oritur admiratio; ex admiratione, crescit attentio; ex attentione, cognitio; ex cognitione, mentis suspensio: ita quòd cum Psalmista dicere potest: *Oculi mei semper ad Dominum.* Hinc primò patet, quòd contemplatio oritur ex intelligentia, quæ est ea vis animæ, quæ immediatè supponitur Deo, qua de diuinis, quantum homini possibile est, cognoscitur: & obtinet supremum locum, ratio verò medium, & imaginatio infimum. Cùm igitur omnia, quæ subiacēt sensui inferiori, necesse est ea subiacere sensui superiori, & non econuerso: ideo constat, quòd cuncta, quæ imaginatio vel ratio comprehendit, sub intelligentia cadunt, & etiam illa, quæ nec imaginatio, nec ratio comprehendere possunt. Vnde latè se radius contemplationis expandit, & acies animi contemplantis acuitur, vt capax sit ad multa comprehendenda, & perspicax ad subtilia penetranda.

Psal 24. Cōtemplatiō vnde oriatur.

Secundò patet, quòd mens contemplantis erit ab omnibus occupationibus & turbationibus expedita, & ab omnibus vitijs, & inordinatis affectionibus emundata, alioqui Deus non videbitur sicut est, sed tantum in speculo, prout mentem illuminat plenius, vel remissius, pro sua libera voluntate, & mentis nostræ puritate. Non enim ipsum lumen corporeum aliquatenus videre possumus, si non aliqua ex parte lumen corporis nostri pro sua ingenita serenitate & perspicuitate, cælesti lumini simile fuerit: quia nullum aliud membrum corporis capax est luminis, ob multam vtiq; dissimilitudinē: sic nec ipse

Mēs cōtemplātis vt sit ab omnibus expedita.

oculus

oculus noster, cùm turbatus fuerit, lumen videre poterit. Qui ergo turbatus propter suam dissimilitudinem serenum solem videre non poterat, iam serenatus aliqualiter videt, propter nonnullam oculi similitudinem. Quòd si pari prorsus puritate vigeret, solem hunc inoffenso contuitu, sicuti est, propter omnimodam similitudinem aspiceret. Sic est intelligere de sole iustitiæ, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & de oculo mentali: qui quantum proficit ad puritatem, tantum proficit ad agnitionis illius conspiciendam claritatem, id est, absconsam veritatem, sicut exultans in spiritu Iesus aiebat: *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Cur hoc? nisi quia *dilexerunt homines, scilicet mundi sapientes, magis tenebras quàm lucem*, & ideo *excæcauit eos malitia eorum*, quantumcunque fuerint literati vel ingenio præditi. Vnde etiam alibi dicit: *In iudicium ego veni in mundum, vt* non videntes *videant, &* videntes *cæci fiant.*

Ioan. 1. Matth. 11. Lucæ 10. Ioan. 3. Sapient. 2. Ioan. 9.

Tertiò patet, quòd iam purificata mens, erit in æterna spectacula directa & admiratione suspensa. Alioqui oculus mentalis, licèt purificatus, sua debilitate & dissuetudine contemplari non poterit: quia dicit Linconien. super Angelicæ Hierarchiæ librum: Quòd sicut oculi carnis infirmiores, prius suscipiunt lumen solis obscurum & nigris coloribꝰ superfusũ: deinde magis cõfortati, suscipiũt illud à coloratis corporibꝰ medijs: & postea visu roborato, suscipiunt illud albis coloribus superfusũ: Deinde plus aucta sanitate, suscipiunt illud superfusũ, fulgentibus vtpote speculis: tandẽ autẽ oculis perfectè sanatis, suscipiunt solarẽ radiũ non alicui superfusũ, sed in se solẽ purũ in ipso puro solari radio irreuerberato lumine cõspicientes. Sic oportet oculũ mentis infirmiorẽ prius assuefieri ad conspiciendũ solis iustitiæ lumen in grossioribus, deinde in subtilioribus, donec tandem ex ipsa luminis datione superinfusũ multipliciter in simplicitatem ipsius radij tandem extendatur & restituatur. Ex quibus patet, quòd tam in radioso lumine contemplationis speculatiuæ, quàm in saporoso gustu contemplationis practicæ, per sedulam continuationem nos oportet paulatim & gradatim ascendere, & proficiendo Deum semper clarius agnoscere, donec oculus intellectualis magis, ac magis illuminatus & confortatus, affectusque mentalis magis ac magis purificatus & inflammatus, funditus per agnitionem & dilectionem in Deum transeat, totusque homo tam interior, quàm exterior in Deum ordinetur.

Vt ascendatur gradatim ad contemplationem.

De consurrectione in contemplationem supereminentem, quantum ad duos gradus infimos Spiritui sancto appropriatos.

Cap. XXVIII.

EXpeditis vtcunque his, quæ ad debitam præparationem & ornationem animæ spectant, quantum ad vitam contemplatiuam supereminentem, nunc ordine congruo de consurrectione & gradibus eius prosequendum est: qui scilicet gradus, tametsi infiniti esse possunt, prout Dominus infinita sua bonitate & ineffabili largitate singulis spititibus, ipsi zelosa charitate iugiter adhærentibus, velut dispensator prudentissimus, administrare nouit, vnicuique pro captu, dignitate, dispositione, præparatione, & affectione, secundùm ordinatissimam suam dispensationem, diuersis illuminationibus, reuelationibus, attractionibus, & visitationibus, instruendo, vel consolando, & iuxta qualitatem, differentiam, & variationem exercitiorum spiritualium, in singulis operando: Ad nostram tamen quantulamcunque informationem, breuitatis gratia, tantùm sex gradus distinguere decreui, vnicuique personæ in diuinis duos appropriando. Qui nimirum gradus seu differentiæ conuenienter satis figurantur Exodi 19. & capitulis sequentibus, in his, quæ Mosi contigerunt, iuxta veritatem historiæ, in monte Sina. Primò enim cum multitudine filiorum Israel vidit Dominum à longè. *Erat autem species gloriæ Domini* velut *ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israel,* qui scilicet iam Ægyptum mundi huius egressi fuerant, & in deserto squalido pœnitentiam acceptauerant. Sed iubetur Moses ab illa multitudine se purgare & abstrahere, atque ascendere cum *Nadab, & Abiu, & lxx. de senioribus* vsque ad terminos montis, vbi *viderunt Deum* clarius, videntes *sub pedibus eius opus* sapphyrinum, *& quasi cælum cum serenum est: nec* tamen *super eos,* qui erant in castris, *misit manum suam,* id est, non abscondit se ab eis, sed videntes maiestatem Dei, & non ipsum, lati epulabantur. Dominus autem iterum vocauit Mosen ad altiora & secretiora montis. Qui assumpto tantùm Iosue, transiuit terminos constitutos, dicens *senioribus: Expectate hîc,* scilicet in castris, & vsque ad terminos constitutos. *Operuitque nubes montem.* Dehinc ad iussum Domini iterum relicto Iosue in quadam montis planicie, solus ascendit in caliginem, vbi perseuerauit diebus sex. *Septimo autem die vocauit eum Dominus*

Exod. 24.

minus de medio caliginis. Tunc accedens Moſes cum Domino *loquebatur facie ad faciem,* id eſt, valde familiariter, *ſicut loqui ſolet* amicus *ad amicum.* Erat autem illic *xl. diebus & xl. noctibus* non manducans nec bibens, ſed diuino tantùm conſortio confortatus & conſeruatus. Necdùm tali præſentia diuina contentus erat, ſed ait ad Dominum: *Si inueni gratiam in* oculis tuis, *oſtende mihi faciem tuam.* Cui *Dominus: Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.* Hoc autem petijt Moſes, cùm aſcendiſſet in caliginem iam ſecundò, quia frequentia diuini conſortij audaciam, familiaritatem, & fiduciam præſtabat. Moſes verò reſponſione diuina nondum contentus, ſecundò petijt, dicens: *Si inueni gratiam* coram te, *oſtende mihi gloriam tuam.* Cui Dominus: *Oſtendam tibi omne bonum,* id eſt, meipſum: veruntamen non beatifica viſione, quia *non videbit me homo, & viuet:* & ideo *non poteris videre faciem meam,* ſed *eſt locus apud me, & ſtabis ſupra petram,* id eſt, Chriſtum, qui eſt lux vera in anima noſtra genita, ſine qua luce, diuina eſſentia fruibiliter aſpici nõ poteſt. Et ideo dixit in Euangelio: *Ego ſum oſtium,* per quod ſcilicet vos tranſire oportet ad videndum Deum. Et hoc nõ ſolùm ſecundùm humanitatem, ſed etiam ſecundùm diuinitatem. Vnde proſequitur, dicens: *Per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur,* ſcilicet ad diuinitatem; *& egredietur,* ſcilicet ad humanitatem; *& paſcua inueniet* ęternę ſuauitatis & ſatietatis. Sequitur: *Cumq; tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam* te *dextera mea, donec* pertranſeam, id eſt, nubem ponam ſuper te, quia tanta claritate Dominus pertranſijt, quòd humanus aſpectus eam non ſuſtinuiſſet. Cùm autẽ pertranſiero, *tollam manum meam, & videbis poſteriora mea,* id eſt, imperfectam viſionem mei percipies. Nam à poſteriori aliquid imperfectè cognoſcitur. Vnde ad literam, cùm longè pertranſiſſet Dominus, ſublata nube, iam à Moſe, velut à tergo, videri poterat. Iudæi namque tradunt eum vidiſſe poſteriora hominis, & in occipite quaſdam ligaturas. Sequitur: *Faciem autem meam videre nõ poteris.* Secundùm Auguſtinum tamen xij. lib ſuper Gen. quod ei nunc denegatur, poſtmodũ liberaliter conceditur, quia Deum vidit per eſſentiam. In cuius argumẽtum dixit Dominus in libro Numerorum: *Ore ad os loquor ei, & palam, non per ænigmata & figuras Dominũ videt.* Et hæc quidem ſingula dulcius eſſent myſticis applicationibus adornanda: ſed breuitati conſulens, hæc delicioſis mentibus indaganda & ruminanda relinquo, ſex tantùm gradus ex omnibus, & differentias diuinarũ con-

1. Cor 13.
Exod. 33.
Ioan. 10.
Num. 12.

contemplationum in his præcipuè figuratas exequens. Quorum duo primi Spiritui sancto & eius operationi specialiter assc̃ibuntur: quem scilicet in ascensu nostro spirituali primùm attingimus, vtpote primam in ascendendo personam, prout superius latius dictum est.

Gradus primus contẽplatiõis supereminentis.

Primus igitur modus & gradus contemplationis supereminentis figuratur in filijs Israel, desertum pœnitentiæ iam ingressis: qui tamen vt infimam diuinam * contemplationem percipere mereantur, prius à non puris purgari iubentur: nec id solùm, sed etiam à licitis reuocantur, dicente Domino ad Mosen, Exodi decimo nono: *Vade, & sanctifica* populum *hodie & cras*, in hoc scilicet, quòd *lauent* se & *vestimenta sua*, id est, purificent tam opera, quàm affectus: *& ne* appropinquent *vxoribus* suis, sed vacent ab earum amplexibus: Quia spiritus Domini non habitat *in* terris *suauiter viuentium:* & sic *sint parati in diem tertium*. Die verò tertia audiuntur *tonitrua*, id est, spirituales * actiones Spiritus sancti: micant *fulgura*, id est, scintillantes inflammationes: sentiuntur terræmotus, id est, ad literam, agitationes corporales. Hæc enim sunt primordia gradus huius contemplationis. Cùm ergo fidelis amicus introuersus sic se mundatum, & ab omnibus occupationibus intermediantibus liberum, & otiosum inuenit, ac eleuatum cor suum, patulum superius, & hiantibus affectibus, ad immensam Dei bonitatem, cum amore reuerentiali dulciter inclinatum, & exercitatum, secundùm omne beneplacitum diuinæ voluntatis: ibi Spiritus sanctus eidem occurrit, veluti fons viuidus, & profluus: in quo spiritus amans protinus expirando baptizatur, vt illic feliciter viuens inhabitet, vbi spiritus diuinus amanti spiritui proflua largitate tribuit aquas viuas donorum, & gratiarum, vt in eis mundetur ab omni peccato, & affectu inordinato.

* Aliàs cõsolationẽ.

Iob 28.

* Aliàs inactiones, aut exactiones.

Spiritum amantem tangit à spiritu diuino.

Cæterùm, Deus per gratiam suam in nobis habitans, & viuens, tangit spiritum nostrum suo digito, id est, suo spiritu, vicissitudinem amoris exigens, & dicens: Amate amorem, æternaliter vos amantem. Exactio verò vocis huius intellectualis, tantæ virtutis est, quòd interiora vniuersa amoris impetu commouentur, & omnes animæ vires affluentibus refluxibus, respondere coguntur: Abyssalem amemus amorem, nos æternaliter amantem. Tunc se protinus cor amantis expandit anhelosis desiderijs: sequuntur vires sensuales ad Deum amore sensibili properantes. Sicque felix anima, scintillantibus aspirationibus viuida, ac supra seipsam efficaciter eleuata, veluti regina quædam

dam amore flagrans, procedit cum intentione recta, cum gratiarum actione deuota, cum despectione, & conculcatione propria, cum obliuione plena sui, & omnium, quæ viam amoris aliquatenus impedire poterunt, donec feliciter ad præsentiam æterni amoris peruenerit: qui dulciter eidem ingerit, & docet exercitia perfecti amoris, hoc est, mutuam contemplationem, & aspirationem, inter nos, & Deum mutuam familiaritatem, & degustationem, placere, & complacere, in amorem liquere, & diffluere: vt meritò pro his relinquere debeamus omnes amplexus suauitatis mundialis. Et hi quidem Deum contemplantur velut ignem ardentem, id est, bonitatem diuinam sentiunt velut abyssalem quendam, & incomprehensibilem ardorem æterni amoris.

Qui viribus vniuersis tam animæ, quàm corporis amoris sui gustum auidum infundit, inexpressibili dulcore cunctas inebrians. Et sic per sensionem corporalem anima consurgit ad sensionem spiritualem, id est, rationalem: ac per illam consurgit supra rationem in sensionem diuinalem. Per sensionem autem diuinalem viterius trahitur, & absorbetur in sensionem quandam beatificam immobiliter stabilitam. Quæ sensio est nostra supereſſentialis beatitudo, id est, ipsius Dei, & omnium electorum eius fruitio. Deo quidem essentialis, omnibus verò creaturis supereminens. Et hic est ascensus in Deum per potentias affectiuas. Vnde cùm tria prima in vnam vitam conueniunt, tunc in inferiori sensu est permagna delectatio: in medio sensu claritas, & opulentia, & abundantior delectatio: in supremo verò sensu est quędam diuina fruitio, per modum vię ac sine mensura gaudium, & diuitiæ spirituales: vnde sensus diuinus sine mensura est supra sensum sensualem, & rationalem. Porrò sensualis sensus hic capitur pro vnitate sensitiua cordis nostri: quæ cùm exaltatur, & ad Deum sensibili dilectione dirigitur, tunc est altare sacrificiorum nostrorum, in quo corporalem nostram naturam in ministerio diuino frequenter immolamus: semperque, dum natura nostra corporalis amore diuino contingitur, tunc præcordialem sentimus anhelationem, & aspirationem, ac simplex quoddam suspendium: qui sensibilis amor omnium nostrarum moralium virtutum decor est, & ornamentum: semperque per illuminatam rationem, & charitatem spiritualiter confouemur, excitamur, & innouamur: quæ scilicet duo sunt sensus noster spiritualis. Per quem sensum in omnibus obedien-

Ascensus in Deum per affectum quis.

Sensus sensualis.

tes sumus, & vnanimes Deo, cuncta opera nostra libertate quadam liberali spiritus operantes. Sed in sensu diuino, id est, supernaturali Deo sumus vniti supra rationem. In qua vnione diuinam possidemus sapientiam, libertatem, nobilitatem, & omne bonum sine mensura, per diuinam scilicet inactionem, & operationem. Ex qua nimirum inactione Dei nostra natura corporalis sic sensibili dilectione contingitur, vt amabiliter, & libere spiritui subsequatur. In qua subsecutione protinus mirabili sapore spirituali, & sensu perfunditur, & sic diuinæ libertati penitus adunitur.

Dirigi spiritum nostrum secundùm spiritum Dei.

Cæterùm, ex vnione nostra cum Deo, spiritus noster ordinatè dirigitur secundùm omnimodam voluntatem diuinam. Quam etiam natura nostra libere subsequitur, ebrietate spiritus allecta, quoniam ex hoc nobis prouenit sensibilis delectatio, & subiecta tranquillitas naturæ. Ex sensione denique beatifica, perfecta beatitudo nobis profluit. Est enim simplex quędam beata sensio, æternaliter quieta, stabilita, atque perfecta, eminensque fruitio, quæ fundamentalis requies est actualis fruitionis, nec vnquam commoueri poterit. In qua scilicet eminenti fruitione, nullam spiritus inter se, & id quod amat diserentionem, & differentiam percipit. Quia Deus amoris ignis est infinitæ magnitudinis, & vnusquisque spiritus amans, & beatus, veluti carbo viuidus, & ignitus, quem scilicet Deus in hoc igne amoris sui secundùm sui totalitatem incendit, ita quòd vniuersi spiritus beati simul adunati cũ Patre, & Filio, in vnitate sancti Spiritus hunc ignem immensum inextinguibilem, & infinibilem efficiunt. Vbi diuinę personæ in vnitatem essentiæ suę per amorem conflantur in vnam infinibilem abyssum simplicis beatitudinis. Vbi nec Pater, nec Filius, nec Spiritus sanctus, nec aliqua creatura, nisi quædam simplex essentia, id est, diuinarum personarum simpliciſsima substantia, vbi cunctæ creaturæ in suam supereſſentiam sunt absorptæ: vbi denique omnis fruitio consummatur, & perficitur in essentialem beatitudinem.

Gradus secundus cõtemplationis supereſſentialis. Exod. 24.

Secundus verò modus, & gradus hanc contemplationem Spiritui sancto appropriatam perficiens, figuratur in eo, quòd iussus est Moyses se à filijs Israel separare, & cum *Nadab, Abiu, & septuaginta senioribus* ascendere, vt sic appropinquando, Deum clarius valeant cernere: quia tunc *sub pedibus eius*, velut *opus* sapphyrinum apparuit, *& quasi cælum cum serenum est*. Per hanc enim approximationem figuratur profectus mentis ad mentis tranquillam serenitatem: quæ

scili-

scilicet in opere sapphyrino, & cælo sereno designatur. Nam cùm inuersus quisque se libere, purè, totaliter, & efficaciter in amorem diuinum demergere didicit, vt in immensam Dei bonitatem absorbeatur, tunc à facie diuini amoris scintillat lux quædam momentanea, quasi de cælo fulgur egrediens: quæ protinus incidit in patulum domicilium cordis illius. Et hoc (vt superius dictum est) contingere solet ex mirando quodam amoris conflictu inter spiritum diuinum, & humanum, quo scilicet penetrativis amoris iaculis pariter vulnerantur, & mutuis se fulminibus interlucent. In hac igitur luce spiritus Dei loquitur in nostro patulo & amoroso corde, voce quidem intellectuali, dicens: Ego sum tuus, & tu mea: Ego in te habito, & tu in me viuis: infinitaque similia, quæ diuinam vnionem, & amorem denotant. Cui & ipsa sine intermissione vice versa decantat vna vni, & tota toti, cum sponsa in Canticis dicens: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cantic. 2. Et iterum: *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Et hæc quidem sunt Cantic. 7. potissima, ad diuinum amplexum inducentia.

Cæterùm, in occursu lucis, & tactus illius in anima, & corpore, ac eleuato corde tanta voluptas, & spiritualis lætitia resultat, quòd nescit hæc patiens, quid sibi acciderit, vel quomodo valeat digerere, & sustinere. Et dicitur propriè iubilus, qui nec potest exprimi, nec sciri, nisi per experientiam: sed viuit in amorosis cordibus soli Deo apertis, ac omnibus creatis obsecratis, & clausis. Ex quo nimirum exurgit spiritualis iubilatio, id est, cordialis amor, & feruida flamma deuotionis in diuinam laudem, & gratiarum actionem, cum summa ad Deum honoris reuerentia. Veruntamen, qui dulcedinem illam percipit, & in ea proprias oblectationes quærit, vlterius viuaciter non assurgens, in diuinam laudem, gratiarum actionem, ac feruidam anhelationem, ad tantæ liberalitati vicem reddendam, omnino deceptus est, & ingratus. Qui verò fidelis est, efficaciter sese profundare non desinat, donec in infinitam abyssum æternæ suæ felicitatis absorbeatur, vbi inter Deum, & se differentiam inuenire nunquam poterit: præsertim cùm huiusmodi testimonium certum in se susceperit, Deum secundùm suam totalitatem velle totaliter esse suum, secundùm modum omnifarium desiderij sui. Ex quo nimirum in eo consurgit ingens anhelatio, & aspiratio flammiuoma diuinæ fruitionis, & vnionis, secundùm eius totalitatem, quoniam in vultus illius veritate patenter edocetur, id quod gustat, in comparatione resídui, vix obti-

Iubilus quid.

nere vnius guttulæ quantitatem ad proportionem totius maris. Ex hinc profectò spiritus eius ardore vehementi concutitur, & amoris impatientia vires omnes coagitantur: quia quo plus degustat, eo plus appetitus augmentatur, eò quòd alterum alterius est causa: & sic incomprehensibili diuinitati iugiter inhiare cogitur. De cuius nimirum immensitate pascitur, licet non satiatur: quia nec illam valet absorbere, nec comprehendere. Et ob hoc ardor in eius animo tam intemperatus efficitur, quòd ipsum amoris exercitium inter spiritum humanum, & diuinum vadat, & redeat more fulguris coruscantis. Et in hoc impetu vehementissimi amoris omnes actiones nostræ, rationem pariter, & modum excedunt, eò quòd amor excessiuis desiderijs anhelat ad impossibile, fauente sibi ratione, licèt consilium, vel auxilium impendere non valente. Sic sic nimirum à Deo delectabiliter in amoris absorptionem introducimur, & sensim transformamur. Cùm autem Deo sic vnimur, remanet adhuc in nobis cognitio viua, & amor actiuus. Quia sine sc tu nostro Deum possidere non possumus, nec sine amoris exercitio Deo vniri, aut vnitionem seruare valemus.

Paradigma ad præmissa.

Denique, vt rudibus, simplicibus, & inexpertis hæc euidentius pateant; per introductam similitudinem, accipe speculum concauum, & illud diametraliter radijs oppone solaribus: deinde adhibe ea, quæ sua siccitate, vel natura ardore tenui citius incendi possunt. Ibique per calorem solis in sua virtute lucentis, & ipsius speculi concauitatem, tandem inflammatio causabitur. Pariformiter in introuersione nostra, si reperimus cor viuidum, patulum, ac hianti desiderio ad Deum cum deuota reuerentia subleuatum, protinus in illud diuinæ gratiæ claritas illucescit, igne diuini amoris conscientiam purgans, defectus vniuersos exurens, animamque vehementer incendens, & inflammans, donec tandem spiritus in æternum amorem collapsus, sibi moriatur, & Deo viuat: ita quòd vnus amor effectus, nihil aliud, nisi amorem sentiat, ab omnibus amoris exercitijs liber & otiosus iam effectus, solumque patiens & recipiens simplicem diuinum amorem eius spiritum consumentem, ita quòd omnium obliuiscitur, vtpote funditus in amorem liquefactus, nec sciens seipsum, nec Deum, nec aliquam creaturam, nili solùm amorem, quem gustat & sentit, à quo possidetur in quadam simplici & nuda otiositate feliciter. Denique, licèt hos duos modos operationis Spiritus sancti in animam contemplatiuam posuimus, ferè infiniti tamen sunt: de quorum diuersitate,

tate; quia multa dicta sunt in præcedentibus, ideo pro nunc gratia breuitatis supersedemus.

De consurrectione in contemplationem supereminentem, quantum ad duos gradus medios, cælesti Filio appropriatos.
Cap. XXIX.

ABsolutis vtcunque duobus primis gradibus vitæ supereminentis, Spiritui sancto specialiter appropriatis: hîc de duobus medijs prosequamur, qui cælesti Filio assignantur, ducentes ipsam animam ad supereminentes contemplationes. Veruntamen, ne ad impossibilia ascendere velle videamur, notanda est doctrina Sancti Thomæ, qui dicit secunda secundæ, quæstione centesima septuagesima quinta: Quòd mens humana diuinitus rapitur ad contemplandam diuinam veritatem tripliciter.

Vt mẽs hominis contẽpletur veritatem diuinam tri-fariam.

Primò, vt contempletur eam per quasdam imaginarias similitudines, sicut fuit contemplatio ferè omnium Prophetarum. Nam visio prophetica non est visio diuinæ essentiæ, nec in ipsa diuina essentia vident ea, quæ vident: sed vident in quibusdam similitudinibus, secundùm illustrationem diuini luminis. Vnde dicit diuinus Dionysius 4. capite cælestis Hierarchiæ, loquens de propheticis visionibus: Quòd sapiens Theologus visionem illam dicit esse formam diuinam, quæ fit per similitudinem rerum, forma corporali carentium, ex reductione videntium in diuina. Et huiusmodi similitudines illustratæ diuino lumine, magis habent rationem speculi, quàm essentiæ Dei, quoniam in speculo resultant species ab alijs rebus, quod non potest dici de Deo. Sed huiusmodi illustratio mentis propheticæ pro tanto potest dici speculum, in quantum ibi resultat similitudo veritatis diuinæ præscientiæ. Et propter hoc dicitur speculum æternitatis, quasi repræsentans Dei præscientiam, quæ in æternitate sua cuncta præsentialiter videt: & ex ipsa Dei præscientia veritas vlterius in mentem Prophetæ resultat. Secundùm hoc enim, quòd in Deo futura contingentia sunt secundùm immobilem veritatem, potest imprimere menti Prophetæ similem cognitionem absque eo, quòd Prophetæ Deum per essentiam videant: & talis fuit excessus mentis, qui cecidit super Petrum, de quo plenius habetur in Actibus Apostolorum. Act. 10.

Secundò verò, vt diuinam veritatem per intelligibiles effectus con-

templetur, ſicut fuit exceſſus Dauid, de quo dicebat: *Ego dixi in exceſſu meo, Omnis homo mendax*, & talis contemplatio nobilior eſt iam dictis. Vnde etiam dicitur eximius Prophetarum. Pro quo ſciendum, quòd reuelatio prophetica fit ſecundùm quatuor, ſcilicet ſecundùm fluxum intelligibilis luminis, vel ſecundùm immiſsionem intelligibilium ſpecierum, vel ſecundùm impreſsionem ſeu ordinationem imaginabilium formarum, vel denique ſecundùm expreſsionem ſenſibilium formarum, ſicut rubus oſtenſus Moyſi, & Scriptura oſtenſa Danieli. Cæterùm, licèt prophetia Dauid ex propinquo viſionem attingit ipſius Moyſis, diuinam eſſentiam cernentis, quantum ad viſionem intellectualem, quia vterque reuelationem accepit intelligibilis & ſupernaturalis veritatis, abſque viſione imaginaria: viſio tamen Moyſis fuit excellentior, quantum ad cognitionem diuinitatis: ſed Dauid plenius agnouit & expreſsit myſteria incarnationis Chriſti.

Pſalm. 115.

Reuelationē prophe-ticam fieri quadrifa-riam.

Eſſentia di-uina vt vi-deri poſſit.

Tertiò, vt eam contempletur in eſſentia ſua, & talis fuit raptus Pauli, & viſio Moyſis. Ad cuius euidentiam ſciendum, quòd eſſentia diuina videri non poteſt ab intellectu creato, niſi per lumen gloriæ, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Et hoc lumen dupliciter participari poteſt. Vno modo, per modum formæ immanentis: & ſic Sanctos in patria beatos efficit. Alio modo, per modum cuiuſdam paſsionis tranſeuntis: & ſic lumen illud fuit in Paulo, quando raptus erat in *tertium cælum*: in quo raptu fuit alienatus à ſenſibus. Nam eſſentia diuina per aliam vim cognoſcitiuam ab homine videri non poteſt, quàm per intellectum: ſed humanus intellectus ad ſenſibilia non conuertitur, niſi mediantibus phantaſmatibus, quæ per ſpecies intelligibiles accipit: in quibus conſiderans de ſenſibilibus iudicat, & ea diſponit. Et ideo in omni operatione, qua noſter intellectus à phantaſmatibus abſtrahitur, neceſſe eſt, quòd à ſenſibus etiam abſtrahatur. Cùm igitur eſſentia diuina non poteſt per aliquod phantaſma videri, nec per aliquam ſpeciem intelligibilem creatam, eò quòd excedat non ſolùm omnia corpora, quorum ſunt phantaſmata, ſed etiam omnem intelligibilem naturam vel creaturam: hinc neceſſe eſt, quòd intellectus hominis in ſtatu viæ à phantaſmatibus abſtrahatur, ſi diuinam eſſentiam videre debeat: ita quòd cùm eius intellectus ad altiſsimam Dei viſionem eleuatur, totalis etiam illic intentio mentis aduocetur, & nihil aliud ex phantaſmatibus intelligat, ſed totaliter in Deum feratur.

Pſalm. 35.

2. Cor. 12.

Secus

Iectus tamen erit in ſpiritibus beatis, ipſam eſſentiam diuinam cernentibus, eò quòd in illis erit redundantia quædam ab intellectu ad vires inferiores, & vſque ad corpus. Et ideo ſecundùm ipſam regulam diuinæ viſionis, anima beata phantaſmatibus & ſenſibilibus intendere poteſt. Deniq;, propter hanc à phantaſmatibus abſtractionem non eſt neceſſe, quòd à corpore anima ſeparetur, vt eidem tanquam forma non vniatur: ſed neceſſarium eſt intellectum abſtrahi à phantaſmatum & ſenſibilium perceptione. Vnde etiam Paulus nec tunc, nec poſtea ſciuit, an tunc anima fuerit in corpore, vel extra corpus. Et ideo licèt in hac vita quis exiſtat potentialiter, dummodò tamen non ſit ſecundùm actum, in quantum ſcilicet eius anima eſt corpori mortali coniuncta vt forma, ita tamen quòd corporis ſenſibus aut etiam imaginatione non vtatur, ſicut accidit in raptu: ſic huius vitæ contemplatio pertingere poteſt ad viſionem eſſentiæ diuinæ. Vnde ſupremus gradus contemplationis præſentis vitæ eſt, qualem in raptu Paulus habuit, ſecundùm quem fuit medio modo ſe habens inter ſtatum vitæ præſentis & futuræ. Cæterùm ſupremum hunc contemplationis gradum communicari nunc etiam poſſe à Deo mortalibus hominibus, vti olim Moyſi & Paulo, dubitandum non eſt, ſed quòd vlli communicetur, neque polliceri quis poteſt, neque temere quiſq; debet aſſerere. Nouit hoc ipſe ſolus, qui ad tantam celſitudinem ſolus poteſt mentes amicorum ſuorum, ſi ei libuerit, eleuare.

Gradus cõtemplationis ſupereminentis tertius.

His igitur ad informationem præmiſſis, tertium modum vel gradum ſupereminentis contemplationis proſequamur, qui (vt dictum eſt) ipſi Filio conuenienter aſcribitur, intellectum iungens affectui, vt ſimul coambulent vſque ad nouiſsimum intellectus. Et aptè ſignificatur in eo, quòd tertiò Dominus Moyſen ad ſecretiora vocauit. Qui aſſumpto tamen Ioſue, ſuperaſcendit vſque ad ipſam caliginem, fideliter excubans ad Dominicam iuſsionem. Sic nimirum ad hunc tertium gradum aſpirantes, ſolùm per affectum purificatum & inflammatum, ac intellectum ſerenatum & clarificatum, Deo propinquare feſtinant. Et hic gradus iam proſequendus propriè ſpeculatio vocatur, hoc eſt, videre in ſpeculo: quia contemplantis affectus mentalis, viuidum ſpeculum eſt, in quo pater cum Filio ſpiritum tribuit veritatis, vt ſic ratio clarificetur, & omnem veritatem agnoſcat: quæ ſaltem intelligi poſſt in modis & imaginibus, in formis & ſimilitudinibus, in quantum Deus oſtendere velit, licèt modum, in quo videtur di-

Speculatio.

tur diuina facies in nuda intelligentia & simplici cogitatione, supra rationem,& præter rationem, consideratio, vel ratio nequaquam attingere potest. Sicut à simili, nobilis aquila propter virtutem suam visiuam,fortissimam & clarissimam claritatem solis irreuerberatis oculis intueri potest: cui tamen oculus vespertilionis, propter suam debilitatem,cedere compellitur. Sic virtus intellectiua ipsius animæ, viuidum speculum est,in quo per suam gratiam Deus inhabitat, cui dedit Spiritum sanctum suum, & per eius claritatem oculus rationalis clarificatur, ita quòd intelligere potest Deum & omnes creaturas in formis, imaginibus,& similitudinibus, in quantum Deus ostendere velit. Vnde præcipit illuminatæ rationi, quòd ordinet & regat vitam suam sensualem in vera discretione virtutum,& adornatione hominis interioris,secundùm omne diuinum beneplacitum: vt audire mereatur vocem Patris cælestis, dicentem: Aspice in me, vt agnoscens considerare valeas, vel ex parte quis & quid ego sum. Ad cuius exactionem intellectualem anima penitus cum omnibus viribus exhilaratur. Et oculis intellectualibus iam apertis & clarificatis, illud videre desiderat, ad quod à Deo tam dulciter allicitur & inuitatur.

Tunc ostendens ei Dominus in viuido speculo virtutis intellectiuæ seipsum,non sicut est in natura, sed in imaginibus & similitudinibus, prout illuminata ratio comprehendere & intelligere potest. Nam sic illuminata ratio, à Deo sine errore clarè conspicit in imaginibus ntellectualibus, omnia quæcunque prius audiuit de Deo, de fide, & omni veritate, quam scire desiderat. Imago tamen, quæ Deus est, licèt ei opponitur, illam tamen capere non prævalet ,eò quòd oculum suum intellectualem incomprehensibili lumine cedere oportet. Quia tamen spiritu veritatis est illustrata, & vera sapientia prædita, Deum aspicit in imaginibus intellectualibus, quomodo scilicet Deus est summa maiestas, veritas, bonitas, pietas, charitas, sapientia, misericordia, iustitia,&c. Videt etiam differentiam personarum, & vnamquamque esse Deum omnipotentem. Videt quoque vnitatem diuinæ naturæ in Trinitate,& Trinitatem in vnitate naturæ. Videt denique fœcunditatem in diuina natura,& vnamquamque personam esse Deum in vnitate essentiæ. Quia ratio spiritu veritatis clarificata, Deum videt in proprio speculo, in tam multis modis,formis, & imaginibus,sicut excogitare potest,& videre desiderat. Nihilominus tamen virtus intellectiua semper inclinatur ad videndum quid sit Deus in

us in se, & quis sit: quoniam ad hoc à DEO dulciter allicitur & inuitatur, ita quòd anhelosis affectibus ingeminare cogitur anima cum Moyse: Domine *si inueni gratiam in* oculis tuis, *ostende mihi* teipsum, Exod. 33. scilicet supra similitudines & imagines reuelatum & nudum. Sed illic intellectus excubare cogitur, quia oculus eius ab immensa claritate reuerberatur & caligatur. Exultat tamen cum sponsa dicens: Cant 2. *Sub vmbra illius, quem* desiderabam *sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.*

Pro quo notandum, quòd tria sunt quæ causant vmbram, scilicet lumen, medium, & obiectum. Christus igitur secundùm diuinitatem lumen est, à quo scilicet Dei vmbra causatur. Medium autem, ad cuius similitudinem hæc vmbra compingitur, est huius humanitas, per suæ gratiæ plenitudinem, suorumque meritorum abundantiam. Obiectum denique luminis, quod & vmbra efficitur, est nostra volũtas, dum diuino lumini spontanea subiectione opponitur. Nam eodem momento, quo libera conuersione seipsam æternæ beatitudini totaliter obijcit, in ipsis penetralibus spiritus nostri, Deus radios suæ perpetuæ lucis infundit. Cui lumini spiritus noster in Dei secretalibus counitur. Et ex hac vnione plenitudo gratiæ nascitur, ex qua obediés voluntas velut vmbra Dei generatur, semper mediantibus meritis Iesu Christi. Et tunc sicut vmbra mouetur, secundùm omnem motum interpositi, à quo causatur, & ipsum quocunque præcesserit, comitatur: sic illa voluntas, vmbra Dei iam effecta, spiritum eius & directionem intrinsecus per omnia subsequitur: & extrinsecus humanitatem Domini Iesu, eiusque doctrinam in mandatis & consilijs imitatur. Sic voluntas obediens, vbi diuinæ libertati & vnitati plenè se tradit, ibi ipsa Dei, & Deus eius vmbraculum efficitur: quia Deus in ea, & ipsa in Deo suauiter habitat & quiescit: eò quòd alter æterna fruitione quadam alterius est complexus. Et hoc quidem in potentijs affectiuis: sed in potentijs cognitionis requiescit intellectus sub vmbra dilecti, vt videbitur.

Vmbram causantia quæ. Lumen. Medium. Obiectum.

Quartus proinde gradus siue modus, hanc contemplationem appropriatam Filio perficiens, figuratur in eo, quòd Moyses à Domino vocatus, etiam relicto Iosue in quadam montis planitie, solus ascendit in caliginem illic perseuerãdo sex diebus, donec à Domino rursus vocaretur. Sic nimirum anima felix ad visionem essentiæ diuinę frequẽter aspirans, & quod in se est actitans, à dilecto sæpius ad idipsum inui-

Gradus quartus cõtemplationis supereminentis.

tatur, veluti spiritu diuino illuminatæ suæ rationi taliter respondente, & intellectuali voce dulciter ingerẽte: Respice in me, quis ego sum, & quid. Tunc cõfestim simplex oculus amatiua virtute subiectus, cùm intuitu simplici in diuinam claritatem respicit omne, quod Deus est, vniformiter, & eam sequitur oculus intellectualis in eodem lumine, scire volens & inuestigare quid sit Deus, aut quis: sed ante conspectum Domini ratio deficit, & omnis consideratio cum differentia & discretione. Virtus autem intellectiua protinus in modum modi nesciũ eleuatur, ita quòd intuitus eius sit sine modo, nec sic, nec sic, nec hîc, nec ibi firmatur; sed omnia quodam modo sine modo complectitur, eò quòd eius intuitus, ei superexaltatus & superdilatatus est, ità quòd nescit vbi respiciat, veluti vagabunda & errans. Nec quidem intuitum reuocare potest: quia totus est ab eo diffluens, sine modo, sine fine, ac sine reuersione: quia quod capere desiderat, adipisci ad votum non præualet.

Virtus amatiua.

Porrò, licèt intellectus cum Ioſue remanet foris in planitie, virtus tamen amatiua superior, (quæ sicut intellectus ad notitiam, sic ad gustum ipsa diuinitùs inuitatur) amoris impetum prosequi cupiens, efficaciter progredi non fatiscit. Ipsa nimirum solius fruitionis (quæ gustui magis debetur, q̃ visui) delectatur amplexu. Et ideo cum Moyse ipsam caliginem intrare festinat. Cùm ergo nosipsos sic excedimus in ipsam caliginem, & inscrutabilem modicarentiam, ibi continuò lucet simplex radius diuinæ claritatis, in qua fundati sumus. Quæ protinus nos ex nobisipsis trahit in ipsam sui supereſſentiam, & amoris absorptionẽ. Cui scilicet amoris absorptioni simul adhærens est, & cõsequens, iuge amoris exercitium modo carens, eò quòd amor otiosus esse non potest, sed scitu pariter & gustu scrutari nititur, inscrutabiles diuitias in suo fundo viuentes. Et tunc virtus intellectiua prope remanet, sedens *sub vmbra illius, quem* desiderabat, sicut in præcedẽti gradu virtus affectiua. Quia magna differentia est inter claritatem beatorum, & illam, ad quam noster intellectus nunc attingere potest. Nam vmbra Dei duntaxat nostram modo solitudinem illustrat: sed illis est sempiterna claritas, & vmbra nulla, licèt idem sol, & eadẽ claritas vtrũque perficit. Nam quia beatorum status peruius est & glorioſus, ideo remoto omni medio, claritatẽ glorioſam percipiunt. Status verò noster adhuc mortalis est, & rudis, & hoc est medium illuci, à quo causatur vmbra, nostram intelligentiam sic obnubilans, quòd cælestia tam clarè, sicut

Status viatorum cuiusmodi.

re, sicut beati, videre non possumus, sed, secundùm Apostolum, *videmus nunc per speculum in ænigmate*, id est, vmbra: *tunc autem facie ad faciem* sicuti est: & tunc similes ei erimus. Veruntamen hæc vmbra in tantum ab hoc solari lumine perlustratur, quòd discere valeamus virtutum perfectam discretionem, & omnem veritatem nostro mortali statui necessariam. Quòd si solari claritati couniri desideramus, necessarium est nos subsequi, & egredi nosmetipsos inmodicarentiam: vt sic oculis intellectualibus excæcatis, sol ipse iustitiæ simplicem oculum nostrum trahat in suam claritatem, vbi cum Deo perfectam possidebimus vnitatem. 1. Cor. 13.

Sic sentire, & intelligere, est vitæ contemplatiua, nostro nunc statui conueniēs. In qua sedulè cum sponsa dulciter expetere debemus: *Indica mihi, quē diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie*, hoc est, in lumine gloriæ, quia nos adhuc positi sumus in lumine, vel potius in vmbra lucis matutinæ, licèt se sponsa *sub* hac *vmbra* sedisse glorietur, vbi *& fructus* dilecti *gutturi* suo dulces fuisse perhibetur. Nos autem quando fructū illius degustamus, nisi quādo Deū nos intrinsecus tangere sentimus? quia suū cōtingere, est suum cibare. Nam in cōtactu suo deficiūt omnes vires animæ: & sedemus sub vmbra Dei, cuius fructus, id est, Filius, quē Pater in nostro gignit spiritū, gustui nostro spirituali tam infinitè dulcis est, quòd eū nec glutire, nec in nos mutare valem⁹: sed nos in se sedulis vicib⁹ intrahēs, mutat, & absorbet: & inde modus ille modinescius exurgit. Et hæc quidē actitantur, ipso sole iustitiæ simplicem oculū nostrum in suam claritatē attrahente. Vbi Deū, & omnia sine discretionis differētia simplici cōtuitu in diuina claritate contemplatur: quod propriè pertinet ad quintū gradū, sicuti mox videbitur. Et hæc est dignissima & vtilissima contēplatio, ad quā in hac vita perueniri potest: quia in ea cōtemplatiuus sui melius potens permanet & liber. Potestq; in quolibet amatorio introgressu in altitudinem vitæ, vltra omnem intelligentiæ captum proficere: quia in interno feruore suæ deuotionis, & virtutum exercitijs, liber & sui potens permanet. Peroratio. Cant. 1. Cant. 2.

De consurrectione in contemplationem supereminentem quantum ad duos gradus supremos, cælesti Patri appropriatos. Cap. XXX.

VIsis iam de quatuor modis & gradibus vitæ supereminentis, duobus Spiritui sancto, & duobus ipsi Filio assignatis: hìc pro

felici clauſula præſentis opuſculi, duos ſupremos ipſi Patri cæleſti ſpecial ter appropriandos proſequamur: vt ſic ad originem perſonarum, & principium omnium rerum, finemque beatitudinis noſtræ feliciter conuertamur. Quorum primus modus, & in ordine priorum quintus, in eo conuenienter figuratur, quòd Moyſes in caligine cum Domino quidem familiariter loquebatur: ſed tamen in hoc minimè contentus, orabat, dicens: *Si inueni gratiam in oculis tuis, oſtende mihi faciem tuam.* Cui *Dominus*: *Facies mea præcedet te.* Et rurſum Moyſes: *Oſtende mihi gloriam tuam.* Cui Dominus: *Oſtendam tibi omne bonum*, id eſt, meipſum. Veruntamen non in claro contuitu, ſed *poſteriora mea videbis*, id eſt imperfectam cognitionem conſequeris. Sic etiam gradum hunc conſequentes, ſimplici puritate ſpiritus per amoroſam reuerentiam & claram intelligentiam in Deum eleuati, nuda ac reuelata facie in præſentia diuinæ maieſtatis, deuoto familiariſque colloquio, ac confidentia perſeuerant, ſibi faciem illam amabilem oſtendi flagitantes. Tunc cæleſtis Pater, *qui dat omnibus affluenter, & non improperat*, à facie ſua lucem quandam fulgidam ac ſimplicem emittere non deſiſtit in intimum apicem ſuæ ſimplicis ac nudæ cogitationis eleuatæ ſupra ſenſum & imaginationem, ſupra rationem & præter rationem, in eleuata ſcilicet puritate Spiritus ſui. Porrò, lumen iſtud nō eſt Deus, ſed eſt præuia lux quædam intellectualis, quam nec ſenſus, nec ratio, nec natura, nec conſideratio capere valet. Eſt, inquam, quoddam clarificatum mediū inter nos & Deū, quod nobilius & ſuperius eſt omnibus à Deo in natura creatis, vtpote ipſius naturæ perfectio. Noſtra verò ſimplex & nuda cogitatio, ſpeculum viuidū eſt, in quo lux iſta refulget, exigens à nobis cōformitatem & vnionē cum Deo, in quo viuido ſpeculo viuit Deus in nobis cum donis ſuis & gratia: nosq; viuimus in eo per virtutes & opera bona. Præterea, lumen iſtud dicitur *candor lucis æternæ*, quod ſpeculū requirit ſine macula. Dicitur etiā ſpiritus Patris, in quo ſcilicet oſtendit ſe Deus ſimpliciter, & non ſecundùm differentiam vel modum perſonarū, ſed in nuditate ſuæ naturæ & ſubſtantiæ. Pater enim cæleſtis denudans memoriam à formis & imaginibus, ipſam nudā cogitationem vel memoriam eleuat in ſuam originem, id eſt, in ſeipſum, vbi ſtabilitur & vnitur ſuo principio, id eſt, Deo. Cæterùm, in hac luce loquitur ſpiritus Patris in cogitatione noſtra nuda, ſimplici, & eleuata. Reſpice in me. Tunc ſpiritus tam dulciter inuitatus, confeſtim ſimplicem oculum intelligentiæ ſuæ aperit per infuſam ſibi

Gradus cōtemplationis ſupereminentis quintus.

Exod. 33.

Iacob. 1.

Sapien. 7.

ſam ſibi lucem ſimplicem Patris: & ſic feliciter contemplatur eius faciem, id eſt, diuinam ſubſtantiam vel naturam in ſimplici contuitu ſupra rationem, & præter conſiderationem. Non tamen prout eſt in ſua ineffabili gloria, ſed prout ſibi placuerit oſtentare ſe vnicuique, iuxta modum collati luminis. Denique, lux iſta contemplatiuis ſpiritibus veram aguitionem tribuit, quòd Deum vident, ſicuti in hac vita videri poteſt ſecundùm ſtatum viæ. Sic per amorem ſupra rationem vſque in oculum noſtrum ſimplicem noſipſos eleuare debemus, vt ita ſubleuatus ſupra rationem & præter rationem oculus noſter, in quendam nudum & ſimplicem intuitum ad faciem Patris ſemper aſpiciat. Vnde ſicut *Angeli*, in miniſterio noſtro poſiti, propter hoc non impediuntur, quo minus *ſemper faciem Patris* aſpiciant; ſic oculus animæ ſimplex, nihil ſibi obijcit, præterquam imaginem illam, quæ Deus eſt, vbi Deum videt & omnia, prout cum Deo vnum ſunt, ſimplici quodam intuitu, & hoc illi ſufficit. Quod propriè dicitur contemplatio, hoc eſt, Deum videre ſimpliciter & vniformiter: cuius claritatem iam in ſe natam inuenit. Eſt enim ipſa claritas imago Dei, ſimplicem oculum noſtrum transformans, & nobis Deum, licèt ſub vmbra quadam, oſtentans, imperfectamque cognitionem ingerens: quia nullam aliam imaginem oculus ſimplex requirit. Porrò, diuinam imaginem totam indiuiſam & integram recipit, quam etiam per ſeipſam cognoſcit, vbi illam ſuſcipit. Et in hoc terminatur iſte modus contemplationis. Nam vbi plenè transformamur in claritatem ſuam, ibi noſtri obliuiſcentes, vnũ cum Deo efficimur, prout videbitur in vltimo gradu.

Matth. 18.

Contemplatio propriè dicta.

Denique, licèt hæc immenſa claritas oculum rationalem (vt dictum eſt) reuerberat & caligare facit ſupra rationem, tamen oculus ſimplex ſemper manet apertus aſpectu puro ac nudo, lumen illud cum eodem lumine contemplari non deſinens. Et ibi quidem oculus oculo, ſpeculum ſpeculo, & imagini imago obijcitur. Cum his enim tribus deiformes efficimur, & vniti Deo. Nam in illo ſimplici oculo felix anima, quaſi viuidum & puriſsimum ſpeculum effecta eſt, ad imaginem diuinam glorioſius imprimendam. Deus autem imaginem ſuam, id eſt, diuinam claritatem ipſi ſpeculo animæ tam profluæ largitate ſecundùm ſui totalitatem imprimere dignatur, quòd nullam aliam claritatem, vel imaginem recipere præualet, ſicut ſpeculum concauum rotæ ſolari diametraliter ſuppoſitum. Cæterùm, claritas iſta non eſt medium inter nos & Deum, ſed eſt idipſum quod videmus, & lumen

Vt homo fiat deiformis.

quo videmus: sed non est oculus qui videt, quia licèt imago Dei speculo ipsius animæ sine medio coniungatur, minimè tamen imago speculum efficitur: sed vnitio illius imaginis in speculo, tam excellens est & nobilis, quòd anima conuenienter imago Dei nominatur.

Fructus regni diuinæ claritatis animæ amorosi ostensi.

Denique, cùm regnum suum Dominus amorosę animę sic ostendere dignatur, super omnem lucem creatam in quodam immenso lumine diuino, protinus triplicem fructum ibidem consequitur. Primus fructus est immensa claritas, quę causa est & origo totius claritatis, tam in actione, quàm in contemplatione. Hęc igitur claritas intellectiuę virtuti tanti saporis est, quòd seipsam profundans, immergit in illam claritatem, & cum immensitate luminis eius, vnum efficitur. Cùm enim hanc claritatem nobis ostensam sine intermissione subsequimur vsque in eam (ex qua orta est) abyssum, tunc nihil aliud sentimus, quàm à nobis expirare, ac sine reuersione demergi & absorberi in infinitam diuinæ claritatis abyssum. Secundus fructus est, amor incomprehensibilis, totum animæ regnum vigorosè perfluens, secundùm exigentiam & capacitatem virium illius. Facit enim animam ardore suo liquescere in quendam simplicem eminentem amorem: sentitque se latitudinem quandam effectam cum amore, quæ sine mensura est, omnia complectens, & semper manens incomplexa. Per claritatem autem prædictam tam immensam, & hunc amorem incomprehensibilẽ, anima perfluxa funditusque penetrata, venit in quandam beatificam fruitionem, qui tertius fructus est. Hæc autẽ fruitio tam immẽsa est, quòd Deus, & omnes Sancti, ac anima tam feliciter eleuata in illam fruitionem profundantur & absorbentur in quandam inscientiam & æternam sui absorptionem, in qua summus sapor æternæ dulcedinis experitur, vt sic anima sapiat & agnoscat, *quoniam suauis est Dominus*. Hic enim sapor tam immensus est, quòd animæ gustanti videtur ab illo cuncta creata simul eliquari posse: qui totalem animę regionem perfluens inundare facit. Virtus igitur intellectiua claritatem illam æternam aspicit Vnde tantę deliciæ defluunt, subitoque ab eadem immensa claritate transformata, sine intermissione contemplatur incomprehensibilem vbertatem æternæ beatitudinis. Hinc etiam consurgit in ea consideratio quædam illuminatæ rationis, licèt veraciter agnoscat, quòd illas incomprehensibiles delicias nunquam intelligere valeat, eò quòd ipsa gaudium immensum luce creata consideret. & ideo in sua consideratione deficit. Multo tamen subtilius solito

sito ratio creaturaliter in luce creata cõsiderat, vt in subtilissimis imaginibus, & operibus affluentissimis illius superbenedictæ Trinitatis se Letificando reficiat: ex quibus scilicet dilectum considerat esse tantæ immensitatis, quòd nunquam à creatura plenè comprehendi poterit.

Cõtemplator verus cuiusmodi esse debeat.

Talis igitur contemplator ambidexter esse debet, suam cogitationem posidens, velut rex præpotens regnum suum, vt scilicet per ipsam cogitationem ad omnes virtutes sine intermissione sè declinet, gerens similitudinem fœcundæ bonitatis diuinæ naturæ, semper effluentis secundùm personalitatem cum donis suis ad omnes creaturas. Ac eadem cogitatione sine intermissione semper eminenter immaneat, vt in illam abyssalem claritatem continuè feliciter transformetur, similitudinem gerens diuinarum personarum, quæ singulis momentis refluunt in illam abyssalem diuinitatis essentiam, & fruitione felicissima absorbentur. Sic & huiusmodi stare debet inter fruitionem, & operationem semper essentialiter immanens, & inhærens per influxum in requiem fruitiuam, semperque se profundans in suum nihilum, id est, in diuinitatis caliginem, quę est summa beatitudo Dei, & Sanctorum eius. Et sic transformatur *à claritate* creata *in claritatem* increatam, per æternam suam imaginem, id est, per Patris Sapientiam, quæ est imago, & exemplar omnium creaturarum. In qua scilicet imagine viuunt omnes creaturæ, tam spirituales, quàm corporales: per hanc etiam imaginem effluunt omnes creaturæ in suam creatam essentiam, Dei similitudinem recipientes. Veruntamen iste felix ambidexter maiorem in hoc cæteris Dei similitudinem præfert, quia cum omnibus etiam virtutibus effluit, Dei similitudinem gerens, qui largiter effluit cum omnibus donis suis, & iterum immanens influit in æternam fruitionem, super omnia dona cum Deo vnum effectus. Et ideo dicitur persona communis in vtroque, scilicet promptissimus, & edoctus, ac summa nobilitate clarificatus. 2. Cor. 3.

Gradus sextus contemplatiõis supereſſentialis.

Sextus denique modus, & gradus hanc contemplationem cælesti Patri appropriatam perficiens, in monte Sinai, à Moyse deotè petebatur, dicens: *Si inueni gratiam in* oculis tuis, *ostende mihi gloriam tuam*. Et quod tunc impetrare non potuit, postmodum adipisci meruit, ita vt verè dicere poterat: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo*. In hoc gradu si constitueretur quispiam contemplatiuus, diuinam claritatem sine aliquo intermediante suscipiet, ita quòd sine intermissione fie- Psalm. 4.

ret eadem claritas, quam susscipit: & sic videns efficeretur in lumine penitus deiformi. Qui sic feliciter illustratus, æternum, & incessabilem affluxum dilecti sui conspiceret se sua claritate beatifica perfluentem. Quia nimirum abyssus, ex qua claritas illa radiat, quæ & ipsa claritas est, viuida pariter, & fœcunda est. Et ideo æterni luminis apparitio in abscondito spiritus absque cessatione renouaretur. Et quia felix influxus illius constat in æterno (nunc) sine tempore, qui nouo semper appetitu, & gaudio, iugiter susciperetur (cuius etiam vbertas deliciarum quam secum afferret, inscrutabilis est, & immensa) ideo nimirum oculi spiritus, quibus dilectum immanantem aspiceret, adeò patuli facti essent, quòd nunquam clauderentur, sed contuitus arcanæ manifestationis Dei maneret æternus: capacitasque spiritus in illius affluxu tanta amplitudine mox expanderetur, quòd eadem, quam capit, amplitudo protinus efficeretur. Sic ergo Deus Deo mediante comprehenderetur, & videretur, in quo tota nostra consistit beatitudo. At verò nulli omnino hominum hunc gradum contemplationis promittimus, neque promittere possumus, quòd singularissima priuilegia Sanctorum ad regulam trahenda non sint, quamuis neque etiam Dei liberalitatem ac benignitatem valeat ratio humana metiri.

Consurge nunc, ô anima deuota, gressibus contemplationis, & fruitionis æternæ ad omnimodam dilecti conformitatem, quia diuitias vniuersas, quæ in illo naturaliter sunt, nos in eo, & ipse in nobis mutuo amore possidemus, quoniam in illius summæ charitatis complexu cuncta desiderabilia plenis faucibus degustamus, eò quòd illic spiritus noster complexu quodam constringitur beatissimæ Trinitatis, immanens in ipsa supereminenti vnitate, feliciqué fruens quiete. Verùm, ipsa simplex abyssus exemplaris nostri, ponit semper *tenebras latibulum suum,* omnem modum prorsus excludens. Sed immensa claritas ex eo radians absconditum Dei in modum producit, & manifestat. Vniuersique sublimati supra suam creationem, in altitudinem vitæ contemplatiuæ cum hac deifica claritate vnum fiunt, imò ipsa claritas ipsi sunt. Inueniuntque se per hoc deificum lumen eandem esse simplicem diuinitatis abyssum, ex qua claritas diuino modo relucet, & in qua, secundùm simplicitatem essentiæ, perpetuè sine modo simplex intus manet. Vnde intimi contemplatores intellectuali contuitu consurgere debent, secundùm modum contemplationis,

Psalm. 17.

tionis, supra rationis discretionem, & supra suum esse virtute luminis, diuinitus generati, vt sic de *claritate in claritatem*, tanquàm à Domini spiritu transformentur, & cum eo lumine, quod vident, & quo vident, vnum fiant. Veruntamen progressum practicum illius mirabilis transformationis, in qua spiritus noster ficà diuino spiritu feliciter agitur, vt illam nobilissimam filiationem æternæ lucis sortiatur (quia *qui spiritu Dei aguntur, filij Dei sunt*) penitus reticere statui, ne temerariè videar irrumpere velle, discutiendo illa secretissima diuina mysteria: hoc ipsum duntaxat experimentalibus contemplatoribus ruminandum relinquens, vt reliquiæ cogitationum diem festum agant sibi. Scio nanque qui dixit: *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Rom. 8. Prou. 25.

Cùm igitur in hac transformatione felicissima, sic sinum Patris per Filium in ipsa spiritus sui deiformi lympiditate possederit anima, tunc feliciter lumine diuinæ veritatis illustrata, æternam Filij generationem semper in se nouam singulis momentis suscipiet. Et iuxta modum luminis, in diuinam contemplationem, per amorosam consurrectionem exiet. Inspiciatergo Patrem, veluti viuidam Trinitatis originem, cum omnibus in se viuentibus in Filium, quasi in æternam suam Sapientiam actiuè conuersum. Inspiciatque eandem Sapientiam, & vniuersa in ea viuentia, in Patrem, velut in principium suum, vnde ab æterno originatur, actualiter reflexam. Ex occursu verò Patris, & Filij tertia procedit in Trinitate persona, scilicet Spiritus sanctus, amor, & nexus amborum, vnum eisdem identitate naturæ, qui Patrem, & Filium, cunctaque in eis viuentia tanta diuitiarum, & gaudiorum immensitate tam actiuè, quàm fruitiuè penetrando complectitur, quòd vniuersas creaturas hinc æternaliter silere oporteat. Quia incomprehensibilia, & miranda, quæ in amoris huius infinitissimo thesauro sunt contenta, omnium creaturarum intellectum in infinitum excedunt. Sed vbi hæc ipsa sine admiratione aliqua gustantur, & intelliguntur, ibi spiritus supra seipsum translatus, & in vnitate viuidę abyssi Deo totaliter vnificatus est, gustans, & videns immensas diuitias, quæ Deus est, & hoc sine obumbratione vicissitudinis. Quia Pater, & Filius, æterno beneplacito, & amoroso complexu in alterutrum sese transfundunt: & hoc æterno amoris nexu iugiter renouatur. In quo nimirum amore perpetuò sumus & nos per Spiritum sanctum amabiliter circumplexi. Qui scilicet complexus in suo fun-

Generatio diuina, vt fiat semper noua in anima.

do fruitiuus est, & modi nescius, eò quòd infinita vastitas deitatis adeò caliginosa est, & expers modi, quòd omnem modum, & opus omne diuinum cum personarum proprietatibus opulento complexu essentialis vnitatis comprehendit, diuinam fruitionem in abysso innominatæ diuinitatis generãs. Et in hoc gradu celebratur fruitiuus quidam excessus, ac in ipsam essentiæ simplicitatem diffluens ingressus. In quam velut innominatã abyssum deitatis vniuersa diuina nomina, & modi quilibet, cunctæq; viuæ rationes in speculo diuinæ veritatis relucentes, tanquam in omnium nominum, modorum ac rationum voraginem absorbentur. Quia nimirum in hac inuestigabili diuinæ simplicitatis abysso, beatitudine fruitionis omnia complectũtur. Personas enim, & vniuersa in Deo viuẽtia cedere hic oportet, cùm non sit hîc aliud, quàm æterna quies in amplexu fruitiuo amorosissimæ absorptionis, quam omnes contemplatiui spiritus super omnia feliciter elegerunt. Quam & nos, & in præsenti prægustare, & in futuro possidere faciat Iesus Christus, Sapientia Patris, Deus de Deo, lumẽ de lumine, qui cum eodem Patre, & Spiritu Sancto super omnia sit benedictus in sæcula. Amen.

D. HENRICI HARPHII
THEOLOGIAE MYSTICAE, LIBRI IIII.
PARS QVINTA.
Amoris diuini nouem gradus in se complectens.

Amoris gradus primus dicitur Amor incomparabilis.
Cap. XXXI.

AMICE ascẽde superius. Lucę decimoquarto. Quæritur: Vtrum charitas infunditur secundùm quantitatem naturaliũ, præsertim cùm dicitur apud Matthæum: *Dedit vnicuique secundùm propriam virtutẽ.* Matth. 25. Sed charitatem nulla virtus præcedit, nisi virtus naturalis: & ideo videtur, quòd secundùm capacitatem virtutis naturalis infunditur homini charitas, sicut:

Sicut etiam Angelis charitas, & alia dona gratuita data sunt secundùm capacitatẽ naturalem, vt tangit Magister Sentent. lib. 2. Ad hoc breuiter respondetur, quòd vniuscuiusque quantitas dependet à propria causa rei, quia vniuersalior causa maiorẽ effectũ producit. Charitas autem cùm excedat proportionẽ humanæ naturæ non dependet ex aliqua naturali virtute, sed ex sola gratia Spiritus Sancti eam infundentis. Et ideo quantitas eius non dependet ex conditione naturæ, vel ex capacitate naturalis virtutis, sed solũ ex volũtate Spiritus, prout vult sua dona tribuentis. Et licèt dat *vnicuique secundùm propriam virtutem*, id est, secũdùm dispositionem, præparationẽ, & conatum gratiã ipsam recipientiũ, hanc tamen dispositionem, vel conatum Spiritus Sanctus præuenit, mentem mouens plus, vel minus, secũdùm suam voluntatẽ. Angelus verò cùm sit naturæ intellectualis, & secundùm suã conditionem ei competat, quòd totaliter feratur in omne id, in quod fertur, ideo in superioribus Angelis fuit maior conatus, tam ad bonum in perseuerantibus, quàm ad malum in cadentibus. Hinc est, quòd superiores Angeli persistẽtes, facti sunt meliores inferioribus, & cadentes peiores. Sed homo naturæ rationalis est, cui competit esse, quandoq; in potentia, & quandoq; in actu: & ideo non oportet, quòd feratur totaliter in id, in quod fertur. Sed eius qui habet meliora naturalia, potest esse minor conatus, & è conuerso. Ex quo sequitur, quòd charitas viæ semper augeri potest. Ex hoc enim viatores dicimur, quòd in Deũ per charitatẽ, mẽtis affectibus tendimus, qui est vltimus finis nostræ beatitudinis. Per ipsam enim mens peruenit ad Deũ, & vnitur eidem. Hinc etiã Apostolus ipsam charitatẽ viam nominat, dicens: *Adhuc autẽ excellentiorem viã vobis demonstro.* Et ideo nõ immeritò Christus ait his, quos sibi charissimos efficere desiderat: *Amice ascende superius.*

Angelorũ charitas.

Viatores cur dicamur.

1. Cor. 12.

Lucæ 14.

Pro quo sciendum, quòd, secundùm Augustinum, pes animæ amor est, & amore mouetur anima, velut ad locum quo tendit, scilicet ad dilectionem bonam, vel malam. Quare peccator etiam à Deo longè abijsse dicitur, non quidem loco, sed dissimilitudine, scilicet mala vita, malis moribus: quia quisque amando Deum, accedit ad Deum; & amando iniquitatem, recedit à Deo: nusquam pedes mouet, & tamen recedit, & accedit. *Beatus* igitur *cuius est auxilium abs te* Domine. Hic enim *ascensiones* per gradus amoris, *in corde suo disposuit in valle lach ymarum.* Vnde ad nostram instructionem nouem gradus scalares amoris distinguere curabimus, quos fidelis Christi seruus

Pedes animæ qui.

Psal. 83.

conscendère non omittat, vt post horum felicem ascensum, tanquam verus amicus Dei, regni illius particeps esse valeat. Et hos quidem gradus, ad maiorem euidentiam, nouem proprietatibus ignis assimilare placuit, eò quòd amor Dei *ignis consumens est*, non naturam, sed omnem dissimilitudinem. Ignis igitur primò naturam habet purgatiuam, qua scilicet metallorum consumit rubiginem. Agendo nanque in substantiam metalli, tandem ipsam calore dissoluit, & separat si quid rubiginis inuenit, idque consumit. Quòd si metallum omnino purum est, violentia quidem caloris dissoluitur, sed non consumitur. Aurum enim perfectè iam depuratum, quamuis per calorem dissoluatur, non tamen in suo pondere minoratur. Et hæc proprietas ignis amorem nobis repræsentat, qui dicitur incomparabilis, sine quo scilicet nulla pœnitentia peccati rubiginè consumere potest. Est autem infimus amoris gradus, communis omnibus electis, tantæque virtutis, quòd omne peccatum mortale ab anima depellit, quia Deum super omnia diligit. Alioqui, vt dicitur apud Matthæum: *Qui diligit patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Et qui diligit filium aut filiam* plus quàm *me, non est me dignus. Et qui non* tollit *crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Ad hunc autem amorem amplectendum inducit nos Anselmus, dicens: Quòd creatura rationalis nihil diligere debet, nisi summam essentiam, & alia propter istam.

Ignis vt purget.

Amor incomparabilis.

Matth. 10.

Cuius ratio est: Quia illud, in quo summa reperitur diligibilitas, summè diligi debet: sed hoc est in solo Deo, quare meritò summè diligendus est. Porrò, secundùm Gregorium, Ille verè Deum amat, cuius mentem praua delectatio ex consensu non superat. Nam tantò quis ab amore superno disiungitur, quantò inferius delectatur. Oportet enim quòd ille mundi huius amorem postponat, qui dilectione Dei repleri desiderat. Hinc etiam dicit Hugo, quòd tunc quis liberè se spiritualibus per amorem conglutinat, cùm de terrenis affectibus nihil supereſt, quod eius mentem in aliena desideria conuertat. Itaque tempus scindendi est, vt prius homo mentem à desiderijs terrenis auellat: postea tempus consuendi, vt animo per amorem spiritualem æternis bonis adhærere incipiat. Sic quippe consuuntur humana, & diuina in vnum, vt quæ duo fuerant per naturam, vnum fiant per gratiam. Compunctio siquidem acus est, & dilectio filum: acus viam facit, & perforat vtrunque, vt filum vtrunque contineat. Hæc ille.

Scien-

Sciendum tamen, quòd hic gradus amoris non est de facile discernibilis ab amore naturali, mercenario, vel acquisito. Et ideo vocatur hic amor occultus, eò quòd in effectibus suis apertè non sentitur. Dicit autem Apostolus, *Christum habitare per fidem in cordibus* nostris. Fides verò Catholica hæc est, quòd qui conscientiæ puritatem conservauerit, & mortalia non commiserit, licèt in magnis se nondum exercitauerit, tamen in eius corde credimus esse Deum. Sed in his, qui prædictum amorem adepti sunt, iuxta verbum Psalmistæ, *vestigia tua* Domine *non cognoscentur*. Quia talis amor adhuc impotés est ad ardua perficienda, & languens circa minima. Vt illum tamen ab alijs discernamus, sciendum est secundùm Thomam secunda secũdæ quæstione decimaoctaua, quòd amor mercenarius semper est malus, quia diligit Deum propter temporalia: quod secũdùm se charitati repugnat, quia temporalia ponit tanquam principale dilectionis, de qualibus dicit Psalmus: *Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei*, id est, duntaxat in prosperis à te sublimatus. De dilectione proinde, per exercitium acquisita, dicit Bonauentura super primum Sententiarum, distinction. decima septima: Quòd charitas, quæ facit hominem gratum Deo, & Deum gratum homini, non est certitudinaliter cognoscibilis propter quatuor causas: quarũ vna est similitudo illius charitatis ad dilectionẽ acquisitam. Potest enim contingere, aliquem inflãmari ad amandum Deum per assuefactionem, qui corruet per aliquod spirituale peccatum, & tamen per dilectionem acquisitam semper afficietur ad Deum: vt patet per beatum Bernardum in libro de amore Dei, vbi de deuotione superbientes reprehendit. Vnde ex hac affectione sic inflammante quis se præsumit esse in gratia. Et hic status est periculosissimus. Præterea quadam naturali dilectione diligit humana natura Deum tanquam primum principium, à quo sortitur esse suum. Naturaliter enim mouetur ad amorem summi boni, vt dicit Bernardus in libro de diligendo Deum: Inexcusabilis est omnis infidelis, si non diligit Dominum Deum suum ex toto corde suo, ex tota anima sua, & ex tota virtute sua. Clamat nempe intus ei innata & non ignota rationi iustitia, quòd ex toto illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat. Denique, tam similis est talis amor naturalis in actibus exterioribus ipsi charitati, sicut sibi similes sunt vnius capitis duo capilli: intentiones tamen amborum omnium sunt dissimiles. Quia verus amator semper intendit & quærit honorem Dei & eius beneplacitum: naturalis

Amor incõparabilis, vt discernatur à naturali. Ephes. 3.

Psal. 76.

Mercenarius amor.

Psal. 48.

Amator verus q̃d quærat.

ralis autem amator sibimet proprioque lucro semper intendit in omnibus exercitijs suis & operibus virtuosis. Et ideo, licèt in effectibus exterioribus vehemens amator & ardens videatur, nequaquam tamen Deo suo per amorem vnificari potest: quia cùm natura recurua sit ad seipsam, omnis homo supernaturali gratuitaque dilectione vacans, ad seipsum in omnibus reflectitur, requiem quærens in rebus externis: quia à Deo auersus, & ad se naturali dilectione conuersus, affectat dulcedines & solatia: quorum appetitu mouetur intrinsecus, licèt quandoque compunctus ad horam, eadem deflere & detestari videatur, *ad tempus* credens, *& in tempore tentationis* recedens. Et sic amore naturali præponderante, simul in quatuor peccata prolabitur, scilicet in superbiam, cupiditatem, gulositatem, & luxuriam. In qua nimirum Adam in Paradiso per ordinem lapsus est: quia mandatum DEI superbiendo contempsit: instinctu cupiditatis, sapientiam concupiuit: motu gulositatis, delectamentum saporis illiciti quæsiuit: & post hæc motu carnis ad libidinem insaniuit. E conuerso verò beata virgo Maria, quæ facta est mater veri amoris, charitate sinceriſsima ad Deũ conuersa, Christum concepit profundiſsima humilitate, quem obtulit Patri, cum vniuersis opprobrijs suæ passionis, beneuolentiſsima largitate, nec vllius vnquam doni sapore abutebatur tenuiſsima gulositate, sed omnis eius vita semper fuit puriſsima castitate redimita. Et hæc omnia prodibãt ex radice diuini amoris, qui *non quærit quæ sua sunt*, sed *quæ IESU CHRISTI*. Quamobrem Hugo ad charitatẽ loquens, ait: O charitas, si scirem quanti valeres, pretium appenderem pro te. Sed fortè excedis angustias meas, nec inuenire potero pretium tuum penes me. Dabo tamen quod habeo, & totum quod habeo. Et cùm totum dedero, totum quasi nihil reputabo. Omnes delectationes carnis meæ, omnes iucũditates cordis mei, propter te libenter impendã, vt te solùm possidere valeam. Tu sola mihi charior, vtilior & suauior, tu sola iucundior: amplius delectans, abundantius satians, tutius saluans, & felicius conseruans.

Luc. 8.

Peccatum Adæ quadruplex.

Mariæ beatiſsimę perfectio.

1. Cor. 13.

Charitatis pretium.

Ad cognoscendam igitur charitatis huius euidentiam, sciendum, quòd ad hoc præcipuè tria signa possunt assignari. Primum est, odium peccati. Non enim sufficit peccata deplangere, & de eis dolere (prout dicit sanctus Thomas super quartum librum Sententiarum distinctione duodecima) quoniam hoc fieri potest propter aliquod incommodum vel scandalum temporale vel æternum: sed oportet, quòd ad ea

Amoris incõparabilis signa quæ.

Odiũ peccati.

homo

ſionro etiam verum ſentiat odium. Nam ſicut amor verus in amati conſideratione delectationem parit, ſic odium peccati per recordationem verâ de ipſo parit triſtitiam. Porrò, ratio huius ſigni eſt, quia culpa mortalis & charitas opponuntur, & ideo in eadem voluntate perſiſtere non poſſunt. Vnde Auguſtinus ſuper Iohannem homilia octaua dicit. Quòd radix omnium bonorum eſt charitas, & radix omnium malorum eſt cupiditas. Et ambo ſimul ſtare non poſſunt, quia niſi vna radicitus euulſa fuerit, alia plantari non poteſt. Ideo ea meritò ſunt odienda, quæ charitati, quæ nos Deo coniungit, imò deos efficit, tantopere ſunt contraria. De hac charitate dicit Hugo: O charitas, neſcio ſi fortè maius ſit dicere, te Deum, an Deum te ſuperaſſe. Quòd ſi maius eſt Deum eſſe, etiam hoc libenter & fiducialiter de te dicam, *Deus charitas eſt.* Nunquid parum eſt, Deum in ſe manentem habere? tantum eſt charitatem poſsidere. Hoc enim priuilegium ſola charitas habet, vt Deus dicatur & ſit. Non enim dicitur, Deus humilitas eſt & patientia: quia cùm omnis virtus donum Dei ſit, nulla præter charitatem hoc habet, vt non ſolùm donum Dei, ſed & Deus dici poſsit. Reliqua proinde dona gratiarum largitur Deus etiam his, quos reprobat, ſolam autem charitatem, velut ſeipſum his tantùm quos diligit, in præmium ſeruat. Vnde cõcludit beatus Bernard. dicens: *Deus charitas eſt*, quid pretioſius? *& qui manet in charitate, in Deo manet:* quid ſecurius? *& Deus in eo:* quid iucundius? 1. Iohan. 4.

Propoſitũ cauendi omne peccatum.

Secundum verò ſignum huius charitatis eſt, firmum habere propoſitum cum effectu in futurum cauendi peccata, & eorum occaſiones. Quod quidem propoſitum ſtabiliri non poteſt, niſi quis in operibus pœnitentiæ ſe exerceat. Quæ profectò neceſſaria ſunt, non ſolùm ad ſatisfactionem præteritorum, ſed etiam ad præſeruationem futurorum. Huius itaque ſigni ratio eſt: Quia tale propoſitum per amorem naturalem vel dilectionem acquiſitam ſine adiuuante charitate nequaquam haberi poteſt. Dicit enim Auguſtinus in libro Retractationũ capite 8. Quòd ipſa voluntas, niſi per gratiam liberetur à ſeruitute diaboli, qua facta eſt ſerua peccati, & per gratiam ordinetur, rectè pieque per ſe viuere, diu à peccatis mortalibus abſtinere non poteſt. Licèt enim propter ingenitam libertatem quodlibet mortale vitare poſsit, propter infirmitatem tamen carnis omnia diu vitare non poteſt, quin in aliquod eorum incidat. Præcipuum autẽ, quod nos à mortali peccato retrahere debet, eſt excellentiſsima nobilitas

Peccatum morrale quidnam vitare faciat.

ſtatus gratiæ. Quia Deus fidelem animam per vinculum charitatis in ſponſam Chriſti, & in templum Spiritus ſancti conſecrat. Nam anima ſancta, diuina charitate dotata, cenſetur Chriſti ſponſa, per Sacramentum baptiſmatis eidem copulata. In cuius argumentum ab illo arrham bonam, remiſſionem ſcilicet peccatorum, & Spiritus ſancti donum accepit. De quo dicit Richardus: Quòd verus animæ ſponſus Deus eſt: quem nunc veraciter nobis copulamus, quando ei per verum amorem inhæremus. Imò verò tunc ille nos ſibi cõnectit, quando nos quibuſdam internis commercijs, ad ſummum amorem arctius aſtringit. Vnde fit, vt qui prius conſueuerat multum formidare, poſtmodum incipiat ardenter amare. Ad quod etiam Auguſtinus animam hortatur, dicens: O ſponſa ſponſum habes, & neſcis. Pulcherrimus omnium eſt, & tamen ſpeciem eius non vidiſti. Ille autem te videt, quia niſi te vidiſſet, non te diligeret. Quid ergo ages? Nunc illum videre non poteris, quia abſens eſt: & ideo non times, nec erubeſcis illi iniuriam facere, quòd ſingularem eius amorem contemnis, & amatori alieno te turpiter proſtituis. Noli ſic facere; ſed ſi adhuc ſcire non potes qualis ille ſcit, qui te diligit, conſidera ſaltem arrham, quam tibi dedit: & ſic poteris cognoſcere, quo affectu illum diligere, quo ſtudio & diligentia illi te debeas conſeruare. Magnum enim eſt quod tibi dedit, ſed maius eſt quod te diligit. Quid tibi dedit, ô anima mea, ſponſus tuus? Reſpice mundum vniuerſum, & conſidera, ſi in eo ſit aliquid quod tibi non ſeruiat. Omnis natura ad hunc finem curſum ſuum dirigit, vt obſequijs tuis famuletur, & vtilitati tuæ deſeruiat. Quis putas hoc inſtituit? certè Deus. Beneficium igitur accipis, & datorem non agnoſcis? O quàm ſtultum eſt, amorem tam potentis non concupiſcere; & quàm impium, tam multum diligentem non reamare. Dilige ergo illum propter ſe, & dilige te propter illum. Dilige illum, vt illo fruaris: dilige te, vt ab illo diligaris. Dilige in donis illius, quæ tibi data ſunt ab illo, ipſum tibi, & te illi: quia hæc pura & caſta dilectio eſt, nihil habens ſordidum, nihil amarum, nihil tranſitorium.

Deus vt ſit ſponſus animæ.

Tertium denique ſignum huius charitatis eſt, quòd quis de aliorũ defectu vel caſu contriſtatur, & de profectu congratulatur, vt impleat mandatum Dominicum, quo dicit: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat.* Nimirum cùm verorum amicorum eſt idem velle, & idem nolle. Et ideo dicit Auguſtinus in epiſtola quadã: Quòd

Vt quis de aliorũ caſu doleat, & profectu gaudeat. Lucæ 15.

quĩ

qui non dolet de malis proximi, non est in eo charitas DEI. *Charitas* enim non *congaudet* propriæ vel alienæ iniquitati, sed magis *veritati*. Quia cùm quis peccatum propter se, non propter aliud quodcunque commodum consequendum, vel incommodum præcauendum detestatur & odit, in hoc ipso omne peccatum odio habet cum Psalmista dicente: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum.* &c. Et iterum: *Omnem viam iniquam odio habui.* Vnde proprium exercitium huius charitatis est, incessabili detestatione & auersione luctari cum vitijs & concupiscentijs. 1.Cor.13. Psal.118.

De secundo scalari gradu amoris, qui dicitur Amor semper mobilis. Cap. XXXII.

QVærit Doctor sanctus, secunda secundæ, quæstione vigesimaquarta: Vtrum in quolibet actu charitatis ipsa charitas semper augeatur, præsertim cum Gregorius dicat, quòd in via Dei stare, est retrocedere: sed nullus, cùm mouetur actu charitatis, retrocedit, & ideo meritò dicendus est procedere. Quare congruum videtur, quòd in quolibet actu charitatis augmentum recipiat. Ad hoc respondet ibidem, quòd augmentum spirituale charitatis quodammodo assimilatur augmento corporali in animalibus & plantis, in quo non est motus continuus, ita scilicet, quòd si aliquid tantum augetur in tanto tempore, necesse sit quòd proportionabiliter in qualibet parte temporis illius aliquid augeatur: sed per aliquod tempus natura disponens operatur ad augmentũ, actu tamen nihil augẽs, sed postmodũ producit id in effectum, ad quod disposuerat augendo, scilicet animal vel plantam in actu. Sic etiam non in quolibet actu charitatis augetur ipsa charitas actu, sed quilibet actus charitatis disponit ad eius augmentum, quia semper redditur promptior ad agendum secundùm charitatem. Et sic habilitate crescente, prorumpit quis in actum dilectionis feruentiorem, quo conatur ad charitatis profectum, & tunc charitas augetur in actu.

Vnde licèt quilibet actus charitatis augmentum mereatur, non tamen statim augetur, sed tunc solùm cùm quis ordinatur ad huiusmodi augmentum. Nihilo minus tamen semper in via Dei procedit, non solùm dum actu charitas augetur, sed etiam dum disponitur ad augmentum. Præterea, quod est magis amplectendum, Charitas semel acquisita, licèt per mortale possit omnino corrumpi, tamen per veniale

Charitas vt in quolibet actu augeatur.

Peccatum veniale qd faciat in charitatẽ.

nõ potest diminui. Quia cùm quis delinquit in minori, non meretur pati detrimentum in maiori; eò quòd Deus se non plus auertit ab homine, quàm homo se auertit à DEO. Hinc est, quòd per veniale (quod opponitur feruori charitatis) non potest ipsa charitas diminui; cui tantùm opponitur culpa mortalis. Ad corruptionem tamen charitatis homo disponi potest per venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum charitatis. Præterea virtutes ab actibus acquisitæ per cessationem ab actu diminuuntur, sicut ait Philosophus octauo Ethicorum: Quòd multas amicitias in appellatione soluit, non appellare amicum, seu illi non colloqui. Quod est ideo, quia conseruatio cuiusque rei, dependet à sua causa. Cùm igitur causa virtutis acquisitæ sit actus humanus, ideo cessantibus actibus humanis, virtus acquisita diminuitur, & tandem totaliter corrumpitur. Sed hoc in charitate locum non habet, quia non causatur ab humanis actibus, sed solùm à Deo. Hinc est quòd actu cessante, charitas propter hoc non diminuitur, nec corrumpitur, quamdiu desit mortale peccatum. Sed quia (vt dictum est) per multiplicata venialia, vel per cessationem ab operibus charitatis, quis disponitur ad corruptionem charitatis, ne diuinum hoc donum in vacuum recipiat, studeat quisque, iuxta possibilitatem suam, gradum hunc charitatis ascẽdere: qui dicitur Amor semper mobilis, ne surda pertranseat aure quod dictum est, *Amice ascende superius*.

Ignis vt sit semper mobilis.

Secundò igitur ignis naturam habet alijs elementis mobiliorem, vt dicit cõmentator super Dionysium de cælesti Hierarchia. Et ideo dicitur semper mobilis & potens omnium, quia in igne principium est virtutis motiuæ, qua se mouet & alia, nec ab aliquo inferiori se mouetur, sed virtute solis mouetur, & ad quamlibet admixtionem virtute solis inferius descẽdit: sicut terra mouetur ab orbe stellarũ fixarum, & ideo diuersæ rerum species in ipsa generantur. Vnde diuersę figuræ terrestrium correspondent diuersis imaginibus stellarũ. Aqua verò mouetur ab orbe lunari, prout patet in fluxu & refluxu maris. Et aër, propter multitudinem motuum in ipso, mouetur ab alijs quinq; planetis, qui sunt multorum motuum. Ex quibus liquet, quòd motus solis est nobilior, potentior, & efficacior alijs motibus. Sic nimirum humana mobilitas diuersis mouetur affectibus & concupiscentijs. Actio tamen solis iustitiæ vigorem nobis suæ charitatis ingerẽs, humanũ affectum efficacius mouet ad operationẽ virtutũ, vtpote in operatione sua po-

sua potētissima. Et ideo gradus istius amoris bene dicitur Amor semper mobilis: quia, secundùm Linconiensem, tollit interruptionē motionis in amatore. Semper enim diligit, tam in aduersis, quàm in prosperis, is qui verus amicus est. Et secundùm Gregorium, Amor operatur magna si est: si autem operari renuit, amor non est. Hic autē amoris gradus adeò quandoque cor nostrum igne charitatis accendit, quòd eius virtute omnes vires sensitiuæ concurrentes in suam originē, cordis sui concelebrant vnitatem. Quam memo verè possidere potest, nisi in cuius corde Spiritus sanctus ignem sui amoris accendit. Vbi anima velut in regali lectulo recubans, in pace suauiter requiescit. Ex hac verò cordis vnitate compunctio generatur, nō quidem doloris, sed amoris. Quia tunc anima in se diuinæ visitationis operationem attendens, ad reamandum compungitur, & ad vicem reddendam diuinæ liberalitati, totis vitalibus inardescit, ita quòd ea iam incipiunt dulcescere, quæ prius amara laboriosaque videbantur.

Amor semper mobilis.

Cōunctio amoris vnde.

Ex qua compunctione mox oritur quidam amoris affectus, cor & vim appetitiuam penetrans. Est enim amoris affectus, sapidus cordis appetitus in Deum, tanquam in summum bonum, omnis boni contentiuum, qui creaturis omnibus valedicit, ne earum abusu sensuales concupiscentias foueat, quia sentit se interius æterno contactum amore, cui super omnia operam dare concupiscit. Et ideo facilè cōtemnit omnia, vt id, quod diligit, assequatur. Cæterùm ex hac affectione plerumq; cōsurgit quædā cordis vigorosa deuotio, diuineq; laudis & honoris prodiga flamma, quasi flāma altaris incensi, in qua scilicet thymiama gratitudinis, boni odoris adoletur, quòd in igne non redolet alieno. Hoc autem thymiama conficitur ex omnibus speciebus pretiosissimis beneficiorum Dei, in creatione, recreatione, gubernatiōe, glorificatione, & similibus. Quas in nobis congerit cōpunctio, cōterit affectio, incendit deuotio, & olfactui diuino in redolentem odorem laudis offert gratitudo. Ex gratitudine proinde nascitur in corde geminus dolor. Vnus quidem ex defectu diuinæ laudis, honoris, & gratiarum actionis. In quo nimirum se perpendens deficere Psalmista: *Quid*, inquit, *retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Alius autem pro profectu & incremento virtutum, quas ad votum consequi non prævalet, quia necesse est huiusmodi hominem diuersis adhuc affectionibus & tentationibus agitari. Quia stimulus internus diuinæ visitationis, in hoc gradu amoris, adfert & aufert; pauperem facit, & ditat;

Affectus amoris.

Thymiama mysticum quod, quomodoq; cōficiatur.

Gratitudo vt generet dolorem duplicem. Psal. 115.

ditat; humiliat, & subleuat; subtrahit delicias, & congerit; nunc gaudium ingerit, nunc mœrorem; sperare facit, & desperare. Nec dici possunt contraria, quæ alternatis vicibus in hoc gradu contingunt. Cùm enim Deus amatorem suum deserendo se subtrahit & abscondit, ita quòd cor amantis affectu mox arido sterilescit, tunc se pauperem inuenit & tepidum; velut à Deo derelictum, & ab omni dulcedine desolatum. Sedensque cum Iob in sterquilinio desolationis, ad mentem iucunda & grata deuotionis tempora, flebilibus oculis reuocare non desinit. Deinde lentescit agilitas in exercitijs virtutum, reuiuiscit sensualitas in oblectatione vitiorum, sapor spiritualis desipit, opus pœnitentiæ amarescit. Et sic totus decursus amoris illius, dubius esse videtur, dum tales in se mutationes nouarum affectionum agnoscit: per quas peccatum, quod prius per frequentiam placens delectabat; postmodum per pœnitentiam displicens cruciabat. Quæ quidem pœnitentia dolore & horrore vitiorum adornata, certissimum signum est diuinæ præsentiæ: cuius spiritus licèt in se dulcissimus sit, miro tamen modo doloris amaritudinem in nobis operatur. Et quod amarum est, sentitur in pœnitentia & operibus pœnalibus. Sicque Spiritus sanctus partim notus efficitur ex mutatione affectus, & partim ignotus: quia ex sui præsentia * peregrinam facit impressionem in anima; scilicet amaritudinem, cùm ipse sit totus dulcis. Cuius si causam inquiris, respondeo; quòd hoc prouenit ex accipientis inhabilitate. Cùm enim multorum malorum se reum agnoscit, Spiritum sanctum aliter, quàm velut offensum, arguentem, & iratum, accipere non potest, licèt naturalem suam dulcedinem non relinquat. Non ergo prouenit ex amaritudine venientis, sed ex infectione recipientis. Sicut si quis dulcem potum & saporosum degustans, ex infecto palato felleum iudicat & amarum: sic nimirum anima paulò ante diuersis vitijs & concupiscentijs, detestabili fœditate corrupta, ac nec dum plenè mortificata, non tam celeriter & frequenter ad internos sponsi complexus admittitur, licèt ad hoc etiam magno conatu laborare videatur, donec se moribus & virtutibus debitè studuerit adornare. Vnde Hugo de arrha animæ, cum eadem conferendo, sic ait: Si ego electa sum, cur quæso adhuc differor, quoniam ad amplexus sponsi nondum venire possum? Nescis ô anima mea, nescis quàm fœda prius fuisti, quàm deformis, quàm polluta omni horrore & enormitate plena? Et quomodo tam citò in illum pudoris & castitatis thalamum

* Aliàs, primò grauè.

lamum expetis introduci, nisi prius saltem aliqua cura & studio exculta ad pristinum decorem repareris? hoc est, cur sponsus tuus adhuc præsentiam suam tibi subtrahit, & necdum ad mutuos amplexus & oscula dulcia te admittit: quia nec polluta debet mundum tangere, nec turpem decet mundum videre. Cùm autem præparata, & decenter ornata fueris, tunc demum in illum cælestis sponsi thalamum intrabis, sine confusione permansura.

Signa amoris semper mobilis tria quæ? Promptitudo boni operis.

Restat igitur videre de signis huius amoris, quę similiter tria distinguuntur. Primum signum est promptitudo boni operis, quia charitas est maximè operatiua: & ideo imperat omnem actum ordinatum & ordinabilem, quoniam probatio dilectionis exhibitio est operis. Cùm igitur proficere volenti necessarium est, vt opera bona feruore deuotionis, & spirituali dulcedine condiantur, vt sic in hilaritate cuncta fiant, & Domino, qui *datorem hilarem diligit*, grata reddantur, summa vigilantia propriæ mortificationi iugiter insistendum est, in omnibus his, quæ fallaciter præsens offert mundus. Quia præoccupatum secularibus desiderijs animum, delectatio sancta declinat: nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia carnalibus, ima summis, vt quis pariter sapiat *quæ sursum sunt*, & *quæ super terram*, eò quòd delicata consolatio diuina non datur admittentibus alienam, vt sic à peregrinis consolationibus abstracti, & proprijs concupiscentijs mortificati, diuinam dulcedinem valeamus prægustare, ac cum debita continuatione opera Deo grata, spirituali iucunditate perficere: quod est huius amoris officium, qui semper luctatur cum inordinatis affectionibus, etiam venialibus, & passionibus naturalibus. Vnde etiam alio nomine gradus iste vocatur amor incontaminabilis, quia hominem à mundana conuersatione per affectum retrahit, ne mens etiam venialibus nimium polluatur, & ab operatione sua charitatis feruor impediatur, aut etiam passionibus naturalibus in aliquo deprimatur. Vnde Bernardus super illud Apostoli, *Charitas patiens est*, sic ait: Sola *charitas* est, quæ in aduersis non deficit, quia *patiens est:* quæ iniurias non rependit, quia *benigna est:* quam felicitas aliena non cruciat, quia *non æmulatur:* quam conscientia non pungit, quia *non agit perperam:* quæ in honore non extollitur, quia *non inflatur:* quæ in abiectione non confunditur, quia *non est ambitiosa:* quam cupiditas non coarctat, quia *non quærit quæ sua sunt:* quam contumeliæ non prouocant, quia *non irritatur:* quam sinistræ suspiciones non defœdant, quia

Amori huic proprium quod.

1. Cor. 13.

non cogitat malum: quam aliena mala non lætificant, quia *non gaudet super iniquitate*: quam errores non excæcãt, quia *congaudet veritati*: quã persecutiones non frangunt, quia *omnia sustinet*: quam perfidia non indurat, quia *omnia credit*: quam desperatio nõ absorbet, quia *omnia sperat*: quam mortis separatio non intercipit, quia *nunquam excidit*. O insuperabilis virtus charitatis, quæ ipsum quoq; insuperabilẽ superasti, & cui omnia subiecta sunt, quodammodo subiecisti, dum victus amore Deus, factus est *opprobrium hominum, & abiectio plebis*. *Propter nimiam* eius *charitatem, quæ dilexit nos*, vltra continere non potuit *in ira sua misericordias suas*, quo minus dilectam animam suam inimicis exponeret pro amicis. Quòd *si contra Deum fortis fuisti*, ô charitas, *quãto magis* aduersus *homines* meritò *præualebis*?

Psal. 21. Ephes. 2. Psal. 76. Genes. 32.

Quies abstractionis, & solitudinis.

Secundum signum est diligere quietẽ abstractionis & solitudinis, nõ solùm affectu, sed etiam effectu, quantum potest à mundana conuersatione & tumultu hominum se subtrahendo. Cuius ratio est, quoniam ignis amoris in hoc gradu, separare studet omne inconueniens amato ab amante, sicque amans ab amato, in solitudinem trahitur, ibique lactatur, vt interna dulcedine repleatur. Vnde diuinus amor, quantò plenius omnẽ alium affectum eliminat, tantò frequentius & abundantius eam interna dulcedine recreat. Et quia (vt dicit Hugo de arca Noe) Deus rationalẽ spiritũ creauit sola charitate, & nulla necessitate, vt eum suæ beatitudinis participem efficeret, & vt idẽ aptus esset tanta beatitudine perfrui, fecit in eo dilectionem spiritualẽ, palatum quodãmodo per hãc illum sensificãs, ad gustũ internæ dulcedinis, quatenus per ipsam dilectionem ei infatigabili desiderio inhæreret. Per dilectionem ergo copulauit sibi Deus rationalem creaturam, vt illi semper inhærendo, ipsum, quo beatificãda erat, bonum, & ex ipso quodam modo per affectum sugeret, & de ipso per desiderium biberet, & ipsum per gaudium possideret. Vnde creatura rationalis ab omnibus se subtrahendo meritò soli Deo vacare deberet, vt sic diuinum illud susurrium plenius adipisci valeret. Fuge ergo ô fidelis anima, dilectum quærens in solitudine, vt sugas & bibas dulcoris illius inenarrabilem suauitatem, immergere & replere, quia ille nescit deficere, si non incipias fastidire. Adhære denique, & inhære; sume, & fruere. Quia si gustus sempiternus fuerit, sempiterna quoque beatitudo erit.

Verba amatoria.

Tertium verò signum est delectatio in verbis amatorijs audiendo vel referendo. Nam amantes in sermonibus amatorijs delectantur, si-

uelint

uę sint interius inspirati, siue aliũde relati, vel literis exarati, dummodò ex illis aut amati voluntatem ad obedientiam percipiant, aut experimentum mutuorum affectuum vicissim capiant, quos charitas silentio tegere non potest. Libenter, inquam, de amato loquuntur, in prædicatione, vel instructione, fraterna correctione, vel deuota collocutione, quia *ex abundantia cordis os loquitur.* Hinc ipsa in Cãticis sponsa de sponso frequenter ingeminat, dicens: *Num quẽ diligit anima mea vidistis?* multaq; similia. Apostoli quoq;: *Non possumus*, inquiunt, *quæ vidimus & audiuimus non loqui.* Cur hoc? Profectò, vt ex his magis incitetur affectus ad operationem virtutis, ad vicissitudinẽ reciproci amoris. Hinc dicit beatus Bernardus: O bone Iesu, amor tuus non est otiosus in his, qui te diligunt: memoria tui super mel dulcis, meditatio tui plus quàm cibus suauis: loqui de te, plena refectio: cogitare de te, perfecta consolatio: adhærere tibi, vita æterna.

Matth. 12. Cant. 3. Actor. 4.

Sed væ væ tepiditati temporis huius, in quo licèt multi desiderant esse boni, opera tamen & exercitia virtuosa, quæ illos bonos efficerẽt, exercere nolunt. Excusant, & quæritantur sibi gratiã deesse, cùm ipsa gratia magis conqueri habeat, se bonorum operum factores inuenire non posse. Vix enim (vt dicit Bernardus) est aliquis, qui in his, quę Dei sunt, experiri velit, quid possit, etiam quod secũdùm seculum promptissimè potest, siue fauor allexerit, siue timor impulerit, vel commodum quodcunque persuaserit.

De tertio scalari gradu amoris, qui dicitur amor inceßabilis. *Cap. XXXIII.*

QVærit Doctor sanctus secunda secundæ quæstione 27. Vtrum diuinæ dilectionis sit aliquis modus habendus, eò quòd ratio boni consistat in modo, specie, & ordine, vt dicit Augustinus in libro de natura boni. Sed dilectio Dei optimum est in homine, quare non immeritò modum aliquem habere debet. Hinc etiam ait Augustin lib. de moribus Eccelsiæ. Dic mihi, quæsò te, quis sit modus diligendi? Vereor enim, ne plus minusve, quàm oportet, inflãmer desiderio, ac amore Domini mei. Ad hoc respodet ibidem Doctor sanctus: Quòd modus importat quandam mensuræ determinationẽ, sicut tangit August. super Gen. ad literam libro dicens: Modus est, quod vnicuiq; propriã mensuram præfigit. Hæc ergo reperitur tam in mẽsura, quàm in mensurato, licèt diuersimodè. Nam in mensura reperitur essentia-

sentialiter, quia mensura secundùm seipsam, est determinatiua & modificatiua aliorum. In mensuratis autem inuenitur mensura secundùm aliud, id est, in quantum attingunt mensuram. Et ideo in mensura nihil potest accipi immodificatum. Sed res mensurata est immodificata, nisi mensuram attingat, siue deficiat, vel excedat. In omnibus igitur appetibilibus & agibilibus mensuratum finis est: quia eorum, quæ agimus & appetimus, oportet ex fine propriam rationem accipere, vt patet per Philosophum 2. Physicorum. Et ideo finis secundùm seipsum modum non habet. Ea verò, quæ sunt ad finem, modum habent, ex eo, quòd sunt fini proportionata. Et ideo, sicut ait Philosophus in 1. Politicorum, Appetitus finis in omnibus actibus absque fine & termino. Eorum autem, quæ sunt ad finem, est aliquis terminus. Non enim medicus imponit terminum sanitati, sed facit eam perfectam, quantum potest. Medicinæ verò terminum imponit, quia non dat tantum de medicina, quantum potest, sed secundùm proportionem ad sanitatem. Quam quidem proportionem si medicina excederet, vel ab ea deficeret, immoderata esset. Finis igitur omnium humanarum actionum & affectionum est Dei dilectio, per quam maximè finem vltimum attingimus. Et ideo in dilectione Dei non potest accipi modus, sicut in re mensurata, vt non sit in ea accipere maius & minus: sed sicut inuenitur modus in mensura, in qua non potest esse excessus, sed quantò plus attingitur res, tantò melius est. Et ita quantò Deus plus diligitur, tantò dilectio melior est. Vnde subiungit Augustinus, vbi supra, quòd modus diligendi Deum est, vt ex toto corde diligatur, id est, vt diligatur, quantumcunque diligi potest. Et hoc pertinet ad modum, qui conuenit mensuræ. Nunquam enim fidelis anima terminum augmentandi sibi amorem imponit, vt sic attingat tertium gradum amoris, qui dicitur amor incessabilis, ne se aure surda dilectum admonentem audisse doleat: *Amice ascende superius.*

Amor Dei vt sit omnium actionum & affectuum finis.

Ignis vt habeat naturam sem per actualem.

Ignis (vt ait Commentator super Dionysium de cælesti Hierarchia) naturam habet cæteris elementis magis actualem, & in agendo fortiorem. Et ideo dicitur à Dionysio immensurabilis, quia virtus eius operatio creicit in infinitum, si materia fuerit infinita. Nam quamdiu materia subiecta duraverit, ignis non deficit, sed se multiplicando semper crescit. Vnde & virtutem habet inalterabilem, quia manens ignis à sua caliditate infrigidari non potest, sicut aqua manens aqua cale-

calefieri potest. Et apertè nobis significat gradum huius amoris, qui dicitur incessabilis. Qui profectò, secundum Linconiensem, tollit terminationem augmentationis, vel intentionis, & magnitudinis. Sicut enim ignis non habet terminum in agendo, dummodò materiam auctam inuenit, in quam agit, sed semper accrescit: sic amor & eius actio terminum non habet in agendo, dum inuenit materiam, in quam transire possit. Et quoniam quæ Dei sunt, sicut sunt summè diligibilia, ita sunt & infinita. Hinc est, quòd amor in ipsum tẽdens, semper inuenit auctam materiam: & ideò amor & eius motio in diuina, terminum non habent in agendo.

Officium amoris incessabilis.

Cùm igitur amoris huius officium est, hominem semper ad profectum prouocare, ideò luctatur quotidie cum humana tepiditate. Vnde & alio nomine vocatur amor infatigabilis, eò quòd animam quiescere non sinit, donec semper plenius inueniat quem diligit. Continuis enim stimulis mentem agitat ad proficiendum & apprehendendum dilectum, donec tandem eò ad votum complexo, dicat: *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Super quo verbo dicit Bernardus: Quis te non teneat Domine Iesu? qui tenentem te fortificas, perfectione decoras, perseuerantia conducis, remuneratione perducis. Ergò *non dimittam te, nisi benedixeris mihi*, id est, nunquam *dimittam te*, quia non benedicis nisi tenentem te. Porrò gradus iste fidelem amicum mouet & excitat intrinsecus, sensitiuè trahens eum sursum toto corde, totisque viribus, ita quòd exigit iam cum Deo quandam amatoriam conficere vnitatem. Quem scilicet tractum in corde sentit in vnitate virium sensitiuarum, & præcipuè in vi concupiscibili. Quia negotium huius amoris peragitur in inferiori parte hominis, quam vigore suo fideliter mundare satagit & ornare, ac igniculo suo superpositam sursum agere, priusquam anima fidelis ad superiora conscendat. Hinc etiam amoris huius allecta dulcedine sponsa fidelis, in Canticis suppliciter orat, dicens: *Trahe me post te.* Nouit enim quòd vim patitur humana mens, visibilibus assueta delitijs, dum se ad fruitionem inuisibilium transferre voluerit. Petit igitur trahi, donec per contemplationem saporosam, omnia creata liberis alis, id est, affectibus supergredi valeat. Donec, inquam, omnes adulterinas solatiunculas, vberiori consolationis spiritu inebriata fastidiat, dicens cum Psalmista: *Renuit consolari anima mea; memor fui Dei, & delectatus sum.*

Cant. 3.

Gen. 32.

Cant. 1.

Psalm. 76.

O te felicem animam, quæ cuncta creata tam liberè superuolasti, quàm dulces experiris amplexus, currens *in odorem vnguentorum* illius. Sed quid quæso, sibi vult odor iste? cur non potius sapor, aut visus, aut aliquid huiusmodi? Ratione audi: Cuncta, ni fallor, delectamẽta sensibilia mũdi huius, quæ scilicet exterioribus sensibus cõcipiuntur, si frequentata fuerint, fastidium ingerunt. Cuius argumentum patet in esuriente ad escas delicatas, quarum satietas mox fastidium generat. Sola verò fragrantia odoris suauissimi delectabiliter reficit, corpus non aggrauans, fastidium non ingerens, sed appetitum renouans. Per illam igitur non incongruè, illa dulcis influentia diuinæ dulcedinis & amoris designatur: cuius nimirum refectio appetitum prouocat: appetitus verò refectionem ingeminat, & alter alterum in hac vicissitudine confortat. Hanc autem Euãgelista Iohannes sedula prælibatione degustãs, & à Domino tandem ad æternum conuiuium inuitatus, respondit, dicés: Odor tuus Domine Iesu excitat in me concupiscentias æternas. O odor longè effluens, latequé diffluens, & in amorosis cordibus dulciter omnia disponens, & suauiter adimplés. Huius igitur odoris in hoc amoris gradu iam anima paulatim incipit gustum, tenuem prælibare. Quo fit, quòd de cætero sursum se trahi desideranter expetat.

Amoris inceſſabilis ſigna.

Conſcientia ſcrutanda.

Ad maiorem autem euidẽtiam sciendum, quòd amoris huius tria signa possunt assignari. Primum signũ est feruẽs & iusta, non simulata conscientiæ examinatio, non solum de mortalibus, sed etiam de minimis venialibus, præsertim inordinatis affectionibus. Cuius ratio est, quia sicut charitas opponitur vitio mortali, sic feruor charitatis opponitur veniali, & vtrunq; alterius venenum est. Vnde feruor charitatis omne veniale, præcipuè quantum ad affectum, diligenter eliminat, ne fidelis anima Spiritui S. displiceat, qui cunctas illius officinas visitando celeriter illustrat, faciliterq; inuenit quod oculos suos offendit atque impediat, ne sua largiflua bonitate, tantum per gratiæ dulcedinem affluat, quantum amans spiritus in suis exercitijs anhelosis suspirijs exoptat. Non enim (teste Gregorio) requiescit in eo Spiritus sanctus, qui domum cordis sui puluere venialium aspergit. Quia tales Spiritum sanctum, qui in eis est, contristãt, & ideò perfectam lętitiam vel cõsolationem sancti Spiritus assequi non merentur. Nã peccata venialia, licèt Spiritum sanctum non excludant, quantum ad habitum, tamen non requiescit in eis, quãtum

ad

ad actualem deuotionem. Cuius actum triplicem in nobis ostendit Bernardus, dicens: Spiritus sanctus monet, mouet, & docet. Monet memoriam, mouet voluntatem, & docet rationem. Nec minimam paleam peccati intra cordis habitaculum, quod possidet, patitur residere, sed statim igne subtilissimę circumspectionis exurit. Nec mirum, quia Spiritus sanctus in hoc gradu amoris hominem nititur ad efficacem gustum internæ dulcedinis & cõtemplationis subleuare. Et ideò solum cælestia meditatur, à tumultu omnium occupationũ inutilium separatur, dulces affectus carnis refugit, vagos sensuum motus restringit sciẽs profectò, quòd quamdiu quis sapore premitur scelerum, suauitatem cælestium salubriter degustare non poterit in æternum.

Spiritus S. actus triplex.

Vnde quatuor sunt precipuè, quæ sanctam cõtemplationem impediunt, quæ tangit Bernardus super Cantica, dicens: In hoc arcanum contemplationis, & in hoc sanctuarium Dei, si quem nostrum aliqua hora sic rapi & abscondi contigerit, vt eum minimè auocet vel interturbet, sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel certè (ea quæ difficilius amouentur) irruẽtia corporearum imaginum phantasmata, poterit hic, dum ad nos redierit gloriari & dicere: *Introduxit me Rex in cubiculum suum.* In quibus verbis patet, quod primum impediens est, sensus egens, scilicet corporis. Nam in tantũ anima ad corpus afficitur, quòd ipso in aliqua parte sui, vel sensuũ, notabilem defectum patiente illam contemplari non delectat, nisi Deus hoc fecerit ex abundantia profluæ gratiæ singularis, sicut tempore validæ famis, sitis, frigoris, caloris, infirmitatis, vel cuiuslibet alterius impediméti corporalis. Secundum est, cura pungens, id est, solicitudo curarum & occupationum, etiã vtilium: quia sicut puluis oculum corporalem iniectus, visum impedit, sic cura terrenorũ in actuum, oculum intelligentiæ confundit, & à contemplatione veri luminis excludit. Tertium est, culpa mordens, id est, peccatum, cùm est in anima per actualitatem. Nam reddit animam tenebrosam, & impedit contemplationem, ad quam requiritur animæ puritas. Vnde sicut sanguis aut humor concretus in oculum fluens, visum corporalem impedit, sic peccatum influit in animam, & impedit contemplationem. Et ideò eo tempore quo volumus contemplari, etiam cogitationem nostram ad aliquod peccatum reflectere non debemus, licet omni tempore nos peccatores reputare de-

Impedimẽta contemplationis, quæ.

Contẽplationi vt se quis accõmodet.

beamus. Quartum, sunt phantasmata corporalium imaginum quæ difficilius amouentur. Et ideò commendatur in hoc statu solitudo. Oportet enim huiusmodi mutum & surdum esse, ac priuatum quodammodo vsu omnium sensuum exteriorum, vt indepictum conseruet mentale speculum.

Mandatorum Dei custodia.

Secundum signum huius amoris est, etiam in aduersis quibuscunque studiosa mandatorum obseruatio, quia omni tempore diligit, qui amicus est. Cuius emolumentum scribit Augustinus, dicens: Tu, qui veram requiem, quæ post hanc vitam promittitur, queris etiam hic eam inter amarissimas huius vitę molestias, suauę, iucundamque gustabis, si eius, qui promisit, præcepta seruaueris & dilexeris. Vnde, secundum Gregorium, Spiritus sanctus in quorundam corda venit, & mansionem facit, quia sic amor diuinitatis eos penetrat, vt ab amore illius nulla tentatione recedant. Et hoc est signum euidens præsentiæ Spiritus sancti. Dicit enim Chrysostomus, quòd omnes species iustitiæ, quas habent serui Dei in veritate, possunt habere serui diabolí in simulatione. Solam autem charitatem Spiritus sancti non possunt habere. Ideò hanc priuatam speciem charitatis sibi seruauit Spiritus sanctus, quia per nullius testimonium sic agnoscitur, vbi sit Spiritus sanctus, sicut per gratiam charitatis. Hinc etiam secundum Bernardum libro de charitate: Solus amor est, quem à nobis Deus exigit, etiam cùm beneficijs nos obruit, aut flagellis corripit, aut mandatis astringit. *Plenitudo legis est charitas*, & charitatis plenitudo legem continet & Prophetas. Et quicquid lege diuina, dicitur vel interdicitur, ad solum amorẽ reducitur Solue tributum amoris, & Domino noueris satisfactum. Quid enim nobis prodest tanta in nostro victu parcitas, in habitu vilitas, & in disciplinis austeritas, si desit charitas? Quædam sunt charitatis obsequia, placentia, & placantia, si in charitate fiunt, sed sine charitate nihil prosunt. Hæc est virtus, in qua nec minimum opus respuitur, sine qua nec maximum acceptatur. Non prædicatio, etiam *si linguis Angelorum* fiat; non fides, etiam si *montes* transferat; nec eleemosyna, etiam *si omnes facultates in cibos pauperum* distribuat: nec corporis afflictio, etiam si tradatur vt ardeat. Hanc igitur quisque studeat requirere, quæ sola ipsum potest Deo gratum reddere.

Concupiscentiæ remissio.

Tertium denique signum huius amoris est, concupiscentiarum diminutio. Cuius ratio est: Quia quantò charitas Deum diligens in nobis

nobis magis augmentatur, tantò magis à concupiscentijs fluxibilium rerum quis elongatur, & in eo ipsa concupiscentia minuitur, donec, secundùm Augustinum, crescente charitate, veniat ad magnitudinem, quæ maior esse non possit. Et sic paulatim concupiscentia carnis esse desinit, ita quòd spiritui prævalere vel resistere non possit. Dicit enim Chrysostomus, quòd Spiritus sanctus animam ingrediens, eam amplectitur, & quasi muro quodam inexpugnabili cingit eam, & non permittit vt carnales concupiscentiæ prævaleant aduersus eam. Non quidem facit, vt caro non concupiscat; sed tenet animam, vt ei non consentiat. Hîc tamen diligenter considerandum est, quòd, secundùm Richardum super Cantica, quædam est affectuosa dilectio, quæ scilicet interdum minus diligentem & minus perfectum plus afficit. Non ergò quisque tantum diligit, quantum hanc affectuosam dilectionem sentit, & quantum in illo statu sibi diligere videtur: sed quantum in virtutibus & charitate fundatus fuerit, & in seruandis mãdatis fidelis habetur Nam dulcis in Deum affectus, quodammodò carnalis est & fallax, & interdum potius humanitatis, quàm gratiæ: cordis, quàm spiritus: sensualitatis, quàm rationis: Ita, vt magis accendatur aliquando ad minus bonum, & ad maius bonum minus afficiatur, & ad aliquid, quod amplius sapit, quàm quod expedit. Hoc affectu discipuli errabant, qui carnaliter Christum diligebant, cuius præsentia carere nolebant. Vnde tanquam non diligentes eum arguebantur, qui quod delectaret, magis, quàm quod expediret amplectebantur. Sic affectuosè quandoque carnalis aliquis & imperfectus ad Deum afficitur, non quòd valdè diligat, sed quòd gratiæ dulcedinem degustet. Quæ quantum durat, tantum iuuat: & quamdiu durat dulcedo, tamdiu durat dilectio. Sed *non* agnoscitur *in bonis* istis *amicus*. Nam interdum hanc magis sentit qui leuis: est corde, & inops gratiæ. Quia facilius mouetur, qui leuior fuerit; & expers consolationis, delectabilius oblatam recipit. Cuius dulcis affectus causa interdum est, non gratiæ copia, sed mentis inopia. Exigua namque lætificant pauperem. Cùm ergò sic Deus vocat per gratiam visitantem, homo viuaciter respondere debet per voluntatis illius impletionem. Quia vocatio Dei non facit hominem perfectum, sed obligat ad perfectionem. Responsio verò perficit per diuinæ volũtatis impletionem, & deducit ad perfectionem. Fit etiam aliquoties affectus ille dulcis à malo spiritu, vt

Dilectio affectuosa

Ioan. 16.

Eccl 12.

dum illi nimis creditur, vel eius oblectationi per gulositatem inniti-tur, eique, dum valdè delectat, inhæretur, ad debilitatem corporis homo perducatur, vt vel per illius occupationem ab vtiliori opere reuocetur, aut vt eius abundãtia fretus, iamq; se perfectũ existimãs, minus ad profectum virtutũ excitetur, vel certè, vt summã exercitiorum ad illa capessenda, tanquam ad finem principalem dirigens, eisq; vitiosis oblectationibus ad propriam damnationem abutens, à iusto iudice æquitate sua inflexibili æternaliter reprobetur.

De quarto scalari gradu amoris, qui dicitur Amor calidus.

Cap. XXXIV.

QVærit Doctor sanctus secunda secundæ, Quæstione 2. Vtrum Deus amari potest totaliter, præsertim cùm amor sequatur cognitionem, sed Deus non potest totaliter à nobis agnosci, & ergò per consequens nec amari. Ad hoc respondet ibidem: Quod cũ dilectio intelligatur quasi medium inter amantẽ & amatum, illa totalitas dilectionis, tripliciter intelligi potest. Primò, vt modus totalitatis ad rem dilectam referatur. & sic Deus totaliter est diligendus, quia totum, quod ad Deum pertinet, homo diligere debet. Secũdò, quòd modus totalitatis ad diligentem referatur: & sic iterum Deus totaliter est diligendus, quia ex toto posse suo debet homo Deum diligere, & quicquid habet ad amorẽ Dei ordinare, secundum illud
Deut. 6. Deuteronomij: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Tertiò, potest intelligi secundùm comparationem diligentis ad rem dilectam, vt scilicet modus diligentis adæquetur modo rei dilectæ, & hoc esse non potest, quia cùm vnumquodque in tantum diligibile sit, quantum est bonum: Deus autẽ, cuius bonitas infinita est, infinitè quoq; diligibilis est: sed nulla creatura Deum potest infinitè diligere, eò quòd omnis virtus creaturæ finita est: siue naturalis sit, siue infusa. Ex hoc tamẽ quòd Deus infinitè diligibilis est, nullus terminus imponitur augmento charitatis in statu viæ. Quia cùm charitas viæ participatio quædam sit infinitæ charitatis, quæ est Spiritus sanctus, ipsa charitas secundùm rationem propriæ speciei terminum augmenti non habet. Præterea, causa agens in nobis charitatem, est infinitæ virtutis, vtpote Deus, & capacitas ipsius creaturæ rationalis, per charitatem semper augetur, ita quòd excrescẽte charitate, supercrescit etiam habilitas ad vlterius augmentum, eò quòd per ipsam

sam cor amantis dilatatur, iuxta illud secundæ ad Corinthios: *Cor nostrum dilatatum est.* Et Psalmista: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Ex quibus relinquitur, quòd charitatis augmento, nullus terminus in hac vita præfigi potest. Hinc ait Apostolus ad Philippenses: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autem, si quo modo comprehendam.* Vbi dicit Glossa, quòd nemo fidelium, etsi multum profecerit, dicat: Sufficit mihi. Qui enim hoc dicit, exit de via ante finem, quia charitas in via semper magis ac magis augeri potest: ergò, *Amice, ascende superius.*

2. Cor. 6. Psalm. 118. Phil. 3.

Ignis vt sit calidus.

Sciendum, quòd naturalis ignis naturam habet calefactiuam, & per consequens conseruatiuam. Omnia namque veterascunt, & tandem deficiunt, quę virtute ignea non seruantur, vt patet in senibus, in quibus deficit calor naturalis: Et ideò ignis dicitur esse renouatiuus omnium, & naturæ custos: Quia sine virtute ignis, non potest subsistere virtus alicuius corporis naturalis. Ex hac etiam virtute vim habet saporũ & humorum alteratiuã. Nam humores in corporibus excoquit, & cibos crudos digerit, in eis omnia superflua consumendo. Quæ cuncta gradui præsentis amoris aptè conueniunt, qui dicitur Amor calidus, calorem ignis per effectum subsequens. Et est illorum, qui iam Deo per affectus flammigeros propinquantes, eius ardore tam vehementer incalescunt, quòd nunquam in eis hebetudo mentis locum habet. Quia, secundum Richardum, Amor est dulcedo saporis intimi: & quantò quis ardẽtius amat, tantò suauius gustat, & clarius videt. Hinc Ionathas, postquam gustauit *fauũ mellis, illuminati sunt oculi eius.* Et Psalmista: *Gustate*, inquit, *& videte, quoniam suauis est Dominus.* In hoc ergò gradu visum quisque spiritualem internæ contemplationis incipit recuperare. Ad cuius profectò debitam recuperationem, tria necessaria sunt. Primum est, Illuminatio gratiæ, tanquam lumen medium visionis. Sicut enim Deus *solem suum oriri* faciens *super bonos & malos*, per eundem ipsum aerem illuminat, quo reddit obiecta terrena nobis visibilia: sic per infusionem luminis gratię, nos intrinsecus illuminat, & ad visum spiritualem habilitat. Hæc autem gratia in anima, similis est candelæ in laterna, quia hominem calefacit, illuminat, & transradiat, intrinsecus se suo manifestans possessori, si tamen suijpsius fuerit diligens inspector. Per opera verò exteriora transradians, proximis omnibus lucet virtutibus & exemplis.

Amor calidus.

1. Reg. 14. Psal. 33.

Visum interiorem per tria reformandũ

Gratiæ ad candelam collatio.

Hæ igitur illuminatio gratiæ, subitò mouet, & excitat hominem intrinsecus. Quæ subita motio, primum est spiritualem visionem conficiens. Ad quam profectò motionem, mox secundùm occurrit, quod est ex parte hominis, scilicet recollectio virium animę superiorum & inferiorum, tam interiorum, quàm exteriorum in vnitate spiritus, vtpotè connexarum vinculo charitatis, vt sic pariter liquefactiua quadam virtute dilecto suo se dulciter repræsèntent, ad eius occursum iam habiles & bene mobiles effecti. Tertium autem est, plena libertas, vt quoties voluerit, quoties dilecti sui memoratus fuerit, toties à formis omnibus creaturarum liber & absolutus, expeditè valeat ad cor altum ascendere, vtpotè pœnitus depuratus à naturalibus passionibus & inordinatis affectionibus animæ, scilicet, odio, amore, gaudio, dolore, vana spe, inani timore, & similibus. Nam nubila mēs est, & turbida, & compedibus vincta, vbi regnant talia. Non igitur eleuetur prosperis, nō deijciatur aduersis. Nulla eum extranea cura sollicitet, nullius eum affectio creaturę detineat. Et sic hæc tria vbi concurrerint, spiritualem visionem efficiunt, quia sunt totius interni exercitij fundamentum.

Anima, vt dilecto vniatur per tria.

Porrò, visu spirituali sic depurato & recuperato, felix anima per gradum huius amoris, dilectum suum in via actiuæ vitæ sedulè quærat, vt ardore spiritus eidem vniri valeat. Et hoc præsertim in tribus: Primò, recta intentione, ita quòd in cunctis, quę agit vel patitur, quæ vel adipisci vel vitare desiderat, simplicem cordis seu intentionis oculum, diuino conspectui dumtaxat opponat, & dilectū per intentionem rectam, semper præsentem speculetur: quia recta intentio, est quædam spiritualis visio. Secundò, præcipua dilectione, qua nihil penitus æquè vel plus Deo diligat, sed in omnibus actibus animus rectè intendens, supra pectus Domini, per amorem caput inclinet, vt cui recta intentione coniuncta est, præcipua quoque dilectione iungatur. Tertiò, quieta adhęsione, vt scilicet in eo magis quiescat, quàm in omnibus donis eius. Sicque cuncti motus exercitiorum, tam moralium, quàm spiritualium, omnem internæ suauitatis amplexum, etiam diuinitus infusæ, intentionis velocitate, ac dilectionis acumine transcendens in Deo, tanquam in motus sui finali termino immobiliter conquiescat. Et licet in hoc gradu amoris, necdum ad plenum hæc attingat, in eo tamen requiritur, quòd ad illa consequenda iugiter & efficaciter anhelare non desi-

desistat. Nam, secundùm Augustinum: Ad gratiam contemplationis peruenire est impossibile sine magna solicitudine & labore: Oportet enim vt prius cum labore mentis euagationes reprimat, & ad Deum in vnum colligat. Deinde ex tali studio ac consuetudine iam facilius cor suum cohibere prævalet. Ita quòd tandem non solùm faciliter, sed & delectabiliter Deo valet inhærere: sicque auulsio ab huiusmodi quiete, postremum efficitur illi desolatio non modica, quia talibus occupari delitijs semper vellet, si posset. Vt quis perueniat ad contemplationē.

Cæterùm, amoris huius tria signa possunt assignari, quibus luculentius valeat agnosci. Primùm est, dona iam larga manu à dilecto susceptа, conseruare diligentius, recolere frequentius, & amplecti feruentius, vt sic & dilectionis illius rememoretur & ad amoris vicissitudinem rependendam, efficacius inflammetur. Hæc sunt autē beneficia creationis recreationis, quotidianæ visitationis, & futurę promissionis. Quorum omnium memoriale mellifluum & dulcissimum nobis reliquit Eucharistiæ Sacramentum, veluti quoddam veri amoris dotalitium. Quod *erit* nobis, vt dicitur in Exodo, *quasi signum in manu, & quasi* monimētum *ante oculos* nostros. Hinc est, quòd ad illius saluberrimam sumptionem, præsentiam, aut certè cordialem recordationem plenius eiusmodi inflammantur, vtpotè iam ad ignem amoris diuini propius accedentes, & illi tenacius inhærentes. Amoris calidi signa tria. Eucharistia amoris signum. Exod 13.

Quorum beneficiorum Bernardus non immemor in libro de diligendo Deum, ait: Si totum me debeo, pro me facto, quid iā addā pro me refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam facilè refectus sum quàm factus. Siquidem de me non solum, sed de omni quod factum est, scriptum est: *Dixit, & facta sunt.* At verò, qui me tantum dicendo, & semel dicendo fecit, in reficiendo profectò, & dixit multa, fecit mira, & pertulit dura: nec tantum dura, sed etiā indigna. *Quid* ergò *retribuam Domino, pro omnibus que retribuit mihi?* In opere primo me mihi dedit, in secūdo se: & vbi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergò & redditus me pro me debeo, & bis debeo. Sed quid Deo retribuam pro se? Nam etsi millies me rependere possem, quid sum ego ad Deum meum? Hic ergò vide quonam modò, imò quàm sine modò, Deus à nobis amari meruit, qui prior dilexit nos, tantus, & tantum, & gratis tantillos & tales. Modus ergò diligendi Deum, est fine modo diligere. Ergò dilectio, quæ tendit in Deum, tendat in infinitum, & in immēsum, quia Deus infinitus est & immēsus. Quisnam Psal. 148. Psalm 115. Modus diligendi Deū quis.

nam, quæso, finis esse debet, vel modus nostri amoris? sed vicem rependimus cum mensura. Diligam ergò te Domine pro dono tuo & modo meo, minus quidem iusto, sed planè pro posse meo. Qui etsi quantum debeo, non possum, non tamen possum vltra quàm possũ: potero verò plus, cùm donare plus dignaberis, nũquam tamen prout dignus haberis. Valdè quidem mihi amandus es, per quem sum, viuo, & sapio. Sed est quod plus me mouet, & accendit; quia super omniate mihi reddit amabilem bone Iesu calix, quem bibisti, opus redemptionis nostræ Hoc omnino amorem nostrum facilè vendicat totum sibi. Hoc, inquam, deuotionem nostram blandius allicit, iustius exigit, arctius adstringit, & vehementius afficit.

Amato, vt nihil præferatur in amando.

Secundum verò signum huius amoris est, nihil aliud præter amatum diligere, & propter amatũ, vt omnis amor noster ex amore diuino sumat originem: & hoc solum propter se, nihil aliud extrinsecum attendens. Cuius ratio est, quia talis approximatio diuini amoris amanti legem indicit puritatem amoris. Vnde dicit Bernardus: Quòd anima Deum amans, aliud præter Deum amoris sui præmiũ non requirit. Aut si aliud requirit, procul dubio Deum non diligit. Et quia dilectio propriè causat adhæsionem, ideò felix anima, igne huius amoris calefacta, & dulcedine præuenta, atque agnitione illuminata, renuit in cæteris penitus consolari, imò potius desolari. Quia nimirum vbertas æternæ iucunditatis, quam hic amor secum attrahit, cætera quæq; desipere facit. Et qui minimam stillã illius obtinuerit & gustauerit, eidem protinus omnis cõsolatio & delectatio transitoria desipit, & in eo sola charitas, suauitasq; diuina dulcescit. Ex quo plerumq; in eo consurgit spiritualis quædam iucunditas, & gaudium quoddam in Spiritu sancto, quod ab ipso animæ dulciter infunditur, vt per illud animus in Deo pro perceptis beneficijs vel promissis spiritualiter iucundetur. Et hoc gaudium dupliciter potest accipi Primò generaliter, cũ scilicet exurgit in eo generalis quidam motus gaudij in sancto Spiritu, ex intuitu beneficiorũ Dei, & futuræ gloriæ ac bonitatis diuinæ. Quod adeptus fuerat Psalmista, cum dicebat: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiscì omnes retributiones eius.* Secundò, potest accipi specialiter, prout est quædam mentis hilaritas & confidentia bona ad Deum, ex bono scilicet conscientiæ testimonio, reddens hominem promptum, deotum,

Gaudium cuiusmodi animæ amorosæ Deus infundat.

Psal 102.

tum, & beneuolum ad omnia bona pro Deo facienda, & mala sufferenda, ac omnia quæ Dei sunt, diligenda & promouenda. Vnde bis dicit Apostolus *gaudete*, cùm ait: *Gaudete in domino semper, iterum dico gaudete*. Quia profectò iam amans anima didicit, quòd super omnia Deus à nobis amorem reciprocum exigit, non solùm agendo iusta, sed & patiendo iniusta. Vnde Augustinus ad zelotypiam diuini amoris alludens, ait: Quid tibi sum bone Iesu, quòd amari te iubeas & præcipias, & nisi faciam irascaris, & minaris mihi ingentes miserias? Cui benè respondet beatus Bernardus, dicens: Cùm amat Deus, nihil aliud vult, quàm amari: & non ob aliud amat nisi vt amemur, certissimè sciens ipsos amore beatos, qui se amauerint. Vult etiam amari Deus, ne miseriam, quæ extra eius amorem est, incurramus. Sed vt de cæteris interim sileamus, vnum amoris fructum ponit Rabanus, dicens: Quòd nihil terribilius est ipsis dæmonibus, quàm quòd in Dei dilectione desiderio æstuamus. Cùm enim mens incendio charitatis Christi æstuauerit, ab ea mox omnis maligni calliditas, versutiaq; discedit. Et inde est, quòd cæteris affectibus fidelis anima renuntians, tota diuino vigorosius incumbit amori: quia summũ & verum bonum Deus est. Et ideò solus iste feliciter amat, qui solum verum bonum amat, & tantò felicius, quantò amplius amat. Phil. 4.

Tertiũ deniq; signum dilectionis huius est extrinsecũ, & à duobus prioribus quodammodo causatum, scilicet alteratio quædam & agitatio corporalis ex vigore consurgens exercitiorũ spiritualiũ, præsertim ex aspiratione vehementi amoris vnitiui. Nam humana natura bestialis, carnalis, & indomita, quibusdam violentis & continuis exercitationibus habilitari debet ad spiritualia, velut iumentũ indomitum ad iuga corporalia, & onera portanda. Ex quibus violentis exercitijs, præsertim in principio, impetuosè & sedulò prorumpit in diuersos & inusitatos pestus corporales, velut expers rationis & ebria, sicuti plenius inferius videbitur. Hic tamen inexpertis solerter attendendum est, quòd ipsa deuotio quandoque maiori quæritur impetuositate & violentia quàm expedit, licet ferè semper eum quadam violentia spiritus, præsertim ab incipientibus (citra tamen animi perturbationẽ) exquirẽda sit, propter eorũ affectũ & animum ad huiusmodi eleuationes nõdum exercitatum & habituatum. Ratio verò prioris est, quia frequeter ex impetuoso cordis Alteratio corporis ex amore.

conatu, ipsa libertas mentis obruitur, dum quasi per extorsionem exercitationis accelerare nititur affectum deuotionis. Quam si iuxta votum cordis elicere non prævalet, mente consternatur, ex hocque magis in animo induratur. Et quo se vehementius ad deuotionem ingerit, eò minus ex hoc ipso proficit, imò amplius in affectu sterilescit. Nam quo liberior, eò pinguior est deuotionis affectus, eò quòd acceleratio violenta spiritum præfocat, veluti dum vuæ vel oliuæ subita, & nimia vehementia comprimuntur in torculari, vinum aut oleum magis turbidum reddunt, quàm si paulatim cum debita moderatione pressæ fuissent. Et ideò cæteris temporibus plerique deuotiores sentiunt, quàm in præcipuis solēnitatibus, cùm impetuosius gratiam deuotionis conantur adipisci. Quia tunc spiritus suæ libertati relictus, sponte se subleuat in sublime: sicut in corpore modesta respiratio est cordis refrigeratio. Licet etiam hi, qui cæteris temporibus in conuersatione custoditi non sunt, à Deo iusto iudicio in summis festiuitatibus ab omni deuotione sæpè nudi relinquūtur, vt incuriæ, negligentiæ, & incustodię suæ iacturam sentiant, & de cætero cautius semper ambulare discant.

De quinto scalari gradu amoris, qui dicitur Amor acutus.

Cap. XXXV.

QVærit Doctor sanctus secunda secundæ, quæstione 180. de vita contemplatiua, quam gradus iste propriè videtur attingere: Vtrum scilicet ipsa pertineat tantum ad intellectum, an etiam consistat in affectu, præsertim cùm dicat Philosophus secundo Metaphysicę, quòd finis contemplationis est veritas, sed veritas totaliter pertinet ad intellectum. Ad hoc respōdet ibidem: Quòd vita contemplatiua illorum esse dicitur, qui principaliter intendunt ad contemplationem veritatis. Intentio verò actus est voluntatis, eò quòd intētio est de fine, qui est voluntatis obiectum. Et ideò vita contemplatiua, licet quantum ad ipsam essentiam actionis pertineat ad intellectum, quantum tamen ad id, quod moueat ad exercēdum talem actum vel operationem, pertinet ad voluntatem, quæ mouet omnes alias potentias, & etiam ipsum intellectum ad actum suum. Mouet, inquam, vis appetitiua ad inspiciendū sensibiliter vel intelligibiliter, quandoq; propter amorem rei visę: quia iuxta verbum Dominicum: *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Et vbi est cor, ibi

Matth. 6.

ibi est & oculus. Quandoque verò mouet propter amorem ipsius cognitionis, quàm quis ex inspectione consequitur. Et propter hoc Gregorius super Ezechielem, vitam contemplatiuam in charitate constituit, dicens, quòd vita contemplatiua est charitatem Dei & proximi tota mente retinere, & soli desiderio conditoris inhærere. Et hoc in quãtum ex dilectione Dei quis inardescit, ad eius pulchritudinẽ conspiciendam. Vita ergo cõtemplatiua, licet essentialiter in intellectu consistat, principium tamen habet in affectu, in quantum scilicet aliquis ex charitate Dei, ad eius cõtemplationem incitatur. Et quia finis principio correspondet, ideò terminus & finis cõtemplationis habet esse in affectu, dum scilicet quis in visione rei amatę delectatur, & ipsa delectatio rei visæ semper amplius excitat ad amorem. Vnde dicit Gregorius super Ezechielem, quòd cùm quis ipsum quem amat, viderit, in amorem eius amplius inardescit. Quẽ profectò visum causat gradus amoris istius, qui dicitur acutus, vtpotè cuncta penetrans, nec quiescens, donec dilectum inueniat, & solum possideat. *Amice ergò ascende superius.*

Ignis vt dicatur acutus.

Dicit commentator super Dionysium de cœlesti Hierarchia, ♈ ignis dicitur acutus, quia ex subtilitate suæ substantiæ naturam habet omnibus alijs acutiorem & penetrabiliorem, ita quòd propriæ virtutis motu subintrat & penetrat vniuersa. Virtute quoq; sua est similium aggregatiuus, & dissimilium disgregatiuus. Quia si aurũ, argentum, & diuersa metalla simul vnita, in ignem fortem proijciantur, vnumquodq; se suo simili coniunget. Sic gradus amoris istius omne pretiosum, id est, spirituale, perfectè separat à vili, id est, ab omni affectu sensuali, vnum complectens, & aliud detestans. Et ideò benedicitur acutus, quia, secundum Hugonem, facit quẽdam impetum & vehementiam ardentis desiderij, vt ibi sit, vbi amat, & cũ ipso, & in ipso. Et nõ solum ab illo calidus fit, sed etiam transit omnia velut iaculum acutum in ipsum dilectum. Si enim in dilectum non iret, adhuc foris amaret, nec acutum amorem haberet, nec cum illo vnum fieret. Nam amor vult amãtem vnum facere cum amato: & id ò propinquat & penetrat, quantum potest, ad ipsum vnum.

Officium amoris acuti.

Cæterùm, amoris huius officium est, luctari quotidie cum conditione naturalis nostræ corruptionis. Nititur enim post viriũ inferiorum sedatam tumultuationem, tranquillitatem virium superiorum ferre sursum in dilectum, dissoluens omne medium, & cõplectens

plectens dulciterque constringens ipsum amatum. Vnde etiam alio nomine dicitur insuperabilis, quia conatur omnia superando supergredi. De quo amore etiam dicit Augustinus in libro de moribus Ecclesiæ: Quòd nihil tam durum, tam ferreum, quòd non amoris igne vincatur. Et ideò taliter amantibus nihil durum esse potest, nec vllus labor difficilis. Quia qui amat, non laborat, eò quòd, secũdum Augustinum, nullo modo labores amantium sunt onerosi, sed magis delectant, sicut labores venantium, aucupantium, piscantium, & similiũ. In eo namque quod amatur, non laboratur, aut certè laboratur. Vnde dicit Bernardus: Labor meus vix est vnius horæ: & si plus est, non sentio præ amore. Ita & ipsi Iacob *videbantur dies pauci præ amoris magnitudine*, qui tamen de labore suo dicit in libro Geneseos: *Die noctuq; æstu vrgebar, & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis.* Sed vnde hoc fratres? nisi quòd, secundum Bernardum, si quis gustu charitatis inebriatus fuerit, ad omne opus bonum hilarescit; laborat, & non lassescit; dolet, & non sentit; deridetur, & non aduertit? O iugum amoris Christi, quàm dulciter capis, quàm gloriosè illaqueas, quàm fortiter stringis, quàm suauiter premis, quàm delectabiliter oneras? Porrò, gradus amoris præsentis à paucis attingitur, quia mens humana, solicitudinibus distẽta non intrat ad se per memoriam, & phantasmatibus obnubilata nõ redit ad se per intelligentiam: ac deniq; cõcupiscentijs miserabiliter illecta, non reuertitur ad se per salutis æternæ & spiritualis lætitiæ desideriũ. Et ideò taliter in his prostatus, ad se, tanquam ad Dei imaginem introrsus reuerti non potest: quanto minus ad intima Dei, velut ad cubiculũ sponsi, vbi nepotium amoris huius exercetur?

Gen. 29.

Gen. 31.

Amoris acuti signa quæ.

Huius quoque amoris possunt assignari tria signa, quorum primum est, sensuum interiorum vitalis exercitatio. Ex quorum scilicet argumẽto sa operatione sensus exteriores quodammodo sopiti redduntur, quia vires vniuersæ ad interiora reducuntur. Quinq; sunt enim sensus interiores in mẽte, sicut quinq; sunt exteriores in corpore: de quibus habetur in spiritu & anima. Causa verò mouens ad hanc vitalem exercitationem, est desiderioſus mentis affectus internæ quietis & serenitatis. De qua dicit August. In omnibus, quę mente percurro, non inuenio tutum locum animæ meæ & quietem, præterquam te Domine, in quo colliguntur sparsa mea. Quia quicquid boni in creaturis sparsum est, in æterno bono inuenitur collectum.

Sensus interiores quinque.

ctum. Ergo si quid in hoc seculo possidere delectat, Deum, qui possidet omnia, mente possideamus expedita, & in ipso habebimus quicquid feliciter & sanctè desideramus. Nam sine molestia solus Deus amatur, cum iucunditate complectitur, cum securitate desideratur. Quem quantò quis ardêtius amat, tantò melior efficitur. Et quantò nunc amor Dei feruêtior, tantò tunc erit eius visio suauior. Et quantò nunc ardentius desideramus eum, tantò tunc eum clarius intuebimur. Et qui amat, non laborat: quia quicquid difficilè est in præcepto, leue est amanti. Si enim cum auaris tanta portat cupiditas, nobiscum quare non portat charitas? A more igitur illius ab amore seculi migremus, & amore sursum habitemus. Hinc enim *Deũ ex toto corde* diligere præcipimur, vt omnes cogitationes nostras: & *ex tota anima*, vt omnem vitam nostram: *& ex tota mente*, vt totum intellectum nostrum in illum transferamus. Et huius quidem præcepti tangit Bernardus causam super Cantic. dicens, quòd solus est amor ex omnibus animæ nostræ motibus & sensibus, in quo potest creatura (etsi non ex æquo) suo respondere creatori, licet non de simili mutuam reddere vicem. Etsi minus diligit creatura, quia minor est; tamen si ex toto se diligit, nihil deest, vbi totum est. Matth. 22. Luc. 10.

Secundũ verò signum huius amoris est, continua in Deum & vigorosa quædam erectio & coactio mentalis visionis, quia iuxta cõmune prouerbiũ, vbi amor, ibi & oculus. Et ex eo plerumq; multas illuminationes recipit diuinarum veritatum, eò quòd amor est causa potissima mutuæ communicationis, attestante Domino, qui ait: *Iam non dico vos seruos: quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Hinc etiam dicit Richardus, quòd ex magnitudine diuinę dilectionis dependet modus diuinæ reuelationis. Hoc amore diligere se monstrabat beatus Martinus, qui oculis ac manibus in cælum semper intentus, inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. Et Psalmista ait: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos*, id est, affectus meos. In hac autem eleuatione continua mentis, anima veraciter efficitur habitaculum Dei. Quia ex hoc inferius spiritualiter angustatur, & superius dilatatur. Dilatatur, inquam diuina charitate, vt repleatur tota Trinitate, quia tota Trinitas per charitatem eius mentem inhabitat, sicut amans habitat in amato, & è conuerso. Nec ita solum, sed & realiter mansionem suam Visus mentis erectio continua in Deum. Ioan. 15. Psalm. 24.

ibidem cõstituit. Quia charitas est quædam participatio diuinæ naturæ in nobis. Propter quod dicit Ioannes in Canonica sua: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* De hac igitur anima sic dilatata dicit Bernardus: O quanta est illi animæ beatæ latitudo & meritorum prærogatiua, quæ diuinam in se præsentiam & digna inuenitur susci pere, & sufficiens capere. Quid illa, cui suppetunt & spatiosa deambulatoria ad opus tantæ maiestatis? Non est profectò intricata forensibus causis, curisque secularibus, nec certè ventri & luxuriæ dedita, sed nec curiosa spectandi, nec cupida omninò dominandi, vel etiam tumida dominatu. Oportet namq; primò his omnibus animam esse vacuam, vt cœlũ fiat & habitatio Dei. Sed & odio, vel inuidiæ, aut rancori minimè prorsus indulgẽdum, quia *in maleuolam animam non introibit sapientia.* Deniq;, necesse est eam crescere ac dilatari, vt sic capax Dei fiat Porrò, latitudo eius, dilectio eius, sicut ait Apostolus: *Dilatamini* in charitate. Nam etsi anima, cùm sit spiritus, minimè corpoream recipiat quantitatem, tamen cõfert ei gratia, quod negatum est illi à natura Crescit ergò spiritualiter, non in substãtia, sed in virtute; crescit in gloria, crescit in templum sanctum in Domino. Vnde Augustinus ad Dominum loquens in libro Soliloquiorum, ait: Anima nostra facta est capax maiestatis tuę, quod à te solo, & nullo alio possit impleri Cùm autem habet te, plenum est desiderium eius, & iam nihil aliud quòd desideret exterius, restat. Veruntamen væ animæ miseræ, cui demerito proprio tanto bono priuari, & exercitio tam mellifluo contigerit defraudari. Huius enim *in sua pace* & quiete, *amaritudo amarissima* cum Ezechia rege proprias calamitates deflente. Nam super hoc verbo dicit Richardus: Quòd magna amaritudo est in conuersione, cùm quis seculo renuntians ad religionem conuertitur: maior tamen in tentatione, cùm abnegans semetipsum, innumeris inimici tentationibus fatigatur, maxima verò in æternæ & internę dulcedinis expectatione & impatientis desiderij dilatatione: quando in pace illa, *quæ exuperat omnem sensum,* ex parte degustata, ad illam tamen plenè non admittitur. Multum quidem vexat hominem, cùm relinquitur amor mundi: multò tamen amplius cruciat, cùm calcatur amor sui. Veruntamen super omnia transfigit & penetrat cor hominis & excoquit desiderij æstibus amor Dei Hæc ille.

Anima vt fiat cœlũ, & habitatio Dei.

1. Ioann. 4.

Sap. 1.

2. Cor. 6.

Isai 38.

Phil. 4.

Tertium deniq; signum amoris huius est, impetuosa quædam & inu-

inusitata, subita frequensq; cordialis attractio, quę perficitur violẽtissima quadam vi amoris sensualis in exercitijs spiritualibus: Quia cor amantis ex tunc magis est vbi amat, quàm vbi animat, ita quòd mirabilibus amoris gestibus ad dilectum, quasi saliendo properare videatur. Vnde discipulus in Horologio sapientiæ gradu præuentus hui' amoris ait inter alia: Cor mihi, ô amor, abstulisti, & dilecto dedisti, eiq; tam inseparabiliter conglutinasti, quòd me certis temporibus quodãmodo reliquisse putetur. Sed ad hunc gradum amoris non peruenitur, nisi prius potentię rationalis animæ per exercitiorum frequẽtiam ad pristinam perfectionem quodammodo fuerint reductæ. Pro quo sciendum quòd ratio nostra cæca facta est, vt sępè velit malũ pro bono. Voluntas fœda, & instabilis memoria, sic quòd magis quærunt in fœdis delectari, & vilibus occupari, quàm Deo suo vacare. Sed ipsa ratio in pristinum perfectè reformatur, cũ per mentis excessum supra se rapitur, & lumine diuinæ intelligentię illustrata, oculo perspicacissimo Deum, quantum possibile est, contemplatur. Voluntas in pristinam puritatem constituitur, cùm per liberi arbitrij conformitatem adhęrendo, in amorem diuinum mirabili transmutatione penitus absorpta spiritus vnus cum Deo efficitur. Memoria denique debitè perficitur, cùm in dilectũ suum totaliter abstracta, suiq; & omnium inferiorum oblita, veram iam degustare sapientiam incipit, ac inebriata dulciter ab vbertate domus Dei, feliciter in Deo requiescit. Nam iste gradus amoris in voluptate spiritualium delitiarum perficitur. In qua voluptate cor & omnes sensitiuæ potentiæ tanto profluuio voluptatis internæ potantur, quòd ęstimat se fidelis anima, diuini amoris amplexibus penitus obuolutam. Nimirùm cùm hæ delitiæ maiores sint cunctis mũdi voluptatibus, etiamsi omnes vna creatura capere posset: ideoque voluptas ista statim ebrietatem ingerit, dicente sponso: *Bibite & inebriamini charissimi.* *Ibi* plerumque repetitur *Beniamin adolescentulus in mentis excessu*, quia mentes nondum in talibus exercitatæ, diuinæ dulcedinis vbertatem sustinere non prævalent. Est enim ebrietas spiritualis quædam vberior affectiui saporis, & internæ voluptatis in corde receptio, quàm ipsum cor potest digerere, aut desiderium exoptare. Cor enim humanum diuini amoris tripudio, vel diuinæ fruitionis desiderio valenter inflammatum, hiantibus arterijs in se dilatatur, & velut inter angustias pectoris coarcta-

Deformatio vitium animæ.

Reformatio virium animæ.

Cant. 5. Psalm. 67.

Ebrietas spiritualis.

tum, per ardoris violentiam, extra se potenter erumpit, & amoris flammam, quàm in se sentit, volens nolenśque per indicia exteriora eructuando vel reboando manifestat, ac totum hominem sua violentia commouendo concutit. Quo profectò spiritu æstuantes Apostoli *musto* videbantur *pleni*, quod vtique nouas lagunculas disrumpere solet. Quia talis feruor inexpertis & nondum exercitatis mentibus primitus infusus, minimè valet cohiberi, quin per inusitatos gestus foras erumpat, sicut vinum nouum in vase positum, primitus ebullit, quod idem inueteratum quiescit. Quidam enim cantibus diuinis, & quidam vberibus lachrymis ac singultibus, aut vocibus multifarijs inusitatis indicãt vbertatem dulcedinis. Quidam etiam multimodis membrorum inquietis gestibus & importunitatibus occupantur, ita quòd coguntur discurrere, saltare, manibus plaudere, membris tremere, vel alia quæque secundùm vsum communem inusitata perficere. Et hęc delicioſior est vita secundùm cordis affectionem, quæ potest haberi ab homine. Nam quidam eius voluptate intra se liquescunt, ita quòd non remanet vox, neque sensus. Quidam etiam tanta replentur vbertate, quòd cor eorum quasi vasculum musto plenum absque spiraculo subitam minetur rupturam.

Act. 2.

De sexto scalari gradu amoris, qui dicitur Amor feruidus.

Cap. XXXVI.

QVærit Doctor sanctus secunda secundæ, quæstione centesimaoctogesima: Vtrũ ipsa cõtemplatio, quæ est officium propriũ amoris diuini, delectationem habeat, præsertim cùm omnis contentio, & omne certamen delectationem impediat: sed vt dicit Gregorius super Ezechielem: Anima cùm Deum contemplari nititur, velut in quodam certamine posita, modò quasi exuberat, quia intelligendo, & sentiendo, de incircunscripto lumine aliquid degustat: modò verò succumbit, quia degustãdo iterum desinit. Ad hoc breuiter respondet ibidem, quòd contemplatio potest esse delectabilis dupliciter: Primò ratione ipsi⁹ operationis, quia vnicuiq; delectabilis est operatio sibi conueniens secundum propriam naturam, vel habitum: sed contemplatio veritatis competit homini secundũ suam naturam, prout est animal rationale. Ex quod cõtingit, quòd omnes homines naturaliter scire desiderant, & per cõsequens in cognigni-

Contẽplatio vt delectet dupliciter.

gnitionè veritatis delectantur. Sed adhuc magis fit hoc delectabile, habenti habitum sapiētię,& scientiæ. Ex quo accidit quòd sine difficultate quis contemplatur. Secundò verò redditur contemplatio delectabilis, ex parte obiecti, in quantum scilicet quis rem multum amatam contemplatur. Sicut etiam contingit in visione corporali, quæ delectabilis redditur, non solùm ex eo, quòd ipsum videre sit delectabile: sed ex eo, quòd etiam quis vidit personam amatam. Cū ergo vita contemplatiua consistat in contemplatione Dei, ad quam mouet intensa charitas, hinc est, quòd vita contemplatiua delectabilis redditur, non solum ratione contemplationis eius, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur, sed etiam ratione diuini amoris, qui scilicet ex contemplatione semper intensior redditur. Et ideo quantum ad vtrunque delectatio illius excedit omnem humanam delectationem, cò quòd delectatio spiritualis potior est, quàm carnalis,& amor ille, quo Deus ex charitate diligitur, omnem alium amorem excedit. Præterea, licet certamen illud quod prouenit ex contrarietate rei exterioris, impedit illius rei delectionem (non enim quis delectatur in re contra quam pugnat) in re tamen pro qua pugnat, cùm illam adeptus fuerit quis, in ea magis quàm in aliqua alia (cæteris paribus) delectatur: sicut Dominus gratulatur de oue prius perdita, & reinuenta. Et ideo vita contemplatiua præcipuè terminatur ad delectationem: nec mirum, cùm per eam nobis fit quædam inchoatio prælibatioque futuræ beatitudinis, quæ tūc incipit,& in futuro perficietur. Vnde Philosophus licet gentilis, decimo Ethicorum, in contemplatione optimi diligibilis, posuit vltimam felicitatem hominis. Ergò, *amice, ascende superius.*

Ignis vt habeat naturam attractiuam.

Ignis (vt ait commentator super Dionysium de cęlesti Hierarchia) ex natura sua vim habet, inferiorū ad superiora attractiuam. Nam ipsam materiam in quam agit, rarefaciendo dissoluit, ac caloris sui violentia sursum trahit: propter quod dicitur deorsum pascens, & sursum trahens. Faciendo namque motum à centro ad circumferētiam, dissoluit terrestria in aquosa, & aquosa in aerea, & aerea in ignea. Et sic inferiora ducit ad media, & media ad sua superiora. Quæ proprietas aptè nobis denotat gradum huius amoris, qui dicitur feruidus. Quia, secundum Linconiensem, feruere dicuntur, qui expresso calore sursum supra se feruntur, sed in se proprio pōdere recidunt: sicut olla post intēsum calorem, ebullire tandem in-

Feruere qui dicantur.

cipit & feruere, eò quòd aqua calore ignis sursum fertur, sed suo pō dere mox ad ima recidit. Sic nimirum, qui tandem ex accepta Spiritus sancti gratia, supra se feruntur in Deum, & ex proprio pondere recidunt in se ab actuali supra se eleuatione: Talia, inquam, vicissitudinantes congruè dici possunt, spiritu seruentes In hoc autē amoris gradu frequenter in quibusdam, præsertim naturaliter impetuosis, dum sese fideliter exercitauerint, exurgere solet tanta vehementia spiritus, & ardoris, quòd ex ea quandam mirabilem cordialis sanguinis ebullitionem, & naturæ concussionem patiuntur. Quæ profectò ebullitio multū est nociua, ac læsiua naturæ, cordis viuacitatem tādem debilitans, ac eius meatus, & cōcauitates mirabiliter comprimēs, vt sanguis ex tali ebullitione corruptus egressum inuenire nequeat, & ita interiora cordis inficit Quare tales, vt frequenter, postmodum efficiuntur ex compressione cordis melancholici, & remanent tristes, quia natura iam gratiam adiuuare nō potest, vtpotè propter pressuram cordis lethali tristitiæ subdita Sicut enim naturaliter ex lætitia cor aperitur, ita quoque ex tristitia clauditur: nec lætitiam concipere potest, nisi denuò aperiatur Et ideò talibus cautè & discretè est agendum, ne naturam antè tempus destruant. Cæterùm quia talis amor tam viuaciter exuberat, exteriorem hominem velut emortuum, & sopitum reddit, ita quòd nec penè sui met oblitus, nec verè compos sui cōprobatur, secundùm illud Cāticī Canticorum: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Dormio, scilicet, secundū exteriorem hominem, *& cor* intus *vigilat.* Sicut cùm aliquis incipit dormire, ea quæ circa se fiūt, aliquo modo sentit, & intelligit; sed nō aduertit. Quia cùm amātissimam Domini præsentiam, & amplexus eius suauissimos prçsentit, tunc omnia impedientia subitò deserit, & eliminat, & ad eū, vnde omnia dona perfecta, & optima profluūt, se toto corde conuertit: sicque mox diuinæ visitationis, & allectionis beneficium consequitur. Quo Deus affectum cordis, & omnes animę vires sursum trahens, ac ad suam vnionem alliciens, cor amātis in tantū afficit, & delectat, quòd toto mox affectu, hiantibus arterijs se expandit. Et omnes animæ vires, ad pacis & charitatis * vnicli nium toto se nisu disponunt, & ornant. His igitur & similibus anima fidelis, tam efficaciter intendens, quid mirum, si interim omnium exteriorum obliuiscatur?

Cant. 5.

* Alias vinculum.

A moris feruidi si.

Huius quoque amoris, ad maiorem euidentiam, tria signa possunt assi-

assignari. Primum est, viuacissimus quidam cum spiritu diuino cõ- gnatia.
flictus, eò quòd iste sine medio feliciter cum Deo suo luctari didi-
cit, vt habetur figuratiuè in Iacob luctante cum Angelo *vsque mane.* Gen. 32.
Veruntamen in hac lucta, præsertim amoris huius, spiritus noster
quodammodò se per modum habet agentis: quia spiritus Dei, velut
infirmiorem se simulans cedendo, pleniorum luctandi facultatem,
& materiam administrat, & vberiorem amplexus sui copiam spiri-
tui nostro offert. In cuius etiam figura Angelus aduersus Iacob se
non posse præualere fingebat, dicens: DIMITTE ME, quia *iam ascendit au-*
rora. Cui Iacob: *Non dimittam te, nisi benedixerũ mihi.* O felix lucta, quæ
talem benedictionem consequitur, in qua mentis serenitatem ani-
mæ fideli Deus indulgere dinoscitur: vnde ros ille diuinæ consola-
tionis abundantius defluit, quo confortata, & allecta, diuinam boni-
tatem nititur luctando profundare, fontem requirens dulcedinis
huius vbertatem scaturientem. Et hinc nascitur eidem affectus qui-
dam insatiabilis, quo præter dilectum nihil sibi sufficit, & illum in
hac vita semper amplius attingere cupit: quia secundum Richardũ
charitas ista semper inuenit, quod adhuc concupiscere possit, &
quicquid fiat, desiderium ardentis animæ non satiat. Nam insatia-
bilis animæ sitis, bibendo non sedatur, sed irritatur, vt semper dile-
ctus ardentius requiratur, & inde cõflictus ille spirituum causatur.
Nam dicit Hugo, quòd Deus desiderium nostrũ prouocat, & inui-
tat vt augeat, quando amorem suum in nobis excitat, sed fugiendo,
vt sequamur, inflammat. Tale enim est cor hòminis, vt si quod dili-
git adipisci non valet, ampliori desiderio inardescat. Sic enim in Cá-
ticis sponsus aduenies *stat post parietem*, prospicit *per fenestras*, vt Cant. 2.
quasi lateat, & non lateat. Mittit *manum suam per foramen*, tangit spon- Cant 5.
sam, & voce tenui vocat eam & ait: *Veni.* Illa vt audit sponsum ades-
se, surgit mox, festinat, aperit brachia ad amplexum, liquescit ani-
ma, feruent præcordia eius, exultat, gaudet, tripudiat. Sed ille dum
teneri putatur, declinat, & subitò, quasi de medijs elapsus amplexi-
bus, fugit. Quid est hoc? Dum non quæritur, quærit: dum non vo-
catur, venit: dum autem quæritur, declinat: dum vocatur, fugit. Di-
ligit autem, & ideò venit, sed quia hîc non diligit, id est, in hoc
mũdo, in hoc exilio, ideò fugit. Sed vocat nos ad terram suam, quia
talis amor non decet patriam istam. Nam iucundus amor amœnum
locum requirit. Anima verò vicissitudinis huius non ignara, dum

sponsi gratam presentiam subtractam senserit, licèt dolenter hoc sustineat, Phil. 1. *dissolui* cupiens, *& esse cum Christo*, fidem tamen, quam erga spõsum habuit non derelinquat, sed omnem diligẽtiam adhibeat, qualiter irreprehensibilem, & immaculatam sese conseruet, quasi turtur solitaria gemens, & ad gratam eius præsentiam aspirans. Pro quo notandum, secundum Richardum libro de contemplatione: Quòd qui ad gratiam cõtemplationis proficit, cùm illam sibi vltra solitum subtrahi sentit, est quòd facere debeat, vnde ad illam recuperandam adiuuari valeat. Contemplationis gratia vt recuperetur.

Debet autem intensis meditationibus in se cordis exultationem reparare, & impensa sibi diuina beneficia ad mentem reuocare, & ex hoc se ad profundam gratiarum actionem instigare: sicque tandem internum illud spiritualis harmoniæ organum, ex intimo affectu, in 4. Reg. 3. diuinas laudes relaxare. Vnde Elisæus de verbo Domini requisitus, cùm spiritum prophetiæ sibi sensisset deesse, psaltem fecit adduci: quo psallẽte, mox in eum insiliuit spiritus prophetiæ. Sic & tu fidelis anima, mentalibus delicijs affluenta, quæ soles ad theoricos quosdam excessus subito quodam gaudiorum tripudio subleuari, huius exemplo disce, quid agere debeas, vt sub necessitatis articulo, velut ad manum habeas, quo te ad affluentas delitias reparare valeas. Quid enim per psaltem, nisi quandam in Deum cordis exultationem accipimus? qui tunc adducitur, cùm prouida meditatione cordis, ex recordatione diuinorum beneficiorum exultatio reparatur. Psallimus autẽ, cùm ex magno cordis tripudio in diuina præconia iubilamus. Psalm. 49. Vnde Psalmista ait: *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Ex tunc enim prænimietate gaudij mens se incipit ab omnibus inferioribus suspendere, & ad cœlestia contemplanda quadam alienatione sui transire. Est & alius modus, secundum eundem Richardum, recuperandi gratiam contemplationis, scilicet per compunctionem, quæ procedit ex corde deuoto, de quo tangit Bernard. super Cantic. dicens inter alia: Si cui nostrum cum sancto Propheta, *Deo adhærere bonum est*: &, vt manifestius loquar, si quis in vobis est, ita desiderij vir, quòd cupiat *dissolui, & esse cum Christo*, cupiat autem vehementer, sitiat ardenter, assiduè meditetur, is profectò non secus, quàm in forma sponsi, suscipiet verbum in tempore visitationis, hora videlicet, qua solet intus astringi quibusdam sapientiæ brachijs, atq; inde sibi infundi sentiet suauitas-

uitatem sancti amoris. Siquidem desiderium cordis eius tribuetur ei, sed cum vigilijs, & obsecrationibus, ac imbre multo lachrymarum quæsitus fuerit, & inuentus, subitò, dum teneri putatur, elabitur, & rursum lachrymanti, & insectanti occurrēs comprehendi patitur, sed minimè teneri, dum iterum subitò, quasi de manibus auolat. Quòd si institerit precib', & fletibus, denuò reuertetur, sed rursum mox disparebit, nec videbitur, nisi iterū toto desiderio requiratur. ET ideo licet de præsentia sponsi, posset esse frequens lætitia, non tamen præsentię copia. Quia etsi visitatio lætificat, molestat tamen vicissitudo, donec deposita sarcina corporeę molis, auolet expedita mente sequens dilectum quocunque ierit.

Desiderij finis huius mortalitatis.

Secundum verò signum huius amoris, est quoddam ardēs, & vehemens desiderium, *dissolui & esse cum Christo*, nisi saltem ex proflua charitatis abundantia, pro complacentia dilecti, pro salute proximi, hanc ipsam dissolutionem expeteret, si expediret, esse differendam, sicut Paulus subiunxit, dicens: Cupio *dissolui, & esse cum Christo*, Phil.1. *multò magis* autem manere *in carne propter vos*. ET beatus Martinus: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. Veruntamen felix sponsa dissolutionem exoptat, quia nihil superest quod timeat, nihil quod in terrenis placeat, & ad copiam huius amplexus vehementer aspirat, dicens: Heu mundana mollicies, quæ tactum meum tam miserabiliter decipiebat, & ignoraui bone Iesu, quòd tam suauis esset amplexus tuus, tam honestus attactus tuus, tamque delitiosum tibi coniungi. Tuus enim, dulcissime Iesu, amamplexus non maculat, sed mundat: tuus attactus non inquinat, sed sanctificat. O Iesu fons vniuersæ dulcedinis, quātum habes deliciositatis, & honestatis, ac spiritualis iucunditatis, quando *læua* tuæ æternæ sapientię, & cognitionis, est *sub capite*, hoc est, sub illuminata ratione, *& dextera* tuæ diuinæ clementię, & dilectionis *amplexabitur me* in voluntate. Denique, ratio tam vehementis, & ardentis desiderij est, quia in hoc gradu amoris ipsa mens, id est, superior pars rationis, mirabili quadam amplitudine dilatatur, & ad multa contemplāda spiritualiter amplificatur. Quam nimirum cùm Deus per suam præsentiam visitat, & ardor diuinæ charitatis inflammat, tunc exclusis subitò cunctis cupiditatibus, & omnibus alienis occupationibus, feruens DEI charitas omnia animæ præcordia intus occupat, ac per suam dilectionem dilatat, vt ad capiendum, & viden-

Cant.2.

dum Deum capax fiat. Quod vtique contingit, cùm Deus, qui spiritus est animam visitans, præsentialiter adesse sentitur, & intelligitur. Quia, vt dicit Bernardus, oculus meus intelligentia mea. Vnde Dominus aduenturus, vt hospitium suum paratum inueniat, ipsas animæ vires adornare solet, ita quòd cócitò memoria diteſcit, intelligentia clareſcit, voluntas inflãmeſcit. Exinde mens ipsa totum intuitũ, & affectum in Deum dirigit, vt ad sua intima dilectum introducat, & in optimo suo collocando constituat. Dilectus enim tuus anima mea, tunc ad intima tua ducitur, & in optimo tuo collocatur, cùm ex intimo desiderio, spretis rebus vniuersis, solus per dilectionem amplexatur. Nam quamdiu poteris ex aliena quacunq; reconsolationem accipere, nõdum audeo dicere, sinum tuũ intimum ardentissimi amoris dilectum possidere. Quòd si illũ introducere nõ satagis ad intima tua, quomodo te credam posse sequi ad sublimia sua? Vndè meritò concludit Richardus, dicens: Quòd certum signũ sit tibi, quęcunque es anima, quòd dilectum tuum minus diligis, vel ab eo minus diligeris, si ad illos theoricos excessus nondum vocari, vel vocantem nondum sequi merueris.

Zelus salutis proximorum.

Tertium deniq; signum huius amoris est, quòd sine retractione cordis pro salute proximi paratus inuenitur mori, aut quæcunque aduersa pati. Quò fit, quòd quãtum ad naturam, & gratiam, ac æternam salutem omnes inimicos velut amicos diligat. Cuius ratio est: quia dicit Augustinus libero de gratia, & libero arbitrio: Quòd parua charitas non sufficit ad implenda magna mandata, sed talis dilectio perfectorum est, dicente Domino: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis perfecti, sicut & Pater vester cæleſtis perfectus est.* Et iterum: *Vt sitis filij Patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos.* Et hoc facit amor, quia dicit Hugo de arrha animę: Quòd amor transfert amantem in similitudinem amati, in quantum potest, non solum quantũ ad substantiam, sed etiam quantum ad operationes arduorum, & difficilium.

Matth. 5.

De septimo scalari gradu amoris, qui dicitur Amor superferuidus.

Cap. XXXVII.

QVærit Richardus super tertium distinct. 24. Vtrum passio amoris sit essentialiter transformatio appetitus sensitiui, præfer-

cùm dicat Hugo de arrha animę: Quòd ea vis amoris est, vt te talem esse necesse sit quale illud est, quod amas. Et cui per affectum coniungeris, in ipsius similitudinem, ipsa quodammodo dilectionis societate transformaris. Ad quod breuiter respondet: Quòd amoris passio est essentialiter transformatio appetitus sensitiui in aliquam similitudinem amati. Talis igitur amor, passio quædam est, non destructiua quę assimilatur corruptioni, cuiusmodi passio secundùm aliquos est odium, sed est passio saluatiua, quæ in hoc magis assimilatur generationi. Talis enim passio, est transformatio quædam patientis, in similitudinem agentis. Sicut aerem istum à luce pati, est ipsum in similitudinem lucis transformari, quæ est lumen. Amoris ergo passio, est appetitiuæ potentiæ transformatio. In qua scilicet immediatè est amoris passio, & hoc in similitudinem istam passionę agentis. Passionem autem agens, est bonum cognitum conueniens sensitiuo appetitui, eo modo, quo obiectum est causa passionis. Et sic amor est trãsformatio appetitus sensitiui, in similitudinem talis boni. Ex quo plerumque sequitur ecstasis quędam, præsertim secũdùm partem appetitiuam, quia, secundùm Dionysiũ, diuinus amor ecstasim facit, in quantum scilicet hominis appetitum in rem amatam tendere facit. Dupliciter enim causatur ecstasis, vt dicit Sanctus Thomas 1.2. qu. 29. Primò, secundum vim apprehensiuam, cùm scilicet ponitur extra cognitionem sibi propriam, vel cùm ad superiora sublimatur, ad comprehendẽdum ea, quæ sunt supra sensum, & rationem. Tunc enim dicitur ecstasim pati, in quantum ponitur extra connaturalem apprehẽsionem rationis, & sensus: vel quia ad inferiora deprimitur, vt cùm quis in furiam, vel amentiam cadit, dicitur ecstasim passus. Secundò, secundùm vim appetitiuam, dicitur aliquis ecstasim pati, cùm appetitus alicuius extra se quodammodo vigore sui impetus exiens in alterum fertur. Et istam ecstasim propriè, & directè causat amor intensus. Primam verò facit dispositiuè, in quantum scilicet meditari facit de amico. Nam intẽsa meditatio vnius, causat abstractionem à cæteris vniuersis. Et dum meditatio ad amatum dirigitur, confestim charitas inflammatur, & exercitij spiritualis actualitas vigoratur. Vnde Psalmista ait: *Et in meditatione mea exardescit ignis*, scilicet charitatis. *Amice* igitur *ascende superius.*

Ecstasis causari bifariam.

Psalm. 38.

Commentator super Dionysium de cælesti Hierarchia ait, quòd

Ignis vt sublime petat.

ignis inter omnia elementa situm habet sublimiorem, quia ponitur immediatè sub orbe Lunæ. Et hoc ideo, quia naturam habet subtilioré, & leuiorem. Et ideò dicitur excelsus à Dionysio, quia pôdere carens, sublimia petit, & supereminet vniuersis. Quicquid enim corporeum est, naturaliter sub eo subsistit: vnde & flâma ignis semper se sursum, tanquam ad proprium centrum eleuat. Est autem flâma materia ignea accensa in aerea substantia. Aer enim propter substantiæ suæ subtilitatem, & immediatam, quam habet cum sphæra ignis vicinitatẽ, de facili ignitur, & in materiam igneam commutatur. Et quantò substantia aerea purior est, tantò flamma lucidior, & clarior erit, ac naturæ lucis similior videbitur. Denique flamma naturaliter sursum mouetur, & ab omni parte rei accensæ, linealiter in acutum sursum tẽdit. Et sic in extremitate sua formam habet pyramidalem, & acutam. In angulo verò acuto propter concursum radiorum, sui caloris actionem fortius imprimit. Et ideo in summo pyramidali angulo, materiam sibi appositam citius incendit. In omnibus autem prædictis, effectum huius amoris aptissimè nobis exprimit, qui gradus amoris à beato Dionysio vocatur superferuidus, de quo dicit Hugo: Nescis quoniam id quod superferuet, quadam caloris, & Incendij sui violentia, iactatur extra se, totaliterque supra se, & facit motionem magnam inuisibili æstuatione? Quod enim prius acutum fuerat in dilectione, obsistentia cuncta penetrãs, iam superferuidum fit, & ebullit, in semetipso stare non valens, quia etiá sese contemnendo relinquit. Nam ille, qui solum hoc appetit, quod amat, in illius etiam comparatione semetipsum despicit qui amat. Neque enim verè solum illud appeteret, si vel seipsum cum illo amaret: sed hoc facere nõ potest, nisi magnus & singularis amor. Hic enim nec se capit, & modum nescit. Vnum autem scit, quia quisquis amat, modum habere nescit. Nimirũ, quoniam iste cum Deo suo felicius, quàm prior colluctatur, cò quòd spiritus diuinus sese iã profusius & vigorosius applicans, se nostro spiritui conferre dignatur, vberiorem colluctandi facultatem indulgendo. Quod citò præsentiens anima fidelis, in illum tanta fertur auiditate, velut si totum increatum, & incomprehensibile bonum, comprehendere niteretur, cùm tamen ipsa creata sit. Et hoc ideò facit, quia amor eius modum nescit. Sed ex hoc econuerso, quanto maiori conatu dilecti totalitatem pertransire nititur, tantò profundius ab eodem feliciter absorbetur.

Flammæ natura.

Amor superferuidus.

betur. Sicut à simili piscículus fluuiatilis hamum escatum deglutire cupiés, protinus capiens capitur, & sursum ad littus attrahitur. Hinc etiam amor iste vocatur alio nomine amor violétus, eò quòd amoris huius aculeus mentem hominis medullitus penetrat, & affectum flammigeris anhelationibus trāsuerberat, adeò quòd æstum desiderij sui cohibere non prævalens, impetu vigorosissimo sedulè superferueat, & humanæ naturæ violentiam non modicam inferat, quia sic amantem in amatum importunitate sua transformare nititur. Nam charitas, vt dicit Abbas Iohannes, secundùm qualitatem est similitudo, quantum hominibus possibile est: secundum operationé verò est ebrietas animæ: secundùm autem proprietatem est fons fidei, abyssus longanimitatis, & mare humilitatis.

Amor violentus.

Huius igitur amoris, ad maiorem euidentiam, tria signa possunt assignari: quorum primum est, quotidianus excessus in iubilū mentis, de quo dicit Psalmista: *Beatus populus qui scit iubilationem.* Iubilus autem, secundùm Gregorium 34. Moralium dicitur, quando gaudium ineffabile mente concipitur, quod nec abscondi potest, nec sermonibus aperiri, & tamen quibusdam motibus proditur, quamuis nullis proprietatibus exprimatur. Vnde Psalmista ait: *Beatus populus qui scit iubilationem,* non qui loquitur: quia sciri quidem mente potest, sed dictu exprimi non potest. Per illā quippe sentitur, quod vltra sensum est, & cùm vix ad hoc contemplandum sufficiat conscientia scientis, quando ad hoc exprimendū sufficeret lingua dicéntis? Hæc ille. Vnde in hoc gradu amoris plerunq; menti datur quædam simpla & vniformis serenitas, nullis qualiumcunque formarū discretionibus variata. Per quod, inquam, simplex & serenum infusum sibi lumen, inuenit se penitus recollectum, stabilitum, penetratum, & anchoratum, ac in diuinam vnitatem per amorem & intentionem sereniſſimam totaliter inclinetum. Et ex eo per consequens, spiritualis quædam claritas exoritur, partem intellectiuam illuminans, & reuelans in cunctis virtutibus luculentissimam veritatem. Quā reuelationē qui acceperit, necessariò reuelationibus, vel attractione supersentiali non indiget. Is igitur super omnia considerare debet diligentius, an perfectam Christi similitudinem gerat in omnibus. Quia per hanc spiritualem charitatem intellectus noster ad quæuis virtutum exercitia cognoscenda, & arcana sacræ scripturæ discretionis acumine penetrāda diuinitus illuminatur. Por-

Amoris superferuidi signa. Psalm. 88. Iubilus.

rò, B. Augustinus huiusmodi dulcedine quandoque præuentus, aiebat: Quid est illud dulce, quod in recordatione Dei mei me tangere solet, & tam suauiter afficere, vt iam quodammodo totus à memetipso alienari, & (nescio quo) abstrahi incipiã? Subitò innouor, & totus immutor, & bene mihi esse incipit, vltra quã dicere sufficiã. Exhilaratur conscientia, in obliuionem venit omnis præteritorum dolorum meorum memoria. Exultat animus, clarescit intellectus, cor illuminatur, desideria iucundãtur, iam iamq; alibi (nescio vbi) me esse video, & quasi amplexibus amoris intus teneor, & nescio quid illud sit. Et cùm retinere illud semper, & nũquam perdere, toto nisu laboro, luctatur quodãmodo delectabiliter animus, ne recedat ab eo, quòd semper amplecti desideratquasi in illo desideriorũ omnium finem inuenerit, & ineffabiliter exultat. Nunquid non ille est dilectus meus? verè ipse est dilectus meus, qui visitare me venit, non vt totum infundat, sed vt gustandum præbeat: non vt impleat desiderium, sed vt trahat affectũ. Cùm igitur anima fidelis internã illam dulcedinem deguſtat, nihil mirum, si amore dilecti totaliter

Psalm. 41. æstuat, dicens cum Psalmista: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Et ex hoc impetu feruoris ire supra semetipsam nititur, & ideò bene amor superferuidus nominatur: sed ad infirmitatis suæ tenebras concitò fracta relabitur, sicque diuersis vndarum fluctuationibus agitatur.

Expectatio amantis animæ tædiosæ.

Secundum proinde signum huius amoris, sunt expectationes tædiosæ. Quia dicit Linconien. super 7. cap. Angelicæ Hierarchiæ: Quòd amore tendente in rem amatam, nihil velocius, nihil acutius, nihil penetralius, nihil subtilius reperitur. Quia natura sua nõ quiescit, donec supernaturaliter penetrauerit totam profunditatem, & pertransierit amabilis totalitatem, quantum potest. Et ideò quãdo cursus amoris huius impeditur, vel in modico retardatur, tota mens concussa turbatur, & expectatione sua tædiatur, eò quòd taliter amanti nimis longa videtur omnis mora, & omnis expectatio redditur onerosa. Et quoniam amor iste cuncta respuit, quæ aliquo

Philip. 3. modo officium illius & exercitium impediunt, ideò præter amatũ, vniuersa fastidium ingerunt. *Omnia*, inquit Apostolus, arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifacerẽ. Hinc etiam expellit omne desideriũ, excludit omne studiũ, violenter opprimit omne exercitium, quod affectui suo & fini præoptato non militat. Nam quicquid

quid agit, quicquid cogitat, intolerabile videtur, nisi in vnum desiderij finem concurrat. Neque id mirum, cùm dicat Bernard. Quòd anima, quæ didicerit, & acceperit semel à Domino, intrare in semetipsam, & in intimis suis Dei præsentiã suspirare, & quærere faciem eius: talis, inquam, nescio an gehennã ipsam experiri ad tempus horribilius pœnaliusve ducat, quàm post spiritualis studij huius semel gustatam suauitatem, exire denuò ad illecebras & molestias carnis. In cuius persona dicit sponsa in Canticis. Exui *me tunica mea, & quomodo induar illa? laui pedes meos, & quomodo inquinabo illos?* Cant. 5.

Desideria' alta animę amantis.

Tertium denique signum huius amoris sunt alta desideria. Cuius ratio est, quia, secundùm Augustinum, Omnia ponderibus suis aguntur, & loca sua petunt, grauia deorsum, vt lapis; & leuia sursum, vt ignis Sed quod est pondus in corporibus, hoc est, amor in spiritibus. Amor meus pondus meum, eò feror, quocunque feror. Dono tuo accendimur, & sursum ferimur, inardescimus, & intus ascendimus per ascensiones in corde ad pacem Hierusalem. Hæc ille. Et ideò quantò magis amor accenditur, tantò pariter & anhelosa desideria sursum perfectius efferuntur & attolluntur : nec quiescunt, donec ad amati gratum amplexum & vnionem peruenerint. Ac per hoc in celsitudine vitæ perfectioris per desiderium se subleuant, quòd intolerabile esse iudicant, quicquid illud exterius non sonat, quod intus amant. Ea verò quæ suis affectibus militant atque subseruiunt, quasi raptu velocissimo, in sublime spiritualis intelligentiæ secum portant. Quia nimirum in hoc amoris gradu contemplatiua mens, in Deum tam profundè subleuatur, quòd ipsa viuacitas intelligentiæ diuinitus irradiatæ, metas humanæ industriæ transcendit, licèt tamen in mentis alienationem non transeat, ita quòd & supra se sit quod videat, & tamen ab assuetis penitus non recedat. Mens enim præsentia sui Creatoris visitata, & ex eius amore dulcifluè dilatata, propter feruidam Dei charitatem, quam sentit in se natam, vltra se continere non prævalens, intuitu mentali sursum se librat, & illum, à quo tam dulciter visitatur, videre desiderat. Cùm igitur sic sursum eleuata dilecto suo per amorem feruidum perseueranter inhæserit, inter illius brachia, tandem suauius ac profundius consopiri iam incipit, ita quòd non solum delectabiliter, sed & tenaciter Deo tunc inhærere se sentiat, adeò quòd vi quadam abstrahitur à sensu visibilium & memoria.

Quia sapor ille mentem spiritualibus delitijs inebriat, & ab exterioribus abstractã, sua virtute Deo conglutinat. Et quantò amor vehementior, & intelligentia lucidior, tantò validius ac profundius mẽtem in se rapit, quousque tandem animus cuncta, quæ sub Deo sunt, abijcit, & in solo diuinæ contemplationis radio liberè se figit, licet breuiter in quodam velut coruſco luminis cælitus emicantis fulgore. Quia *corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Quantò tamen feruentius ab inferiorum memoria nostra mens ad superna sustollitur, tantò perfectior erit deuotio, & lucidior contemplatio, ac plenior, suauior, prolixiorque diuinorum amplexuum felix inhæsio. Quia simul vtrisque nostra mens intenta esse non potest, eò quòd ab inuicem sicut lux à tenebris diuisa permanent.

Sap. 9.

Esuries amoris quæ

Ex hac igitur subleuatione mentis & puritate contemplationis, in tantum homini accrescit esuries amoris, quòd per excessum suijpsius se iugiter immolãdo, tandem in operatione sua deficiat, & extremo spiritu defessus, ab amoris igne resolutus, quodammodo dulciter annihiletur. Esurit enim Deum plenè degustare, quem tamen capere nullo conamine prævalet, sed in singulis diuinis irradiationibus, ipsemet à Deo comprehenditur, & recenti semper amoris tractu in dilectum trahitur: sicque viribus proprijs paulatim destituitur, sicut Psalmista loquitur de affectu regni cælestis: *Quàm*, inquiens, *dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini*, sicut vua in torculari pressa deficit, scilicet à se fluens in naturam vini. Vnde idem ait: *defecit in salutare tuum anima mea. Defecit*, inquam, à se fluendo per amorem, *in salutare tuum*, id est, Christum. Et ex illo tractu amoris diuini talis esuries in eo iugiter renouatur.

Psalm. 83.

Psal. 118.

De octauo scalari gradu amoris, qui dicitur Amor liquidus.

Cap. XXXVIII.

QVærit Doctor sanctus secunda secũdæ, quæstione 29. Vtrum amor causet mutuam inhęsionem, vt scilicet amans sit in amato, & econuerso: sicut de amore supernaturali dicit Ioannes in Canonica sua: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, &c.* Non enim videtur possibile, quòd continens sit contentum. Ad hoc respondet ibidem: Quòd effectus mutuæ inhæsionis dupliciter in-

1. Ioan. 4.

Adhæsio mutua vt contingat.

intelligi potest. Primò, quantum ad vim apprehensiuam, & sic amatum in amante esse dicitur, in quantum amatum immoratur in apprehensione amantis, secundùm illud ad Philippenses: *Eò quòd habeam vos in corde.* Sic enim amatum est in amante, in quantum est impressum in affectu eius per quandam complacentiam. Econtra verò secundùm eandem vim, amans est in amato, in quantum amans non est contentus amati superficiali apprehensione, sed singula, quæ ad amatum pertinent, intrinsecus nititur disquirere: & sic ad interiora illius ingreditur, sicut de Spiritu sancto (qui amor est) dicitur prima ad Corinthios: Quòd *omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Secundò, quantum ad vim appetitiuam, amatum esse dicitur in amante, prout est per quandam complacentiam in eius affectu, vt in eo, vel in bonis eius, per præsentiam eius delectetur, vel etiam in absentia per desiderium: & hoc propter amati complacentiam interius radicatam. E contra verò amans est in amato. Primò, per amorem concupiscentiæ, quæ scilicet non requiescit in quacunque re extrinseca, aut superficiali adeptione vel fruitione amati, sed quærit amatum perfectè habere, quasi ad intima illius peruenies. Vel, Secundò, per amorem amicitiæ, quo scilicet reputat bona vel mala amati sicut sua, vt quasi ipse in amato suo videatur bona vel mala pati & affici. Et ideò proprium est amicorum idem velle & idem nolle, ac in eodem contristari & gaudere, secundum Philosophum nono Ethicorum, & secundo Rhetor. vt sic in quantum quæ sunt amici, sua, æstimat, amans videatur esse in amato, velut idem factus in eo. O felix inhæsio, qua Deo sic inhæret, quia cum eo spiritus vnus efficitur. *Amice* ergò *ascende superius.*

Philip. 1.

1. Cor. 2.

Amans, vt sit in amato.

Secundùm naturales, ignis ex sua subtilitate virtutem habet sui cum alio corpore immediatissimè vnitiuã, veluti si quodam modò materia vniretur suæ formæ, vt patet in ferro ignito & carbone inflammato, in quibus talis coniunctio vtriusq; perficitur, quòd inter vnius & alterius substantiam, sensibilis differentia non habetur. Et hoc ideò quia inter omnia elementa, ignis minimum habet de materia & plurimum de forma, ita quòd propter suam subtilitatem videtur quasi non habere corpulẽtiam. Additus enim alteri corpori, non videtur ipsum augere, quia ferrum non inuenitur maius igni-tum, quàm frigidum, eundem cum illo locum occupans, & gradum huius amoris, qui liquidus dicitur, aptè nobis designans, quo scili-

Ignis vt habeat vim immediatè vnitiuam.

cet spiritus amantis & amati felici copula in inuicem fluunt. Nam in amore liquido ipsa mens in abyssum amoris diuini rapitur. Quo scilicet absorpta, sese cum omnibus creatis perfectè relictis, tota liquescens, in æternum amorem effluit. Dumq; ab illo diuini amoris incendio circundatur, & intimè penetratur, tunc vndique vehemẽter inflammatur. Et sic animus humanus seipsum exuens, diuinum quendam affectum induit, ac inspectæ pulchritudini configuratus, totus in aliam figuram transit. Sicut enim ferrum naturaliter nigrũ & frigidum, dum in ignis incendio moram facit, paulatim nigredinem deponit, & ignis in se similitudinẽ trahit, donec totum liquefiat, & à se deficiat, ac in aliam penitus qualitatem transeat: sic anima diuini amoris incendio penitus absorpta, prius incalescens, tandem incandescit & liquescit, à priori statu penè deficiens, & sic vnus cũ Deo spiritus efficitur, quia in se tota liquefit, & in illũ, quem diligit, tota liquescens fluit. Vnde, sicut ignis in se materiam conuertit, in quam agit, sic amor diuinus animam in se conuertit, quam accẽdit. Et sicut varia metalla igne resoluta, pariter in vnum confluunt: sic Deus, & anima inter se longè diuersa in vnum spiritum per amoris ignem confluunt. Quia ex hoc igne amorosa corda liquescunt, liquescendo deficiunt, deficiendo transeunt, transeundo vniuntur, & vnita perficiuntur, dum in illam vnitatem transeundo perueniunt, quam Iesus à Patre postulans, ait; *Rogo Pater, vt vnum sint, sicut & nos vnum sumus.* Ita hic liquidus amor post felicem luctam consequitur benedictionem, nec iam de cætero velut agens luctam continuat: sed potius ab affluentia diuini spiritus luctam patiendo prosequitur, eò quòd omnibus viribus ab actionibus suis sabbatisantibus, & veluti penitus destitutis, sola virtus amatiua superior negotium suum prosequi nititur, donec ad intimum amplexum dilecti perducatur, & illic tandem ipsa feliciter absorbeatur.

Ioan. 17.

Amoris liquidi signa tria.

Affectiones ecstaticæ.

Cęterùm, amoris huius similiter tria signa possunt assignari. Primum signum, sunt affectiones ecstaticæ: Quia, secundùm Dionysiũ, talis amor in Deum tendẽs, est faciens ecstasim spiritus, eò quòd amor non permittit tales amatores esse suijpsorum per mentis sobrietatem, sed eorum, qui amantur per mẽtis excessum. Et ideo qui sui non sunt, sed aliorum, extra se sunt. Hinc etiam dicit Bernardus: Quòd non est præsentior spiritus vbi animat, quàm vbi amat. Hũc autem

autem excessum charitas facit, quæ per fortissimã suam inclinationem tendẽtiam causat vehemẽtem in rem amatam. Vnde dicit Vercellen. in Prologo super Cant. adducens illud Apostoli: *Viuo autem,* Gal. 2.
vita naturali, *iam non ego.* Permutationem enim excessiuam ad æternitatis immensitatem, quasi absorptus & officio proprio suspensus dimoueor, doceor, & regor vita supersubstantiali, cui vnior, qua repleor: *viuit verò in me Christus,* id est, sicut anima sobria me regit naturaliter, & disponit ad omnem actum inferiorem, sic virtus Christi, cui vnior, gratuitò me viuificat, & ad omnia disponit. Et hoc dixit sicut verus amator, qui in solum summè & verè diligibile bonum immediatè, & propter ipsum solum superintelle&tualiter tendit. Et hic quidem amator diuinum continuè petit osculum illud, quod sponsa præmittit in amoris Cantico, dicens: *Osculetur me osculo* Cant. 1.
oris sui. Super quo verbo dicit Bernardus: Ego arbitror neminem Apoc. 2.
facilè scire, quid sit hoc osculum, nisi qui accipit. Est quippe *manna absconditum*: & solus qui edit, adhuc esuriet. *Fons* est *signatus,* cui non Cant. 4.
communicat alienus, sed solus *qui bibit,* adhuc *sitiet.* Nõ est cuiuslibet Ioan. 4.
hominis, sed si quis semel ex ore Christi susceperit, probabile habet experimentum, quod profectò solicitat & cogit amplius ad petendum Hoc osculum, sola & rara perfectio experitur. Oportet enim sponsam Christi, quæ præsumit hoc osculum petere, sponsum suum amare castè, amare sanctè & ardenter. Castè, vt ipsum solum, & non alium amet, petat, vel quærat. Sanctè, quia non in concupiscentia carnis, sed in puritate spiritus. Ardenter, vt ita amore sponsi inebrietur, quod maiestatem non cogitet. Nam si cogitaret, non præsumeret hoc osculum petere veluti ab æquali, ab eo, *qui respicit* Psal. 103.
terram, & facit eam tremere. Hoc autem osculum, nihil aliud esse credimus, nisi Spiritum sanctum, ad consolationem animæ sanctæ missum. Sicut enim osculantium spiramen permiscetur, vt vnus anhelitus iudicetur, sic Spiritus sanctus spiritui nostro immissus, fit vnus spiritus cum eo.

O felix sponsa, quę tali copula digna iudicaris. Nam si viderit te sponsus ad amorem suum inardescere, & impatienti desiderio pallescere, accelerabit ad te, & ad copulam mutuam se offeret, præbebit oscula, iunget amplexus. O lætam diem talium nuptiarum, & felix sponsa tali coniugio digna. Nihil mirum, si tunc sponsus & sponsa cantant amoris cantica. Dicit autem Bernardus: Quòd illa amoris

cantica sola vnctio docet, addiscit experientia, experti cognoscunt, inexperti inardescũt. Non est enim strepitus oris, sed iubilus cordis, non sonus labiorum, sed motus gaudiorum, voluntatum, non vocum consonantia, sola quę cantat, & cui cantatur, audiunt, id est, sponsus & sponsa, Christus & anima. Qui autem donum hoc consequi desiderat, oportet eum esse in spiritu cum Iohanne, qui ait: *Ego Iohannes fui in spiritu*. Super quo dicit Richardus: Quòd hoc est spiritum in spiritu esse, semetipsum intra semetipsum totum colligere, & ea, quæ circa carnem, vel in carne geruntur, interim penitus ignorare. Talis enim illis solis interest per memoriam & intellectum, quæ in spiritu, vel circa spiritum actitantur. Spiritum autem esse sine spiritu, est semetipsum extra semetipsum, & supra semetipsum totum effundere, & in illud diuinitatis arcanum totum intrare, & à suo esse transiens, in diuinum spiritum penitus deficere, ita vt ipse iam non sit ipse, eò dumtaxat tempore, quo Domino iam incipit altius inhærere. Et de his bene dicit Gregorius in Homilia quadam: Sunt nonnulli, qui supernæ contemplationis facibus accensi, in solo Conditoris sui desiderio anhelant. Nil iam in hoc mundo cupiunt, solo æternitatis amore pascuntur: terrena quæque abijciunt, cuncta temporalia mente transcendunt. Amant & ardent in ipso ardore suo requiescunt. Quid istos nisi Seraphim dixerim? quorum cor conuersum est in ignem diuini amoris?

Apoc. 1. Spiritum esse in spiritu quid sit. Spiritum esse sine spiritu quid.

Secundum signum diuini amoris, est omnia aduersa sicut prospera pro Christo desideranter amplecti, cum Paulo dicente: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio, in omni tribulatione nostra.* Nimirum, quia in hoc gradu, secundùm modum aliquem, efficitur anima immortalis & impassibilis. Immortalis quidem, eò quòd à vera vita separari nõ potest. *Quis*, inquit Apostolus, *nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia?* Et postea subdit: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, &c. poterunt nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Sic & impassibilis efficitur, quia nulla damna, nullumque dispendium sentit: sed in omni aduersitate dulciter hilarescit. Quia quicquid illi infertur ad pœnam, totum præsumit ad gloriam. Hinc etiam nullam resistentiam prætendit, nisi in his duntaxat, quæ separationem à Deo, vel elongationem causare noscuntur: sicut metallum liquatum, ad tactum cuiuslibet rei protinus cedit quod non liquatum resistit. Cuius est ratio, quia talis amor men-

Prospera omnia & aduersa suscipienda de manu Dei. 2. Cor. 7. Rom 8.

tem

cem ab amore vitæ præsentis funditus auertit, & occidendo velut insensibilem reddit, ita quòd pœnam quamcunque, & ipsam denique mortem cum gaudio suscipere facit. Nec propter hoc ab amore desistit, vel in minimo tepescit, sed magis inardescit. Vnde sponsa, cùm dilectum quæsisset *in lectulo*, nec inuenisset: *Surgam*, inquit, Cant. 3.
& circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea. Cant. 5.
Quæsiui illum, & non inueni, sed *inuenerunt me vigiles, qui circumeunt ciuitatem: percusserunt me, & vulnerauerunt me custodes murorum.* Mira res, Ibidem.
quòd nihilominus statim subinfert: *Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei*, quia non persecutione, tribulatione, passione, aut vulneratione, sed *quia amore langueo.* Vnde putamus hanc insensibilitatem procedere fratres? Nunquid ab ebrietate vini illius, de qua dicitur libro Prouerbiorum: *Verberauerunt* Prou. 23.
me, & non dolui; traxerunt me, & non sensi? & non potius ab illa, de qua dicit Psalmista: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos?* Quam voluptatem scriptura nunc gustum, nunc ebrietatem vocat, vt ostendat, quàm parua sit ad comparationem futuræ plenitudinis, & quàm magna in comparatione cuiuslibet mundanę iucunditatis. O dulcedo miranda, quia tam magna, quòd omnem mundanam dulcedinem excedis: tam parua, quòd de illa plenitudine vix stillam modicam decerpis. Modicum enim quid de tanto felicitatis pelago mentibus instillas, mentes tamen, quas infundis, plenè inebrias. Meritò tantillum de tanto, gustus quidam dicitur. Meritò nihilominus, quæ mentem à seipsa sic alienat, ebrietas appellatur. Per quam voluptatem amara cuncta dulcorantur, secundùm Augustinum, sic dicentem: Tua dulcedo Domine craticulam Laurentio dulcem fecit: tua dulcedo Stephano torrentis lapides dulcorauit: pro tua dulcedine *ibant* Apostoli *gaudentes à conspectu concilij*. Act. 5.
Ibat & Andreas ad Crucem securus & gauden, quia ad tantam dulcedinem properabat. Hanc gustauit Petrus, dum inferiorum oblitus clamauit, quasi ebrius: *Domine, bonum* Matth. 17.
est nos hic esse. Si vis, faciamus hic tria tabernacula. Hic moremur, & te contemplemur. Quo habito, nullo alio indigemus. Sufficit nobis te videre, sufficit tanta tua dulcedine satiari. Vnam stillam ilłæ tuæ dulcedinis degustauit, & omnem aliam dulcedinem

fastidiuit. Quid putas dixisset, si magnam illam multitudinem diuinitatis tuæ gustâsset, *quam abscondisti* diligentibus *te*?

Psalm. 31. Liquefactio spiritus.

Tertium signum est, pro vicissitudine diuinæ visitationis pati liquefactionem, aut sustinere lãguorem. Dum enim auster afflauerit, protinus liquefactionem patitur, id est, quandam emolitionem, per quam anima per omnia flexibilis redditur ad diuinum beneplacitum, & præcipuè ad amandum Deum, liquescens ad recipiendum diuinæ inactionis multiformem impressionem: vt sicut liquor liquori, sic spiritus Dei spiritui hominis influens misceatur, & anima cum Deo spiritus vnus efficiatur. Vnde, secundum Origenem, liquefactio est felicissimus effectus diuinæ consolationis. Liquescit, enim mens, dum deuotione mollescit, vt sponsus in ea suauiter cuber, & nihil duri ei obsistat. Liquescit, inquam, cùm deuotione calescit, vt dilectus in ea calorem diuini amoris inueniat, & quasi quidam contactus spiritualis fiat, qui maximam delectationem generat. Liquescit denique, dum deuotione supereffluit, vt Deus solus solum & plenum dominium in ea obtineat. Tunc enim omnis motus, omnis vsus omnis impetus eius, feliciter in æternitate terminatur, *anima mea*, inquit, *liquefacta est, vt dilectus locutus est*. O dulcis confabulatio Dei cum anima, & in anima, quorum virtute & auditu verborum corda liquescunt, & liquescendo deficiunt ab eo, quod fuerunt; & deficiendo perficiuntur in eo, in quem fluunt.

Cant. 5.

Languor spiritus.

Porrò, flante aquilone, mox anima in languorem incidit, cùm diuini complexus osculum consequi non valet. Quo tamẽ carcere non volens, amoris impatientiã patitur, tã exteriora, quàm interiora, intolerabili æstuatione perurgentem. Qua durante, nullius eam vsus creaturæ delectat, omnia sustinere paratam, vt id, quod amat, obtinere valeat. Hęc autem amoris impatientia cor amantis depascit, & sanguinem eius bibit, totum hominem marcescere faciens. Vnde Bernardus, huius aliquando visitationis vicissitudinem passus, ait: Verbum mihi ad te est, ô rex seculorum Iesu Christe. Ausu charitatis colloqui tecum præsumo, factura manus tuæ, & adire te. Vsquequo sustinebo absentiam tuam? expectationem faciei tuæ quanto tempore feram? Vsquequo ingemiscam, & stillabit post te oculus meus? Amabilis Domine vbi habitas? Vbi est diuersorium tuum, in quo lætus recumbis inter charissimos tuos, & satias eos manifestatione gloriæ tuæ? Quàm felix, quàm sanctus, quanta

CON-

concupiscentia appetendus est locus, istę deificæ voluptatis, locus perennium deliciarum. Non accessit oculus meus, nec appropinquauit cor meum, vsque ad multitudinem dulcedinis tuę, quam intrinsecus abscondisti filijs tuis. Solo eius odore vtcunque sustentor, & spiramentum suauitatis tuæ de longinquo venit ad me, quæ est mihi super odorem balsami & fragrantiam thuris & myrrhæ, omnisque generis suauia odoramenta, & concupiscentias mundas parit in me, quarum est adustio delectabilis, vix tamen portabilis.

De nono scalari gradu amoris, qui dicitur Amor inaccessibilis.

Cap. XXXIX.

QVærit Doctor sanctus secunda secundæ, quæstione centesima octogesima: Vtrũ vita contemplatiua secundùm statum vitæ præsentis pertingere possit ad visionem diuinę essentię, sicut videtur dicere Iacob: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Gen. 32. Ad hoc respondet, quòd in hac vita quis potest esse dupliciter. Vno modo secundum actum, in quãtum actualiter sensibus corporis vtitur: & sic nullo modo contemplatio præsentis vitæ pertingere potest ad vidẽdum diuinam essentiam, sicut ait Augustinus duodecimo super Genesim ad litteram, quòd nemo videns Deum, viuit vita ista, qua mortaliter viuitur in istis sensibus corporis. Vnde non est intelligendum, quòd Iacob viderit Dei essentiam, sed quòd vidit formam imaginariam, in qua Deus illi locutus est. Alio modo potest esse quis in hac vita potentialiter, & non secundum actum, in quantum scilicet eius anima est mortali corpori coniuncta vt forma, ita tamen quòd non vtitur sensibus corporis, aut etiam imaginatione, sicut contingit in raptu: & sic contemplatio vitæ præsentis ad visionem essentiæ diuinæ pertingere potest. Vnde supremus gradus contemplationis est, qualem habuit Paulus in raptu, secundum quem fuit medio modo se habens inter statum vitæ præsentis & futurę. Iste verò raptus fit cum quadam violentia, qua quis ex diuina virtute subleuatur ad aliqua supernaturalia contuenda, cum abstractione à sensibus. Licet enim naturale est homini, quòd per sensibilium apprehensionem in diuina tendat, quia hoc ad hominis dignitatem pertinet, vt ad diuina subleuetur, eò quòd factus est ad imaginem Dei: quòd tamen eleuetur ad diuina cum abstractione à sensibus, non est homini naturale: quia cùm bonum diuinũ

Raptus vt est supremus gradus contemplationis.

in infinitum humanam excedat facultatem, indiget homo, vt supernaturaliter ad illud bonum capessendum adiuuetur, quod fit per beneficium diuinæ gratiæ. Cùm ergo mens per raptum eleuatur, hoc non est contra naturam, sed supra naturæ facultatem: sicut si lapis cogatur descendere deorsum motu alieno, quàm sit motus eius naturalis. Quem motum in mente potissimè causat intensa charitas collata diuinitus, seo perficit ipsa charitas increata Deus. *Amice* ergo *ascende superius.*

Ignis vt immutet.

Ignis, secũdum naturales, naturam habet immutatiuam, quia naturam omnium rerum, in quantum agendo superat, in suam speciẽ transmutat. Materiam enim, in quam agit, apprehẽdens non deserit, sed incorporando in suam similitudinem conuertit. Apprehendẽs verò non apprehenditur, quia consumpto eo, in quod agit, statim in se resilit, & inuisibilis permanens, ad centrum suum tendit. Nã in esse suo nobilissimo consistit inuisibilis & occultus. Pro quo notandum, quòd propriè dicitur ignis in sua sphæra, vbi scilicet inuisibilis nobis perseuerat, licèt tam igneum elementi, quàm igneum cœli lucidum sit in se. Flamma verò dicitur in materia aeris, in qua nobis apparet visibilis, propter aeris crassitudinem, & materiæ, in qua alitur, fœculentiã. Carbo verò dicitur, aut potius pruna in materia terrea, seu fœculentia materiæ grossioris. Hinc etiam ignis à Dionysio dicitur incorporeus, eò quòd in subtilitate propriæ substantiæ non cernitur, & sic naturæ spirituali multũ approximare videtur, quasi medius inter visibilia & inuisibilia. In quãtum .n. illis appropinquat, incorporeus est; sed in quantum inferioribus appropinquat, corporeus est, & apicem summum amoris & diuinæ contemplationis aptè designat. Nam amor iste dicitur inaccessibilis, pro eò, quòd ducit ad contemplãdam lucem inaccessibilem, non quidem effectiuè, sed dispositiuè, quia disponit hominem ad hoc, prout est possibile. Vel inaccessibilis dicitur, quia per illum amor æternus & increatus intelligitur, in quem quandoq; fidelis anima à dilecto feliciter subuecta ducitur, immergitur, & baptizatur; sicque ad contemplandam lucem inaccessibilem aptificatur. Nemo namque credat ad diuinæ lucis claritatem, humana argumentatione vel ratiocinatione se posse peruenire; quia si aliqua argumentatione adiri potuisset lumen illud, inaccessibile non fuisset.

Ignis vt incorporeus.

Amor vt sit inaccessibilis.

Porrò, qui ad eius contemplationem se præparare nititur, prius se

à vitijs

Amor vnitiuus vt acquiratur.

à vitijs vniuersis procul elonget, cuncta terrena funditus eõculcet, bonis operibus se exerceat, affectum suum continuò sanctis desiderijs inflammet, visitationem Spiritus sancti vehemẽter exoptet, gratiam contemplationis semper efflagitet, & ad amorem vnitiuum, tãquam ad finem omniũ exercitiorum, iugiter aspiret, ac in omnibus his, quousque accipiat contentiosè laboret. Curam carnis, etiam in licitis, fortiter & frequẽter repellat. Quia, vt dicit Richardus, nunq̃ affectus humanus ad æternitatis desiderium perfectè inflammatur, nunquam humanus intellectus ad diuinorum contemplationem plenè acuitur, nisi carnis cura in rebus etiam licitis & necessarijs, fortiter & frequenter repellatur. Ante omnia tamen, vt dicit Hugo, per studium dilectionis diuinæ aperitur via cordi nostro, vsque ad cõtemplandum lumẽ diuinæ maiestatis, vt illic quasi de fonte spiritualium donorum aquę descendant per radium contẽplationis, ad irrigandum & implendum sinum mentis nostræ. Et ideo quantò ardentius diligunt, velut è vicino profundius prospiciũt. Quia per amorem amans amato appropinquat, coniungitur, & vnitur, ac in eius similitudinẽ transformatur. Vnde ait Bernardus: Scio anima mea, si Deum diligis, vi amoris in eius similitudinem transformaris. Felix ergò tempus, & acceptabilis hora, quãdo anima in eius dilectionis actu iucundissimo cõstituitur: per quam ipsa totaliter in Deum trãsformatur. Per quam & mens eius ab his, quæ sunt sibi secũdum virtutẽ superioris naturæ, in lumen incircũscriptum rapitur: vbi mira dilectione quadam absorbetur, quam nullus sensus ęstimare potest, sermo nullus explicare valet Quia tunc in actu iucundissimo cõstituitur, prosternitur cum spõso suo cælesti sponso charitatis amplexibus coniungitur, & ad eius oscũlũ inclinatur: sicq; fit, quod ad illius contactum, animus in dilectum cęlesti quadam dulcedine subitò transfunditur. Cùm igitur in amore diuino sic inebriatus fuerit, non mirum, si omnium quæ sunt obliuiscẽs, totus in Deum pergat, gustãs illud, quod nemo nouit, nisi qui accipit. Et quoties illã felicitatem participat, præsentem miseriam ignorat. Quia tanta est vehementia charitatis huius, quòd eum, quem perfectè semel accenderit, extra se constituat, & gustu dulcedinis incomprehensibilis Deiquenter inebriet. Sed, vt dicit Ioannes Scotus, in Glossa super libro de diuinis nominibus, impossibile est quẽquam vniri Deo, vel Deũ quodammodo fieri, nisi cessetà materialium occupationũ dispositione,

tione, tam sensu, quàm mente, vt diuinæ simplicitati similior effectus, Deo perfectius vniatur. Est enim deificatio similitudo & vnitas ad Deum, in quantum licet. Nam forti conatu tales etiam seipsos postponentes, & omnia relinquentes, ad congregantis Patris vnitatem, & deificam ipsius simplicitatem anhelantes sunt.

Mentis excessum ex tribus oriri.

Cæterùm, amoris huius excellentissimi, licèt certa signa faciliter assignari non possunt, eò quòd in alienatione mentis agitur: hæc tamē alienatio processum habet ex tribus. Primò ex magnitudine deuotionis, cùm scilicet mens humana tantò ardore desiderij cœlestis accēditur, quòd amoris intimi flāma vltra modum humanū excrescat, quę statim animā ad similitudinem cerę liquefactam à pristino statu penitus resoluat, & instar fumi attenuatam, in superna subleuet. Per fumum enim in Canticis, deuotæ mentis desiderium exprimitur, per quod primum ascendere nos oportet. Vnde mirātur Angelici spiritus, dicentes: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Et talis excessus mētis magis fieri solet ex sola desiderij feruētis ęstuatione, quàm ex adiuncta sibi diuina reuelatione. Maior etiam ad meritum illa mentis eleuatio esse videtur, quæ fauente gratia, surgit ex incessione & inflammatione propria, quàm illa, quæ surgit ex sola vel aliqua inspiratione diuina. Et huius practica sumi potest ex naturalibus. Quia sicut ignis corporeus liquorem modicum in vase superpositum, primò ab imis incipit euertere, deinde nunc in hanc, nunc in illam partem iactare, nunc verò sursum, nunc deorsum agitare, tandem etiam ad superiora vasis attollere, donec vas totum ex quouis modico repleuerit. Ad vltimum verò, cum violentia quadam incipit interiora vacuare & foras effundere. Sic spiritus humanus igne diuino succensus, continuatis exercitijs, paulatim magis ac magis ęstuat, donec tandem ferueat ac superferueat, ac impellentibus desiderijs extra se tandem eiectus, suiq́ue penitus oblitus, & per ecstasim subleuatus, totus in superiora rapiatur, & sic in quandam dulcedinem diuinę suauitatis absorbeatur. De qua dulcedine dicit Richardus: Quòd nihil in hac vita sentitur iucundius, nihil ita animum ab amore mundi elongat, nihil ita mentem contra tentationes roborat. Quem enim talis gustus inebriauerit, ad omne opus, & omnem laborem hilarescit, laborat, & non lassescit; festinat, nec desicit; dolet, nec sentit; laceratur, & nescit; irridetur, & non aduertit.

Cant. 3.

Se-

Secundò verò processum habet ex magnitudine admirationis. De qua Richar. lib.6.de contemplatione dicit inter alia: Quis nesciat, inde fieri admirationē, cùm aliquid cernimus præter spem & æstimationem? cùm aliquid incipis videri, quod vix possit credi? & inde mentis excessus procedit. Quod satis innuitur in eo, quod dicitur in Cātic. *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens?* Nam aurora paulatim eleuatur, eleuando dilatatur, & dilatando clarificatur, & tandem in defectum sui veniens, in diem esse desinit: sic humana intelligentia diuino lumine irradiata, dum intelligibilium contemplatione suspēditur, & eorum admiratione distenditur, quantò ad altiora & mirabiliora ducitur, tantò copiosius dilatatur. Et vnde ab infimis remotior, inde in semetipsa purior, & ad sublimia subtilior inuenitur. Cùm ergo sic semper ad altiora crescit, tandem aliquando crescendo, humanæ capacitatis metas transcendit, vt à semetipsa penitus deficiat, & in supermundanum quendam affectum totaliter transformata, super semetipsam eat. Et sicut lux matutina crescendo desinit, non quidem esse lux, sed esse lux matutina, vt ipsa aurora non sit iam aurora: sic humana intelligentia, ex magnitudine dilationis suæ quandoque accipit, vt ipsa iam non sit ipsa: non quidem vt non sit intelligentia, sed vt iam non sit humana, dummodo mirabili immutationeque incomprehensibili efficitur plus quàm humana, dum *gloriam Domini* speculando, *in eandem imaginem* transformatur, *à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* Vnde si vas aquæ radio solis supponas, ipsam mox aquam videbis, ex se luminis splendorem in superiora transfundere, & claritatem quidem, absq; calore tamē, in summa leuare. Quid est aqua, nisi cogitatio humana? Quæ semper ad inferiora labitur, nisi sub magnæ discretionis moderamine cohibeatur. Aqua ergo in vase collecta, est cogitatio meditationi intenta, & per intentionem defixa. Cui solis radius se infundit, cùm diuina reuelatio meditioni occurrit. Sicut igitur aqua, cùm radium in se superni luminis accipit, fulgorē quoque luminis ad superiora emittit, quo ipsa per se nullo modo cōscendere valet. (Et cùm tanta sit differentia aquæ & luminis, radio tamen, quem de se lumen emittit, aliquid suæ similitudinis imprimit, ita vt tremula tremulum, quieta quietum, purior puriorem, diffusior diffusiorem efficiat:) Sic etiam cùm reuelatio luminis illius inaccessibilis, cor humanum irradiat, supra semetipsam humanam intelligentiam leuat. Et illic intelligentiæ radius infusione diuini luminis, & admi-

Admiratio causans in ētis excessum quæ.

Cant.6.

2.Cor.3.

admirationis reuerberatione, de imis ad ſumma reſilit, vbi nulla ingenij perſpicacia, nulla artis induſtria, humana ratiocinatio conſcendere ſufficit. Et quantò perfectius pacem & tranquillitatem animus ad intima componere præualuerit, tantò firmius & tenacius in hac ſubleuatione ſummæ luci per contemplationem adhærebit. Et quantò purior ad integritatem, tantò diffuſior ad charitatem, & perſpicacior, capaciorque reperietur ad ſupercæleſtium contemplationem, ac vberior guſtus ad fruitionem. Quibus feliciter allectus animus adeò ſummam totius conatus in diuinarum rerum contemplatione conſtituit, vt ſi ab ea paululùm vel inuitus cogitationibus violenter abstrahitur, hoc ipſum quaſi quoddam ſacrilegij vitium in ſe punit & execratur: quicquid ab illo vero lumine mentis conſpectum retrahit, ac in quibus iſte mundus verſatur, vniuerſa faſtidit.

Exaltatiõis magnitudo.

Cant. 8.

Tertiò denique proceſſum habet ex magnitudine exultationis: qui modus alienationis mentis ſatis exprimitur in Canticis, vbi dicitur: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, delicijs affluens, innixa ſuper dilectũ ſuum?* Si namque per deſertum intelligitur cor humanum ab omni tumultuatione ſeparatum, quis erit aſcenſus de hoc deſerto, niſi humanæ mentis exceſſus? quo ſe mentis alienatione deſerens, & ipſos cælos pertanſiens, ſpiritus ſe totum ſolis diuinis per cõtemplationem & deuotionem immergit. Cuius cauſa ſubnectitur, in eo, quòd delicijs ſpiritualium gaudiorum affluere deſcribitur, quas aliũde conſequi non valet, niſi ex intima illa animi iucunditate, & diuinitus infuſa dulcedine. Non autem dicit delicias habens, ſed *delicijs affluens*; quia non quælibet harum deliciarum experientia, ſed earum affluentia, talem aſcẽſum, qui de deſerto fit, gignit & perficit. Nam eo tẽpore, quo caret anima hac influentia, ad aſcenſum hunc (de quo nunc loquimur) ſurgere minimè valet, quoniam in aſcẽſu tali, delicijs eam affluere neceſſe eſt. Hinc meritò dilecto ſuo dulciter ac tenaciter inniti deſcribitur: quia non proprijs viribus in hunc aſcenſum, ſed illius virtute ſuſtollitur, qui ſua dignatione dilectam ſuam deducit *in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis*. Alioqui qualiter ipſa ſuſtineret *pondus diei & æſtus*, niſi ſub vmbra illius, quem diligit? Vt ipſa feliciter experiri mereatur, *virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Vnde licet dilecta ſemper & vbique dilecti ſui adiutorio indigeat, ita quòd ſine illo nihil incipere, nihilque perficere valeat, nuſquam tamen cooperanti gratiæ vehementius oportet incumbere, quàm eo loco vbi *aſcendit de deſerto deli-*

Pſal. 77. Matth. 20. Lucæ 1.

deliciis affluens. Quia quicquid ei ad consolationem & iucūditatem valere potest, totum ex alieno beneficio & arbitrio pendet. Et ideo rectè viribus illius innititur, de cuius munificentia, totum rectè præsumitur, quod speratur, desideratur, & amatur. Denique, secundùm Bernardum super Cantic. Fidelis paranymphus, scilicet Angelus vniuscuiusque animæ, qui mutui amoris conscius, sed non inuidus, non suam quærit, sed Domini gloriam, discurrit medius inter dilectum & dilectam, vota offerens, referens bona, excitat illam, placat illum, interdum quoque, licèt rarò, repræsentat eos sibi pariter, siue hanc rapiens, siue illum adducens. Veruntamen per huiusmodi processus & mentis excessus nequaquam peruenire potest ad illum contemplationis apicem, qui est de diuina essentia in lumine deiformi: qui nimirum super omnem humanæ industriæ facultatem esse dinoscitur, nec à quoquam, nisi ex specialissima gratia diuinæ largitatis adipiscitur. Nam hoc est bonum illud singulare, de quo Paulus dicit: *Non enim facio bonum quod volo.* Rom. 7. Super quo dicit Cassianus in Collationibus Patrum. Quid autem sit principaliter bonum, quod Apostolus non potuit perficere cùm vellet, diligenter indagemus. Est enim bona castitas, laudabilis abstinentia, miranda prudentia, larga humanitas, circumspecta sobrietas, modesta temperantia, pia misericordia, sancta iustitia: Quæ omnia in Apostolo ita plena atque perfecta fuisse non dubium est, vt virtutum potius, quàm verborum magisterio ab eo religio Christiana doceretur. Sed vna & sola est theoria, id est, contemplatio Dei, cui meritò omnia iustificationū merita, vniuersa virtutū studia postponuntur, & eius comparatione fuscantur. Summum ergo bonum est, Dei conspectui frui, & Christo iugiter inhærere. Quòd vt perfectè posset Apostolus adipisci, cupit *dissolui, & esse cum Christo,* vt posset à Christi consortio non auelli. Quod & nobis feliciter assequi donet charitas Patris, gratia Christi, & communicatio Spiritus sancti.


Summum bonum qd. Philip. 1.


Amen.


Librorum Theologiæ mysticæ R. P. Henrici Harphij, Theologi & diuinorum contemplatoris profundissimi,

FINIS.


Collegii Sochi Jesu Paderbornæ
1697


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Harphij
Theologia
Mystica
NVII
136